Alfonso Nicolajo d. cl.
d. Soc. Jesù
S. M.

Digitized by Google

Alfonso Nicolajo d. cl.
i Soc. Jesu
S. M.

Digitized by Google

2. 7. 166

21.7

Digitized by Google

XXXII
TVSCVLANA
Synod. 1763
T. I.
1764

Digitized by Google

CONSTITUTIONES
SYNODALES
ECCLESIÆ TUSCULANÆ
SEU
SYNODUS TUSCULANA
A CELSITUDINE REGIA EMINENTISSIMA
HENRICI EPISCOPI TUSCULANI
S. R. E. VICE-CANCELLARII
CARDINALIS DUCIS EBORACENSIS
IN CATHEDRALI TUSCULANO TEMPLO
APOSTOLORUM PRINCIPIS S. PETRI CELEBRATA
DIEBUS VIII., IX., X., ET XI. SEPTEMBRIS
A. D. MDCCLXIII.



EXCUDEBAT ROMÆ JO: GENEROSUS SALOMONI
EPISCOPII TYPOGRAPHUS
ANNO MDCCLXIV.

SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Eminentiſſimis, ac Reverendiſſimis Dñis Epiſcopis
CAROLO CAVALCHINO OSTIENSI,
MARCELLO LANTES PORTUENSI,
JO: FRANCISCO ALBANO SABINENSI,
FABRITIO SERBELLONO ALBANENSI,
JO: FRANCISCO STUPPANO PRÆNESTINO
S. R. E. Cardinalibus, Dominis ſuis Colendiſſimis

HENRICUS EPISCOPUS TUSCULANUS
S. R. E. VICE-CANCELLARIUS
CARDINALIS DUX EBORACENSIS
Perennem in Domino felicitatem.

UT in Dei Eccleſia excogitari nil altius, aut ſublimius poteſt, quam Epiſcopale munus, ad quod divina liberalitate, ac miſeratione

Digitized by Google

ſumus evecti; ſic nihil difficilius, quam illud, ut par eſt, ac laudabiliter obire, ut nec Deo, qui nos ad illud vocavit, nec fidei noſtræ concredito gregi, nec impoſito nobis oneri deeſſe videamur. Magnum enim quid eſt, EMINENTISSIMI PRÆSULES, Epiſcopi partes ſuſtinere, animarum ſalutem procurare, ipſarum incolumitati proſpicere, eiſque ad æternam beatitatem viam munire quodammodo, ac patefacere, propterea quod ovium, quarum nobis a Deo tradita eſt procuratio, naturam, indolem, mores, vitia præterea, morboſque omnes inveſtigemus oportet, ut adhibitis iis, quæ aptiora videantur, remediis, & morbi vis coerceatur, ne progrediatur ulterius, beneque valentes inficiat, &, quæ tetra jam lue fuerint infectæ, Dei gratia primum, deinde noſtra etiam induſtria, ſaniorem induant mentem, ac denique convaleſcant. Itaque quotquot aut Noſtra, aut Majorum memoria ſapientiſſimi Præſules extiterunt, Sanctorum Patrum, & Conciliorum auctori-

ctori-

ctoritate adducti, in his duobus inſudarunt plurimum, ut & traditam ſibi Diœceſim præſentes inviſerent, & Diœceſanas, quas ajunt, Synodos identidem convocarent, ut, quemadmodum Medici aptam infirmo corpori medicinam præſcribunt, ubi ejus conſtitutionem, ac vitia deprehenderint; ſic ipſi, cognita Populorum natura, ingeniis, moribus, praviſque conſuetudinibus, ea remedia adhiberent, ex quibus in totius Diœceſeos corpus optata ſanitas redundaret. Atque ego quidem, cum capeſſendæ Tuſculanæ Eccleſiæ mandatum mihi negotium eſt, plus fortaſſe oneris ſuſtuli, quam ferre me poſſe intelligebam. Nam, anguſtis licet contineatur limitibus, ea tamen ſubibat animum acerba recordatio, populorum, quotquot in ea eſſent, ſalutem meæ fidei, vigilantiæque ita eſſe commiſſam, ut ſi vel unus mea negligentia iis præſidiis non eſſet inſtructus, quibus beatam immortalitatem ſibi compararet, id totum mihi vitio verteretur.

Divi-

Digitized by Google

Divina tamen bonitate, atque clementia fretus, eo conſilio ad Eccleſiæ adminiſtrationem acceſſi, ut aut ejus vulneribus, quantum poſſem, mederer, aut, ſi id minus efficere potuiſſem, opprimi me tamen onere mallem, quam aut animo deficere, aut meis partibus, officioque deeſſe. Poſtquam ergo in poſſeſſionem illius veni, uno, vel altero interpoſito menſe, inviſendæ Diœceſeos initium feci. Multis tum quidem proviſum eſt; multæ, quæ hominum vitio irrepſerant, pravæ conſuetudines ſunt de medio ſublatæ; multa denique duorum ferme annorum decurſu, quos in perluſtranda ſæpius Diœceſi inſumpſi, ad ejus commodum, & utilitatem ſunt conſtituta. Verum, etſi hac in re non mediocrem capiebam animo voluptatem, quod populorum animis ad pietatem propenſis, ſatis uberes laborum meorum fructus, Deo dante, percipiebam; dolebam tamen, quod fructus ejuſmodi non ex univerſa, ut optabam, Diœceſi, nec eodem tempore, ſed diverſis tum

tempo-

Digitized by Google

temporibus, tum partibus colligebam. Huic rei hoc unum videbam eſſe remedium, ſi Parœciarum Rectores, reliquoſque, quos in animarum ſalute quærenda ſocios, & adminiſtros adſciveram, convocaſſem, quos omnes alloquerer, unaque cum illis ea decernerem, quæ univerſo gregi & commodo, & incolumitati eſſent futura. Impellebar ad hoc tum ſtudio in meorum ſalutem, tum longo temporis intervallo, ex quo conventus hujuſmodi in Tuſculana Eccleſia non fuerant habiti, tum denique Benedicti XIII., olim Cardinalis Urſini, exemplo, qui Tuſculanam gubernavit, & rexit Eccleſiam; cui quidem Pontifici immortales habeo, habeboque, dum vivam, gratias, cum multis, tum vero maxime, quod ſacro regenerationis lavacro omni me ſorde abluerit, Deoque pepererit. Æquum igitur exiſtimabam, ut, cujus opera primus mihi ad Eccleſiam aditus eſt factus, & cujus Pontificiam Sedem fueram ſortitus, ejuſdem quoque in ea regenda, admini-

ſtran-

Digitized by Google

ſtrandaque veſtigiis inhærerem. His adductus Synodum Diœceſanam tertio nonas Apriles indixi, quæ deinde, variis de cauſis, nonniſi ſexto Idus Septembris cogi, haberique potuit. Ejus ego Acta cum confeciſſem, publicique juris, uti fit, eſſe vellem; Vos mihi, Eminentissimi Præsules, occurriſtis, quibus ea potiſſimum inſcriberem; Vos, inquam, qui & ob eximiam, qua præditi eſtis, ſapientiam, & ob incredibilem, qua commiſſum vobis gregem defenditis, vigilantiam, expoſcere hoc opus prope jure veſtro videbamini. Tibi certè illud debebatur, Carole Cavalchine Cardinalis Amplissime, qui, Patribus Concilii Tridentini Interpretibus a Secretis cum eſſes, exquiſitam quamdam rerum hujuſmodi peritiam adeptus, inter Purpuratos Patres cooptatus es, & Albanenſem primum, nunc Oſtienſem, & Veliternam Eccleſiam incredibili quadam æquitate, ſapientiaque moderaris. Tu quoque mihi occurrebas, Marcelle Cardinalis Lantes, qui ſecun-

das

Digitized by Google

das in Purpuratorum Patrum Collegio partes tenes. Tu enim Præneſtinam olim, nunc Portuenſem Eccleſiam ſic regis, ut æquitatis, prudentiæ, ac vigilantiæ tuæ veſtigia impreſſeris, non ad exiguam temporis prædicationem, ſed ad memoriam illarum Eccleſiarum ſempiternam. Quid vero te commemorem, Cardinalis Joannes Francisce, Albanæ Familiæ decus, & ornamentum? Non enim ea maxima tua laus eſt, quod Pontificem, eumque Maximum, quod duos Purpuratos, eoſque ſpectatiſſimos Patres, in tua adnumeres Familia; ſed quod eo ſis ingenio, atque acumine, ut facere rerum omnium judicium poſſis; ea ſolertia, atque perſpicacitate, ut nihil te lateat, nihil fugiat, nihil prætereat, nihil, quod non penitus introſpicias; ea denique vigilantia, atque ſtudio in tuorum ſalute fovenda, ut te Sabini Populi non ſecus, ac parentem amantiſſimum intueantur, prædicent, ac diligant. Etſi autem hæ rationes apud me plurimum valuerunt;

adductus ſum tamen officio, gratique animi intimo quodam ſenſu ad id, quod facio, libenter præſtandum. Nam cum ſub alterius veſtrum tutela, Patres Amplissimi, Anglorum gens ſit, quæque Romæ alitur juventus; ſub alterius autem patrocinio Scotorum natio, poſitumque in Urbe Collegium; expoſcebat ratio, ut ſi quando mihi occaſio data eſſet declarandæ voluntatis, & obſervantiæ in vos meæ pro immortalibus veſtris in Gentem meam meritis, id publica ſignificatione aliqua efficerem, ne aut tantæ beneficentiæ immemor, aut in tam beneficos viros ingratus videri poſſem. Tua me quoque ſingularis prudentia, quam in tot, tam variis, difficillimiſque muneribus præ te tuliſti, tua in Albanenſem Eccleſiam charitas prorſus incredibilis adduxit, ut tibi hoc opus offerrem, Serbellone Cardinalis. Tu enim, quo in tuos flagras, charitatis incendio, ad Eccleſiæ regimen vix evectus, totam Diœceſim ſa-

cris

cris excurſionibus perluſtrari voluiſti, ut oſtenderes, te non honorum inſignia, non hominum commendationem, ſed tuorum ſtabilem, ſolidamque quærere felicitatem. Denique, de te quoque ut aliquid dicam, CARDINALIS STUPPANE, tuus animus ad omnia ſumma natus, tua multis in rebus perſpecta prudentia, expectatio denique, quam tui maximam concitaſti, cum multo ante, tum vero maximè, cum ad Præneſtinam Eccleſiam regendam acceſſiſti, vindicare ſibi hoc opus mihi viſa eſt. Vobis itaque, ut ad me revertar, ſi dignitas ſpectetur, CARDINALIBUS AMPLISSIMIS; ſi vigilantia, Præſulibus egregiis; ſi denique prudentia, Viris ſapientiſſimis, ſpectatiſſimiſque hoc opus inſcribo, ſperans fore, ut illud æqui, bonique faciatis, & hos qualeſcumque pro Eccleſiæ meæ ſalute, atque incolumitate ſuſceptos labores probetis. Sic fiet, ut obſervantiæ in vos meæ perennis aliqua extet ſignificatio.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Dom. Jordan. Archiep. Nicomed. Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

INDI-

Digitized by Google

INDICTIO
DIŒCESANÆ SYNODI TUSCULANÆ.

HENRICUS Miſeratione Divina Epiſcopus Tuſculanus, S. R. E. Vice-Cancellarius, Cardinalis Dux Eboracenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Archipresbyter, Eccleſiæ S. Laurentii in Damaſo Commendatarius &c.

Univerſo Tuſculanæ Civitatis, ac Diœceſis Clero ſalutem, & veram felicitatem in Domino.

Nihil frequenti animarum recognitione, Synodorumque celebratione (ut Alexandri Septimi utamur verbis in ſua Conſtitut. 20. §. 8.) populorum ſaluti, ac veteri diſciplinæ conſtituendæ eſſe poteſt accommodatius, itaut, earum alterutra intermiſſa, magna in moribus continuo ad omnem improbitatem, peccandique licentiam fieri ſoleat immutatio. Ea de cauſa Nos ab ipſo ſuſcepti Tuſculani Epiſcopatus exordio Gregem curæ noſtræ commiſſum ſedulo viſitavimus, totamque non ſemel perluſtravimus Diœceſim, ut, quæ in ea, ſive quoad populorum mores, ſive quoad Clericorum diſciplinam reparatione, aut reformatione indigerent, pro noſtris viribus reſtaurarentur. Reliquum nunc eſt, ut Sacris Canonibus, ac Tridentino præſertim Concilio, obſequentes, Diœceſanam etiam Synodum celebremus, cum nullam ab anno reparatæ ſalutis milleſimo ſeptingenteſimo tertio ad hæc uſque tempora Prædeceſſores noſtri celebraverint, gravioribus Romanæ Eccleſiæ, atque Apoſtolicæ Sedis negotiis præpediti.

Diœceſanam itaque Synodum his Noſtris Edictalibus litteris indicimus, Tuſculi habendam diebus 22., 23., & 24. Maii labentis anni 1763. in Cathedrali Templo, quod eſt Deo Optimo Maxi-

Digitized by Google

Maximo in honorem Sanctiſſimi Apoſtolorum Principis Petri dedicatum. Ad hanc omnes, & ſingulos, qui in Tuſculana Civitate, & Diœceſi Dignitates, & Canonicatus obtinent; Abbates quoque, Parochos, alioſque quibuſcumque Beneficiis, etiam ſimplicibus, auctos; eos item, qui vel ſacris Ordinibus ſunt initiati, vel ſaltem ſunt in minoribus Ordinibus conſtituti; cæteroſque Eccleſiaſticos tam Sæculares, quam Regulares, qui de jure Tuſculanæ Diœceſanæ Synodo intereſſe debent, convocamus, iiſque in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub pœnis per ſacros Canones ſtatutis, aliiſque arbitrio noſtro infligendis, mandamus, atque præcipimus, ut omnes, & ſinguli talarem habitum, tonſamque pro Ordinum diſcrimine coronam in capite geſtantes, ac mundis ſuperpelliceis, aliiſque indumentis, atque inſignibus, quæ propriæ cujuſque dignitati, ac muneri congruunt, decenter induti, ſtatutis ſupra diebus in Tuſculanum Cathedrale Templum ſummo mane conveniant, Synodo interfuturi, in qua, Divino afflante Spiritu, ea a Nobis communi ſtudio, conſilioque decernentur, quæ ad divini cultus incrementum, ad animarum ſalutem, & ad Cleri diſciplinam, morumque reformationem expedire in Domino judicabimus. Nemo itaque, niſi juſta, legitimaque de cauſa a Nobis probanda, alteri ſuas vices in Synodo obeundas committat; & nemo etiam, niſi abſoluta Synodo, diſcedere audeat, niſi opportunam ad id a Nobis impetraverit facultatem.

Ne vero animarum ſalus, dum Parochi abſunt, detrimentum aliquod patiatur, in qualibet Parœcia Sacerdos aliquis a Nobis ad utriuſque ſexus Fidelium confeſſiones audiendas approbatus ſurrogetur, qui in ea toto Synodalis Conventus tempore Sacramenta miniſtret.

Omnes, cum in itinere, tum in Civitate, ipſaque in Synodo non minus ore, inceſſu, & habitu, quam vita, & moribus modeſtiam, pietatem, ac religionem præſeferant, ut aliis ſe præbeant exemplar bonorum operum, & populum, qui eos contemplatur, ad virtutem acuant, atque inflamment. Nemo

Nemo ad cauponas, ſeu tabernas divertat, ſed honeſtum ſibi perquirat hoſpitium, in quo ita modeſte ſe gerat, ac temperet, ut nulla hoſpitibus detur offenſio.

Prima Synodi die, qui Sacerdotio non ſunt inſigniti, jejuni, ac rite, recteque diſpoſiti ad Templum accedant, ut in Miſſa Pontificali a Nobis Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento reficiantur.

Suum cuique ſedendi locum in Synodo Cæremoniarum Magiſter deſignabit, ad cujus nutum omnes vel ſedebunt, vel ſtabunt, vel procedent, vel procumbent in genua.

In ſeſſionibus, quæ habebuntur, altum omnes ſilentium cuſtodient, arrectiſque auribus, quæ de ſuggeſtu legentur, audient, nec privatis oblocutionibus, aut contentionibus obſtrepent.

Ut autem felicem vota noſtra, proſperumque ſucceſſum habeant, Dei opem enixis precibus, aliiſque piis operibus efflagitemus neceſſe eſt. Quamobrem mandamus, atque præcipimus, ut ab hac die indictæ Synodi, uſque ad diem, qua cogetur Synodus, Canonici in Cathedrali, & Parochi in ſua quiſque Eccleſia, quinta qualibet Feria, quæ non ſit Feſto duplic impedita, Miſſam celebrent de Spiritu Sancto; & tum ipſi, tum Sacerdotes reliqui in univerſa noſtra Diœceſi quotidie in Miſſa orationem addant de Spiritu Sancto. Item ut ſingulis diebus Dominicis in qualibet Eccleſia Parochiali ante Parochialem Miſſam Litaniæ Sanctorum cum adiectis precibus a Parocho, & ab adſtantibus pie, ac devote recitentur; in Cathedrali vero Templo iiſdem Dominicis diebus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicæ Fidelium venerationi per horam integram exponatur, ut confluere populus poſſit ad divinam opem pro tanto negotio implorandam. Omnibus autem, ac ſingulis utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui publicis hujuſmodi precibus intererunt, Deumque pro felici Synodi exitu orabunt, Indulgentiam centum dierum ſingulis vicibus lucrandam in forma Eccleſiæ conſueta peramanter impertimur.

Præte-

Digitized by Google

Præterea omnes, & ſinguli utriuſque ſexus Chriſtifideles, qui vere pœnitentes, & confeſſi, ſacraque Communione refecti Cathedralem noſtram Eccleſiam una ex iis diebus, quibus Synodus celebrabitur, religioſe viſitaverint, ibique pro felici Synodi ſucceſſu, Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum profligatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, ac remiſſionem a Sanctiſſimo D. N. Papa Clemente XIII. peculiaribus ſuis litteris miſericorditer in Domino impertitam conſequentur.

Volumus autem, ut hæ Edictales Noſtræ Litteræ, quibus Synodum indicimus, Noſtri Cathedralis Templi, & Parochialium totius Diœceſis Eccleſiarum valvis affixæ, perinde omnes, ad quos pertinet, afficiant, ac ſi ſingulis eſſent exhibitæ. Datum Tuſculi ex Noſtro Epiſcopali Palatio die 3. Aprilis 1763.

HENRICUS CARDINALIS EPISCOPUS.

Loco ✠ Sigilli.

Franciſcus Grilli Cancellarius.

PRO-

Digitized by Google

PROROGATIO
DIŒCESANÆ SYNODI TUSCULANÆ.

HENRICUS Miſeratione Divina Epiſcopus Tuſculanus, S. R. E. Vice-Cancellarius, Cardinalis Dux Eboracenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Archipresbyter, Eccleſiæ S.Laurentii in Damaſo Commendatarius &c.

Univerſo Civitatis Tuſculanæ, ac Diœceſis Clero ſalutem, & veram felicitatem in Domino.

QUamquam nuper Diœceſanam Synodum, in Tuſculano Cathedrali Templo diebus 22., 23., & 24. labentis Maii celebrandam, Noſtris litteris indixerimus; Cum tamen divinæ voluntatis conſilio factum fuerit, ut paulo poſt indictam Synodum non levi morbo ad plures dies conflictaremur, & licet nunc ab eo convaluerimus, diuturna adhuc adhibenda curatio Nobis ſit; Propterea Synodalis ejuſmodi Conventus celebrationem ad aliud tempus, quod nobis commodius, atque opportunius viſum eſt, differre cogimur, ac prorogare. Neque enim licuit Nobis, aut licet in hac virium imbecillitate, quæ animi quietem, otiumque poſtulat, iis rebus animum appellere, quæ ſummam diligentiam, ac mentem totam, cogitationemque requirunt. Matura idcirco deliberatione Noſtra ad dies octavam, nonam, decimam, atque undecimam Septembris, quarum primam Eccleſia puriſſimo Deiparæ Virginis Ortui, poſtremam ſanctiſſimo ejuſdem Nomini recolendo addixit, prædictæ Synodi celebrationem differimus, ac prorogamus, ipſamque Synodum in Tuſculano Cathedrali Templo cogendam edicimus, atque ſtatuimus, ut eadem videlicet ſub auſpiciis Sanctiſſimæ Divini Spiritus Sponſæ felicem ſit, proſperumque habitura ſucceſſum. Quocirca

 omnes,

Digitized by Google

omnes, & ſingulos, qui dicto Synodali Conventui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent, iterum requirimus, & convocamus, atque in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub pœnis per Sacros Canones ſtatutis, aliiſque arbitrio Noſtro infligendis mandamus, atque præcipimus, ut ſupradictis diebus ad Synodum in Cathedrali noſtra Eccleſia tunc celebrandam conveniant, ac perſonaliter eidem, ſacriſque omnibus functionibus ad Synodi uſque concluſionem interſint. Pergant interea uſque ad diem, qua cogetur Synodus, Canonici in Cathedrali, & Parochi in ſua quiſque Eccleſia eas preces ad Deum fundere, eaque omnia pietatis opera exercere, quæ jam in Noſtris litteris Indictionis facienda præſcripſimus. Populos etiam hortentur Parochi, ut Indulgentias illas lucrari curent, quas piis quibuſdam actibus adnexuimus, & quas in ſuo robore volumus permanere. Hæ tandem Edictales Noſtræ Litteræ, quibus Synodum prorogamus, Noſtri Cathedralis Templi, ac Parochialium totius Diœceſis Eccleſiarum valvis affixæ perinde omnes, ad quos pertinet, afficiant, ac ſi ſingulis eſſent exhibitæ. Datum Tuſculi ex Noſtro Epiſcopali Palatio die 12. Maii 1763.

HENRICUS CARDINALIS EPISCOPUS.

Loco ✠ Sigilli.

Franciſcus Grilli Cancellarius.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO
AD UNIVERSUM CLERUM
INITIO TUSCULANÆ SYNODI
HABITA
A CELSITUDINE REGIA EMINENTISSIMA
HENRICI EPISCOPI TUSCULANI
S. R. E. VICE-CANCELLARII,
CARDINALIS DUCIS EBORACENSIS,

Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Archipresbyteri, Eccleſiæ S. Laurentii in Damaſo Commendatarii &c.

U*Nigenitus Dei Filius e Patris æterni ſinu delapſus in Terras, poſtquam ſuo Eccleſiam Sanguine acquiſiviſſet, eamdem ex hoc Mundo reverſurus ad Patrem Epiſcopis ſub Romano Pontifice gubernandam reliquit, ut illam tamquam Supremi Vigiles regerent, ac tuerentur. Quamquam enim ipſe ad dexteram Patris ſedens, illam adhuc, licet inviſibilis, cuſtodiat, ac regat (ſecus enim fruſtra vigilarent, qui cuſtodiunt eam); viſibili tamen Eccleſiæ viſibiles quoque Paſtores deputandos eſſe exiſtimavit, qui, abactis ab Ovili Lupis, concreditas ſibi oves ad ſalubria ducerent paſcua, minores cuſtodes gregis ſuo in officio continerent, verumque Dei cultum, Religionemque vigilantiſſime cuſtodirent. Has Paſtoralis officii partes Nobiſcum animo reputantes, cum ad Tuſculanum Epiſcopatum evectos Nos vidimus, expavimus primum, virium noſtrarum imbecillitate deterriti, quas tanto ferendo oneri impares*

 ſen-

Digitized by Google

ſentiebamus. At mox, cum Nobis opportune veniſſet in mentem, infirma Mundi eligi a Deo ſolere, ut fortia quæque confundat; recreati animo fuimus, & in ſpem magnam erecti, futurum, ut, qui potens eſt ſuſcitare de lapidibus ſemen Abrahæ, noſtræ miſertus infirmitatis, quidquid Nobis deeſſet, ineffabili ſua providentia suppleret. Alacri itaque animo Gregis cuſtodiæ excubare cœpimus, nihil prorſus intentatum relinquentes, quod prodeſſe putaremus, non modo ad omnem vitiorum ſcabiem depellendam a Grege, verum etiam ad illum optimo cœleſtis doctrinæ, divinorumque Sacramentorum pabulo ſaginandum. Sacros itaque Miniſtros non ſemel in Diœceſim miſimus, qui illam divini verbi prædicatione excolerent, atque Apoſtolicis ſudoribus irrigarent. Totam etiam Nos ipſi non ſemel perluſtravimus, & modo publicis concionibus, modo privatis hortationibus, quandoque etiam edictis, non deſtitimus populum a criminibus abſterrere, & ad veram virtutem aſſequendam acuere, atque inflammare. Vos quoque, Sacerdotes Optimi, Noſtræ in partem ſollicitudinis vocatos quoties & voce, & ſcripto excitavimus, ut adjutrices Nobis porrigeretis manus, collatiſque viribus, & ſtudiis facilius, celeriuſque propoſitam Nobis metam attingeremus! Neque vero animarum dumtaxat ſaluti, ſed divino etiam cultui, veræque Religioni ſtuduimus, illud enitendo quam maxime, ut in Templis, in ſacra ſupellectili, in Eccleſiaſticis functionibus, in iis denique omnibus, quæ ad Religionem pertinent, mundities, ac nitor, majeſtas, & gravitas, modeſtia, ac divinæ debita Majeſtati reverentia, adſtantium oculis exhiberentur.

Verum, quamquam hæc omnia, favente Deo, felici non caruiſſe ſucceſſu mirifice gauderemus; Unum tamen adhuc Nobis faciendum ſupereſſe videbamus, quod ad maximam Populorum utilitatem Sacri Canones, ac Tridentina præſertim Synodus, Epiſcopis omnibus indixerunt, ut face-

Digitized by Google

facerent; videlicet ut Diœceſana a Nobis Synodus congregaretur ad Noſtras perpetuo valituras Conſtitutiones ſolemni ritu ſtatuendas, ac legitime promulgandas, quibus æternæ totius Populi, & Cleri ſaluti, legumque Eccleſiaſticarum incolumitati conſuleretur. Intelligebamus profecto, quanto in honore, ac pretio Synodales leges apud Clerum, & Populum habeantur, quantaque iis inſit vis ad eorum flectendos animos, & a vitiis ad virtutem feliciter avocandos. Quare non eſſe diutius cunctandum exiſtimavimus, præſertim cum nullam ab anno reparatæ ſalutis milleſimo ſeptingenteſimo tertio ad hæc uſque tempora Prædeceſſores Noſtri Synodum celebrarint, gravioribus Romanæ Eccleſiæ negotiis præpediti. Nulla itaque interpoſita mora, Synodum indiximus, vobiſcum habendam auſpicatiſſimis Pentecoſtes diebus, quibus, cum eſſent Apoſtoli uno in loco congregati, illapſus eſt ſuper eos Spiritus Domini, & ſuperinduti virtutem ex alto cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei. Verum cum divinæ voluntatis conſilio factum fuerit, ut paulo poſt indictam Synodum non levi morbo ad plures dies conflictaremur, & ad valetudinem recuperandam diuturna Nobis adhibenda curatio fuerit; Synodalis ejuſmodi Conventus celebrationem ad aliud tempus differre Nos oportuit, ac prorogare. Ad hos itaque dies eamdem prorogavimus, quorum primum Eccleſia puriſſimo Deiparæ Virginis Ortui, poſtremum Sanctiſſimo ejuſdem Nomini recolendo addixit, ut videlicet Noſtra hæc Synodus, quæ diebus Sancti Spiritus cultui ſpecialiter deſtinatis celebrari non potuit, diebus ſaltem ejuſdem Sancti Spiritus Sponſæ venerationi conſecratis celebretur. Divini igitur Spiritus, cujus opem fuſis modo precibus intimo animi ſenſu poſtulavimus, Nobis adſit virtus, & ſuo Nos ejuſdem Sponſa, Virgo Deipara, præſidio tueatur, ut digna hoc tempore, digna hoc cœtu, digna hoc noſtro miniſterio loquamur, ac leges vobis, plebique

Digitized by Google

bique profuturas ad majorem Dei gloriam , animarumque Nobis concreditarum ſalutem ſtatuamus. Reliquum eſt , ut vos primum decreta Noſtra reverenter, diligenterque audiatis ; mox ſitis factores verbi , ut ait Apoſtolus , non auditores tantum , ne voſmetipſos fallatis , inde maximum haurientes detrimentum , unde plurima redundare debebat utilitas ; tandem legum Noſtrarum obſervantiam incredibili ſtudio , animique alacritate apud Populum , reliquumque Clerum urgeatis .

CON-

Digitized by Google



CONSTITUTIONES
SYNODALES
ECCLESIÆ TUSCULANÆ.

Nos HENRICUS *Divina Miſeratione Epiſcopus Tuſculanus, S. R. E. Vice-Cancellarius, Cardinalis Dux Eboracenſis, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Archipresbyter, Eccleſiæ S.Laurentii in Damaſo Commendatarius &c.*

IN nomine Sanctiſſimæ, atque individuæ Trinitatis, ad Omnipotentis Dei, Virginis Deiparæ, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, Philippi, & Jacobi laudem, animarumque Nobis concreditarum profectum, pro ea, qua fulcimur, ſive ordinaria, ſive delegata auctoritate, has perpetuo valituras Conſtitutiones in hac prima Noſtra Diœceſana Synodo legitime congregata ſtatuimus, decernimus, & promulgamus.

PROE-

Digitized by Google

PROEMIUM.

TRia omnino ſunt Chriſtiani Hominis officia; erga Deum, erga Proximum, & erga ſemetipſum; quæ ſi quis diligenter, ſanc̃teque ſervaverit, totam legem implevit, & perfectus eſt vir. Tria hæc officia non obſcure nobis inſinuavit Apoſtolus ad Titum ſcribens, cum ait: *Abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſæculo*. Pietas enim refertur ad Deum, juſtitia ad Proximum, ſobrietas ad ſemetipſum. Cum itaque maxima cujuſlibet cura verſari in eo potiſſimum debeat, ut triplici hoc diligentiſſime fungatur officio; eas leges condere viſum Nobis eſt, quibus & Clerus, & Populus ad eadem officia paratiores fiant, & in iis explendis quid vitare, quid exequi illos oporteat, admoneantur. Quamobrem tripartitæ erunt Synodales Noſtræ Conſtitutiones, & prima quidem earum pars de Chriſtiani hominis officio erga Deum; ſecunda de Chriſtiani hominis officio erga ſemetipſum; tertia demum de Chriſtiani hominis officio erga proximum peculiares leges complectetur.

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM

PARS PRIMA.

DE CHRISTIANI HOMINIS OFFICIO ERGA DEUM.

CUM Chriſtianus homo, ac præſertim is, qui in ſortem Domini vocatus Clericali Militiæ nomen dedit ſuum, ſatis, ſuperque intelligat, ſe ab uno Deo Optimo Maximo, cum ex nihilo conditum, tum infinito redemptum pretio, iiſque omnibus ſive animi, ſive corporis, quibus gaudet, bonis fuiſſe cumulatum; illud etiam facile videt, nihil ſibi tam alte infixum cordi eſſe oportere, quam ut toto vitæ ſuæ tempore Deo placeat,

placeat, ac famuletur, niſi ingratiſſimus eſſe velit, ac feris ipſis longe crudelior, quæ, licet ratione carent, ſuo tamen modo ſentire beneficia videntur. Placere autem, ac Deo famulari nemo poteſt, niſi in iis ſe virtutibus conſtanter exerceat, quæ proximius feruntur in Deum, cujuſmodi, præter illas, quas Theologicas nuncupamus, certe Religionis eſt virtus, quæ proinde Morales virtutes reliquas antecellit. De his ergo exercendis virtutibus, ac de vitiis, quæ illis opponuntur, omni cura, diligentiaque vitandis, ſingillatim hic diſſeremus.

CAPUT PRIMUM.

DE FIDE DIVINA.

ARTICULUS I.

De Fide tenenda.

I. CUM divina Fides ſit (1) *humanæ ſalutis initium, omniſque juſtificationis fundamentum, & radix, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum ejus conſortium pervenire*; Jure, meritoque ab ea Conſtitutiones Noſtras Synodales exordimur. Fidem hanc in ſacro regenerationis lavacro una cum Spe, & Charitate nobis infuſam, nos corde tenere, ore confiteri, atque operibus comprobare neceſſe eſt, ſi ad vitam ingredi velimus æternam. *Corde* enim, ut ait Apoſtolus, (2) *credimus ad Juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem*; & Jacobo (3) teſte, *ſine operibus mortua Fides eſt*. Corde itaque credimus, atque ore in hac ſancta Synodo confitemur, quidquid docuit, ac docet Sacroſancta, Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia, quæ (4) *omnium Eccleſiarum Mater eſt, & Magiſtra*, & extra quam neque vera Fides, neque æterna invenitur ſalus. Damnamus etiam,

(1) Ad Hebr. c. 11. Trid. ſeſſ.6. c.8.
(2) Ad Rom. c. 10.
(3) Jacobi c. 2.
(4) Trid. ſeſſ. 7. can. 3. de baptiſmo cap. Ad abolendam. de hæret.

Digitized by Google

atque proſcribimus hæreſes omnes, ac errores, quos eadem Romana Eccleſia proſcribit, ac damnat, cujus viſibile Caput, Chriſti in terris Vicarium, ac Sancti Petri Apoſtolorum Principis Succeſſorem Romanum Pontificem agnoſcimus, quem nunc in Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Papa XIII. habemus, ac ea, qua par eſt, veneratione proſequimur.

II. *Fides*, (1) *niſi ad eam Spes accedat*, *& Charitas*, *neque nos perfecte unit cum Chriſto*, *neque corporis ejus viva membra efficit*. Quamobrem ſicuti, cum in Baptiſmo juſtificamur, Fidei, Spei, & Charitatis habitus nobis per Jeſum Chriſtum, cui inſerimur, infunduntur, ut veram, & Chriſtianam juſtitiam conſequamur; ita, ut in hac accepta juſtitia permaneamus adulti, non minus Fidei, quam Spei, & Charitatis actus ſæpius, quamdiu vivimus, divino præcepto jubemur elicere. Scriptum eſt enim: *Juſtus* (2) *ex Fide vivit*; & alio in loco: *Qui* (3) *non diligit*, *non novit Deum*. Parochi proinde concreditum ſibi Populum frequenter admoneant, divino huic præcepto non fieri ſatis, ſi actus ejuſmodi eliciantur dumtaxat, (4) aut ſemel in vita, aut quinquenniis ſingulis, aut in mortis articulo, aut quando juſtificari quis debet, nec alia ſuppetit via, qua juſtus fiat. Ut autem Populus his actibus rite, recteque eliciendis aſſueſcat; decernimus, ac mandamus, ut in qualibet Noſtræ Diœceſis Parœcia quotidie, abſoluto primo Miſſæ ſacrificio, quod ad plebis commodum ſummo mane celebrari ſolet; ac præterea quoties aut Chriſtianæ Fidei rudimenta pueris, rudibuſque explicantur, aut Deiparæ Virginis Roſarium publice recitatur; præeunte Parocho, aut alio Sacerdote, earumdem Theologicarum virtutum actus elata voce ab adſtante Populo pronuncientur. Sed ut id ipſum omnes ſapiant, ac dicant, quemadmodum hortatur Apoſtolus (5); ſub iis

(1) Trid. ſeſſ. 6. c. 7.

(2) Ad Rom. cap. 1.

(3) 1. Joan. cap. 4.

(4) Alexander VII. 24. Sept. 1665. in damnat. prop. 1., Innoc. XI. 3. Martii 1679. in damn. prop. 5., 6., 7., 16., & 17., Alexand. VIII. 24. Aug. 1690. in damn. propoſ. 1.

(5) Ad Philipp. cap. 2.

Digitized by Google

iis dumtaxat formulis eoſdem actus recitari præcipimus, quas Romæ typis editas in tota Diœceſi diſtribui diligenter curavimus. Ne vero Populum eoſdem actus iterare tam frequenter pigeat, Indulgentias Parochi recenſeant, & explicent, quas Summi Pontifices Benedictus XIII., & Benedictus XIV. emittentibus hujuſmodi actus, Apoſtolica benignitate largiti ſunt, & ad eas lucrandas peramanter alliciant. Verum poſtquam Populus iſtorum actuum formulas jam probe didicerit; non proinde Parochus ſatis ſe munus expleſſe ſuum arbitretur; niſi illud etiam diligenter curet, ut earum quoque ſenſum, ac vim pro ſuo quiſque captu, ingenioque intelligat. Quod quidem facile aſſequetur, ſi non modo, quæ credenda, ſperandaque ſunt, verum etiam, & potiſſimum, quæ cauſa nobis ſit credendi, ſperandi, ac diligendi, Auditoribus ſuis, cum ad eos vel Catecheſim, vel Concionem habebit, ſingillatim, perſpicuoque ſermone declarabit.

III. Quamquam plures Fidei noſtræ articulos ſatis ſit implicite, & confuſe credere, credendo videlicet, quidquid Catholica docet Eccleſia; nonnullos (1) tamen diſtincte ſcire, & expreſſe credere neceſſe eſt, & eorum quidem aliquos neceſſitate, ut ajunt, medii, alios vero neceſſitate dumtaxat præcepti. Prioris generis ſunt. 1. Myſterium Sanctiſſimæ, atque individuæ Trinitatis. II. Myſterium Incarnationis, Paſſionis, Mortis, ac Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti. III. Deum eſſe proborum hominum remuneratorem, juſtiſſimumque malorum vindicem. Tandem eadem neceſſitate adiguntur adulti ea Sacramenta ſcire, & credere, quæ ad ſalutem neceſſitate medii requiruntur, imò & ea quoque, quæ quis recipit, & ad quorum receptionem diſponere ſe nequit ſine fide Sacramenti, quod ſuſcipit. Ad poſterius neceſſitatis genus (2) pertinet memoriter ſcire. 1. Symbolum Fidei, aut ſaltem, ſi nimia ſit mentis tarditas, & hebetudo, illius

(1) Innoc. XI. in damn. prop.22., S. Irenæus lib.3. cap.21., S. Aug. lib. de corrept., & grat. cap.7., S. Th.2.2. qu.2. art.5. & 8.

(2) Can. *Vos ante* .de conſecrat. diſt.4. S. Auguſt. ſermon. de ſymbol. ad Catech., S. Leo Epiſt. 27. cap. 4.

articulos quoad ſubſtantiam. II. Orationem Dominicam. III. Decalogi præcepta, quæ jure cum naturali, tum divino ſervare jubemur. Hæc autem omnia populum ſibi ſubjectum docere Parochus diligenter debet, eique gravibus verbis ſignificare, eos, qui prioris generis articulos ignorant (1), cum Sacramentalis abſolutionis, tum cujuslibet Sacramenti cum fructu ſuſcipiendi eſſe incapaces, niſi prius illos addiſcant, & credant: eos vero, qui neſciunt, quæ neceſſaria ſunt neceſſitate præcepti, eaque, a Confeſſario moniti, diſcere adhuc neglexerint, a Sacramentali abſolutione eſſe repellendos, niſi prius ſocordiam ſuam excuſſerint, atque in iis inſtrui ſerio cœperint: Utroſque (2) autem a Confirmationis, & Matrimonii Sacramento, atque a Patrini munere arcendos fore. Nemo enim a Nobis in poſterum aut ſacro ungetur Chriſmate, aut ad Patrini admittetur munus, aut contrahendi Matrimonii obtinebit decretum, niſi & ex Parochi teſtimonio, & ex prævio maturo examine conſtabit, eum optime callere, quæ neceſſitate tum medii, tum præcepti ſciri, & credi neceſſario a Fidelibus debent. Quæ quidem omnia ſtatuta jampridem a Nobis fuere, & Parochis inſinuata per epiſtolam ad eoſdem datam, quam ad Synodi calcem in Appendice num. I. exhibemus, & quam Synodalis Conſtitutionis vim obtinere decernimus.

ARTICULUS II.

De Fide profitenda, ſeu de Profeſſione Fidei.

I. CUM rationi congruum ſit, ut, qui vel aliis præſunt, vel publica quædam obeunt munia, ſanæ Fidei, incorruptæque religionis argumenta iis, quibuſcum verſantur, præbeant; Propterea Eccleſiaſticis legibus ſancitum ſapienter eſt, ut hi certum intra

(1) Innoc. XI. in damn. prop. 64. & 65. Literæ Encyclicæ Sac. Cong. Concil. ad Epiſc. *Italiæ* 19. Jan. 1619., & S. Carolus in Concil. Mediol. Prov. V.

(2) Can. *Vos ante.* de conſecr. diſt. 4., Pontif. Roman. par. 1. tit. de confirmandis, Sac. Cong. Epiſc. in Gallipolitana 9. Martii 1588., & S. Carolus in Concil. Prov. VI. tit. Quæ pertinent ad matrim. Sacramentum.

intra tempus publicam Fidei profeſſionem emittant, juxta formam a Pio IV. præſcriptam (1), quæ ut omnibus præſto ſit, in hujus Synodi Appendice num. 2. exhibebitur. Hanc Nos Fidei Profeſſionem, ut alios præiremus exemplo, in prima hac Noſtra Synodo, Concilii Romani (2) decreto obſequentes, emiſimus, a reliquis etiam, qui Beneficia in noſtra Diœceſi obtinent, ac Synodo interſunt, antequam eadem abſolvatur, edendam. Hanc quoque in poſterum, ſub pœnis a Sacro Tridentino (3) Concilio ſtatutis, coram Nobis, aut coram Vicario Noſtro Generali intra duos menſes a die initæ poſſeſſionis emittent ii omnes, qui Eccleſiaſticum Beneficium curam habens animarum adnexam obtinebunt; ac præterea qui Dignitates, aut Canonicatus in Noſtra Cathedrali adipiſcentur Eccleſia: hi tamen eam in Capitulo rurſus edent, juxta decretum Tridentini (4), & Capitularium Conſtitutionum præſcriptum. Clerici quoque omnes, qui poſthac in Noſtra Diœceſi Beneficiis Eccleſiaſticis augebuntur, illam emittent in Diœceſana Synodo primo celebranda.

II. Eamdem Orthodoxæ Fidei Profeſſionem ex Concilii Romani decreto (5) edere jubentur I. *novus Vicarius Generalis, Vicarii Foranei, Procuratores, & Promotores Fiſci Epiſcopalis, Cancellarii, cæterique ejuſdem Curiæ Miniſtri*. II. *Novi Concionatores, etiam Regulares*. III. *Novi Confeſſarii, etiam Monialium*. IV. *Docentes publice, vel privatim Theologiam, Philoſophiam, Jus Canonicum, aut Civile, vel inferiores quaslibet diſciplinas, etiam Grammaticam*. V. *Tandem Medicinam exercentes, aut Chirurgiam*.

III. Nemo Scholam (6) in Noſtra Diœceſi ſive privatam, ſive publicam, etiamſi a laicorum Communitate ad docendum ſit deſtinatus, certaque mercede conductus, aperire valeat, aut exercere,

(1) Pius IV. Conſtit. *Injunctam*. edita 13. Nov. 1564.

(2) Concil. Rom. ſub Bened. XIII. tit. 1. cap. 1.

(3) Trid. ſeſſ. 24. cap. 12.

(4) Trid. ſeſſ. 24. cap. 12.

(5) Concil. Roman. ſub Bened. XIII. tit. 1. cap. 1.

(6) Pius IV. in ſua Conſt. *In Sacroſancta*, Sac. Cong. Conc. in Terracinenſi 29. Auguſti 1581., & in Aſculana Apuliæ 28. Julii 1691.

Digitized by Google

cere, niſi Noſtram in ſcriptis obtinuerit licentiam; quam non, niſi prævia ſuper vita, moribus, & ſcientia approbatione, ac præmiſſa, ut ſupra, Fidei Profeſſione, concedemus. Plurimi enim Chriſtianæ Reipublicæ intereſt, omnem in eo diligentiam, curamque adhiberi, ut pueri, atque adoleſcentes viris dumtaxat probis, ſanæque doctrinæ Magiſtris erudiendi tradantur.

IV. Nemo etiam Medicam exerceat artem, qui non prius & Fidei Profeſſionem emiſerit, & pollicitus jurejurando fuerit, ſe in ægrotantium curatione adhibenda, ea omnia exacte ſervaturum, quæ a S. Pio V. (1) in ſua Conſtitutione hac ſuper re præſcripta ſunt. Ut autem Concilii Romani (2) juſſa Epiſcopis data exequamur, graviter decumbentem ægrotum tempeſtive admoneri a Medico volumus, ut Pœnitentiæ Sacramentum recipiat, eidemque ſub excommunicationis pœna, cujus abſolutionem Nobis, ac Succeſſoribus Noſtris reſervamus, præcipimus, ut ab Infirmi cura prorſus abſtineat, niſi tertia die per ſchedulam, propria Confeſſarii manu ſubſcriptam, aut alia non abſimili ratione ſibi conſtiterit de Sacramentali peccatorum Confeſſione, vel jam peracta, vel Confeſſarii ipſius judicio in aliud tempus opportunius dilata.

V. Verum, uti ſapienter monet Benedictus XIV. (3) unanimi Theologorum, Canoniſtarum, ac Medicorum ſententia in medium prolata, ſi forte ita gravis ſit morbus, ut ſine Medici ope ægroto periculum mortis immineat, etiamſi is poſt tertium diem adhuc peccata ſua confiteri recuſet, non tamen deſerendus a Medico eſt, ſed omni potius juvandus ope, ut eidem videlicet, ſi forte convaluerit, ad meliorem frugem redeundi locus relinquatur.

VI. Nullus Procurator, quocumque ſit ſpeciali mandato ſuffultus, ad Profeſſionem Fidei pro alio emittendam ſuſcipiatur ſub pœna nullitatis actus, uti Sacra Congregatio Concilii declaravit

(1) S.Pius V. in Bulla *Super Gregem Dominicum*. ann. 1566. (2) Concil. Rom. ub Benedicto XIII. tit. 1. cap. 1. (3) Benedictus XIV. Inſtit. 22. n.17.

ravit (1). Ut autem de eorum, qui ad Fidei profeſſionem edendam obligantur, obedientia conſtet, volumus, ac decernimus, ut duo in poſterum habeantur Codices, quorum unus in Epiſcopali Cancellaria aſſervandus, eorum nomina, & cauſam contineat, qui coram Nobis, aut Vicario noſtro Generali Fidei Profeſſionem emiſerint; alter vero cuſtodiendus in Eccleſiæ Cathedralis Archivio, eorum complectatur nomina, qui coram Capitulo eamdem Fidei Profeſſionem ediderint.

ARTICULUS III.

De Fide illibate ſervanda, atque tuenda.

I. PRetioſiſſimum Chriſtianæ Fidei depoſitum, cujus cuſtodiam Epiſcopis tantopere commendavit Apoſtolus (2) ad Timotheum ſcribens, tanta vigilantia, ſolertiaque cuſtodiri a Nobis oportet, ut non modo hæreſes, atque errores, verum etiam omnem vel leviſſimam erroris, aut hæreſis ſuſpicionem, turbulentiſſimis præſertim hiſce temporibus, a tota noſtra Diœceſi propulſandam eſſe cenſeamus. *Aſſumentes igitur (3) religioſæ ſollicitudinis zelum volumus, ut contra ſæviſſimos Fidei, & animarum hoſtes Nobiſcum etiam omnium Fidelium cura conſurgat, & ſi cui innotuerit, ubi habitent hæretici, ubi doceant, quos frequentent, & in quorum ſocietate requieſcant, noſtræ ſollicitudini fideliter indicent.*

II. Nequa vero inanis, futiliſque excuſatio imbelles animos ab hoc explendo officio facile remoretur; ad Sacrorum Canonum normam in virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub cenſurarum pœna præcipimus, ut Nobis, qui Noſtra in Diœceſi ordinario jure adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoris munere fungimur, intra tempus a Pontificiis legibus ſtatutum denuncientur. 1. Tum (4) Hære-

(1) Sac. Cong. Conc. in Saguntina 18. Aprilis 1570., Synodus Civitatis Caſtellanæ 1756. tit. 1. cap. 2. num. 2.

(2) 1. Timoth. cap. 6.

(3) S. Leo ſerm. 5. de jejunio decimi menſis.

(4) Cap. Excommunicamus §. Adiicimus. de Hæreticis.

Digitized by Google

Hæretici omnes, quamcumque profiteantur Sectam, tum qui a Religione Catholica defecerunt, Apoſtatæ. II. Judiciariam (1) exercentes Aſtrologiam, Magi, Arioli, Striges, Necromantes, Malefici, Venefici, Sortilegi, Incantatores, cæterique alii, quocumque tandem nuncupentur nomine, qui malo Dæmoni obſequium, thus, ac venerationem ſpondent; vel qui ſive tacita, ſive expreſſa invocatione eumdem conſulunt, eumque certis quibuſdam pactis, etiam per intermediam perſonam, adſtringunt pro inſana futurorum contingentium, aut actuum liberorum cognitione, rerum furto ſublatarum detectione, theſaurorum inventione, & ſomniorum interpretatione; aut qui cabalis, maleficiis, ac ſuperſtitionibus utuntur, vel ad captandam benevolentiam, vel ad odia excitanda, vel ad ligaturas, ut vocant, efficiendas, ut Matrimonii uſus impediatur, vel ad conciliandas, aut etiam fugandas infirmitates, quamquam ſine rerum ſacrarum, aut Sacramentorum abuſu id fiat; ac tandem qui Sacramentis, Sancto Oleó, cæteriſque rebus conſecratis, aut benedictis ad recenſitos malos uſus ſacrilege abutuntur. III. Scienter (2) legentes, aut retinentes hæreticorum libros, in quibus hæreſis continetur, aut de Religione ex profeſſo agitur, aut libros de Magia, Necromantia, ſeu divinationibus pertractantes. IV. Ii, qui (3) cum ad Preſbyteratus Ordinem non ſint promoti, eo tamen audaciæ, ac temeritatis deveniunt, ut Miſſam celebrare, aut Sacramentales Fidelium Confeſſiones excipere audeant. V. Confeſſarii (4), qui pœnitentes ad turpia, & inhoneſta ſollicitant, juxta terminos Conſtitutionis Gregorii XV. VI. Poligami (5), iique omnes, qui

aut

(1) Gregorius XV. in Conſt. *Omnipotentis* 20. Mar. 1623. Sixtus V. Conſt. *Cœli, & Terræ* 5. Jan. 1585. & Urbanus VIII. Conſt. *Inſcrutabili* 1. Aug. 1631.

(2) Sixtus V. cit. Conſt., & Bulla Cœnæ can. 1.

(3) Gregorius XIII. Conſt. *Officii noſtri* 6. Aug. 1584., Clemens VIII. Conſt. *Etſi alias* 1. Dec. 1601., & Urban. VIII. Conſt. *Apoſtolatus* 23. Mar. 1628., Benedictus XIV. Conſt. 70.

(4) Greg. XV. Conſt. *Univerſi Dominici* 30. Aug. 1622.

(5) Gregor. XV. eodem ann. amplians Bullam S. Pii V. 1561. & Alexan. VII. Conſt. *Licet alias* 8. Jul. 1650., & Trid. ſeſſ. 24. can. 2.

aut licita eſſe docent, aut ipſi ea opera exercent, propter quæ illos, aut laborare in Orthodoxa Fide, aut de eadem male ſentire, ſeu ſuſpectos eſſe, ſpectatis Supremæ Inquiſitionis regulis edocemur.

III. Hæc autem ſunt indicia, e quibus ſuſpecti de hæreſi dignoſci facile poſſunt. I. Si quis ſaltem ſemel in anno confiteri peccata ſua, divinaque Euchariſtia Paſchali tempore refici neglexerit, & poſt canonicam monitionem, inflictaſque cenſuras, in iis per annum inſorduerit, aut Dominicis, feſtiſque de præcepto diebus Miſſam audire contempſerit. II. Si temporibus vetitis bene valens, nullaque neceſſitate adductus, ſive publice, ſive privatim carnibus, ovis, aut lacte veſcatur. III. Si de rebus divinis, ac de Sacra Scriptura male, aut jocoſe, ejuſdem ſenſum pervertendo, loquatur. IV. Si Sacramenta, Sacramentalia, Indulgentias, mortuorum ſuffragia, cæremonias, rituſque Eccleſiaſticos irrideat. V. Si Sacerdotes, prout Chriſti Miniſtri ſunt, aut Sacerdotalem dignitatem, ſeu auctoritatem qua talem ſpernat, aut contemnat. VI. Si quid contra Eccleſiaſticam libertatem, & auctoritatem dogmatizando moliatur, ac dicat. VII. Si in cenſuris inſordeſcat, vel de excommunicatione, quam nervum eſſe ſcimus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, male aut loquatur, aut ſentiat, aut illam etiam contemnat. VIII. Si divinationibus, ſortilegiis, incantationibus, ſuperſtitionibus, aliiſque malis artibus ſuperius deſcriptis operam navet. IX. Si accuſatos, aut inquiſitos in cauſis Fidei, aut teſtes eorum notitiam habentes edoceat aut falſum dicere, aut veritatem negare; vel ſi reos, aut ſuſpectos de hæreſi recipiat, ac protegat.

IV. Quicumque aut aliquem ex his perverſis hominibus, (1) aut aliquod ex recenſitis criminibus admiſſum noverit; ſi intra 30. dierum ſpatium a die habitæ ſcientiæ Nobis, aut Vicario Noſtro Generali hominem, totamque facti ſeriem deferre contumaciter renuat, etiam nulla fraterna correctione præmiſſa, & etiamſi

E adeo

(1) Alex. VII. in Conſt. *Licet alias*. 8. Jul. 1660., & in damnat. propoſ. 5., & edictum Supremæ Inquiſitionis. 3. Januar. 1623.

adeo occultum ſit crimen, ut probari nulla ratione poſſit; ſciat, ſe lethalis culpæ fieri reum, & excommunicationem Apoſtolicæ Sedi reſervatam incurrere, a qua non, niſi poſtquam denunciaverit, abſolvi poterit, ut in edicto Sanctæ Univerſalis Inquiſitionis edicitur, quod in appendice num. 3. exhibemus, & quod in qualibet Noſtræ Diœceſis Parœcia bis in anno, prima videlicet Dominica die Adventus, & Quadrageſimæ a Parochis adſtanti Populo legi, ac promulgari jubemus, ut ſic nefarii homines a tam gravibus perpetrandis criminibus deterreantur, & Catholicæ Fidei integritati efficacius conſulatur.

V. Fideles omnes ſerio, ac frequenter Parochus moneat, ut ejuſmodi hominum conſortium, ac familiaritatem ſub pœnis in illos, qui hæreticis favent, conſtitutis evitent; nec umquam pravis, atque fallacibus opinionibus aures, & aſſenſum præbeant, ſed quæ ſanam Fidem fovent, & augent, ſedulo ſemper quærant, & operentur, memores, eorum, quæ credimus, Deum ipſum, qui nec falli, nec fallere poteſt, auctorem Nos habere locupletiſſimum. Imo ut depoſitum Fidei vigilantius, ſolertiuſque cuſtodiatur, juxta Apoſtoli (1) monitum & Parochus ipſe *devitet*, & Fideles reliquos *devitare* doceat *profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa Fidem exciderunt. Inhibemus præterea* (Alexandri IV. in ſua Decretali verbis utimur) (2) *ne cuiquam laicæ perſonæ liceat publice, vel privatim de Fide Catholica diſputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Sub graviſſimis quoque pœnis arbitrio Noſtro infligendis caveant omnes, ne ad profanum, ſeu ſcurrilem ſenſum Divina Sacrarum Scripturarum verba detorqueant. Tandem cum frequentius, faciliuſque ex pravorum librorum lectione ſive impietatis, ſive improbitatis hauriatur venenum; Parochis omnibus diſtricte præcipimus, eorumque conſcientiam oneramus, ut ſedulo perquirant, an aliquis in eorum Parœcia ſine debita Superiorum licentia proſcriptos libros domi retineat, aut legat; & ſi quem forte

(1) 1. Ad Timoth. cap. 6. (2) Cap. Quicumque. §. Inhibemus. de hæreticis in 6.

forte comperiant, excommunicationem, aliaſque Canonicas pœnas eidem minitantes, non modo illum ab ejuſmodi lectione abſterreant, verum etiam ad id inducant, ut hujus generis libros vel ad Nos, vel ad Vicarium Noſtrum Generalem, vel ad alium, qui damnatos libros retinendi, legendique facultatem habeat, deferri curet numquam in poſterum repetendos. Habeant propterea Parochi librorum prohibitorum Indicem, ut probe ſciant, quos a ſuo Grege arcere longius debeant.

CAPUT II.

DE SPE.

I. SPes, quam Fidei cognatam S. Bernardus (1) nuncupavit, donum eſt in Baptiſmo nobis divinitus infuſum, quo vitam æternam, & quæcumque ad eam aſſequendam requiruntur, certa cum fiducia præſtolamur a Deo, non modo (2) ut gratiam adoptivis Dei filiis per Jeſum Chriſtum miſericorditer promiſſam, verum etiam ut mercedem ex liberali Dei promiſſione bonis operibus fideliſſime reddendam. Ait enim Apoſtolus (3): *Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem*. Et alibi (4): *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex, non ſolum autem mihi, ſed & his, qui diligunt adventum ejus*. Spes itaque virtus illa eſt, *quam inter æſtuantes tentationum fluctus, ſicut anchoram (5) habemus animæ tutam, ac firmam, & incedentem uſque ad interiora velaminis, ubi præcurſor pro nobis introivit Jeſus ſecundum ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum*. Spes eſt, quæ nos in hac lacrymarum valle conſtitutos ſolatur, abiectos erigit, trepidantes confirmat, atque ad cœleſtem patriam Sancti Spiritus gratia roboratos, felici tandem, fauſtoque curſu perducit. Ad hanc igitur

E 2 Spem

(1) S. Bernardus in pſalm. 9.
(2) Trid. ſeſſ. 6. cap. 16.
(3) 2. Ad Timotheum cap. 1.
(4) 2. Ad Timoth. cap. 4.
(5) Ad Hebr. cap. 6.

Spem perſæpe Fideles excitentur a Parochis, ut divinorum mandatorum viam currant alacrius, tentationibus carnis obſiſtant validius, in ipſo demum vitæ exitu moriantur ſecurius, juxta illud Regii Vatis: *In pace (1) in idipſum dormiam, & requieſcam: quoniam tu, Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me*. Damnatus eſt enim, atque ab Apoſtolica Sede proſcriptus (2) veſanus ille recentium Novatorum error, qui nullius eſſe pretii, ac meriti, imo verius deformi peccati macula eſſe infectum docuerunt Chriſtianæ Spei actum, quo quis, ut ſuam ipſius ſocordiam excitet, ſeſeque ad currendum in ſtadio cohortetur, mercedem, quam ſuſpirat, intuetur æternam. Scriptum eſt enim (3): *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem*; & Apoſtolus (4) Moyſen commendat, *quod majores divitias æſtimaverit theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti, aſpiciens in remunerationem*. Imo ad omne opus bonum propoſita remuneratione Corinthios idem hortatur Apoſtolus, ſic ad eos ſcribens (5): *Itaque, fratres mei dilecti, ſtabiles eſtote, & immobiles, abundantes in omni opere Domini ſemper, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis Domino.*

II. Ne qua vero errandi occaſio rudi populo præbeatur, illum crebro Parochus moneat, Chriſtianæ Spei certitudinem non in noſtra merita (*non (6) enim ſumus ſufficientes cogitare* (multoque minus operari) *aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, cum ſufficientia noſtra a Deo ſit*) ſed in Dei bonitatem, omnipotentiam, ſuiſque in ſervandis promiſſis fidelitatem eſſe refundendam. Quare ut talis ſit noſtræ actus Spei, qualem eſſe illum oportet, neceſſe eſt, ut eumdem præcedat Fides de divina bonitate, omnipotentia, ac fidelitate; comitetur una cum fiducia filialis timor; ac tandem operatio ſubſequatur, cum adultis gloria non, niſi ut præmium, & corona, promiſſa a Deo ſit, juxta illud (7): *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*.

III. Cum

(1) Pſalm. 49.
(2) Trid. ſeſſ.6. cap.11., & can.31., & Alex. VIII. in damn. prop. 10. & 13., & Alex. VII. in damn. prop. 1.
(3) Pſalm. 118.
(4) Ad Hebr. cap. 11.
(5) 1. Cor. cap. 15.
(6) 2. Ad Cor. cap. 3.
(7) Apoc. cap. 2.

Digitized by Google

III. Cum peccari in Spem dupliciter poſſit, deſperatione videlicet, ac præſumptione; utrumque vitare crimen populus a Parocho doceatur. Deſperatio enim magnum eſt in Spiritum Sanctum crimen, per quod graviſſima irrogatur injuria, & Dei omnipotentiæ, qui (1) potens eſt de lapidibus ſuſcitare ſemen Abrahæ, & Divinæ bonitati, quæ longe major eſt, quam iniquitas noſtra, & infinitæ Chriſti Sanguinis virtuti, qui (2) propitiatio eſt non ſolum pro peccatis noſtris, ſed etiam totius Mundi. Quamobrem optime inquit S. Auguſtinus (3): *Quis porro tam impie deſipiat, ut dicat, Deum malos hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, in bonum non poſſe convertere? Sed cum facit, per miſericordiam facit; cum non facit, per judicium non facit*. Præſumptio quoque graviſſimum eſt in Spiritum Sanctum ſcelus, & aliquando hæreſi jungitur, ut ſi propriis operibus abſque divinæ gratiæ auxilio, uti docebant Pelagiani, vel ſola fide abſque operibus, uti dictitant Novatores, ſalutem æternam conſecuturos nos eſſe ſperemus; aliquando adjunctam non habet hæreſim, ut ſi omnino deſides, & nihil boni operantes, totum æternæ ſalutis negotium ſoli Dei benignitati committamus; vel, quod pejus eſt, divina abutamur patientia, & ad peccandum reddamur procaciores. Et ſane cum certiſſimum ſit, non niſi eum (4), qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvum fore; perſeverantiam vero (5) aliunde haberi non poſſe, niſi ab eo, qui potens eſt eum, qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet; & eum, qui cadit, reſtituere; Inde fit, ut, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam Spem collocare, & reponere omnes debeant; nemo tamen ſibi de perſeverantiæ munere certi aliquid abſoluta certitudine polliceri valeat. Quapropter qui ſe exiſtimant ſtare, videant, ne cadant, & cum timore, ac tremore ſalutem ſuam in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in caſtitate, & jejuniis operen-

(1) Matth. cap. 2.
(2) 1. Joan. cap. 2.
(3) S. Auguſtinus in Enchyrid. cap. 98.
(4) Matth. cap. 10., & Can. *Non revertebantur*. de pœnit. diſt. 2.
(5) Trid. ſeſſ. 6. cap. 13., ad Rom. cap. 14., ad Philipp. cap. 1., & 2. ad Cor. cap. 8.

rentur. Populum igitur hortentur Parochi, ut recte de Deo ſentiat, ac de ſumma ejuſdem bonitate neque præſumat, neque deſperet. Nam væ illis, qui præſumunt (1), *adjicientes peccatum ſuper peccatum, vel differentes de die in diem converti ad Dominum, eo quod miſericordia Domini magna eſt; quoniam in peccatores reſpicit ira illius*. Væ etiam illis, qui deſperant; nam (2) *beneplacitum dumtaxat eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant in miſericordia ejus*.

CAPUT III.

DE CHARITATE.

CHaritas, virtutum omnium reliquarum maxima, virtus eſt in Baptiſmo divinitus infuſa, qua Deum ſuper omnia propter ſemetipſum, Proximum vero, ſicut noſmetipſos, propter Deum ſincere, & ex animo diligimus: *Ex una enim, eademque Charitate Deum, proximumque diligimus, ſed Deum propter Deum, & proximum propter Deum*, uti ſapienter docet S. Auguſtinus (3). Virtus hæc non modo homini, qui ratione utitur, eſt adeo conſentanea, ut illam naturali præcepto colere, atque exercere jubeamur; verum etiam tantopere a Chriſto Domino nobis commendatur, atque præcipitur, ut (4) ex duplici hac dilectione, Dei videlicet, & proximi, totam pendere Legem, ac Prophetas, idem ipſe in Evangelio diſertiſſime affirmaverit. Cum itaque reliquorum mandatorum obſervantia, ac virtutes cæteræ, quibus vitam æternam nobis promereri poſſumus, ex una Charitatis radice, tamquam arboris rami, progerminent; nemo eſt, qui non videat, ſumma cura, diligentiaque Charitatis virtutem eſſe a nobis cuſtodiendam, totiſque viribus in dies magis, ac magis excolendam.

(1) Eccli. cap. 5. (2) Pſalm. 146. (3) S. Auguſtinus de Trinitate. lib. 8. cap. 8. in fine. (4) Matth. cap. 22. verſ. 40.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De Charitate erga Deum.

I. DEum, qui ſumme bonus eſt, in quo bona omnia continentur, & ex quo, quæcumque ſunt, aut eſſe poſſunt, promanant bona, ſumme, perfecteque diligendum a nobis eſſe, *& Natura* (1), *& Ratio*, *& Verbi Domini clamat auctoritas, atque in hoc conſummationem invenit omnis Religio*. Dupliciter autem diligi poteſt Deus, & quia bonus nobis eſt, ac beneficus, & fruendus; & quia bonus ipſe eſt, & perfectus, & amabilis. Prior concupiſcentiæ, alter amicitiæ amor nuncupatur: ille ad Spem; hic ad veram, perfectamque pertinet Charitatem. Jam vero hic, de quo loquimur, perfectæ Charitatis amor, alius effectivus dicitur, affectivus alter. Prior totus in eo eſt, ut omnia, & ſingula divina mandata exactiſſime obſervemus, juxta illud: *Qui* (2) *habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me*. In eo autem ſitus eſt poſterior, ut interno benevolentiæ actu de ſumma Dei bonitate, ejuſque infinitis perfectionibus ſincere gaudeamus, eique benevolentiſſima voluntate conjungamur, juxta divinum illud præceptum (3): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua*: quibus ſane verbis dilectio ſignificatur, non quidem, ut ajunt, *intenſive* ſumma, ſed *appretiative*, qua videlicet rebus omnibus Deum anteferimus, paratique ſumus rerum omnium potius jacturam perpeti, quam ab ejus amicitia removeri. Utroque hoc cum affectivo, tum effectivo Charitatis amore Deum proſequamur neceſſe eſt, ut exacto noſtræ peregrinationis curſu ad æternam patriam perducamur. Merito itaque duos errores huic Catholicæ veritati contrarios Romana damnavit Eccleſia; quorum alter eſt eorum, qui docebant (4), neque in exordio, neque in decurſu mortalis vitæ hominem ad amo-

(1) Auctor Sermonis de baptiſmo Chriſti poſt opera S. Cypriani.

(2) Joan. cap. 14.

(3) Deuter. cap. 6.

(4) Alexander VIII. 24. Aug. 1690. in damn. propoſ. 1.

amorem ſui ultimi finis, qui Deus eſt, obligari; alter eſt Quietiſtarum (1), qui mulierculas per ſummam impudentiam decipientes affirmabant, oportere illum, qui Deum diligit amore puriſſimo, a cæterarum virtutum actibus abſtinere, & nullam habere curam obſervantiæ præceptorum Dei, & Eccleſiæ, frequentis Sacramentorum ſuſceptionis, uſus Imaginum, & Indulgentiarum, orationis ſive vocalis, ſive mentalis, jejuniorum, aliarumque ſponte ſuſceptarum corporis afflictationum. Utrumque errorem Nos quoque ex animo rejicimus, atque, ut impium, ut hæreticum, ut Catholicæ Religioni omnino contrarium, damnamus.

II. Parochus, cum prima Fidei rudimenta pueros edocet, eorum non modo mentem erudiat, verum etiam piis hortationibus voluntatem inflammet, ut, quoad fieri poſſit, cum (2) primum uti ratione incipiunt, primitias ſeſe Deo offerant, eumdem perfectæ Charitatis amore proſequentes. Adultos vero Fideles hortetur ſæpiſſime, ut ſaluberrimos hos dilectionis Dei actus frequenter exerceant, & potiſſimum cum vel eos gravis urget tentatio, vel grande aliquod a Deo accepere beneficium, vel Confeſſarii copiam non habentes, divina excitante gratia, juſtificationis deſiderio flagrant, vel divinum Chriſti Corporis ferculum, quod amoris eſt Sacramentum, ſunt ſuſcepturi, vel tandem cum feſtis diebus ex religionis præcepto Deum impenſius colere ſtudent. *Quis enim*, ut ait Auguſtinus (3), *cultus ejus, niſi amor ejus? non colitur ille, niſi amando: amor eſt Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantum Deo debita ſervitus.*

III. Præterea Parochus, & quicumque alius, qui moribundis adeſt, illud in eo rerum articulo enixe curet (4), ut ii Fidei, Spei, ac præſertim perfectæ erga Deum Charitatis actus non ſemel eliciant, quamquam ſalutari jam fuerint Pœnitentiæ lavacro mundati. Tunc enim preſſius urgent iſtarum præcepta virtutum; tunc

(1) Innocentius XI. in Conſtit. *Cæleſtis Paſtor*.

(2) S. Th. par. 2. qu. 89. ar. 6. ad 3.

(3) S. Aug. lib. 12. de Trinit. cap. 4., & de Civit. Dei lib. 10. cap. 3.

(4) Rituale Romanum de Viſitatione, & cura Infirmorum tit. 5. cap. 5.

Digitized by Google

tunc muniendus æger diligentius adverſus mali Dæmonis impetus, qui (1) *venit habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet*; tunc denique conatus omnis ab ægro eſt adhibendus, ut & ſuorum criminum pœnitentia ſit certior,& ſalutis negotium æternæ ſit tutius; quod, Apoſtolo teſte (2), *Charitas præſtat de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta.*

ARTICULUS II.

De Charitate erga Proximum.

I. EAdem Charitatis virtus, quæ a nobis diligi jubet Deum, nobis quoque præcipit, ut Proximum diligamus. *Hoc enim mandatum* (3) *habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Diligendus vero a nobis is eſt, non propter ſeipſum (id enim ad moralem amicitiæ virtutem attinet) ſed propter Deum, vel quia videlicet hanc dilectionem nobis præcepit Deus, vel quia Proximus conditus ad ſuam imaginem a Deo eſt, ſummoque præterea divini cruoris redemptus pretio. *Ille* (4) *veraciter*, ut optime monet S. Auguſtinus, *amicum amat, qui Deum amat in amico, aut quia eſt in illo, aut ut ſit in illo.* Huic autem præcepto ſatis non fit, niſi proximum (5) & interno cordis affectu, & (6) *non verbo tantum, & lingua, ſed opere etiam, & veritate diligamus.*

II. Proximorum nomine, quos amari Charitas jubet, non ii duntaxat intelliguntur homines, qui vel propter vitæ integritatem juſti ſunt, Deoque accepti, vel nobis ſunt communione ſanguinis, aut amicitiæ fœdere conjuncti, vel de nobis benemerentes ſua in nos beneficia contuleruut; verum etiam & ii, quibus propter impietatem iratus eſt Deus, & ii, qui nobis infenſi, odio nos proſequuntur, & ii, qui noſtris facultatibus, vel famæ, vel

(1) Apocal. cap. 12.
(2) 1. Ad Timoth. cap. 1.
(3) Joan. cap. 4.
(4) S. Auguſt. ſerm. 335. alias 226. de tempore cap. 2.
(5) Innoc. XI. in damn. prop. 10., & 11.
(6) 1. Joan. cap. 3.

Digitized by Google

vel vitæ graves, atroceſque injurias irrogarunt. His autem bonum invidere, malum velle, detrimentum aliquod in acceptarum injuriarum vindictam moliri Lex Charitatis vetat; imo etiam ut iiſdem ignoſcamus, præcipit, ut pro iis ad Deum noſtras fundamus preces, ut tandem animo ſaltem ita parati ſimus, ut, cum eorum neceſſitas exigat, de iiſdem benemereri non renuamus. Id enim Chriſtus Dominus exemplo ſuo nos docuit, idque etiam in Evangelio nobis diſertiſſime præcepit, cum inquit (1): *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.*

CAPUT IV.

DE EFFECTU CHARITATIS, SEU DE BENEFICENTIA.

I. AMare eſt non modo velle bonum, ſed curare etiam pro viribus, ut ei, qui diligitur, conferatur: *probatio enim dilectionis*, ut ait S. Gregorius, *exhibitio eſt operis*. Quare ſi vera ſit Charitas, qua diligimus; ex ea (2), tamquam fructus ex arbore, beneficentia progerminat, cujus ductu de proximo, qui noſtra eget ope, libenter, cum poſſumus, benemeremur. Cum autem anima conſtemus, & corpore; utriuſque neceſſitati, cum Proximus indiget, ſuccurrendum a nobis eſt: ad utramque enim beneficentiam ex præcepto Charitatis urgemur.

II. Caueant ergo Fideles, ac præſertim Parochi, iique omnes, quibus animarum cura commiſſa eſt, ne in extremis, aut gravibus proximorum neceſſitatibus ſublevandis muneri deſint ſuo. Meminerint itaque, proximo (3), qui in extrema ſpirituali neceſſitate verſetur, cum noſtram opem credimus profuturam, etiam cum mortis periculo eſſe ſubveniendum; adeoque ſi peccator in extremis laboret, ac æterna ipſius periclitetur ſalus, Confeſſarium eſſe advocandum, & hunc, etiam cum propriæ vitæ

(1) Matth. c.5. (2) S.Th. 2.2. a qu 26. ad 3:. (3) S.Th. 2.2. qu.26. art.5.

Digitized by Google

vitæ diſcrimine, operam ſuam negare non poſſe, ſi certo ſciat, neque peccatorem alia via poſſe ſalvari, neque ſibi damni ſpiritualis imminere periculum. *Hoc enim* (1) *præceſſit exemplum*, (ut ait S. Auguſtinus) *ut pro nobis Dominus ipſe moreretur. Hinc temporalem vitam ſuam pro æterna vita proximi non dubitabit Chriſtianus amittere. Quare tenetur quis baptizare infantem, & abſolvere peccatorem, etiam cum periculo propriæ vitæ, ſi certo ſciat, non poſſe alia via ſalvari, & aliunde non immineat ipſi periculum damni proprii ſpiritualis. Et ſane hoc eſt præceptum meum*, inquit Chriſtus (2), *ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*: Chriſtus autem *tradidit* (3) *ſemetipſum pro nobis. In hoc cognovimus Charitatem Dei*, ait Joannes Apoſtolus (4), *quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

III. *Cum unicuique* (5) *mandatum ſit de proximo ſuo*; & ita quidem mandatum, *ut ſi peccaverit* (6) *in te frater tuus, corripias eum inter te, & ipſum ſolum*; omnes & ſingulos, Heros præſertim, ac Patresfamilias, rogamus in Domino, & obſecramus, ut hujus præcepti memores, ſi quem aut viderint, aut audierint, aut opere, aut ore peccantem, Chriſtiana lenitate corripiant, dummodo vera ſpes emendationis affulgeat, neque graviora inde peccata prudenter timeantur. Quod ſi fratrem noſtrum, nondum quidem peccantem, in gravi tamen peccandi periculo conſtitutum agnoverimus; tunc enim vero eniti nos totis oportet viribus, ut opportunam ei, ſi fieri poſſit, feramus opem, ne tam grande malum, cujuſmodi peccatum eſt, ab eo perpetretur. *Omnes* (7) *enim unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra: ac propterea pro invicem ſollicita ſint membra.*

IV. *Ea eſt dilectionis* (8) *regula, ut quæ ſibi quiſque vult bona provenire, & proximo velit; & quæ accidere ſibi mala non vult, & illi nolit*, ut optime ſcribit S. Auguſtinus. Quamobrem licet ami-

(1) S. Aug. lib. de mendacio cap. 6.
(2) Joan. cap. 15.
(3) Ad Epheſ. cap. 5.
(4) Joan. epiſt. 1. cap. 3. n. 16.
(5) Eccl. c. 17., & 19.
(6) Matth. c. 18.
(7) 1. Ad Cor. c. 12.
(8) S. Aug. lib. de vera Religione c. 46.

Digitized by Google

ce, ut diximus, corripiendus ſit, qui peccavit, frater; ejus tamen vitia, quæ forte nobis innotuerint, ſive phyſica ſint, ſive moralia, neque detegere, neque irridere licet, ſed Chriſtiana quadam occultanda ſunt prudentia, niſi Charitas ipſa, aut Pietas, aut Religio aliter exigere videatur. Quod quidem cavere potiſſimum debent ii, qui, aut natura, aut prava conſuetudine loquaciores cum ſint, non niſi de alienis vitiis aut per iram, aut per jocum miſcere ſermones conſueverunt. Audiant hi, quid eos moneat divina Sapientia (1): *Audiſti verbum adverſus proximum tuum? commoriatur in te, fidens, quoniam non te diſrumpet.*

V. *Qui viderit (2) fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in illo?* Ut igitur Charitas Dei in nobis maneat, corporali etiam Proximi neceſſitati ſuccurrere benigne debemus; & quidem ſi extrema eadem ſit, etiam de neceſſariis noſtro ſtatui; ſi vero gravis ſit, aut communis, ſaltem de ſuperfluis ſtatui ſubtrahendum aliquid eſt, quo indigentem ſublevemus. Neque vero quemquam moveat ſcandaloſa illa, & in praxi pernicioſa doctrina, quam merito Romana proſcripſit Eccleſia (3), quod videlicet in Sæcularibus, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui vix invenitur, adeoque vix eorum aliquis eleemoſynæ urgetur præcepto, quando illam non, niſi ex eo, quod ſuperfluum eſt ſtatui, erogare tenetur. Hæc enim doctrina non, niſi e ſordida avaritiæ ſchola, prodire potuit, & non niſi immiſericordes habere Auctores. Parochi itaque, & Concionatores eleemoſynæ præceptum Fidelibus explicent, eorumque animis ſapientiſſima hæc inſinuent conſilia, quæ Filio ſuo Tobias dedit, cum brevi ſe crederet eſſe moriturum (4). *Ex ſubſtantia tua fac elemoſynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Præmium*

(1) Eccli. c.19.
(2) 1. Joan. c.3.
(3) Innoc. XI. in damn. prop.12.
(4) Tobiæ cap.4.

Digitized by Google

mium enim bonum theſaurizas in die neceſſitatis, quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram Summo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam. Illos præterea doceant, hos beneficentiæ, ac miſericordiæ actus non modo amicis, ſed etiam inimicis, cum indigent, eſſe adhibendos, juxta illud Proverbiorum (1): *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis ſuper caput ejus, & Dominus reddet tibi*.

CAPUT V.

DE VITIIS CHARITATI OPPOSITIS VITANDIS.

I. QUo impenſius Chriſtianæ Charitati, ac Beneficentiæ ſtudere Fideles jubentur, atque ii potiſſimum, quos Clericali adſcriptos militiæ Chriſtum Ducem propius imitari neceſſe eſt; eo ſolertius etiam cavere iidem a vitiis debent, quæ huic virtuti reliquarum omnium præſtantiſſimæ adverſantur.

II. Caveant itaque primum, ne aut proximum ſuum oderint, aut graviter indignati malum aliquod adverſus illum moliantur, aut tandem de illius calamitate voluptatem hauriant, de proſpera vero ſorte triſtitiam. Scriptum eſt enim (2): *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum*. Quare ut ſcandaloſas,& Chriſtianæ diſciplinæ contrarias rejicimus proſcriptas illas theſes (3), quibus affirmatur, licere de alicujus, ac etiam Patris, vita triſtari, de naturali illius morte gaudere, illamque inefficaci affectu petere, ac deſiderare, non ex eo quidem, quod perſona, cujus appetitur mors, infenſa ſit, aut diſpliceat, ſed quod temporale aliquod ex ejus obitu ſperetur emolumentum.

III. Caveant præterea a contentionibus, rixis, ac diſcordiis fovendis,

(1) Prov. c.25.

(2) Prov. c.24.

(3) Innoc.XI. in damn. prop.13., 14., & 15.

vendis, aut ferendis, quibus non modo inter amicos, ſed etiam inter conſanguineos ſocietas, & conjunctio dirimitur; ac noverint, hujuſmodi homines, utpote pacis perturbatores, humanæque felicitatis hoſtes, a regno Dei, & pacis extorres eſſe futuros. *Suſurro* (1) *enim, & bilinguis*, uti monemur Eccleſiaſtici cap. 28., *maledictus: multos enim turbabit pacem habentes*. Multo autem magis a calumniis ſive in judicio, ſive extra judicium proximo impingendis abſtineant: odit enim Deus calumniatores, ac ſeveram de iis ultionem ſumet juxta illud Pſalmi: (2) *Judicabit pauperes populi, & ſalvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem*.

IV. Qui ſive precibus, ſive imperio, ſive conſilio proximum ſuum ad peccandum impellit; qui aut factis, aut dictis alieno cooperatur peccato; qui demum peccatorum ſuorum funes extendit in laqueum, fratrique ſuo juxta iter poſuit ſcandalum; is enim vero Chriſtianæ Charitatis hoſtis eſt infenſiſſimus, & acerbiorem Chriſto Domino irrogat injuriam, quam Carnifices ipſi, qui neſcientes, quid facerent, eum morti crudeliſſimæ tradiderunt. Ut enim recte inquit S. Bernardus: (3) *Cum proprium ſanguinem Chriſtus dederit in pretium redemptionis animarum, graviorem certe ab eo ſuſtinet perſecutionem, qui ſuggeſtione maligna, exemplo perverſo, ſcandali occaſione avertit ab eo animas, quas redemit, quam a Judæo, qui ſanguinem ſuum fudit*. Contra nefarios iſtos animarum prædones frequenter, dum verba faciunt ad populum, invehantur Parochi, propoſitaque, modo admiſſi criminis gravitate, modo divinæ impendentis ultionis atrocitate, eoſdem ab hujuſmodi ſcelere in poſterum perpetrando abſterreant, ad veram admiſſi criminis pœnitentiam excitent, & qua ratione damnum illatum reſarciri poſſit, edoceant. Illud autem potiſſimum tanto malo remedium eſſe adhibendum inſinuent, *ut qui* (4) *cum plurimorum deſtructione ſe perdidit, cum plurimorum ædificatione ſe redimat*.

CA-

(1) Eccl. c. 28.

(2) Pſalm. 71.

(3) S. Bernardus ſerm. 1. in converſione S. Pauli ſuper illud: *Saule, quid me perſequeris?*

(4) Euſeb. hom. 10. ad Mon.

CAPUT VI.

DE RELIGIONIS VIRTUTE.

I. POſt Theologicas, primum ſibi inter Morales virtutes locum vindicat Religio, eaque cæteris longe eſt præſtantior, quia, licet non proxime feratur in Deum, ſua tamen præcepta, & quos præſcribit actus, ad cultum, atque obſequium Deo præſtandum dirigit. Religionis itaque virtus ea eſt, quæ verum Dei cultum, debitamque divinæ Majeſtati reverentiam exhibere Nos docet, ac jubet. Quamobrem quædam Juſtitiæ ſpecies (1) eſſe videtur Religio, cum certos nobis exercendos præſcribat actus, quibus ex una parte Summam Dei Majeſtatem, ſupremumque in eo rerum omnium dominium, ex alia ſubmiſſionem noſtram, atque obſequium, & obſervantiam, quam ei debemus, ſponte, & publice profitemur; quod quidem nihil eſſe videtur aliud, quam Deo reddere jus ſuum, non ſane quantum ille promeretur, ſed ſaltem quantum noſtræ ferre poſſunt vires.

II. Duplex autem genus eſt eorum actuum, qui a Religione præſcribuntur: alii enim interni ſunt (2), & hi primum, ac potiſſimum imperantur; externi vero alii, & hi internis ſubiiciuntur, a quibus etiam pretium deſumunt ſuum. Ad primum genus pertinent, in Spiritu Deum adorare, orare, obſecrare, aliaque plurima hujuſmodi: ad ſecundum, in adorationis ſignum genua flectere, caput inclinare, humi procumbere, ore pſallere, ſacrificium offerre, Sacra Templa erigere, aut locupletare, aliaque id genus multa. Qua tamen in re mirari ſatis nemo poteſt incredibilem Dei benignitatem, qui, cum ſit rerum omnium Dominus, pauca tamen ſibi, tamquam ſua, reſervaſſe viſus eſt; quæ proinde intacta eidem, & inviolata ſervari & Ratio, & Religio jubent. Et ſane cum ſempiternus ſit Deus, & omne tempus in ſua habeat pote-

(1) S. Thom. 1.2. qu.60. art.3., & 2.2. qu.61. art.5. ad 3.

(2) S.Thom. 2.2.qu.81.art.7. & qu.84. art.2.

Digitized by Google

poteſtate; paucos tamen anni dies, videlicet feſtos dumtaxat, ſuo cultui peculiari quadam ratione deſtinavit; reliquos vero hominum commiſit arbitrio, ut eos ad honeſtam ſui utilitatem, licitamve voluptatem in mechanicis artibus exercendis, operiſque præſtandis ſervilibus, ſi mallent, inſumerent. Cum immenſus ipſe ſit, & ubique locorum adſit; pauca ſibi tamen ſervavit loca, ſacras videlicet ædes, in quibus ipſe, velut in Regalibus ſedibus, honoraretur; cætera vero hominibus, ipſiſque etiam animantibus brutis incolenda reliquit. Tandem cum ipſe ſit rerum omnium Creator, ac Dominus, eorum tamen dumtaxat perſonas peculiari ratione ſibi conſecravit, qui ſponte, & ultro vel Sacramentum Ordinis ſuſcipientes, vel Religioſa nuncupantes Vota, ſe Deo totos, divinoque ſervitio dedicarunt; eas vero tantum res eſſe ſuas voluit, quas ſeu pro ſacris alendis Miniſtris, ſeu pro Eccleſiaſticis obeundis functionibus, ſeu pro divino cultu exercendo, augendoque Fidelium pietas liberaliter erogavit. De Religionis actibus ſive internis, ſive externis ſingillatim nunc diſſeramus.

CAPUT VII.

DE MISSÆ SACRIFICIO.

I. IN vera Dei Eccleſia verum aliquod Sacrificium exiſtere ſemper debuit, quo Fideles divinam poſſent venerari Majeſtatem, ſupremum in Deo rerum omnium dominium palam profiteri, rerumque ſenſibilium oblatione debitam ſubjectionem, & honorem Conditori ſuo ſignificare. Et ſane etiam ante Legem Scriptam vera apud Fideles Sacrificia in uſu fuiſſe novimus: ſacrificaſſe enim Abel, Noe, Abraham, Melchiſedech, & Job, eorumque Sacrificia Deo placuiſſe Sacræ teſtantur Litteræ. In veteri autem Teſtamento quatuor Sacrificiorum genera fuiſſe a Deo inſtituta, Populoque ſuo præſcripta legimus, ut videlicet præcipuis quatuor titulis, quibus Deo obſtringitur homo, pro humanarum virium imbecillitate fieret ſatis. Quatuor enim ſunt (1), quibus

(1) S.Th. 1.2. qu.3. art.3.

Digitized by Google

quibus potiſſimum Deo obſtringimur; ſumma videlicet ejus Majeſtas, ac dominium; gravis offenſa in illum admiſſa; innumera, quæ ab eo accepimus, beneficia; & nova munera, quibus indigemus, & quæ, ut ipſe nobis peramanter largiatur, ſuppliciter poſtulamus. Primum itaque, ac præſtantius Sacrificium *holocauſtum* dicebatur, quo tota igne conſumebatur victima, ut debitus Deo tribueretur honos, ejuſque dominium in rei illius deſtructione proderetur. Hoſtia pro peccato, ſeu *ſacrificium propitiatorium* erat alterum; *Sacrificium laudis, & gratiarum actionis* tertium; *Hoſtia tandem pacifica* quartum nuncupabatur. Horum cuilibet ſui erant a Deo præſcripti peculiares Ritus, Sacræque Cæremoniæ, ut ex eorum contemplatione illi, qui adeſſent, ad rerum ſublimiorum cognitionem eveherentur.

II. Verum *quoniam* (1) *ſub priori Teſtamento*, teſte Apoſtolo Paulo, *propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem conſummatio non erat; oportuit, Deo Patre miſericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedech ſurgere, Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, qui poſſet omnes, quotquot ſanctificandi eſſent, conſummare, & ad perfectum adducere.* Is igitur primo ipſo ſui conceptus momento, Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum a Patre conſtitutum intelligens, continuo Patris mandato acquievit, eique ſeipſum pro peccatis totius Mundi obtulit in ſacrificium, quod erat deinde, morte intercedente, in Ara Crucis ſemel conſummaturus, ut æternam illic redemptionem operaretur. Hac voluntate, & oblatione, quam in Cruce moriens conſummavit, noſtram, ac totius Mundi promeruit ſanctificationem. Sic enim inquit Apoſtolus: (2) *Ideo ingrediens in Mundum dicit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti; corpus autem aptaſti mihi: holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam, Deus, voluntatem tuam: Superius dicens: quia hoſtias, & oblationes, & holocautomata pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur;*

(1) Trid. ſeſſ.22. cap.1. (2) Heb. c.10.

tunc dixi: ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Aufert primum, ut ſequens ſtatuat. In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem Corporis Jeſu Chriſti ſemel.

III. Cum in hoc Sacrificio idem Chriſtus Jeſus fuerit Sacerdos, & Victima, (*Chriſtus* (1) *enim dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*) non modo ejus infinitum eſt pretium, verum etiam in illo tota cujuſlibet Sacrificii ratio reperitur. Primum igitur Sacrificium hoc *holocauſtum* fuit, cum in eo Chriſtus Deo Patri debitam exhibuerit reverentiam, eique obediens factus fuerit uſque ad mortem, mortem autem Crucis. Propterea inquit cum Patre loquens: (2) *Ego te clarificavi ſuper terram: opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam*. Fuit etiam *laudis, & gratiarum actionis* ſacrificium, cum in eo gratias Patri pro beneficiis egerit, quæ in ipſum, totumque hominum genus contulerat, & erat collaturus. Ejus enim illa ſunt verba: (3) *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris accipiam*: cujus quidem calicis appellatione mors, quam in Cruce ſubiit, ſignificabatur, ut ſibi ſui gloriam corporis, nobis vero omnia cum animi, tum corporis bona impetraret. *Qui in diebus carnis ſuæ*, ait Apoſtolus, (4) *preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia... & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech*. Fuit demum *hoſtia pro peccato, ſeu propitiatorium ſacrificium*, cum ipſe, qui oblatus eſt, quia voluit, oblatione ipſa ſua factus ſit (5) *propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius Mundi*.

IV. Cum autem per Chriſti mortem (6) Sacerdotium ejus extinguendum non eſſet; & cum ejus in Eccleſiam amor poſtularet, ut eidem viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret

(1) Ad Epheſ. cap. 5.
(2) Joan. cap. 17.
(3) Pſalm. 115.
(4) Ad Heb. cap. 5.
(5) 1. Joan. cap. 2.
(6) Trid. ſeſſ. 22. cap. 1.

Digitized by Google

ret Sacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peractum repræſentaretur, ejuſque memoria in finem uſque ſæculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis committerentur, peccatorum applicaretur; Dominus Jeſus in Cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit. Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt, quam Dominus per Malachiam (1) nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit. Hæc illa oblatio eſt, quæ per varias Sacrificiorum, naturæ, & legis tempore, ſimilitudines figurabatur, illorumque omnium eſt quædam veluti conſummatio, atque perfectio. Oblatio hæc Sacrificium (2) eſt vere propitiatorium, per quod fit, ut ſi cum corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hac enim oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit: una enim, eademque eſt hoſtia, & idem nunc Offerens Sacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc in Cruce obtulit, ſola offerendi ratione diverſa.

V. Quæ cum ita ſint, neceſſario fatendum eſt, (3) nullum aliud opus adeo Sanctum, ac Divinum a Chriſtifidelibus tractari poſſe, quam hoc ipſum tremendum Myſterium, quo vivifica illa Hoſtia, qua Deo Patri reconciliati ſumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur. Hinc autem quiſque facile intelligit, omnem operam, & diligentiam in eo ponendam eſſe, ut quanta maxima fieri poteſt, interiore cordis munditia, & puritate, at-

 que

(1) Malachiæ cap. 1.

(2) Trid. ſeſſ. 22. cap. 2.

(3) Trid. ſeſſ. 22. decr. de obſer., & evit. in celebr. Miſſæ.

que exteriore devotionis, ac pietatis ſpecie peragatur. Sacerdotes itaque omnes monemus, atque enixe obſecramus in Domino, ut, antequam ad Altare ſacrificaturi accedant, ſeipſos probent, & ſi qua forte culpæ lethalis labe pollutos ſe noverint, Deo per Sacramentum Pœnitentiæ reconcilientur, ne rei fiant Corporis, & Sanguinis Domini, neve ſumant (1) de Sacrificio pœnam, facientes ſibi de propitiatione peccatum. Eccleſiaſtica enim conſuetudo declarat, (2) eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere audeat; quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, Tridentina Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illis copia Confeſſarii, eoſque celebrandi neceſſitas urgeat. *Sacerdotes igitur, (3) qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos.*

VI. Nemo Miſſam celebrare audeat, quin prius, (4) alienis curis ſepoſitis, ſe per aliquod tempus collegerit, & elicitis Fidei, Spei, & Charitatis, aliarumque virtutum actibus, conſuetiſque precibus recitatis, ſeſe ad tantum holocauſtum offerendum rite, recteque diſpoſuerit, quod quidem præſtabit etiam, Sacro jam peracto, ut gratias agat Deo ſuo, & paſcatur in deliciis ejus, nec particula boni doni eum prætereat. In ſacro peragendo nemo Ritus alios, aut alias Cæremonias, & preces adhibeat, præter eas, quæ in Miſſali Romano præſcribuntur: in iis autem adhibendis, ac recitandis neque feſtinanter nimis, neque nimis lente procedatur, ſed ita res temperetur, (5) ut tempus in Miſſæ celebratione inſumendum neque tertia horæ parte ſit brevius, neque dimidiam horam multum excedat. Qui ad Sacerdotium recenter promotus eſt, ne Sacrarum Cæremoniarum ignarus ad celebrandum teme-

(1) S. Hieronymus.

(2) Trid. ſeſſ. 13. cap. 7., & can. 11.

(3) Exodi cap. 19.

(4) Concil. Mediol. I. ſub S. Carolo part. 2. de Sacrificio Miſſæ.

(5) Benedictus XIV. De Sacrif. Miſſæ lib. 23. cap. 24. §. 3., Conc. Rom. ſub Bened. XIII. in Appendice cap. 18., & Synod. Tuſculan. anni 1703. cap. 8.

temere accedat; primum Deo Sacrificium non offerat, niſi expreſſam ad id a Nobis licentiam obtinuerit, quam non erimus conceſſuri, niſi de ſufficienti ejuſdem in Sacris Ritibus peritia ex Cæremoniarum Magiſtri, aut alterius a Nobis deputandi teſtimonio plane conſtiterit.

CAPUT VIII.

DE CELEBRATIONE MISSARUM.

I. CUM Pontifices, ut inquit Apoſtolus, (1) ex hominibus aſſumpti, pro hominibus conſtituantur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerant dona, & ſacrificia pro peccatis; Nos Tridentini Concilii (2) auctoritatem ſecuti, volumus, ut omnes, & ſinguli Sacerdotes, cujuſcumque gradus, & dignitatis, & conditionis illi ſint, Dominicis, & reliquis Feſtis diebus, niſi jure impediantur, Miſſam celebrare non omittant. Eos vero, qui curam habent animarum, tam frequenter Miſſas celebrare jubemus, ut ſuo muneri ſatisfaciant. *Exterminabitur (3) anima illa de populis ſuis, quia Sacrificium Domino non obtulit tempore ſuo: peccatum ſuum ipſa portabit*: Hæc Moſaicæ Legis tempore conſtituta a Deo fuerat pœna adverſus illos, qui Sacrificium Domino non offerrent tempore ſuo, cum tamen ejus temporis Sacrificium incruenti novæ legis Sacrificii umbra dumtaxat eſſet, ac figura. Quanto igitur graviorem Deus repetet pœnam ab iis Novi Teſtamenti Sacerdotibus, qui tempore ſuo deſides ceſſabunt divina celebrare Myſteria!

II. Cum *autem Sacerdos, qui non celebrat, quantum in ipſo eſt*, ut ait Venerabilis Beda, (4) *privet Trinitatem laude, & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, juſtos ſubſidio, & gratia, in Purgatorio exiſtentes refrigerio, Eccleſiam Chriſti ſpeciali beneficio, & ſeipſum medici-*

(1) Ad Hebr. cap. 5.

(2) Trid. ſeſſ. 23. c. 14. de refor., Conc. Provin. Mediol. I. tit. de frequ. div. Sacrif. oblat., Concil. Rhemen. ann. 1583., & Conc. Toloſan. ann. 1594.

(3) Numerorum cap. 9. v. 13.

(4) Ven. Beda de Sacrif. Miſſæ.

Digitized by Google

dicina, *& remedio contra quotidiana peccata*, *& infirmitates*; Proinde Sacerdotes omnes in Domino hortamur, ut religioſe, ſanctèque viventes, ac rite, rectèque diſpoſiti, quotidie immaculatum, vereque propitiatorium Deo offerant Sacrificium. Veriſſimum enim ſemper fuit, (1) quotidianam Miſſæ celebrationem cum Jeſu Chriſti, tum Eccleſiæ ſenſui eſſe apprime conſentaneam, dummodo ea, qua par eſt, interna animi reverentia, externaque corporis modeſtia celebretur.

III. Tridentina Synodus (2) curare Epiſcopos jubet, ut non, niſi debitis horis, incruentum Miſſæ Sacrificium offeratur, ab Aurora videlicet uſque adMeridiem,uti Romani Miſſalis Rubrica præſcribit. Verum cum Benedictus XIII., (3) & Clemens XII., audito prius plurium Cardinalium, Præſulum,ac Doctorum conſilio,tempus hoc aliquantulum ampliandum eſſe cenſuerint, tertiam horæ partem ante Auroram, & tertiam poſt Meridiem Sacerdotibus ad celebrandum permittentes; Nos etiam in tota hac Noſtra Diœceſi eamdem Presbyteris facimus poteſtatem, ea tamen conditione adjecta, ut iidem tertiam horæ partem ante Auroram pro Miſſis inchoandis, & tertiam horæ partem poſt Meridiem pro illis abſolvendis nulla omnino ratione prætergrediantur, niſi forte aut privilegium aliquod ab Apoſtolica Sede impetraverint, aut pro ſpeciali aliquo caſu peculiaris a Nobis conceſſa iiſdem fuerit licentia. Ab hac tamen univerſali regula ſolemnem excipimus Miſſam, quæ, juxta vetuſtiſſimam Eccleſiæ diſciplinam, Dominicæ Nativitatis nocte pluribus in Templis, præſertim Cathedralibus, & Collegiatis, celebrari ſolet, in qua (4) tamen ſub pœna ſuſpenſionis, aliiſque arbitrio Noſtro infligendis pœnis diſtricte prohibemus, ne Sacra Populo Euchariſtia miniſtretur.

IV. Ex-

(1) Benedictus XIV. de Sacrif. Miſſ. lib.3. cap. 2. §. 10. in fine.

(2) Trid. ſeſſ.22. decr. de obſer., & evit. in celeb. Miſſæ.

(3) Concil. Rom. ſub Benedicto XIII. in Appendice cap.18., & Benedictus XIV. Inſtit.13. §.3., 4. & 5., & Inſtit.68. §.12.

(4) Sac. Rit. Cong. in Piſauren. 7. Dec. 1641., & alibi, & Sac. Cong. Conc. de mandato Innoc. XI. decr. de comm. quotid. 12. Feb., & Conc. Mediol. ſub S. Carolo loc. cit.

IV. Extra Eccleſiam (1) vel conſecratam, vel ſaltem Ordinaria, ſeu Noſtra, ſeu Prædeceſſorum Noſtrorum auctoritate benedictam nemini ſacrum facere liceat. Quare in privatis Oratoriis, etiam poſt impetratam Sedis Apoſtolicæ diſpenſationem, ſi quis ſive Sæcularis, ſive Regularis Sacerdos celebrare Miſſam audeat, antequam viſa, recognita, & approbata a Nobis fuerint, is ſuſpenſionem ipſo facto incurrat; eadem vero Oratoria ſint ipſo facto interdicta. Si quæ autem hujuſmodi Oratoria approbata a Nobis, aut a Noſtris Prædeceſſoribus fuerint, in iis non, niſi una, quotidie celebretur Miſſa, cujus tamen celebratio Feſtis ſolemnioribus non licebit. Cæterum eadem Oratoria, niſi ſervatæ fuerint, ac ſerventur conditiones in Apoſtolico Indulto præſcriptæ, a Nobis approbata non cenſeantur.

V. Nullus Sacerdos, (2) ſive Tuſculanus ſit, aut Diœceſanus, ſive hoſpes, aut advena, ad Miſſam celebrandam, aliaſve ſacras obeundas functiones ſine veſte talari accedere audeat; aut (3) ſub cujuſcumque neceſſitatis, aut conſuetudinis prætextu ſine Apoſtolicæ Sedis privilegio in Miſſæ celebratione pileolo utatur, aut annulum geſtet in digito, aut ſacras ex Altari veſtes ſumat, quibus celebraturus induatur. Unicus præterea ſit in Miſſa privata ſive Clericus, ſive Laicus, qui celebranti miniſtret, iſque vir ſit, non fœmina: mulieres enim, licet Sanctimoniales, ab hujuſmodi miniſterio ſunt omnino repellendæ. Dominicis autem, Feſtiſque diebus in majori ſive Cathedralis, ſive Eccleſiarum Parochialium Ara non, niſi Clericus albo indutus ſuperpelliceo, Presbytero Miſſam Parochialem celebranti inſerviat.

VI. An-

(1) Trid. ſeſſ. 22. decr. cit., & ſeſſ. 24. cap. 11., cap. *Cum Capella*, & cap. *Cum plantare*. de Privileg., & cap. *Venerabili*. de V. S., Sac. Cong. Concil. de mandato Pauli V. 10. Martii 1615.

(2) Sac. Cong. Concil. in Bononien. 20. Julii 1620., & in Neapol. 17. Aug. 1630., Innoc. XII. pro Urbe 2c. Nov. 1691.

(3) Can. *Nullus Epiſcopus*, can. *Altaris palla*; can. *Veſtimenta*. de conſecrat. diſt. 1., Urbanus VIII. in Bulla ante init. Miſſalis; Sac. Rit. Cong. 11. Feb. 1623., & 20. Jul. 1670., cap. *Propoſuit*. de Filiis Presb., Conc. Mogunt. ſub Leone III. can. 43.

Digitized by Google

VI. Antequam Sacerdos celebraturus ſacris ſe veſtibus induat, (1) neque cum aliis colloquatur, neque aures colloquentibus præbeat, ſed preces, quas lecturus in Miſſa eſt, diligenter prævideat, eaſque in Miſſali peculiaribus adnotet ſignis, ne inter celebrandum aut anceps hærere, aut turpiter errare cogatur. Mentem deinde ſuam, oculoſque ab iis omnibus avertat, quibus a re divina, quam facturus eſt, diſtrahi animus facile poſſit. Quin etiam erecta ad Deum mente, (2) vultuque ad modeſtiam compoſito, dum e Sacrario ad aram pergit, ut pii Sacerdotes facere ſolent, contrito corde recitet pſalmum *Miſerere*, & tecto capite, erecto corpore, demiſſis oculis, gravique incedens paſſu, nemini, niſi forte Epiſcopo ſuo, ſalutationem impertiatur, aut referat. Calicem injecta ſiniſtra manu ad nodum, qui inter pedem ejuſdem Calicis, & craterem eminet, ſublatum ante pectus ſuſtinebit: dextera vero, ne quid eorum, quæ ſuperpoſita ſunt, decidere poſſit, ſuperne premet. Si ante Aram tranſeat, in qua vel publicæ adorationi expoſita pateat Euchariſtia, vel populo a celebrante Sacerdote veneranda efferatur; tunc utroque flexo genu, nudatoque capite Sacramentum adoret. At ſi ante Tabernaculum tranſeat, in quo divinum aſſervatur Sacramentum; altero tantum genu ad terram dato, operto tamen capite, Servatori ſuo reverentiam exhibeat. Altare vero majus prætergrediens, aut Epiſcopo ſuo occurrens, utrique ſola corporis, opertique capitis inclinatione debiti honoris præbeat ſignificationem.

VII. Sacra ſupellex (3) in hoc incruento adhibenda Sacrificio, ſi pretioſa, ut par eſſet, haberi nequeat, munda ſaltem ſit, ac nitida, non ſordida, non obſoleta, neque indecenter compacta, ſervatis etiam pro temporum, ac Miſſarum ratione præſcriptis ab Eccleſia indumentorum coloribus. Conſuetis præterea ritibus, precibuſque aut benedicta ſit, aut Sacro Chriſmate delibuta, prout Cano-

(1) Synodus Tuſculana anni 1703. c. 8.

(2) Rubricæ Miſſalis Romani, & Synodus Amerina ann. 1595. cap. 335.

(3) Can. *Veſtimenta*; & can. *Ut Calix*. de conſecr. diſt. 1.

Digitized by Google

Canonicæ exigunt Conſtitutiones. Calicis ſaltem crater (1) ex argento conflatus ſit, concavamque ſuperficiem inauratam habeat: reliquæ vero ejus partes, & patena, ſi id Eccleſiæ paupertas exigat, fieri ex inaurato ære, vel aurichalco poterunt. Si quis in Miſſæ Sacrificio Vaſis Sacris vel ex inferiore compactis materia, vel non conſecratis, vel quoquo modo execratis utatur; Canonicam ab officio, & beneficio depoſitionis pœnam incurrat. Tribus (2) omnino lineis mappis, iiſque benedictis Altaris menſa contegatur, quæ vel ex integro conſtet marmore, ſitque conſecrata; vel ſacratum ſaltem lapidem in media ſuſtentet Ara. Si forte execratum Altare fuerit, ſuper eo Miſſam celebrare nemo audeat: qui ſecus fecerit, ſacrilegus cenſeatur, & canonicis multetur pœnis. Poſt Panis, & Vini conſecrationem, non niſi ſuper ſacrato lapide Calix, & Patena cum Hoſtia, & cum Particulis, ſi quæ ſint, collocentur, ne Sacerdos erga Chriſti Corpus minus reverenter ſe gerere videatur. Is etiam, poſt hauſtum Chriſti Sanguinem, vino (3) Calicem purificet, quod per eamdem Calicis partem potabit, per quam Chriſti Sanguinem ebibit.

VIII. Cum Miſſa celebratur, binæ (4) ex candida dumtaxat cera ſuper Altaris gradu ardeant candelæ, inter quas Crux (5), & Chriſti ex ea pendentis imago emineat; quod quidem prætermittendum non eſt, licet in eo Altari Tabernaculum adſit (6), in quo Pyxis cum ſacris Particulis aſſervatur. Quod ſi Sacrum in eo Altari peragatur, in quo Divina Euchariſtia publicæ Fidelium venerationi propoſita palam cernitur; quamquam olim (7) Sacrorum Rituum Congregatio declaraſſet, etiam tunc Crucem cum Chri-

(1) Can. *Ut Calix*. de conſecr. diſt. 1., cap. ult. de celebratione Miſſarum, & cap. *Cum veniſſet*. de Sacra Unctione.

(2) Can. *Conſulto*. de conſecr. diſt. 1., Can. *Si per negligentiam*. de conſec. diſt. 2., Can. *Nullus Presbyter*; & Can. *Altaria*. de conſec. diſt. 1.

(3) Cap. *Ex parte*. de celebrat. Miſſ., & S. Pius V. Epiſt. ad Epiſcop. Tarracon.

(4) Cap. *Litteris*. de celebr. Miſſarum.

(5) Miſſale Rom. rub. 20., & Cærem. Epiſ. l. 2. c. 12.

(6) Cong. Sac. Rituum ann. 1663. Meratus par. 2. tom. 1. num. 400.

(7) Cong. Sac. Rit. 14. Maii 1707.

Digitized by Google

ſti imagine ſuper Altari eſſe collocandam; Poſtmodum (1), re iterum in examen deducta, ac diligenter, accurateque perpenſa, decrevit, ut quælibet Eccleſia morem, & inſtitutum, quod antea ſervaverat, in poſterum quoque retineret, itaut nihil immutetur in ea Diœceſi, ubi Crux in Altari conſtitui ſoleat, dum Miſſa celebratur, etiamſi Sacra Euchariſtia publice proſtet; neque nova diſciplina in ea Diœceſi excitetur, ubi contraria hujuſce rei conſuetudo jampridem invaluerit. At ſi in majori Altaris tabula Salvator noſter affixus Cruci depictus, aut cælatus appareat, itaut primum locum obtineat præ cæteris omnibus, quæ in eadem tabula exprimuntur; tunc neceſſe non eſt (2), ut Crux cum Chriſti pendentis imagine ſuper Altari, dum Sacrum peragitur, collocetur. Hæc omnia erudite recenſet, laudat, ac probat Benedictus XIV. in ſua peculiari Conſtitutione (3), quam univerſis Eccleſiaſticæ ditionis Archiepiſcopis, Epiſcopis, atque Ordinariis inſcripſit, & cujus exemplar in Appendice hujus Synodi num. 4. exhibemus. Occaſionem autem hujus edendæ Conſtitutionis idem Pontifex ſic exponit. *In Altaribus, quæ per Eccleſias erecta ſunt, & in quibus Sacrum fieri conſuevit, præter majorem tabulam, quæ vel depictam, vel inciſam exhibet imaginem Sancti, in cujus nomen, & memoriam Altare conſecratum eſt, adjungi cæpit alia minor tabula, in qua vel coloribus exprimitur, vel ære, ligno, aut marmore inciditur effigies alterius Sancti, itaut Crux auferatur, quæ juxta Rubricas inter candelabra collocari debet. Cum vero neminem lateat, rem divinam confici non poſſe, niſi Crux cum imagine Sanctiſſimi Crucifixi ſuper Altari conſtituatur; hinc minori tabulæ ſuperadditur exiguus adeo Crucifixus, ut neque Presbyteri celebrantis oculis facile occurrat, neque ab ullo alio diſtingui ferme poſſit, niſi hic diligenter perſcrutetur, utrum ſuper Altari revera Crucifixi imago propoſita fuerit. Equidem non improbamus, quod idem Altare in plurium Sanctorum nomen,*

(1) Sac. Cong. Rit. 1. Sept. 1741.

(2) Sac. Cong. Rit. anno 1663., Meratus tom. 1. part. 1. tit. 1. num. 6., & in Indice Decretorum tom. 1. part. 2. num. 400.

(3) Benedictus XIV. in ſua Conſtit. *Accepimus*. 16. Julii 1746.

nomen, ac memoriam dedicetur, quodve in majori tabula aut unus tantum, aut plures etiam Sancti pingantur, vel denique, quod alia minor tabula collocetur inferior, aut alio quocumque modo, ubi unus, vel plures Sancti Fidelium venerationi proponantur. Illud permittere nullatenus poſſumus, quod Miſſæ Sacrificium in his Altaribus celebretur, quæ careant imagine Crucifixi, vel ipſa incommode ſtatuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis, & exigua ſit, ut ipſius Sacerdotis, & populi aſſiſtentis oculos pene effugiat. Id enim alienum eſt a legibus, & inſtitutis Eccleſiæ, quæ in Rubricis, aliiſque Eccleſiaſticis Sanctionibus continentur. Id etiam maxime contrarium eſt ſacræ antiquitati, & Eccleſiarum etiam Orientalium conſuetudini, itaut certiſſimum ſit violari leges Eccleſiæ, ſi exigua ſolum imago Crucifixi præfigatur minori tabulæ, vel ſtatuæ Sancti, qui ſuperadditur, ut illum Fideles venerentur. In fine autem laudatæ Conſtitutionis ſic Epiſcopos, præſertim Suburbicarios, alloquitur: *Itaque vos omnes, Venerabiles Fratres, ad quos hæc Apoſtolica ſcripta dirigimus, curam magnopere impendite, ne veſtras in Diœceſes irrepat conſuetudo, quam ſuperius explicavimus. Quod ſi jam ipſa invaluerit, humanitatem prius, ac deinde ſeveritatem, ſi opus fuerit, adhibentes, illam penitus convellite.* Et paulo poſt ſubdit: *Illud monendum ſupereſt, eam Nobis mentem haud eſſe, ut imagines Sanctorum, quæ majori tabulæ Altaris ſuperadditæ ſunt, de medio auferatis, cum fortaſſe defuturi non eſſent invidi, qui, ut pietati veſtræ maculam inurerent, in vulgus diſſeminarent, vos nulla duci religione in eum Sanctum, cujus imaginem Fidelium venerationi ſubducitis. Illud vobis præcipimus, ut nullo modo patiamini, rem divinam fieri ad hujuſmodi Altaria, niſi Crucifixus inter candelabra ita promineat, ut Sacerdos celebrans, ac populus Sacrificio aſſiſtens eumdem Crucifixum facile, & commode intueri poſſint; quod evenire nequit, ſi exigua ſolum Crux minori tabulæ defixa Fidelibus exhibeatur. Si ejuſmodi corruptela in Diœceſi non valde propagata eſt, facile extingui poterit, ſi privatim Regulares, aut Sæculares Eccleſiarum Superiores de hac re moneantur. Si autem late per Diœceſim invaluerit, tunc a vobis edictum neceſſario promulgandum erit, quod his noſtris litteris conformetur.*

Digitized by Google

IX. Miſſale dumtaxat Romanum (1) in celebratione Miſſarum adhibeatur, itaut ſine illo celebrare nemini liceat, quamquam Celebrans memoriter totam Miſſam, totumque Canonem probe teneat: corroſum autem Miſſale non ſit, nec vetuſtate attritum, aut in Canone, aliiſve Miſſæ partibus deficiens, vel mutilatum. Rubricas omnes, ac cæremonias (2) in Miſſali pro Divini Sacrificii celebratione præſcriptas a Sacerdotibus diligenter ſervari jubemus, iiſque diſtricte præcipimus, ne quid in Miſſa contra eaſdem Rubricas vel addant, vel demant. Vicariis vero Foraneis mandamus, ut quos Sacerdotes in Sacris adhibendis cæremoniis, dum celebrant, negligentes noverint, vel quos aut verba mutilare, aut eadem præpoſtere, indebiteque proferre ſciant, Nobis, aut Vicario Noſtro Generali denuncient, eorumque ſuper hac re conſcientiam oneramus.

X. Miſſam inchoatam (3) non perficere, aut cœptam interrumpere, aut iterum in alicujus gratiam inchoare, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda omnino prohibemus, niſi forte, ex graviſſima cauſa a Sacris Canonibus recenſita, vel cœpta interrumpenda ſit, vel etiam imperfecta relinquenda; ut ſi excommunicatus (4) non toleratus divino Sacrificio intereſſe auderet. Tunc enim curare debet Sacerdos, ut is diſcedere jubeatur. Quod ſi parere noluerit (in quo caſu aliam excommunicationem, & quidem Papæ reſervatam, incurret) per Clericos, aut etiam, ſi opus ſit, per Laicos expellatur. Si autem id commode fieri nequeat, Sacerdos ab Altari recedat, niſi Canonem cœperit recitare: tunc enim ſolo retento Miniſtro, & dimiſſis adſtantibus Fidelibus, ne cum excommunicato in divinis communicent officiis, Sacrificium uſque ad ejus conſumptionem dumtaxat, omiſſis reliquis, proſequatur. Servandum id etiam erit, ſi forte Sacrificii tempore Ec-

clesia

(1) S. Pius V. Conſt. *Quo primum* pridie. Id. Jul. 1570.

(2) Trid. ſeſſ. 22. decr. de obſ., & vit. in celeb. Miſſ., & Pius V. cit. Conſt. *Quo primum*.

(3) Can. *Nihil.* cauſ. 7. q. 1., Can. *Nullus*. de conſecr. diſt. 1., Conc. Prov. Mediol. 1. loc. cit.

(4) Cap. *Ex parte*. de celebratione Miſſar., & Clem. *gravis* eod. tit.

Digitized by Google

cleſia (1) polluatur. At ſi ante celebrationem polluta fuerit Eccleſia ; qui in ea ſcienter celebrat, ſuſpenſionem ipſo facto incurrat. Luſci (2), dæmoniaci, capite læſi, vomitu, aut comitiali morbo laborantes, aliiſque affecti incommodis, propter quæ verendum prudenter eſt, ne Sacrificium vel inceptum relinquere, vel indecenter tractare cogantur, Nobis inconſultis, & non præmiſſa ad normam Sacrorum Canonum certa experientia, cujus Nobis judicium reſervamus, celebrare nullo modo audeant. Qui ſecus fecerint, pro modo periculi, Noſtroque arbitrio, dignas dabunt pœnas.

XI. Feria v. in (3) Cœna Domini, Feria vi. in Paraſceve, & Sabbato Sancto non, niſi una, & quidem ſolemnis Miſſa, in iis ſolis celebretur Eccleſiis, in quibus Chriſti Corpus, ad piam Dominicæ Sepulturæ inſtaurandam recordationem, in urna, ut mos eſt, decenter ornata, velut in quodam reconditur Sepulcro. Dominicæ etiam Nativitatis nocte unum dumtaxat Sacrificium in iis Templis, in quibus id licet, offerri ſolemniter poſſit : reliquorum vero celebratio ad conſuetum auroræ tempus differatur. Miſſa (4) de Patre Æterno, aliaſque hujuſmodi plures a Sacra Rituum Congregatione non approbatas, & Miſſas (5) defunctorum pro vivis perinde, ac ſi jam obiiſſent, ſub graviſſimis Noſtro arbitrio infligendis pœnis interdicimus. Feſtis item ſub ritu duplici diebus Miſſam Defunctorum (6), quamquam a Fundatoribus, ſeu Benefactoribus præſcriptam, celebrare nemini liceat : injuncto tamen oneri ſatisfiet, ſi Miſſa de Feſto Duplici juxta piam Fundatoris, aut

(1) Can. *Eccleſiam* de conſec. diſt. 1., cap. *Conſuluiſti*. de conſ., cap. *Si Eccleſia*. de conſec. in 6., & cap. *Is qui*. de ſentent. excom. in 6.

(2) Can. *Communiter*. diſt. 33., & can. *Nuper*. cauſ. 7. qu. 1.

(3) Can. *Sabbato*. de conſecr. diſt. 3. Sac. Rit. Congr. de mandato Alex. VIII. 12. Februar., & 11. Mar. 1690., & alias ſæpiſſime.

(4) Sac. Rit. Cong. de mandato Urbani VIII. 8. Apr., & 28. Octob. 1628.

(5) Rub. Miſſal., Bulla cit. Pii V., & Trid. ſeſſ. 22. decr. de obſ., & vit. in celebr. Miſſar.

(6) Decr. Encycl. Sac. Rit. Congr. de mandato Alex. VIII. 5. Aug. 1662., Breve Alex. VII. 21. Januar. 1667., Breve Clement. IX. 23. Sep. 1669.

aut Benefactoris applicetur voluntatem. Quod ſervandum etiam eſt, quando in Altaribus, ut ajunt, Privilegiatis, divinum offerendum eſt Sacrificium: declaravit enim Clemens IX., in his caſibus, ſi Miſſa de Feſto duplici celebretur, Indulgentias Defunctis ſuffragari, perinde ac ſi Defunctorum Miſſa in iiſdem celebraretur.

XII. *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, & pro his Sacrificium offerre*, uti Tridentina Synodus (1) docet; & cum poſt plurimas conformes Sacræ Congregationis Concilii declarationes, & fere unanimem ea ſuper re Doctorum conſenſionem, ſolemni etiam ſua Conſtitutione (2), quæ incipit: *Cum ſemper*, Benedictus XIV. declaraverit, eos, quibus animarum cura demandata eſt, non modo ſacrificium Miſſæ celebrare, ſed illius etiam fructum medium pro Populo ſibi commiſſo applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujuſmodi applicatione eleemoſynam percipere poſſe; Nos hanc Tridentini Concilii intelligentiam, tum a Doctoribus, & a Sacra Concilii Congregatione, tum a Romanis Pontificibus approbatam, & confirmatam libentiſſime amplectimur, & ut eadem in Noſtra Diœceſi omnimodæ executioni demandetur, omnibus, ad quos ſpectat, tota, qua pollemus, auctoritate præcipimus. Ne quis vero inani aliquo effugio implementum prædictæ obligationis declinet; ad normam laudatæ Conſtitutionis Benedicti XIV., quam in hujus Synodi Appendice n. 5. adiicimus, ea, quæ ſequuntur, decernimus, & in poſterum diligentiſſime ſervari jubemus. Primum itaque edicimus, omnes, & ſingulos, qui actu curam animarum exercent, ſive Parochi ſint, ſive Vicarii, ſive perpetui, ſive ad tempus, ſive etiam Œconomi, ſive Sæculares ſint, ſive Regulares, ſive quacumque tandem etiam ſpecifica mentione digni, Miſſam Parochialem pro Populo ipſorum curæ commiſſo offerre, & applicare debere. Decernimus deinde, ut, licet Parochi, ſeu alii curam animarum habentes, con-

(1) Trid. ſeſſ. 23. cap. 1. de refor.

(2) Benedictus XIV. conſt. *Cum ſemper* edita 19. Aug. 1744. Synodus Tuſculana anni 1703. cap. 8. verſus finem.

congruis præfinitis reditibus deſtituantur, & licet ex antiqua, ſeu etiam immemorabili conſuetudine in eorum Parochiis Miſſa pro Populo antehac applicata non fuerit; eadem nihilominus omnino in poſterum ab ipſis applicetur. Statuimus tertio, ut ii, qui curam animarum exercent, ſive pingues, & uberes, ſive exiguos, & incongruos habeant reditus, ſingulis Dominicis, aliiſque per annum feſtis de præcepto diebus Sacrificium Miſſæ pro Populo applicare teneantur. Tandem licet conceſſa Epiſcopis a Benedicto XIV. facultas fuerit diſpenſandi cum Parochis, ſeu Vicariis, ſeu Œconomis adeo pauperibus, ut ferme ex eleemoſynis, quas a Fidelibus pro Miſſarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; diſpenſandi, inquam, cum iis, ut diebus Feſtis eleemoſynam ab aliquo pio offerente recipere, & pro ipſo Sacrificium applicare libere, ac licite poſſint, dummodo ad neceſſariam Populi commoditatem in ipſa Eccleſia Parochiali Miſſam celebrent, & mox tot Miſſas intra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus Feſtis intra eamdem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem pii Benefactoris obtulerint; ſciant tamen omnes, ſine peculiari ejuſmodi facultate a Nobis in ſcriptis conceſſa, nemini ſub quocumque titulo, aut prætextu, ſive Nuptiarum, ſive alterius cujuslibet ſolemnitatis, diebus Dominicis, & Feſtis de præcepto eleemoſynam recipere, & pro Benefactore Miſſam applicare licere, ſed omnino, repudiata qualibet pinguiſſima eleemoſyna, pro Populo Sacrificium recenſitis diebus offerendum eſſe, atque applicandum.

XIII. Sapientiſſimis Sacrorum Canonum ſanctionibus, ac nuper laudatæ Benedicti XIV. (1) Conſtitutioni inhærentes, diſtricte præcipimus, ut Miſſa Conventualis, quæ a noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Clero cum cantu quotidie celebratur, pro ejuſdem Benefactoribus in genere quotidie etiam applicetur. Cum autem juxta Generales Rubricas, quarum exactiſſimam cuſtodiam eidem Noſtræ

(1) Bened. XIV. Conſt. cit. *Cum ſemper*. §. 11., & Synodus Tuſcul. anni 1703. cap. 8., Sacr. Cong. Conc. in Tuſcul. 6. Nov. 1652., & alibi ſæpe

Noſtræ Cathedralis Clero enixe commendamus, certis diebus, non una, ſed plures Conventuales Miſſæ celebrentur; quoad earum applicationem, & emolumentum decernimus, ut Canonici, & Beneficiati prædictæ Pontificis Maximi Decretali, ſuiſque Capitularibus Conſtitutionibus obſequantur.

XIV. In quolibet extra Noſtram Tuſculanam Urbem Diœceſis Pago (1) Feſtis de præcepto diebus nullus Sæcularis Presbyter, excepto eo, qui ſummo mane ob commoditatem Populi celebrare debet, ante Parochialem Miſſam divinum celebret Sacrificium, niſi accepta a Parocho facultate; cujus tamen prudentiæ committimus, ut attente diſpiciat, quid in his, vel illis circumſtantiis Populi commodo, ac pietati magis expedire videatur. Regularibus vero exemptis, quos Feſtis diebus ante Miſſam Parochialem celebrare non prohibemus, edicimus (2), ut ſi ante prædictam Miſſam celebrent, Feſta, ac jejunia intra hebdomadam occurrentia adſtanti Populo denuncient. Parochus autem quoad Parochialis Miſſæ celebrandæ tempus, non ſuæ, ſed ovium ſuarum commoditati conſulat, ac neceſſitati. Nemo in Eccleſia celebret, dum concio habetur ad Populum, neque dum ea proxime eſt habenda, Sacerdos ullus e Sacrario ad Altare ſacrificaturus accedat. In Cathedrali (3) Templo, dum Pontificalis Miſſa celebratur, nemo, niſi illa abſoluta, vel niſi obtenta a Nobis licentia, Sacrum facere audeat. Tandem cum in tota fere Tuſculana Diœceſi laudabilis illa invaluerit conſuetudo, (quæ in Cathedrali noſtro Templo, & alibi etiam in noſtra Diœceſi ex pia Teſtatorum voluntate abiit in legem) ut Sacerdos aliquis quotidie ſummo mane rem ſacram faciat, cui Populus, antequam ad ruſticos, aut mechanicos pergat labores, intereſſe poſſit; Parochos, aut Vicarios Foraneos hortamur plurimum, ut eorum cura,

(1) Sac. Congr. Epiſ. 14. Maii 1581., & 24. Maii 1685., Conc. Colon. 3. par. 2. cap. 19., Synodus Sabinen. anni 1736. par. 2. cap. 1. §. 6.

(2) Synodus Iſclana anni 1716. par. 2. cap. 3. §. 1. num. 12.

(3) Can. *Et hoc attendendum*. de conſec. diſt. 1., & Conc. Mediol. IV. part. 2. tit. *Quæ pertinent ad S. Miſſæ Sacrificium*.

Digitized by Google

cura, diligentiaque hæc utiliſſima Populo conſuetudo ſervetur, imo etiam, quoad fieri poſſit, frequentiori hominum concurſu augeatur. Plurimi enim intereſt, ut Chriſtifideles non ante diurnis vacare incipiant laboribus, quam tanto diteſcant bono, ampliſſimiſque divini Sacrificii fructibus potiantur.

XIV. Triplex eſt Miſſæ fructus: primus videlicet generaliſſimus, cujus Fideles omnes participes fiunt: alter ſpecialiſſimus, quo ſolus fruitur Sacerdos: tertius tandem medius, quem Celebrans iis applicat, pro quibus incruentum offert Sacrificium. Multis autem nominibus obligari quis poteſt ad Miſſæ fructum medium pro aliis applicandum, ratione videlicet vel officii, vel oneris Beneficio adjecti, vel eleemoſynæ Sacerdoti celebranti datæ. Ratione muneris, ſeu officii Parochos ad Miſſam Parochialem pro Populo Dominicis, ac Feſtis de præcepto diebus, Clerum vero Collegiatæ, ſeu Cathedralis Eccleſiæ ad Miſſam Conventualem pro Benefactoribus in genere quotidie applicandam obligari, jam ſuperius ſtatuimus. De reliquis modo titulis dicendum eſt, ut, quæ ſervandæ ſunt, leges omnibus innoteſcant.

XV. Ratione oneris Beneficio adjecti tot Miſſas pro Fundatore, aut pro aliis a Fundatore deſignatis applicare Beneficiarius debet, quot præſcriptæ in fundatione fuerint. Imo etiam quoad certum diem (1), aut Altare, in quo celebrandæ ſunt, fundationis omnino ſervare is debet leges. Quare nullus Sacerdos, aut diem, aut Altare, quibus Miſſarum onus addictum eſt, etiam ad certum tempus, mutare audeat, niſi Noſtram ad id peculiarem a Nobis obtinuerit facultatem, quam ſane non, niſi juſta, legitimaque de cauſa, ad Sacrorum Canonum normam largiemur (2).

I Etiamſi

(1) Sac. Congreg. Conc. in Romana 4. Aug. 1654., in Bergomen. reductionis Miſſarum. 10. Julii 1728., in Neapolit. Capellaniarum. 16. Junii 1731., in Romana Translationis oneris Miſſarum. 28. Julii 1731., in Meſſanen. Commutationis Voluntatis 18. Nov. 1741., in Bononien. Legati Miſſarum 12. Januarii 1743., & in Barchinonen. operis pii, ſeu Miſſæ quotidianæ 21. Julii 1758.

(2) Sac. Cong. Conc. in Atinen. applicationis Sacrificii 18. Aug. 1668., & in Ferrarien. 26. Martii 1718., & alibi.

Etiamſi Fundator Beneficio, aut Capellaniæ onus Miſſarum celebrandarum impoſuerit, quin ullum de earum applicatione verbum fecerit; intelligendum tamen eſt, ac præſumendum, adjectum quoque ab eo fuiſſe onus, ut Miſſæ pro Fundatore applicentur. At ſi Fundator (1) certum ſibi Miſſarum numerum applicari juſſerit; reliquas vero celebrandas dumtaxat edixerit; tunc priores pro illo, non vero poſteriores applicare Beneficiarius jubetur. Præterea ſi pro ſe Fundator (2) Beneficiatum, aut Capellanum orare in iis Miſſis juſſerit, pro quibus celebrandis certos reditus conſtituit; vox illa *orare* ex Sacræ Congregationis Concilii declaratione Miſſæ applicationem ſignificat. Quod ſi Fundator plures inſtituerit (3) Capellanias onere adjecto, ut Miſſæ pro ſe, vel pro aliis applicentur, aliud vero Beneficium, ſeu Capellaniam erexerit, & Beneficiarium pro ſe orare dumtaxat juſſerit; tunc rectiſſime præſumitur, ab hujus poſterioris Beneficii poſſeſſore non Miſſarum applicationem poſtulaſſe, ſed tantum ut ſui expreſſe in præſcripta Miſſarum celebratione meminerit. Tandem Sacerdos (4), qui ex Fundatoris juſſu ſacrum facere quotidie per ſeipſum debet, fructumque medium pro Fundatore, aut pro ejus Familia applicare; poteſt quidem vel ob decentiam, vel ob reverentiam a celebranda Miſſa aliquando abſtinere: at ſi celebret; neque ſibi, neque aliis applicare Sacrificium poteſt; ſemper enim incruentum, quod offert, Sacrificium pro Fundatore, aut ejus Familia debet offerre.

XVI. Stipendium, quod ex communi Eccleſiæ diſciplina Sacerdotibus traditur pro fructu medio Sacrificii ſibi comparando, & quod loco panis, & vini, quæ antiquitus offerebantur, ſuffectum fuit; nulla plane Simoniæ macula inficitur, ſi in eo recipiendo, aut exigendo ſtatutæ ab Eccleſia leges inviolate cuſtodiantur. Non enim, ut optime docet S. Thomas (5), Sacerdos pecuniam, quaſi

(1) Benedictus XIV. de Sacr. Miſſæ Sacrif. Lib. 3. c. 9. §. 3.

(2) Sac. Cong. Conc. in Ventimilien. 27. Aprilis 1700.

(3) Sacra Congregat. Conc. in Ferrarienſi 11. Junii 1700.

(4) Cap. *Significatum*. de præbendis. Congr. Conc. in Collenſi 18. Sept. 1683.

(5) S. Thomas 2. 2. qu. 100. art. 2. ad 2.

Digitized by Google

quaſi conſecrationis Euchariſtiæ pretium, (quod ſane eſſet Simoniacum) ſed quaſi ſuæ ſtipendium accipit ſuſtentationis. Fatendum tamen eſt, ſordidam quorumdam Sacerdotum avaritiam dehoneſtaſſe olim, quod licitum in ſe cæteroqui, & ſanctum erat. Quare, ut omnis turpi lucro aditus intercluderetur, ſapientiſſimæ a Summis Pontificibus, ac Romanis Congregationibus prodierunt leges, quas paucis hìc recenſebimus, ut ignorentur a nemine, & non ignoratæ ſumma cura, ſtudioque ſerventur ab omnibus.

XVII. Primo itaque a Tridentina Synodo (1) cujuſvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Miſſis novis celebrandis datur, nec non importunæ, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a Simoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non longe abſunt, omnino prohibentur. 2. Si quis pro medio Sacrificii fructu (2) applicando eleemoſynam acceperit, licet minorem ſtipenpendio in Diœceſi conſtituto; ſacrum adhuc conficere, & applicare pro illo debet, qui eleemoſynam largitus eſt. 3. qui plura exigua ſtipendia a diverſis Fidelibus congeſſit, tot Miſſas celebrare debet, quot pro acceptæ elemoſynæ ratione celebrari poſſunt. 4. qui pro Miſſis (3) celebrandis eleemoſynam conſueto ſtipendio majorem obtinuit; ſi eaſdem Miſſas alteri celebrandas committat; integram, quam acccepit, tradere illi debet eleemoſynam, ſibique ex ea retinere nihil poteſt, quamquam Sacerdos (4) ſubrogatus rem totam plane noverit, ac ſe ſtipendio minore contentum eſſe affirmet. Qua quidem in re Benedicti XIV. obtemperantes mandatis, *Univerſis notum facimus, atque edicimus, quemcumque* (ejuſdem Sapientiſſimi Pontificis (5) verbis utimur) *qui*

I 2 *eleemo-*

(1) Trid. ſeſſ. 22. decr. de obſer., & vit. in celeb. Miſſæ.

(2) Decr. Sac. Cong. Conc. de celebr. Miſſ. juſſu Urbani VIII. 21. Junii 1625., & decr. e uſd. Sacr. Cong. confirmata ab Innoc. XII. Conſt. *Nuper*. 10. Calend. Jan. 1697.

(3) Alexander VIII. 24. Sept. 1665. in damnat. propoſit. 9.

(4) Sac. Cong. Conc. in Romana eleemoſynæ 23. Aug. 1664.

(5) Benedictus XIV. Conſt. *Quanta cura*. 30. Junii 1741.

Digitized by Google

eleemoſynas, ſeu ſtipendia majoris pretii pro Miſſis celebrandis, quemadmodum locorum conſuetudines, vel Synodalia Statuta exigunt, colligens, Miſſas, retenta ſibi parte earumdem eleemoſynarum, ſeu ſtipendiorum acceptorum, ſive ibidem, ſive alibi, ubi pro Miſſis celebrandis minora ſtipendia, ſeu eleemoſynæ tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem, ſeu Sæcularem, præter alias arbitrio Noſtro irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam; Clericum vero, ſive quemcumque Sacerdotem pœnam ſuſpenſionis ipſo facto incurrere; a quibus nullus per alium, quam per Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolvi poteſt. Excipiendi tamen ſunt Beneficiati (1), & Capellani, qui ad titulum Beneficii, vel Capellaniæ ſacros Ordines conſecuti, ex eodem titulo ad Miſſas celebrandas obligantur, uti Alexander VII. declaravit. Hi enim non omnes Beneficii, aut Capellaniæ fructus pro Miſſarum celebratione, ſed pro aliis etiam oneribus Beneficio, aut Capellaniæ adnexis percipiunt. Quare ſi aliis Miſſas celebrandas committunt, ſatis eſt, ut eleemoſynam Miſſis Manualibus, & adventitiis debitam celebranti ſubminiſtrent. 5. Duplex pro eadem Miſſa ſtipendium (2) accipere nemini licet, etiam ſub eo titulo, quod uni fructus ſatisfactorius, alteri impetratorius, vel quod uni fructus medius, alteri ſpecialiſſimus, qui celebranti eſt debitus, applicetur. 6. Nemo Miſſam (3) celebrare, ejuſque fructum medium applicare pro incerto Benefactore poteſt, qui poſtmodum ſit eleemoſynam oblaturus.

XVIII. Perpetuæ dicuntur Miſſæ illæ, quæ vel quotidie, vel certis ſaltem diebus, aut ratione Beneficii, aut ex Fundatoris voluntate in perpetuum ſunt celebrandæ; Manuales vero, ſeu adventitiæ nuncupantur illæ, pro quibus datur quidem a Fidelibus ſtipendium, ſed ita, ut nullus fundus, nullumque onus in futurum

(1) Decr. Sac. Cong. Conc. de celebr. Miſſ. ſub Urbano VIII. in reſponſ. ad dubium 8.

(2) Sac. Cong. Conc. ſub Alex. VII. 13. Dec. 1659., & damn. propoſ. 8. ab eodem Alexandro VII.

(3) Sac. Cong. Conc. approbante Clemente VIII. 15. Novemb. 1605.

Digitized by Google

rum tempus conſtituatur. Jam vero ne quid detrimenti in ſtipendio pro harum Miſſarum celebratione debito Sacerdotibus inferatur, hæ, quæ ſequuntur, ſancitæ ſunt leges, ac proinde omnimodam earumdem obſervantiam diſtricte præcipimus, ac mandamus.

XIX. Primo itaque Sacra Congregatio Concilii (1), Romanique Pontifices Epiſcoporum arbitrio commiſſum eſſe voluerunt, ut ipſi juxta Civitatis, aut Provinciæ conſuetudinem, penſatis omnibus locorum, ac temporum circumſtantiis, eleemoſynæ quantitatem pro qualibet Miſſa Sacerdotibus erogandæ præfinirent. Quamquam autem hujuſmodi eleemoſynæ taxatio ab Epiſcopis fieri extra Synodum poſſit; ut tamen ſtabilior ſit, ac Sacerdotibus facilius innoteſcat; in Synodo fieri plerumque conſuevit, unde *Taxa Synodalis* communiter appellatur. Cum igitur Taxam hanc neque in Synodo, neque extra Synodum a Prædeceſſoribus Noſtris conſtitutam fuiſſe deprehenderimus; Nos, ut Sacræ Congregationi Concilii, Summiſque Pontificibus morem geramus, & importunas, atque immoderatas eleemoſynarum pro Miſſis exactiones, quæ forte decurſu temporis obrepere poſſent, arceamus; in hac Synodo prædictam Taxam, quæ ab omnibus Sacerdotibus cum Sæcularibus, tum Regularibus (2) ſervanda erit in poſterum, præfinire decrevimus. Volumus itaque, ut juxta vetuſtam non modo hujus Civitatis, ac Diœceſis, verum etiam Romanæ Urbis, ac finitimorum locorum conſuetudinem, eleemoſyna pro qualibet Miſſa manuali, ſeu adventitia omnino ſit unius Julii Romani, ſeu, quod idem eſt, decem Romanorum obolorum, omnibuſque, ac ſingulis Presbyteris, ſub pœnis (3) arbitrio Noſtro infligendis, ſevere interdicimus, ne quis Miſſas hujuſmodi pro minori audeat celebrare ſtipendio, cum id & in pauperum Sacerdotum vergeret detrimentum, & quamdam vilis mercaturæ, ſordidæque avaritiæ ſpeciem præſeferret. Cum autem pro

(1) Benedictus XIV. de Synodo Diœceſana lib.5. cap.o.

(2) Sac. Cong. Conc. 15. Jan. 1639.

(3) Sac. Cong. Conc. in Septempedana 16. Julii 1689., Bened. XIV. de Synodo lib.5. cap.9. §.2., & Inſtit.56. §.11.

pro Miſſis perpetuis multo majorem ſtatuendam eſſe taxam tum ex Romanorum Pontificum decretis, tum ex unanimi fere Eccleſiaſticorum Tribunalium praxi edoceamur; Decernimus, ut ſi Miſſa perpetua ſit quotidiana, annui pro ejuſdem eleemoſyna reditus non minorem, quam ſexaginta Romanorum ſcutorum, ſummam exæquent. Qua quidem in re (1) Sanctiſſimi Pontificis Benedicti XIII., qui huic Tuſculanæ per plures annos præfuit Eccleſiæ, veſtigia ſectamur. Is enim Epiſcopis, qui Romano Concilio, vel per ſe, vel per Procuratorem interfuere, facultatem dedit, ut in ſuis Diœceſibus ſexaginta Romana ſcuta pro ſingulis perpetuis Miſſis decernerent, uti Pontifex Innocentius XIII. Præfectis fere omnibus Regularium paucos ante annos præſcripſerat: imo eam etiam conditionem adjecit, ne majorem, aut minorem pecuniæ ſummam pro Miſſis perpetuis in poſterum ſtatui paterentur. At ſi certus dumtaxat aliquis celebrandarum Miſſarum numerus pro quolibet menſe, aut hebdomada a Fundatore, ſeu Teſtatore in perpetuum præſcribatur; Volumus, ut pro qualibet hujuſmodi Miſſa duorum juliorum ſtipendium in Fundatione ſtatuatur.

XX. Juxta taxam a Nobis modo tum pro perpetuis, tum pro manualibus Miſſis conſtitutam, ſtipendium in poſterum pro utriuſque generis Miſſis perſolvetur, quandocumque Teſtator (2) aliquis onus quidem Miſſarum celebrandarum, ſed nulla certa eleemoſyna præſcripta, hæredi ſuo committet. Cæterum omnibus Canonicis, Parochis, cæteriſque tum Cathedralis, tum aliarum Eccleſiarum Sacerdotibus diſtricte præcipimus, ut in ſuſcipiendis perpetuis Miſſarum oneribus, & in Miſſarum eleemoſynis, piiſque legatis recipiendis omnino obſervent Decreta Sacræ Congregationis Concilii de celebratione Miſſarum, auctoritate Urbani VIII. primum edita, & ab Innocentio XII. poſtmodum confirmata, atque ampliata, quorum ignorantiam ne quis poſſit obtendere, eorum exemplar in Synodi hujus Appendice num. 6. adjici-

(1) Benedictus XIV. Inſtit. 59. §. 21.

(2) Decreta Generalia Urbani VIII., Sac. Congreg. Conc. 15. Januar. 1639., & 25. Novemb. 1698.

Digitized by Google

adjicimus. Illud autem omnibus in memoriam potiſſimum revocamus, a nullo cujuſvis Eccleſiæ, aut Eccleſiaſtici Beneficii Rectore, aut piorum locorum Adminiſtratore, aut Monaſterii ſacrarum Virginum Præſide perpetua celebrandarum Miſſarum onera ſuſcipi poſſe, niſi peculiaris a Nobis ad id conceſſa fuerit licentia: qui enim ſecus fecerit, interdicti pœnam ſtatim incurret ab Urbano VIII. in prædictis Decretis de Miſſarum celebratione ſtatutam. Meminerint etiam omnes (1), a nemine manuales eleemoſynas pro Miſſis celebrandis recipi poſſe, niſi vel eæ omnes, pro quibus ſtipendium anteà collatum fuit, celebratæ jam fuerint, vel intra modicum tempus (videlicet intra menſem, uti Sacra Congregatio Concilii (2) declaravit) poſſit omnibus ſatisfieri, vel aliud de Benefactoris voluntate conſtiterit: alioquin ipſo facto interdictum ab Eccleſiæ ingreſſu ex laudata Innocentii XII. Conſtitutione tranſgreſſor incurrit.

XXI. Ne qua fraus, aut error in explendis Miſſarum obligationibus admittatur, diſtricte mandamus, atque præcipimus, ut in quolibet Noſtræ Diœceſis Eccleſiarum Sacrario (3) affixa pendeat tabella per Nos, ſeu per Vicarium Noſtrum Generalem recognita, atque ſubſcripta, in qua fideliter recenſeantur non modo Miſſarum, aliorumque divinorum officiorum onera, verum etiam dies, Altare, Legatum, aut Beneficium, ſeu Capellania, quibus eadem onera Fundatores, ſeu Benefactores adnexuere. Similis elenchus in peculiari codice deſcribetur, in quo tamen non modo Miſſarum numerus, cæteraque omnia ſupradicta contineantur, verum etiam ſingulis oneribus in oppoſita pagina reſpondeant compendiaria Teſtatoris diſpoſitio, Notarii rogitus,

(1) Decr. Sac. Cong. Concil. de celeb. Miſſ. juſſu Urbani VIII. 21. Jun. 1625., & declaratio in reſponſ. ad dub. 11. & 12.

(2) Sac. Cong. Conc. 17. Julii 1655. lib. 19. decretorum pag. 497., & Benedictus XIV. Inſtit. 56. §. 14.

(3) Innoc. XII. Conſt. *Nuper*. 10. Cal. Januar. 1697. confirmans decreta Urbani VIII. de celebr. Miſſ. cum declarat. Sac. Cong. Conc. ann. 1625., 1626., & 1627., Litteræ Encyclicæ Sac. Congr. Concil. de mandato Alexand. VII. 13. Decemb. 1663., Synod. Sabinen. par. 2. cap. 1. n. 8., & Synod. Tuſculana ann. 1703.

gitus, dies, menſis, & annus, in quo conditum Teſtamentum fuit, fundus in hunc finem deſtinatus, certique reditus, qui ex eo quotannis percipiuntur. Propterea Archipresbyter, & Vicarius Foraneus in quolibet Noſtræ Diœceſis Oppido ſedulam dabunt operam, ut codex hujuſmodi exacte concinnetur, eumque ad Nos intra quatuor menſes mittent, ut Noſtra ſubſcriptione roboratus in Noſtro Archivio diligenter cuſtodiatur. Liber quoque in Sacrario quolibet habeatur, in quo Sacerdotes, aut Capellani, qua die aut aliquam ex ſupradictis Miſſis celebraverint, aut divinum aliud peregerint Officium, eadem ſtatim in ſuis quiſque diſtinctis paginis ſuo ſe oneri ſatisfeciſſe teſtentur, ſuaque dumtaxat, non vero aliena ſe ſubſcribant manu. Si quis autem vel in hoc libro Miſſam a ſe celebratam deſcribat, quam tamen non celebraverit; vel falſum, licet privatum, de Miſſarum celebratione teſtimonium ediderit, præter ſtatutas ob falſi crimen in Jure pœnas, alias quoque a Nobis infligendas ſubibit. Alter etiam peculiaris habeatur in Sacrario liber, in quo tum eleemoſynæ, quæ pro Miſſis manualibus a Chriſtifidelibus afferuntur, exacte deſcribantur, tum prædictarum Miſſarum celebratio, eadem, qua habita fuerit, die a Sacerdotibus, qui illas celebrarunt, proprio charactere adnotetur, & ſubſcribatur. Nemo a Miſſarum celebratione, alteriuſve pii operis implemento ceſſare audeat, præſertim ſi per decennium (1) conſtanter celebratæ fuerint Miſſæ, aut pium opus executioni demandatum; multoque magis, ſi hujuſmodi Miſſarum, aut pii operis onus deſcriptum in tabella fuerit. Quamquam enim bona oneri ejuſmodi ab initio addicta, hic, & nunc ignorentur; congruam tamen dotem eidem ab initio deſtinatam fuiſſe de jure non ambigitur. Si qua vero juſta ceſſandi cauſa adeſſe videatur; rem totam Nobis deferri jubemus, ut, omnibus mature perpenſis, quid faciendum, & ad quem recurrendum ſit, ſtatuere valeamus.

XXII. Cum ad Miſſarum celebrationem plures pro azymo pane,

(1) Sac. Cong. Conc. in Cæſenaten. oneris Miſſarum 14. Junii 1738.

Digitized by Google

pane, vino, cera, ſacraque ſupellectili requiratur expenſæ; Noſtræ autem Cathedralis, imo & aliarum totius Diœceſis Eccleſiarum reditus vel nulli, vel certe tenuiſſimi ſint, & huic ferendo oneri omnino impares; Propterea Nos Summorum Pontificum Decretis (1), plurimiſque Sacræ Congregationis Concilii declarationibus inhærentes, edicimus, ut nullum poſthac perpetuum Miſſarum celebrandarum onus a Noſtræ Cathedralis Capitulo, aut ab ullius Eccleſiæ, ſeu Loci Pii Rectore, aut Præſide acceptetur, niſi conditione adjecta, ut ex ipſis Beneficii, ſeu Capellaniæ, ſeu Legati reditibus certa quotannis pecunia Eccleſiæ, aut Loco Pio pro dictis ſubeundis expenſis perſolvatur. Ne quis autem hac in re admittatur exceſſus, volumus, ut ſi Miſſa perpetua ſit quotidiana, quatuor Romanorum ſcutorum ſumma; Si vero certus dumtaxat Miſſarum numerus menſe quolibet, aut qualibet hebdomada ſit celebrandus, unus pro qualibet Miſſa obolus pendatur quotannis. Quod autem attinet ad onera jam ſuſcepta, non quidem ex contractu, ſed vel ex Legato, vel ex Teſtamento (2); cum Teſtatores, qui perpetuas indixerunt Miſſas, integro Sacerdotis ſtipendio, omnibuſque expenſis pro Sacrificio peragendo neceſſariis conſulere debuerint; Si quid pro alterutro deſit, vel quia præſcriptum a Teſtatore non fuerit, vel quia temporis curſu conſtituti ad Miſſas celebrandas proventus decreverint; tunc, niſi vel ab hæredibus, vel aliunde deſumi ſubſidium poſſit, liber patebit aditus ad petendum ab Apoſtolica Sede, vel ab habente facultatem ad id delegatam, (cujuſmodi conceſſa Nobis eſt toto Viſitationis tempore), ut Miſſæ ad minorem numerum redigantur. At hic ex mandato Sacræ Congregationis Concilii (3) monemus omnes, & ſingulos Presbyteros, atque Eccleſia-

(1) Innoc. XII. in confirm. decretor. Sac. Cong. Conc. de celebr. Miſſar., Sac. Congr. Conc. in reſponſ. ad dubium 7. in Maceraten., ſeu Montis Milonis 14. Aprilis 1685., in ead. cauſ. 14. Maii 1729., & in Derthonen. 6. Julii 1726., & ſæpe alibi; Benedictus XIV. Inſtit. 56., & Synod. Sabinen. par. 2. cap. 1. n. 13.

(2) Benedictus XIV. Inſtit. 56. n. 13.

(3) Sac. Cong. Conc. 23. Novemb. 1697. ex præfata Bulla Innocentii XII.

rum Rectores, ne Miſſarum celebrationem malitioſe omittant ſub ſpe, atque animo obtinendi vel ab Apoſtolica Sede condonationem, aut reductionem, vel a Reverenda Fabrica S. Petri compoſitionem. Sciant enim, non ad fovendam malitiam, ſed ex rationabili dumtaxat cauſa, ſeu ex æqua commiſeratione præfatas condonationes, aut reductiones ab Apoſtolica Sede; a Reverenda vero Fabrica compoſitiones ex rationabili pariter cauſa, & cum clauſula, *dummodo malitioſe non omiſerint, animo habendi compoſitionem; aliàs gratia nullo modo ſuffragetur*; concedi conſueviſſe, & ſolere.

XXIII. Si quæ bona mobilia (1) cum perpetuo Miſſarum onere Eccleſiis, aut Piis Locis legato relinquantur, veneant ſtatim, eorumque pretium, ſicuti & quæcumque alia pecunia in eumdem legata finem, ſub pœna interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda, a die realis acquiſitionis ſtatim (ideſt intra triduum) penes Ædem Sacram, quam Epiſcopalem Pietatis Montem nuncupant, deponatur, ut mox per eam vel annui cenſus, vel bona emantur ſtabilia, expreſſo in publicis tabulis adnexo onere, ne cui fraus fiat, aut detrimentum.

XXIV. Cum ex una parte ſancta ſancte tractanda ſint; ex alia vero nihil tam ſanctum haberi poſſit in Terris, quo non aliquando perverſa hominum abutatur malitia; præſertim ſi aut turpis egeſtatis, aut ſordidæ avaritiæ ſtimulis urgeantur; Proinde ſapienti conſilio Eccleſiaſticis Legibus cautum eſt, ut nulli ignoto viro, qui Sacerdotali charactere ſe inſignitum jactitet, ſacrum facere permittatur, niſi ex commendatitiis Ordinarii ſui Litteris innoteſcat, eum & in Presbyteratus Ordine vere eſſe conſtitutum, & nullo irregularitatis, aut cenſurarum vinculo impediri, quo minus ſacris operari poſſit. Omnium prima Chalcedonenſis Synodus, uti a Jure Canonico (2) edocemur, ſtatuit, ut *extraneo Clerico*,

(1) Sac. Cong. Concil. in decretis generalibus de celeb. Miſſ. de mandato Urbani VIII. §. *Praterea*, & Innocen. XII. in Bulla confirmatoria dictor. decretor.

(2) Can. 7. diſt. 71.

rico, & ignoto extra Civitatem ſuam ſine commendatitiis Litteris proprii Epiſcopi nuſquam penitus liceat miniſtrare. Tridentina etiam Synodus (1) Epiſcopis omnibus præcepit, *ut ſinguli in ſuis Diœceſibus interdicant, ne cui vago, & ignoto Sacerdoti Miſſam celebrare liceat*; Et alibi (2) decrevit, *ut nullus Clericus peregrinus ſine commendatitiis ſui Ordinarii litteris ab ullo Epiſcopo ad divina celebranda, & Sacramenta adminiſtranda admittatur*. Sacra Congregatio (3) Concilii die 17. Novembris 1594. diſerte declaravit, *Epiſcopum Loci Ordinarium prohibere poſſe, ne Regulares in eorum Eccleſiis Sacerdotes Sæculares exteros divina officia celebrare permittant, niſi prius ab ipſo Epiſcopo, viſis litteris commendatitiis, ipſi Sacerdotes admiſſi fuerint*. Idem (4) ſenſit ſæpe alias. Suprema Sacræ Inquiſitionis Congregatio Litteris Encyclicis datis die 20. Februarii 1649., nulli Regulari Sacerdoti permittendum eſſe ſtatuit, ut Miſſæ Sacrificium celebret, niſi documenta proferat, quibus ipſius Præſes Sacerdotium ab eodem ſuſceptum, nullaque eum ſuſpenſione, aut irregularitate irretitum eſſe teſtetur; & aliis litteris datis die 26. Januarii 1692. Epiſcopos, Vicarios Generales, & Vicarios Foraneos monet, ne celebrandi facultatem Presbyteris ſive Sæcularibus, ſive Regularibus impertiantur, *niſi litteras Epiſcopi, ac Præfecti Regularis prius oſtendant, quibus Sacerdotes ita probentur, ut nulla falſitatis umbra, vel ſuſpicio relinquatur*. Nos itaque Chalcedonenſem, ac Tridentinam Synodum, & ſupremarum Urbis Congregationum edicta, ac reſponſa ſecuti, univerſis Parochis, aliiſque Eccleſiarum Cuſtodibus, atque etiam Religioſorum Ordinum Præſidibus præcipimus (5), ut Sacerdotes vagos, & ignotos, advenas, aut peregrinos Sacrificium Deo offerre non ſinant, niſi recentes teſtimoniales ſui Præſulis litteras a Vicario Noſtro Generali in Urbe Tuſculana, aut a Vicariis Foraneis in Oppidis recognitas,

K 2

(1) Trid. ſeſſ. 23. de Sacrif. Miſſ. decr. de obſerv., & vit. in celebrat. Miſſæ.

(2) Trid. ſeſſ. 23. c. 16. de reform.

(3) Ex lib. 8. decretorum pag. 78.

(4) Sac. Cong. Concil. in Bonon. 2. Julii 1620., & in Neapolit. 17. Auguſti 1630.

(5) Concil. Mediol. I. part. 2. tit. *Quæ pertinent ad celebrat. Miſſæ*, Synod. Sabinen. ann. 1736. par. 2. c. 1. n. 7.

Digitized by Google

gnitas, & comprobatas, atque ſubſcriptas exhibeant, ne forte (quod Deus avertat) Sacerdos aliquis Sacro Presbyteratus Ordine non inſignitus, vel irregularitatis, aut ſuſpenſionis vinculo devinctus, ad Miſſæ Sacrificium celebrandum accedat.

CAPUT IX.

DE ORATIONE.

PRæcipuus etiam Religionis actus, præ aliis reliquis poſt divinum Miſſæ Sacrificium Fidelibus utiliſſimus, maximeque neceſſarius, eſt Oratio, qua homo, ut ait S. Thomas (1), Deo reverentiam exhibet, cum ei ſe in oratione ſubiiciat, & orando, ſe eo, tamquam ſuorum auctore bonorum, indigere profiteatur. Quamobrem oratio a Regio Pſalte thymiamati comparatur (2): *dirigatur oratio mea, ſicut incenſum, in conſpectu tuo*; & a Clemente Alexandrino (3) *optimum* eſſe dicitur, ac *ſanctiſſimum Sacrificium*. Triplicem autem orationis ſpeciem, ſeu verius partem innuere nobis videtur Apoſtolus, cum ad Timotheum (4) ſcribens ait: *Obſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones*; & cum Philippenſes (5) ad Deum, omni depoſita ſollicitudine, orandum hortatur, inquiens: *Nihil ſolliciti ſitis, ſed in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum*. Et ſane, tunc poſtulatio, aut petitio a nobis fit, cum honeſtum aliquid, nobiſque profuturum precibus a Deo poſtulamus. Obſecramus autem, cum ad id, quod petimus, a Deo impetrandum, Deum ipſum pio quodam modo obteſtamur, & adjuramus, uti, cum per Unigeniti Filii ſui merita, Paſſionem, & Mortem a Deo petimus, ut vel bonum aliquod largiatur, vel malum aliquod placatus avertat. Tandem gratiarum actiones a nobis fiunt, cum Deo pro collatis beneficiis gratias

(1) S.Th. 2. 2. qu.82. art.1.
(2) Pſalm.114.
(3) Clemens Alexandr. lib.7. Stromat.
(4) 1. Ad Timoth. c.2.
(5) Ad Philipp. c.4.

tias agimus,gratumque animum pollicemur: quo quidem fit, teſte S. Thoma, *ut accipere potiora mereamur*. Verum, ut unuſquiſque facile intelligit, ex tribus hiſce quodammodo partibus vera illa, ac perfecta conſurgit, quæ in Scripturis tantopere commendatur, oratio: neque enim orare efficacius poſſumus, quam cum, ut ipſa nos docet Scriptura, pro acceptis a Deo beneficiis gratias agentes, nova ab eodem per Jeſu Chriſti merita, vel per Deiparæ Virginis, aut Sanctorum interceſſionem ſuppliciter poſtulamus.

ARTICULUS I.

De orandi neceſſitate, & utilitate.

TAnta eſt orationis neceſſitas, ut ſine frequenti ejus uſu Fideles adulti neque divinam ſervare legem, neque ſalutem aſſequi poſſint æternam. Quamobrem optime inquit S. Thomas (1): *Poſt Baptiſmum autem neceſſaria eſt homini jugis oratio, ut cœlum introeat*. Et primum quidem neceſſaria oratio eſt neceſſitate, ut ajunt, *medii*, cum non, niſi orando, divinum promereamur auxilium, quo ſalutem noſtram operemur,& juſtificationem, quam tenere cœpimus, non deſeramus. *Nullum credimus* (2), ut ait S. Auguſtinus, ſeu, ut alii volunt, Gennadius, *ad ſalutem niſi Deo invitante venire; nullum invitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari; nullum, niſi orantem, auxilium promereri*. Quamquam enim certum ſit, teſte S.Auguſtino (3), *Deum nobis dare aliqua etiam non orantibus, ut initium Fidei*; Certum tamen quoque eſt, *alia, non niſi orantibus, præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam*. *Certum* (4) *præterea eſt, nos mandata ſervare, ſi volumus: Sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Deus* (5) *quippe impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & pe-*

(1) S.Th. 3.par. qu.39. art.5.

(2) Gennad. lib. de Eccleſ. Dogm. inter opera S. Auguſtini.

(3) S. Auguſtinus lib. de Perſeverantia cap.5.

(4) S. Auguſt. de Gratia, & lib. arbit. cap.16.

(5) Trid. ſeſſ.6. cap.11., & S.Aug. lib. de natura, & gratia c.44. n.50.

Digitized by Google

& petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis. Qui (1) *enim ſumus nos, aut quæ fortitudo noſtra, ut tam multis tentationibus reſiſtere valeamus? At hoc erat certe, quod quærebat Deus, ut videntes defectum noſtrum, & quod non aliud eſt nobis auxilium, ad ejus miſericordiam tota humilitate curramus. Sane* (2) *non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri: ſed ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus*. Si ergo in his ſive tentationum, ſive difficultatum ad bene operandum circumſtantiis conſtituti, confugiamus ad Deum, & opportunum ab eo auxilium poſtulemus; præſto nobis ipſe aderit, ejuſque roborati præſidio, quod cœpimus, opus bonum perficiemus, & faciemus cum ipſa tentatione proventum. *Plorans nequaquam plorabis*, ut ait Iſaias, (3) *miſerans miſerebitur tui: ad vocem clamoris tui ſtatim, ut audierit, reſpondebit tibi*. Cum itaque æternam Adultis vitam non, niſi ut coronam juſtitiæ, largiri velit Deus; & cum, qui in agone certat, non coronetur, niſi legitime certaverit; Inde fit, ut, quemadmodum legitime certare non poſſumus ſine Dei adjutorio, quod non, niſi orando, promereamur, ita etiam non, niſi orando, & ſuperarare hoſtes poſſumus, quibuſcum certamus, & immarceſcibilem, quæ vincenti dabitur, gloriæ coronam adipiſci. Neceſſaria præterea eſt Oratio divini neceſſitate *præcepti*, cum in utroque Teſtamento diſertis verbis præcipiatur hominibus, ut Deum orent. Sic in veteri Teſtamento dicitur (4): *Non impediaris orare ſemper*; & alibi (5): *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat*. In novo autem Teſtamento frequentiſſime orandi præceptum occurrit a Chriſto Domino Apoſtolis, ac Diſcipulis ſuis ſumma cura, diligentiaque inſinuatum (6). *Oportet ſemper orare, & non deficere. Vigilate.* (7) *itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis. Vigilate* (8), *& orate, ut non intretis in tentationem*.

II. Ve-

(1) S. Bernardus ſerm. 5. de Quadrageſ.
(2) S. Auguſtinus.
(3) Iſaiæ c. 30. v. 19.
(4) Eccleſ. c. 18.
(5) Tobiæ c. 4.
(6) Lucæ c. 18.
(7) Lucæ c. 21.
(8) Joan. c. 4.

Digitized by Google

II. Verum, quamquam nulla nos ad orandum neque medii, neque præcepti urgeret neceſſitas; ſumma tamen, quæ in nos ab Oratione dimanat, utilitas, ſi probe intelligeretur, incredibili orandi ſtudio Fidelium animos incenderet, atque inflammaret. Omnia enim, teſte Theodoreto, una poteſt oratio, cum tantam veluti vim divinæ inferat Benignitati, ut hæc nihil eorum, quæ poſtulantur, oranti denegare poſſe videatur. Et merito: nam primum divinam maxime decet Bonitatem, ac Liberalitatem, ad largienda poſtulantibus dona ob id ipſum, quia petuntur, adduci. Hinc Davidicum illud effatum (1): *Domine non confundar, quoniam invocavi te*. Deinde refertiſſimæ ſunt utriuſque Teſtamenti Paginæ divinis promiſſionibus, quibus Deus ea omnia, quæ recte poſtulantur, ſe eſſe conceſſurum orantibus, omnino pollicetur. *Clama (2) ad me, & exaudiam te. Invoca (3) me, & eruam te. Petite (4), & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis. De omni re (5), quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo. Si quid (6) petieritis me in nomine meo, hoc faciam. Quodcumque (7) volueritis, petetis, & fiet vobis. Amen (8), amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; & ſic alibi ſæpiſſime. In una ergo oratione benefico divinæ Providentiæ conſilio facultas nobis data eſt, & bona omnia obtinendi, quibus indigemus, & omnia avertendi mala, quæ reformidamus. Quare ſi aut caro noſtra concupiſcit adverſus ſpiritum, aut adverſarius noſter Diabolus tamquam leo rugiens nos quærit, ut devoret, aut mundi hujus illecebræ nobis blandiuntur, ut fallant; clamemus ad Dominum, & ipſe de inimicis noſtris eripiet nos, juxta illud Pſalmi 17. *Laudans (9) invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero*. Si peccatorum noſtrorum pondere premimur, tenacibuſque vitiorum vinculis irretiti, cum Deo in gratiam redire, & amiſſam Filiorum Dei libertatem malumus recuperare; preces noſtras ex imo corde dirigamus ad Dominum, & ipſe evellet de laqueo pedes

(1) Pſalm.30. (2) Job c.33. (3) Pſal.49. (4) Matth.c.7. (5) Matth.c.18. (6) Joan.c.14. (7) Joan.c.15. (8) Joan.c.16. (9) Pſalm.17. v.4.

Digitized by Google

pedes noſtros,& peccata noſtra dealbabuntur,ut nix, juxta illud (1): *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Venite* (2), *& arguite me, dicit Dominus: ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum; quaſi nix, dealbabuntur*. Si ignorantiæ tenebris obcæcati ignoremus, quid agere debeamus, ſapientiam poſtulemus a Deo, & ipſe nobis illam dabit affluenter, juxta illud Jacobi (3): *Si quis indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, nec improperat*. Quidquid tandem illud ſit, quo indigemus (pauperrimi autem ſumus, & rerum omnium egeni) ab Omnipotente petamus, *qui dives* (4) *eſt in omnes, qui invocant illum*; & ipſe abundantia pietatis ſuæ merita ſupplicantium excedet, & vota.

ARTICULUS II.

De conditionibus ad Orationis efficaciam requiſitis.

I. Quamquam, qui nec fallere, nec falli poteſt, Deus, fidem ſuam orantibus obligarit, pollicitus ſe eorum vota, preceſque exauditurum; Plurimos tamen eſſe non ignoramus, qui preces non infrequenter ad Deum fundunt, quin tamen exaudiantur. At hos Jacobus alloquitur,cum inquit (5): *petitis, & non accipitis, eo quod male petatis*. Non enim preces quaslibet, ſed eas tantum, quæ rite, recteque fiunt, ſe exauditurum promiſit bonorum omnium largitor Deus. *Quodcumque petierimus ſecundum voluntatem ejus*, uti dicitur (6) 1. Joan. cap. 5., *audit nos*. Ut autem ſecundum voluntatem ejus petamus, quatuor omnino ſervandæ ſunt conditiones. Prima eſt, teſte S. Thoma (7), ut res, quæ petitur, bona ſit, & honeſta, & utilis ad ſalutem, nec impeditura majus animæ bonum. Altera eſt, ut ſubmiſſe; Tertia, ut cum fide, & fiducia; Quarta demum, ut perſeveranter petatur.

II. Quod ad primam conditionem attinet; ut pateant aures divinæ

(1) Matth. c.11. v.28. (2) Iſaiæ c.1. v.18. (3) Jacobi c.1. v.15. (4) Ad Rom. c.10. (5) Jacobi c.4. v.3. (6) 1. Joan. c.5. (7) S.Th. 2.2. qu.83. art.7.

Digitized by Google

divinæ Miſericordiæ precibus ſupplicantium, & ut Deus petentibus deſiderata concedat; oportet eos, quæ illi ſunt placita, poſtulare, uti Catholica nos docet Eccleſia. Nihil ergo petendum eſt, quod aut æternæ obeſſe poſſit ſaluti, aut Chriſtianæ virtutis incrementum impedire: non (1) *enim petitur, aut peti poteſt in nomine Salvatoris, quidquid contra rationem ſalutis poſtulatur*. Petantur itaque, quæcumque aut neceſſaria ſunt, aut ſaltem utilia, ut ſalutem æternam aſſequamur, & niſi precibus reliquæ deſint conditiones, felicem omnino ſucceſſum erunt habituræ. Cum autem ignoremus, utrum peritura hæc Mundi bona, quæ cupimus, profutura animæ ſint, an potius obfutura; petere illa quidem nobis licet, ſed ea conditione ſemper adjecta, dummodo nullum ex iis animæ detrimentum patiamur.

III. *Submiſſa* præterea eſſe debet oratio noſtra, ut aſcendat, ſicut incenſum, & fumus aromatum, in conſpectu Dei. Is enim *reſpicit* (2) *in orationem humilium; & cum ſuperbis* (3) *reſiſtat, ſuam humilibus dat gratiam*. Quamobrem, antequam ad divinæ Majeſtatis Thronum oraturi accedamus, noſmetipſos parumper ſcrutemur, & quinam in conſpectu Dei ſimus, attente diſpiciamus. Anima quidem nos conſtamus, & corpore. At quid in utroque inveniemus, unde gloriari, & ſuperbire valeamus? Si corpus inſpicimus; pulvis, & terra ſumus, & in pulverem, ac terram revertemur. Quid autem ſuperbit terra, & cinis? Si animam intuemur; in peccatis concepit nos mater noſtra, & cum editi in lucem fuimus, eramus filii iræ, vaſa contumeliæ, & ſervi peccati. Huic originis culpæ plura mox acceſſerunt, graviaque crimina a nobis admiſſa, quibus inquinati, facti ſumus odibiles Deo, ac fortaſſe etiam hominibus, & niſi (4) *quia Dominus adjuvit nos, paulo minus habitaſſet in inferno anima noſtra. Cum autem* (5) *ſine gratia nullum prorſus ſive cogitando, ſive agendo faciant homines bonum*; Si quid boni

L

(1) S. Auguſt. tract. 102. in Joannem.
(2) Pſalm. 101.
(3) Jacobi c. 4. v. 6.
(4) Pſalm. 93. v. 17.
(5) S. Auguſtin. de corrept., & gratia cap. 2.

ni nos egiſſe comperiamus; id omne, non in nobis ipſis, ſed in Domino gloriantes, Deo acceptum referre potiſſimum debemus, & cum Apoſtolo exclamare (1): *Gratia Dei ſum id, quod ſum*. Cæterum infirmi ſumus, fragiles, rerum omnium egeni, ac lutea vaſa portantes, quæ *niſi Dominus* (2) *cuſtodierit, fruſtra vigilat, qui cuſtodit ea*. His bene perpenſis, humiliabimur ſane ſub potenti manu Dei, & Publicanum imitati (3), *ne oculos quidem levare audebimus ad cælum, ſed percutientes pectora noſtra clamabimus cum fletu: Deus, propitius eſto mihi peccatori*. Tunc enimvero, quemadmodum Publicanus deſcendit juſtificatus in domum ſuam, ita & nos votorum noſtrorum compotes ab oratione ſurgemus (4). *Oratio enim humiliantis ſe nubes penetrabit, & non diſcedet, donec Altiſſimus aſpiciat*.

IV. Chriſtianam hanc animi demiſſionem, ne ſuo preces careant ſucceſſu, fides, & fiducia comitentur, neceſſe eſt, uti nos docet Jacobus (5): *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans*. Oratio enim, teſte S. Thoma (6), *vim habet merendi a charitate, efficaciam vero impetrandi a fide, & fiducia, cum meritum* (7) *juſtitiæ, gratiæ vero innitatur impetratio*. Antequam itaque Deum exoremus, fide divina credendum nobis eſt, Deum ex ſua Miſericordia, ac Liberalitate preces noſtras, ſi rite, recteque fiant, ſe exauditurum promiſiſſe; in ſuis autem ſervandis promiſſis eumdem potentiſſimum eſſe, ac fideliſſimum. Hinc illa in nobis excitatur fiducia, qua firmiſſime ſperamus, ac veluti pro certo habemus, id, quod petimus, a divina Liberalitate nos omnino eſſe impetraturos. *Quis enim falli* (8) *metuat, dum promittit Veritas? Nam niſi dare vellet, profecto non hortaretur, ut peteremus*. Quamobrem metum omnem, atque hæſitationem, ſi votorum noſtrorum compotes fieri volumus, a nobis amoveamus oportet. *Qui enim* (9) *hæſitat*, teſte Jacobo, *ſimilis eſt fluctui maris, qui a vento movetur, & cir-*

(1) 1. ad Cor. c.15. (2) Pſalm.126. (3) Lucæ c.18. (4) Eccl. c.35.
(5) Jacobi c.6. v.7. (6) S.Th.2.2.q.83.art.2. (7) S.Th.2.2.q.83.art.16.ad 2.
(8) S.Aug. de verb. Dom. ſerm.5. (9) Jacobi c.6. v.7.

Digitized by Google

& circumfertur. Non ergo æſtimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino. Adeamus igitur cum fiducia, uti nos hortatur Apoſtolus (1), *ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Non recte* (2) *petit, qui dubitabundus petit. Qui enim ſperant* (3) *in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. Nullus* (4) *ſperavit in Domino, & confuſus eſt, aut quis invocavit eum, & deſpexit illum?* Neque vero nos peccata noſtra deterreant, aut fiduciam noſtram infringant. Non enim in (5) juſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem Domini, ſed in miſerationibus ejus multis. Prǽterea advocatum (6) habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, qui interpellat pro nobis, & cujus nomine a Deo beneficia poſtulamus. Quid autem negabit Pater dilecto huic Filio ſuo, in quo ſibi bene complacuit? Nonne Chriſtus, qui Veritas eſt, & cujus verba non prǽteribunt, fidem ſuam obligavit dicens: *Amen* (7), *amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis?* Quod ſi advocatum ipſum Chriſtum Jeſum propter iniquitates noſtras nobis iratum metuimus, Deiparǽ Virginis imploremus opem. *Exaudiet* (8) *utique Matrem Filius.* Sanctos (9) etiam una cum Chriſto regnantes, a quibus orationes pro hominibus Deo offerri Catholica nos docet Religio, ſuppliciter invocemus, & ut beneficia a Deo per Filium ejus Jeſum Chriſtum impetremus, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugiamus. *Clamet* (10) *Peccator, & ad Deum ſua perveniet oratio. Etiam* (11) *Peccatores impetrant, quod petunt, ſi perſeveranter petunt.*

V. Quarta tandem requiſita ad orationis efficacitatem conditio eſt *precum perſeverantia*, quam proinde Fidelibus tantopere inculcat

L 2

(1) Ad Hebr. c.4. v.16.
(2) S. Baſil. Conſtit. Mon.30. cap.2.
(3) Iſaiǽ c.40. v.31.
(4) Eccl. c.2. v.11. & 12.
(5) Danielis c.9. v.18.
(6) 1. Joa. cap.2.
(7) Joa. c.16.
(8) S. Bernard. ſerm. de aquǽ duct.
(9) Trid. ſeſſ.25. de invocat. Sanctor.
(10) S. Greg. in Pſalm.6. pœnit.
(11) S. Baſilius Conſt. Monaſt. cap.1.

culcat Apoſtolus: *Sine intermiſſione* (1) *orate*: *Orationi inſtate* (2) *vigilantes in ea*: *Volo* (3) *viros orare in omni loco*. Vult (4) enim Deus vocari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Bona violentia, qua Deus non offenditur, ſed placatur! Et ſane ſicuti militia eſt vita hominis ſuper terram, perpetuamque adverſum nos hoſtes noſtri pugnam inſtaurant; ita nos quoque decertare ſemper oportet, ac perſeverantiſſimis ad Deum precibus (Auguſtini verbis utimur) opem petere, ut ſuperinduti virtutem ex alto, victores tandem abſcedamus a pugna, & immarceſcibili gloriæ corona redimiri mereamur in cœlis. Renuit quidem Deus noſtra aliquando vota exaudire, præſertim cum caduca hujus mundi bona poſtulamus: *At tunc miſericorditer* (5) *non audimur*: *quid enim infirmo ſit utile*, *magis novit Medicus*, *quam ægrotus*. Interdum plus (6) vult ille nobis beneficia elargiri, quam nos optemus accipere: At non vult (7) cito dare, ut diſcamus magna magne deſiderare: diu enim deſiderata dulcius obtinentur, cito autem data vileſcunt. Nonnumquam etiam ideo noſtras differt preces, ut ſedulos nos in orando efficiat; ut noſtra cum eo ſit converſatio frequentior; ut fides noſtra fiat probatior auro, & uberioribus gratiæ, gloriæque bonis locupletemur.

VI. Cum tanta ſit orationis neceſſitas, utilitas tanta, Clericos omnes hortamur, atque enixe rogamus in Domino, ut, quemadmodum viros ſegregatos a populo, ac in ſortem Domini vocatos decet, jugi orationis ſtudio ſibi, ac populo divinam concilient benevolentiam, aſſiduiſque precibus, Dei, atque hominum Mediatores effecti, modo ab illis flagella divinæ ultionis avertant, modo in illos cœleſtium beneficiorum imbres e cœlo deducant. Parochis vero, aliiſque curam animarum habentibus mandamus, ac præcipimus, ut ſæpe Fideles curæ ſuæ concreditos hanc orandi neceſſitatem, atque utilitatem edoceant, & qua ratione orare debeant,

(1) Ad Theſſal. c. 5.
(2) Ad Coloſſen. c. 4.
(3) 1. ad Timoth. c. 2.
(4) S. Greg. hom. 1. in Evang.
(5) S. Aug. tom. 3. cap. 212.
(6) S. Aug. in 2. ad Cor. c. 13.
(7) Idem ſerm. 6. alias 5. de verbis Domini.

debeant, ut oportet, erudiant. Inſtent præterea, ut juxta Chriſti monitum ſemper orent, & numquam deficiant; quod quidem dupliciter fiet. Primo ſi facillimum illud, atque utiliſſimum orationis genus amplectantur, quo Deum ſemper ſibi præſentem, atque operum ſuorum inſpectorem in omnibus ſuis negotiis habentes, breves identidem preces, quas jaculatorias vocant, ex imo corde ad ipſum fundant. Quo quidem orationis genere priſcos Monachos ſe magno cum profectu, atque utilitate exercuiſſe narrant Caſſianus (1), & Auguſtinus (2): *Utilius cenſentes, breves quidem, ſed creberrimas orationes fieri, quam longas: illud quidem, ut frequentius Dominum deprecantes, jugiter eidem cohærere poſſint: hoc vero, ut inſidiantis diaboli jacula ſuccincta brevitate vitentur*. Deinde ſi ſtatis horis quotidie certas Deo porrigant preces, quibus ſe, ſuaque omnia, ac præſertim quæ ad animarum ſuarum ſalutem pertinent, divinæ Bonitati, ac Beneficentiæ enixe commendent. Duo autem potiſſimum aptiora ſunt orandi tempora; matutinum videlicet, ac veſpertinum. Quid enim decentius, aut opportunius, quam ut homo primo mane, e lecto ſurgens, illius diei primitias Creatori ſuo orando offerat, ac veſpere, antequam cubitum eat, pro acceptis ea die beneficiis gratias Deo referat, & ab ejus Beneficentia nova adhuc poſtulet, atque uberiora? Ipſæ volucres cœli, uti notat S. Ambroſius (3), *ſurgente, & occidente die, ſuos cantus inſtaurare conſueverunt, ut decurſi, vel adoriendi temporis laudes ſuo referant Creatori*. *Sapiens*, ut Eccleſiaſtici cap. 6. monemur, *cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur: aperiet os ſuum in oratione, & pro delictis ſuis deprecabitur*. Angelorum panis, ſeu manna, quo populum ſuum pavit Deus in deſerto, diluculo circa Iſraelitica tentoria delabebatur e cœlo, & niſi ante ſolis ortum colligeretur, continuo ſolaribus incaleſcens radiis tabeſcebat, *& quod ab igne* (4) *non poterat exterminari*, uti legimus Sapientiæ cap. 16., *ſtatim*

(1) Caſſianus lib. 2. de inſtitut. Cœnobiorum cap. 10. (2) S. Aug. epiſt. 130.

(3) S. Ambroſ. Hexamer. 7. cap. 12.

(4) Sapientiæ c. 16.

ſtatim ab exiguo ſolis radio calefactum tabeſcebat ; ut notum omnibus eſſet , quoniam oportet prævenire ſolem ad benedictionem tuam , Domine , & ad ortum lucis te adorare . Hinc adverſus Chriſtianos quoſdam , qui ſomno nimium indulgent , ſic invehitur S. Ambroſius (1) : *Grave eſt , ſi te otioſum in ſtratis radius ſolis orientis inverecundo pudore conveniat , & lux clara feriat oculos ſomnolentos , adhuc ſopore depreſſos .* Quid etiam Chriſtiano homini honeſtius,atque utilius,quam, ut exacta jam die, antequam ſomno corpus reficiat, bonorum omnium largitori pro collatis donis gratias agat , & a nocturnis dæmonum fraudibus , ac periculis eximi ſe ab eodem petat , ac præſervari ? Agnos (2) anniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtum ſempiternum ſibi ab Hebræis offerri in veteri Teſtamento præcepit Deus , unum mane , & alterum ad veſperam , ſuaviſſimi videlicet odoris oblationem , ut Sacræ teſtantur Litteræ . At nonne recta ratio poſtulat , ut Chriſtiani longe majoribus a Deo beneficiis aucti , veſpere ſaltem , & mane quotidie eidem offerant Sacrificium laudis , eorumque oratio , ſicut incenſum , in conſpectu ejus in odorem ſuavitatis aſcendat ?

ARTICULUS III.

De oratione mentali , ac vocali .

I. ORatio alia eſt mentalis , vocalis altera : utraque Chriſtianis maxime utilis , ac neceſſaria . Mentalis eſt , in qua internas animæ noſtræ facultates exercemus , ac non verbis , & voce , ſed animo , ac mente Deum ſuppliciter , ac familiariter alloquimur . In ea enim in memoriam primum nobis veritates divinitus revelatas revocamus : eas deinde noſtro propoſitas intellectui diligenter perpendimus , ac ſcrutamur , ut penitius intellectæ animis noſtris altius inſideant , donec ex earum meditatione commota voluntas in ſuos erumpat actus , quibus & deteſtetur malum , & bonum proſequatur ; utque propoſiti tenax fidem ſervet , quam præſti-

(1) S. Ambroſ. loc. cit. (2) Numerorum c.28.

præſtitit, taciti Deum ex animo etiam, atque etiam rogamus, & obteſtamur. Vocalis autem oratio fit, quando quis ore clamat ad Deum, & extrinſecus prolatis vocibus, modo divinam expoſcit opem, modo pro acceptis beneficiis debitas rependit grates, modo Dei laudes recenſet, atque ex imo corde amorem ſuum, aut reverentiam, aut alios pietatis affectus expromit. Pauca de utraque dicamus, ut ad utiliſſimum utriuſque exercitium Fideles omnes, ac præſertim Clerici, quos præ aliis adhærere Deo firmius oportet, inflammentur.

II. Utinam omnes meditari cœleſtia diſcerent, ac ſolerent! Profecto non tanta criminum alluvione Chriſtianus Populus raperetur in præceps, *cum deſolatione* (1) *deſolata ſit omnis terra, quia nullus eſt, qui recogitet corde*. Imo vero factus Populus Deo acceptabilis, & ſectator bonorum operum, virtutum omnium laude floreret. *Beatus vir* (2), non minus propria edoctus experientia, quam divino lumine perfuſus David exclamavit, *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur: erit tamquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium ejus non defluet, & omnia, quæcumque faciet, proſperabuntur*. Hinc optimo jure meditationem S. Laurentius Juſtinianus virtutum omnium nutricem nuncupavit. In ea quippe cum virtutis pretium, & vitiorum turpitudo detegatur; exinde fit, ut facile in noſtris animis illius amor, & iſtorum odium excitetur, nobiſque appareat, quod latebat, & ſuave fiat, quod non delectabat. Ex divinarum etiam perfectionum meditatione, quibus Theologicæ virtutes innituntur, divinæ videlicet Sapientiæ, & Veracitatis, Potentiæ, ac Fidelitatis, Bonitatis, atque Amabilitatis, infinitæ Majeſtatis, ac Supremi rerum omnium dominii, roboratur Fides, Spes ſolidatur, augetur Charitas, ac Religio, quæ primatum inter virtutes morales obtinet, vividius, frequentiuſque exercetur. Oratio ipſa, ſeu petitio, cui ſumma ineſt vis ea omnia, quibus indigemus, a Deo impetrandi, efficaciam ſuam magna ex parte

(1) Jeremiæ c.12. v.11. (2) Pſalm.1.

te a meditatione mutuatur. *Ad ſummitatem enim ſcalæ*, quam vidit Jacob, videlicet ad Dei Thronum, *veluti duobus quibuſdam pedibus aſcendamus oportet*, ut ait S. Bernardus, *meditatione, & oratione. Meditatio ſiquidem docet, quid deſit; oratio, ne deſit, obtinet: illa viam oſtendit, iſta deducit; meditatione denique agnoſcimus imminentia nobis pericula, oratione evadimus*. Sane hæc omnia expertus David, innumera ſe ex meditatione hauſiſſe animi bona teſtatur. Meditationi quippe acceptum refert, quod e criminum ſuorum cœno emerſerit, & ad veram eorumdem pœnitentiam fuerit adductus. *Cogitavi (1) vias meas, & converti pedes meos in teſtimonia tua*. In meditatione roboratum ſe fuiſſe dicit, ut non periret, cum illum & vi, & dolo Tartarei hoſtes aggrederentur. *Niſi quod (2) lex tua meditatio mea eſt, tunc forte periiſſem in humilitate mea*. Divini tandem amoris ignem meditationis ope in corde ſuo exarſiſſe teſtatur: *Concaluit (3) cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis*.

III. Cum tot, tantaque bona ex divinæ legis meditatione in nos derivari poſſint, nonne æquum eſt, ut Clerici potiſſimum, atque animarum Paſtores, per quos populi erudiendi ſunt, pio huic exercitio ſe dedant, nullumque elabi diem patiantur, quo non per aliquod tempus rerum æternarum meditationi vacent? Ipſi Angelorum nomine in ſacris litteris appellantur: Angelos igitur imitentur, qui divinam faciem non deſinunt intueri. Matutinum autem tempus eſſe ad meditandum aptius, exemplo ſuo nos docet David: *In matutinis (4) meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus. Prævenerunt (5) oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua*. Ratio quoque id ſuadet: matutino enim tempore, poſtquam ſomno refectæ ſunt vires, mens, quæ ceſſavit a curis, alacrior eſt ad legem Domini meditandam, & ad audiendam vocem ſermonum ejus. Unde fit, ut ſanctæ, ac ſalubres illæ cogitationes, quas meditanti ingerit Deus, animo altius inſideant, & voluntas divini

(1) Pſalm. 118. v. 59. (2) Pſalm. 118. v. 92. (3) Pſalm. 38. v. 4.
(4) Pſalm. 62. v. 7. (5) Pſalm. 118. v. 148.

ni ignis amore ſuccenſa Omnipotentem ardentius deprecetur, & ab eodem etiam facilius, celeriuſque exaudiatur, juxta Davidicum illud: *Quoniam* (1) *ad te orabo, Domine, mane; exaudies vocem meam*; & juxta illud Job: *Si diluculo* (2) *conſurrexeris ad Deum, & Omnipotentem fueris deprecatus; ſtatim evigilabit ad te; & pacatum reddet habitaculum tuum*. Hortamur itaque in Domino Clericos omnes, ac potiſſimum Parochos, alioſque, quibus animarum cura commiſſa eſt, ut quotidie mane per dimidiam horam, aut ſaltem per quartam horæ partem rerum æternarum meditationi vacent; qua quidem in re, ut quodcumque errandi evitetur periculum, ab iis meditandi regulis, ac methodo, quas in ſuis operibus S. Franciſcus Saleſius, in peculiari quodam libro S. Petrus de Alcantara, & in aureo illo Exercitiorum ſpiritualium libello S. Ignatius de Lojola tradiderunt, non recedant.

IV. Tutiſſimis hiſce regulis, multoque magis quotidiana ipſa praxi eruditi plebem ſuam in Concionibus Parochi, & pœnitentes ſuos in Sacro Pœnitentiæ Tribunali Confeſſarii, ad ſalutare hoc piæ meditationis exercitium excitent, atque hortentur; iiſdemque explicent uberrimos fructus, quos inde erunt percepturi; & Indulgentias plurimas, ac peccatorum remiſſiones, quas Romani Pontifices conceſſere, ac Benedictus XIV. (3) peculiari ſua Conſtitutione (cujus exemplar in appendice num. 7. damus) confirmavit, & auxit, *pro iis omnibus, ac ſingulis, qui tam in Eccleſiis, quam alibi, & ubicumque locorum, publice, & privatim quoſcumque homines, orandi, ſeu meditandi rudes, quomodocumque orare, ac meditari docuerint, ſive qui pie orandi, & meditandi inſtitutioni hujuſmodi interfuerint*. Edoceant præterea, quam facile, quantoque cum veræ pietatis incremento hujuſmodi meditationi vacare poſſint, futileſque, ac vanas excuſationes, quæ proferri in medium ſolent, ne tam pio, ac religioſo exercitio detur opera, ſolvant, ac diluant. Quod quidem nullo negotio præſtabunt, ſi pios legant

M libros,

(1) Pſalm. 5. v. 3. (2) Job c. 8. (3) Benedictus XIV. in Conſt. *Quemadmodum nihil*. die 16. Decemb. 1746.

libros, in quibus de meditationis utilitate fuſe, copioſeque differitur.

V. Cum autem externa, & vocalis oratio familiariſſima Fidelibus ſit, in hac iidem frequentius inſtruantur a Parochis. Edoceantur itaque, huic orationi, ut utilis ſit, ac Deo placens, internam animi attentionem eſſe conjungendam, quæ tamen deſideratur, cum quis in precibus recitandis ad domeſticarum, aliarumve rerum cogitationem volens, ac lubens diſtrahitur. De his autem ſic male orantibus conqueritur Dominus in Evangelio (1). *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me*, eorumque oratio non ejus, quod poſtulat, impetrationem, ſed divinam potius ultionem promeretur. *Quomodo*, inquit S. Cyprianus (2), *te exaudiri poſtulas a Deo, cum te ipſe non audias? Hoc eſt Majeſtatem Dei negligentia orationis offendere: hoc eſt vigilare oculis, & corde dormire.* Unuſquiſque igitur ante orationem (3) præparet animam ſuam, ne ſit quaſi homo, qui tentat Deum. Cum orare incipit, mentem, animumque ad Deum intendat. Cum orat, toto corde clamet ad Deum: *clamor autem cordis*, ut S. Auguſtini (4) utamur verbis, *eſt magna cogitationis intentio, & tunc porro toto corde clamatur, quando aliud non cogitatur*. Tandem ſi qua inter orandum mentis evagatio ſubrepat; ſtatim ac id advertit, ex animo doleat, ac mente, & corde revertatur ad Dominum: *Si enim (5) vel hoc dolemus, jam oramus*, uti ab eodem S. Auguſtino ſapienter edocemur.

VI. Cum autem vocales preces, quibus frequentius uti Populus conſuevit, ſint *Oratio Dominica*, & *Angelica Salutatio*, & hæ ſint reliquarum omnium præſtantiſſimæ (earum enim priorem Chriſtus ipſe nos docuit, alteram vero partim ex Archangeli Gabrielis, Sanctæque Eliſabeth verbis, partim ex ſuis precibus Catholica efformavit Eccleſia); Proinde Parochi accurate, diſtincte,

(1) Matth. c.15.
(2) S.Cyprianus lib. de orat.Dominica.
(3) Eccleſiaſtici c.18.
(4) S. Auguſt. enarrat. in Pſalm.118. ſerm. 29.
(5) S. Aug. lib.1. ad Simplicianum q.2.

ſte, & per partes utramque perſæpe Fidelibus explicent, prout ex SS. Eccleſiæ Patribus, ex Catechiſmo Romano, atque ex Venerab. Cardinalis Bellarmini Catecheſi colligere abunde poterunt. Illud etiam diligenter curent, ut quotidie ſtatis horis, mane, veſpere, & meridie per certos nolæ pulſus Fideles ad illas recitandas preces, quibus Dominicæ Incarnationis Myſterium recolitur, & ad ea, quibus egent, a Deo per Deiparæ Virginis interceſſionem poſtulanda beneficia excitentur. Ut autem ad id præſtandum alliciantur, lucrandas iiſdem proponant, & explicent Indulgentias a Benedicto XIII. (1) omnibus, & ſingulis, qui recenſitas preces pie recitent, Apoſtolica auctoritate conceſſas; quarum ſumma hæc eſt. Quoties Fidelis aliquis, ſive mane, ſive meridie, ſive veſpere, ad conſuetos nolæ pulſus preces illas *Angelus Domini &c.*, cum triplici Angelica ſalutatione flexis genibus pie, ac devote recitaverit (exceptis diebus Dominicis a primis Veſperis, totoque Paſchali tempore: tunc enim eædem a ſtantibus recitantur; & Paſchali quidem tempore loco dictarum precum illæ aliæ recitari poſſunt *Regina cœli*; quemadmodum Benedictus XIV. ſuis litteris in forma Brevis declaravit) toties centum dierum Indulgentiam lucratur; ac præterea ſemel in menſe plenariam omnium peccatorum ſuorum remiſſionem, atque Indulgentiam, ſi peccata ſua rite confeſſus, Euchariſtica dape reficiatur, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effundat, conſequi pro arbitrio poteſt. Curent item, ut quotidie ſub primam noctis horam ſignum orandi pro defunctis Chriſtifidelibus detur, in quorum ſuffragium quicumque, audito ſigno, Pſalmum *De profundis*, vel ſemel orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam cum verſiculo *Requiem æternam &c.* flexis genibus pie, religioſeque recitaverit, is centum Indulgentiæ dies ex Apoſtolica Clementis XII. (2) largitate ſibi comparat;

M 2 & ſi

(1) Benedictus XIII. 14. Sept. 1724. in Brevi, quod incip. *Injunctæ nobis*.

(2) Clemens XII. in ſuo Brevi *Cæleſtis Eccleſiæ*. 14. Aug. 1736.

& ſi per annum integrum id peregerit, ſemel in anno, quo die maluerit, omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, ac remiſſionem aſſequetur, ſi eodem die, culpis ſuis Pœnitentiæ Sacramento expiatis, Eucharistico veſcatur cibo, Deumque piis precibus obteſtetur, ut Chriſtianos Principes ad concordiam deducat, hæreſes evellat, Sanctamque Eccleſiam in ampliorem dignitatis locum extollat. Præterea qualibet ſexta feria totius anni hora vigeſima prima (quemadmodum Benedictus XIV. (1) in virtute Sanctæ Obedientiæ Parochis, Rectoribus, aliiſque quocumque nomine appellatis, Eccleſiarum Metropolitanarum, Cathedralium, & Parochialium Superioribus mandavit) per certos nolæ ictus Paſſionis, & Agoniæ Domini Noſtri Jeſu Chriſti memoriam in Fidelium animis excitari jubeant, ut iidem quinquies Orationem Dominicam, & Angelicam Salutationem flexis genibus recitent, & pro Chriſtianorum Principum concordia, aliiſque ſuperius expoſitis, nec non pro ſalutari perditorum hominum emendatione pias ad Deum fundant preces. Singulis autem Fidelibus, qui hæc peregerint, centum dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis idem Benedictus XIV. in forma Eccleſiæ conſueta miſericorditer relaxavit. Tres iſtas Summorum Pontificum litteras in forma Brevis in Appendice num. 8. hujus Synodi damus. Volumus tandem, ut in Cathedrali Noſtro Templo illæſa ſervetur laudabilis, quæ viget, conſuetudo per certos nolæ pulſus quotidie hora vigeſima tertia monendi Fideles, ut Apoſtolorum Symbolum recitent, Deumque precentur pro iis, qui in mortis articulo conſtituti luctantur cum dæmone, divinaque egent ope, ne in extrema cum Principibus tenebrarum pugna ſuccumbant.

VII. Oratio vocalis, de qua locuti hactenus ſumus, alia eſt privata, alia publica. Privata illa eſt, quam quis privatim, ſuoque nomine pro ſe, aut pro aliis ſive domi, ſive in Templo, ſive quocumque alio in loco fundit ad Deum. Publica eſt, quæ

Deo

(1) Benedictus XIV. in ſuo Brevi *Ad Paſſionis*. 3. Dec. 1740.

Digitized by Google

Deo publica auctoritate, totiuſque Eccleſiæ nomine a Miniſtris ad id deputatis offertur, cujuſmodi ſunt preces, quæ a Sacerdotibus Deo porriguntur in Miſſarum celebratione, in horis Canonicis recitandis, in publicis habendis ſupplicationibus &c. De Miſſarum celebratione ſuo loco multa jam diximus. Pauca nunc ad Populi utilitatem, qui Miſſæ Sacrificio eſt interfuturus, ſubnectemus. Ut Populus de hoc ſubli̇miſſimo Sacrificio digne ſentiat, atque eidem ſingulari pietate, ac religione frequenter interſit; ejus excellentiam (1), vim, fructuſque, atque etiam aliquam myſteriorum ejuſdem partem Fidelibus Parochi perſæpe declarent. Eos etiam hortentur plurimum, ut, ſi fieri poſſit, quotidie incruento huic Sacrificio aſſiſtant, maximam inde animorum, corporumque utilitatem percepturi. Parentes item, ac Dominos frequenter admoneant, eorum curæ, vigilantiæque commiſſum eſſe, ut liberi, famulique diebus Dominicis, ac Feſtis, Eccleſiæ præcepto (2) ſatisfaciant, quo Fideles omnes adulti utriuſque ſexus Miſſam jubentur audire. Sedulo etiam, ſerioque inſtent, ut, qui Sacrificio huic interſunt, vultu ad modeſtiam compoſito, ſilentio ſummo, nudato capite, flexiſque genibus adſtent, ad Evangelii dumtaxat lectionem aſſurrecturi. Illud præterea Parochis, aliiſque Sacerdotibus diſtricte inhibemus, ne (3) Laicos ullos, ac præſertim Mulieres, dum Miſſæ celebrantur, intra Altaris cancellos admittant, neve, ſi hi forte deſint, ad Altare eos tam prope accedere patiantur, ut ſacra Myſteria celebrantem interturbent. Contra vero neminem ſub dio, aut etiam in Templi veſtibulo (4) conſiſtere ſinant, niſi id aut magna Populi multitudo, aut nimia Templi requirat anguſtia; ſed omnes in domum Dei intrare compellant, ut divina Myſteria non eminus ſpectent, ſed

coram

(1) Trid. ſeſſ.22. c.8. de Sacrif. Miſſæ.

(2) Can. *Omnes Fideles*, & Can. *Miſſas* diſt.1. de conſecrat.

(3) Can. *Apoſtolica*. diſt. 1. de conſecr., Can. *Sacerd.* 30. diſt.2. de conſecr., cap.1. de vita, & honeſt. Cleric., & cap. *Inhibendum*. de cohabitatione Clericorum.

(4) Conc. Prov. Mediol.I. tit. *Quæ pertinent ad celebr. Miſſæ*.

coram adorent, ac proni venerentur. Reliquum nunc eſt, ut de Horarum Canonicarum recitatione, ac de publicis ſupplicationibus, aut Proceſſionibus aliqua dicamus.

ARTICULUS IV.

De Horis Canonicis, ſive privatim, ſive in Choro perſolvendis.

I. Horæ Canonicæ, quas (1) ab Apoſtolis præſcriptas, a Pelagio, ac Damaſo Summis Pontificibus ſuorum decretorum robore firmatas, a Gelaſio I., ac duobus Gregoriis I., & II. Sacrorum Rituum decore auctas, ac tandem a S. Pio V. ad formam, qua nunc in Breviario Romano utimur, redactas fuiſſe non ignoramus, a pluribus Conciliis, a Romanis Pontificibus, atque ab Eccleſiaſticis Scriptoribus *Divinum* nuncupantur *officium*, quia videlicet certa ſunt laudandi, precandique Deum ratio, quæ tamquam propria, ac debita ineunda ab iis eſt, qui ſe totos Deo conſecrarunt. Hinc in primæva Chriſti Eccleſia Clerici omnes, ſive minori, ſive majori fungerentur Clericatu, ſtatis horis una cum Chriſtiano Populo conveniebant, ut divina celebrarent Officia, & Clericatu prorſus indignus habebatur, qui hoc ſervitutis ſuæ penſum Deo perſolvere negligeret, præſertim cum ab ipſo Eccleſiæ exordio uſque ad duodecimum Chriſti ſæculum nemo Clericalem aggrederetur militiam, quin ſimul alicujus Eccleſiæ Canoni, ſeu Matriculæ adſcriberetur, ut eidem in divinis obeundis officiis deſerviret, & ejuſdem viciſſim ſumptibus aleretur, ex oblationibus videlicet, Decimis, Primitiis, aliiſque reditibus, quos Laici Eccleſiis offerebant, ut Clerum haberent apud Deum pro ſe in divinis Officiis deprecatorem. Verum cum poſt ſæculum undecimum induci in Eccleſiam conſuetudo cœpiſſet, ut aliqui

(1) S. Aug. ep. 119., Clemens Romanus lib. 8. Conſt. c. 40., S. Hieronym. lib. de officiis, Maurolicus in Martyrologio 27. Auguſti, S. Pius V. Conſt. 64. *Quod a nobis*. 7. Id. Julii 1508.

qui ad Clericatum promoverentur ex ſolo Patrimonii titulo, quin peculiari ullius Eccleſiæ ſervitio addicerentur; Minores Clerici propriam ſuſtentationem e Patrimonio percipientes, paulatim in animum inducere cœperunt ſuum, ſe proinde neque ad publicam, neque ad privatam Horarum Canonicarum recitationem obligari. Hinc paulatim ex quadam Eccleſiæ conniventia, tacitaque permiſſione ad ſolos Clericos vel Eccleſiaſticis beneficiis auctos, vel in Sacris Ordinibus conſtitutos talis obligatio contracta eſt: quod quidem poſt decimum tertium Chriſti ſæculum Eccleſiaſticis legibus confirmatum fuiſſe comperimus. Quotquot enim Conciliorum (1) decreta, ac Romanorum Pontificum Conſtitutiones poſt decimum tertium ſæculum emanarunt, eadem ſolos Beneficiatos, & Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos ad ſolvendum ſive publice, ſive privatim Horarum Canonicarum penſum teneri, perſpicuis verbis edixerunt.

II. Hac igitur Canonicas Horas quotidie recitandi lege tenentur omnes, & ſinguli, qui aut Sacris Ordinibus initiati, aut Eccleſiaſtico Beneficio ſunt inſigniti. Qui vero penſionem ex Eccleſiaſtico Beneficio ut Clericus percipit, ex Conſtitutione (2) S. Pii V. Officium parvum Deiparæ Virginis in totidem Horas diſtributum quotidie recitandi præcepto obligatur. Si quis itaque Sacrorum Ordinum honore decoratus, Canonicas Horas, aut earum aliquam ſive totam, ſive notabili ex parte recitare culpabiliter omiſerit, gravi ſe obſtringit crimine, cum Innocentius III. (3) *in virtute obedientiæ diſtricte præcipiat, ut Sacris Ordinibus initiati Divinum Officium, nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſe celebrent, & devote.* In eos vero, qui Beneficiis Eccleſiaſticis aucti ſimili ſe culpa alligant, Concilium Lateranenſe V. (4), & S. Pius V. (5) ſtatuerunt, ut, præter lethalis culpæ reatum, beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis Offi-

(1) Concil. Baſileen. ſeſſ. 21. can. 5., Concil. Lateranen. IV. can. 17., Concil. Lateranen. V. ſeſſ. 9., & S. Pius V. Conſtit. *Ex proximo Lateranenſi*, edita an. 1571.

(2) S. Pius V. cit. Conſt.

(3) Cap. *Dolenter*. de celebrat. Miſſar.

(4) Concil. Lateran. V. ſeſſ. 9.

(5) S. Pius V. cit. Conſtit.

Officii, & temporis non faciant ſuos, ſed eos, tamquam injuſte perceptos, in fabricas ipſorum Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneantur, quoties poſt ſex menſes, quam Beneficia obtinuerint, Officium non recitaverint. En laudati Sanctiſſimi Pontificis verba, per quæ illud etiam decernit, quota videlicet fructuum reſtituendorum pars recitationis omiſſioni reſpondeat. *Ex proximo Lateranenſi Concilio ea ſalubris ſanctio emanavit, ut quicumque habens Beneficium Eccleſiaſticum cum cura, & ſine cura, ſi poſt ſex menſes, quam illud obtinuerit, divinum Officium, legitimo ceſſante impedimento, non dixerit, Beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis Officii, & temporis ſuos non faciat, ſed eos, tamquam injuſte perceptos, in fabricas ipſorum Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneatur. Verumtamen multorum animi ſuſpenſione tenentur, cujuſmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda. Nos huic rei evidentius, atque expreſſius providere volentes, ſtatuimus, ut, qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes Beneficii, ſeu Beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui cæteras Horas omnes, aliam dimidiam; qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat, tametſi aliquis Choro addictus non recitans, omnibus Horis Canonicis cum aliis præſens adſit, fructuſque, & diſtributiones forte aliter aſſignatas, ſola præſentia juxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendat, etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem. Item ille, qui primis ſex menſibus Officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſaverit, grave peccatum intelligat admiſiſſe; declarantes præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacumque alia Beneficia, etiam nullum omnino ſervitium habentia, obtinentes, cum prædictis pariter convenire. At quicumque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium parvum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.* Ex poſtremis hujuſce Sanctiſſimi Pontificis verbis patet, eos quoque, quibus

bus ex Eccleſiaſtico beneficio penſio perſolvitur, & lethale crimen admittere, & fructuum tamquam injuſte perceptorum reſtitutioni pro rata omiſſionis Officii, & temporis eſſe obnoxios, ſi Officium parvum Beatæ Virginis, aut aliquam ejus partem recitare culpabiliter omiſerint.

III. Has itaque Canonicas pœnas, aliaſque, prout opus fuerit, arbitrio Noſtro infligendas ſubibunt ii, qui muneris ſui obliti, divinumque ſervitium averſati, fructus quidem ab Eccleſiaſticis beneficiis ſedulo percipiunt, debitum tamen Horarum Canonicarum penſum perſolvere renuunt. Verum, quamquam incuſſus hic pœnarum metus ab hac admittenda culpa remorari vecordes poſſit; Nos tamen multo magis timeri ab iis cupimus pœnam, a Deo, qui falli nullo modo poteſt, adverſus ipſos infligendam, iiſque in memoriam revocamus celebre illud Hugonis monitum, qui paucis totam hujus officii rationem complexus eſt: *Accipe beneficium, redde ſervitium, & effugies ſupplicium*. Meminerint pariter, qui ad horas Canonicas recitandas tenentur, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub interminatione divini Judicii vetitum ipſis eſſe, ne in praxim deducant ſcandaloſas illas propoſitiones, quas Alexander VII. (1), & Innocentius XI. (2) merito proſcripſere, videlicet *unico officio poteſt quis duplici præcepto ſatisfacere pro die præſenti, & craſtino: Officii Paſchalis recitatione ſatisfieri poteſt obligationi recitandi Officium Palmarum: qui Matutinum, & Laudes recitare nequit, etiamſi reliquas Horas recitare poſſit, ad nihil tenetur. Beneficiati, ſi ſtudio litterarum vacent, obligationi ſuæ ſatisfacere poſſunt, ſi Officium per alium recitent: Beneficiati, ſi Officii recitationem omittant, non, niſi poſt Judicis ſententiam declaratoriam criminis, ad fructuum perceptorum reſtitutionem tenentur: hujus reſtitutionis obligationi ſatisfieri per eleemoſynas antea factas poteſt*. Tandem omnibus, tam qui in Eccleſiis, quam qui privatim domi horas Canonicas

(1) Alexand. VII. 24. Septemb. 1665. in damnat. propoſ. 20. & 21., & 18. Martii 1666. in damnat. propoſ. 33., 34., & 35.

(2) Innocentius XI. 2. Martii 1679. in damnat. propoſ. 54.

recitant, diſtricte præcipimus, ut in iis recitandis Romano dumtaxat Breviario, quod juſſu S. Pii V. ex Concilii Tridentini auctoritate editum eſt, utantur, quin addere, aut detrahere quidquam ex eo licite poſſint.

IV. Quamquam humanæ mentis imbecillitati, quæ non facile quietem fert, ſed pererrare huc illuc ſolet, plurimum indulgeatur; magnam tamen quiſque curam adhibeat, ut in divinis Officiis obeundis rei, quam agit, intendat animum, & non modo ſolvere, quod debet, ſed libenter etiam, attente, ac pie perſolvere videatur, divinæ illius comminationis memor: *Maledictus (1) homo, qui facit opus Dei negligenter*. Mentem igitur alio dilabentem, ac diſcurrentem ſæpe revocet, neque in alias abire cogitationes ipſe ultro ſinat, aut ſe ab aliis, niſi neceſſitas, aut Chriſtiana charitas urgeat, interpellari patiatur. Horas itaque Canonicas recitaturus, in locum ab omni remotum ſtrepitu, quoad fieri poteſt, recedat, *& ne, dum lingua (2) orat, mens ſine fructu ſit; oret ſpiritu*, ut ait Apoſtolus, *oret & mente; pſallat ſpiritu, pſallat & mente*. Verba quidem diſtincte, aperteque proferat, neque præcipiti lingua involvat, & glomeret, aut intercipiat, ac veluti devoret, antequam ex ore profundat: Verum id etiam, quod legit, det operam, ut intelligat, ac percipiat; & quod ore profert, intimo animi ſui ſenſu proſequatur. Hac ratione triplicem illum finem, quem in præſcribenda Horarum Canonicarum recitatione ſibi propoſuit Eccleſia, facile aſſequetur; primum videlicet, ut cœleſtem illam Jeruſalem, quæ divinis ſemper reſultat laudibus, Militantis Eccleſiæ Cives æmulentur, juxta illud: *Sed illa (3) Sedes Cælitum ſemper reſultat laudibus: illi canentes jungimus almæ Sionis æmuli*: Deinde ut tamquam Eccleſiæ Miniſtri ejuſdem legatione fungamur apud Deum, eumque obſecrationibus, ac precibus Chriſtiano Populo placatum, propitiumque reddamus: Tandem ut per quotidianam pſalmodiam arctius Deo adhæreamus, ejuſque perpetua, ut par eſt, familiaritate fruamur.

V. Qui

(1) Jerem. c.48. v.10. (2) 1. ad Cor. c.14. (3) Hymn. in Feſto Dedic. Eccleſiæ.

Digitized by Google

V. Qui morbo aliquo ita ſunt affecti, ut ex Horarum Canonicarum recitatione, ne gravior fiat valetudo, prudenter timeatur (in quo Medici judicio ſtandum erit) iis officium omittere ſine culpa, adeoque etiam ſine fructuum perceptorum reſtitutione licebit. Quiſque tamen diligenter caveat, ne ad excuſandas excuſationes in peccatis quacumque leviſſima ex cauſa id faciat: qui enim corda ſcrutatur, & renes, neque decipi, neque irrideri poteſt Deus. At cui vere noxius is labor, atque hæc recitatio eſſet, non proinde alios divinum recitantes Officium audire, aut poſt recuperatam valetudinem omiſſum Officium recitare tenetur. Privatim quidem, ut diximus, Clericus vel morbo, vel alia gravi, juſtaque cauſa impeditus intermittere interdum Horarum Canonicarum recitationem ſine noxa poteſt. At publice in Eccleſia vel diem unum ſine divinorum Officiorum, aut alicujus eorum partis celebratione tranſigere nefas omnino eſt. Quare in Cathedrali Noſtro hoc Templo Horas omnes Canonicas conſueto ritu quotidie (1) in Choro recitari jubemus, neque earum ullam ſive Concionis, ſive ſolemnis ſuffragii, ſive publicarum ſupplicationum, ſive alterius cujuſque rei cauſa intermittere umquam liceat, niſi ſumma intercedat neceſſitas, quæ Nobis juſta videatur, & ſine qua opportunam ad id facultatem numquam erimus largituri. Cæterum ſi qua de cauſa in Cathedrali Templo divina celebrari nequeant Officia, uti quotannis uſuvenire videmus Feſto die S. Matthæi Apoſtoli, quo die Tuſculani Cives, finitimique Populi ad idem Cathedrale Templum confluunt Sacram ſuſcepturi Euchariſtiam, ac Plenariam Indulgentiam lucraturi; tunc volumus, ac mandamus, ut a Capitulo, & Clero in filiali Eccleſia Sanctæ Mariæ de Vivario conſueto ſolemni ritu divina omnia celebrentur Officia, debituſque Deo cultus exhibeatur.

VI. Quoad Divinorum Officiorum recitationem, aut cantum

(1) Can.ult. diſt.92., cap.1. de celebrat.Miſſar., Clement.1. eod. tit., & S. Thomas epiſt. 19.

Digitized by Google

tum in Choro, ſatis, ſuperque conſultum eſſe arbitramur per recentiores Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Conſtitutiones, quas, cum anno 1761. pro Paſtoralis Officii debito Diœceſin Noſtram viſitaremus, ab ejuſdem Cathedralis Eccleſiæ Capitulo Nobis oblatas, ut eas prævio maturo examine approbaremus, Nos ea majori, qua tunc fungebamur, auctoritate ultro, libenterque approbavimus, & confirmavimus, & nunc iterum in hac Diœceſana Synodo approbamus, & confirmamus. Reliquum igitur eſt, ut eæ ab omnibus, & ſingulis, ad quos pertinet, omnimodæ executioni demandentur; quod quidem ſub pœnis in iiſdem Conſtitutionibus contentis, aliiſque arbitrio Noſtro infligendis præcipimus, ac mandamus. Ne qua vero ab earum tranſgreſſoribus ignorantiæ obtendi poſſet excuſatio, eaſdem Typis editas omnibus Canonicis, ac Beneficiatis, aliiſque, ad quos pertinet, dono dedimus, ut ab iiſdem frequenter perlegerentur, eorumque memoriæ, animiſque altius inſiderent. Unde illud commodi derivatum iri confidimus, ut divina Officia (quemadmodum jam fieri gratulamur) rite, graviter, ſanćteque celebrentur, magnaque & ii, qui interſunt, & ii, qui munus ſuum exequuntur, religione erga Deum commoveantur. Pauca nunc Canonicis, Beneficiatis, aliiſque Chori ſervitio addictis in memoriam revocabimus, ut ab iis diligenter abſtineant, niſi munus ſuum (quod abſit) graviter negligere, læſæque juſtitiæ rei fieri velint.

VII. Primum itaque eos omnes, qui Chori ſervitio ſunt addicti, non modo præſcriptis temporibus in loco reſidentiæ ſuæ perſonaliter adeſſe, verum etiam & Choro intereſſe, & divina obire Officia, & debitum Eccleſiæ ſuæ præſtare ſervitium oportet. Non enim otioſa (1) eſſe debet reſidentia, ſed laborioſa, cum nihil Eccleſiæ proſit Clericorum perſonalis in Beneficii loco præſentia, niſi ii divinis adſint Officiis, propter quæ Beneficia ſunt conſtituta. Quare ſciant omnes, qui Choro ſunt deputati, eos

(1) Cap. *Conquerente*, & cap. *Relatum*. de Clericis non reſidentibus.

eos (1), ſi abſque legitima cauſa, quæ ad Sacrorum Canonum normam a Nobis erit approbanda, per notabile aliquod tempus Choro non interſint, Eccleſiæque ſuæ non inſerviant, non modo diſtributiones quotidianas amittere, verum etiam ſuos non facere præbendæ, ac Beneficii fructus, gravique ſe apud Deum culpa alligare. Cum enim Præbendæ ad eum finem, atque ſub eo onere Canonicis conferantur, ut earum fructibus enutriti, Eccleſiæ ſuæ pſallendo, ac divina celebrando Officia deſerviant; diſtributiones vero quotidianæ inſtitutæ ſint, & Canonicis, aliiſque Choro deputatis dentur, ut iidem, ſi diligentes ſint, diligentiores fiant, ſi negligentes, ſolertes fiant, ac diligentes in Choro frequentando, in Dei laudibus canendis, & in reliquis divinis obeundis Officiis; jam inde certo certius ſequitur, ut, ſi Choro non interſint, divinaque Officia non celebrent, jam neque Præbendarum fructus faciant ſuos, neque diſtributiones lucrentur quotidianas: non enim eam conditionem implent, qua dumtaxat impleta, prædictos fructus, prædictaſque diſtributiones facere poſſunt ſuos. Cum autem Canonicatus, aut alterius Beneficii titulo adnexum reperiatur onus perſonaliter Eccleſiæ inſerviendi, pſallendi in Choro, cæteraque divina Officia celebrandi; jam fit, ut cui Canonicatus, aut Beneficii titulus confertur, eidem adnexum quoque onus imponatur; quod quidem ipſe ultro acceptat, ac ſubiturum ſe pollicetur, dum Canonicatus ſui poſſeſſionem capiens juramentum emittit dicens: *In Canonicatu, ſeu Præbenda Canonicali, quam animo dimittendi non accepi, continuam reſidentiam faciam, & per me eidem deſerviam*. At quis ignoret, gravis eum culpæ fieri reum, qui graviter muneri deeſt ſuo?

VIII. Canonici, Beneficiati, aliique omnes hujus Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Choro addicti, non modo ſtatis horis divinis

(1) Can. *Relatis*. diſt. 91., Can. *Si quis Presbyter*. diſt. 92., cap. *Dolentes*. de celebr. Miſſar., Clem. 1. eod. tit., Trident. ſeſſ. 6. c. 2., ſeſſ. 21. c. 3., ſeſſ. 22. c. 3., & ſeſſ. 23. c. 1., Sacra Congr. Concil. in una Iſclana reductionis Miſſarum, & obſerv. Chori 5. Septemb. 1693.

Digitized by Google

nis interſint Officiis, verum etiam pſallant (1), & canant magno pietatis ſtudio, vocibus apte comparatis, haud feſtinanter, nulliſque præciſis vocabulis, itaut pars Chori haud canere incipiat, cum pars altera cantum nondum abſolvit, ut hac ratione Populus divinas laudes intelligat, & ad pietatem, ac religionem ex ipſarum cantu commoveatur. Si quis itaque Choro præſens aſſiſtat, non tamen aliis pſallentibus in cantu ſe adjungat, ſed vel altum ſibi ſilentium imperet, vel privatim, ſubmiſſaque voce Horas Canonicas, aut alias preces recitet; is procul dubio Præbendæ, ac diſtributionum fructus minime facit ſuos, eorumque reſtitutioni eſt obnoxius. Hunc proinde nos a Punctatoribus tamquam abſentem haberi volumus; & niſi monitus reſipuerit, aliis in eumdem Canonicis pœnis animadvertemus. Ne qui autem in pſallendo inconcinni edantur clamores; omnes Choro addicti Gregorianum (2) cantum probe ſciant, ac præſertim Hebdomadarii, quibus enixe commendamus, ut omnia juxta Rubricas attente prævideant, ac diſponant, antequam ſuo fungantur Officio. Clericos quoque ſerio monemus, ut Gregoriano cantui addiſcendo dent operam: de ejus enim peritia, cum vel ad Ordines, vel ad Beneficia promovendi erunt, peculiarem rationem ſumus habituri, opportunum ea ſuper re Magiſtri cantus teſtimonium requirentes.

IX. Quamquam ex antiqua Noſtræ hujus Cathedralis Eccleſiæ conſuetudine, & juxta recentiores (3) Capitulares Conſtitutiones, Dignitates, Canonici, ac Beneficiati certis quibuſdam per turnum hebdomadis a Choro vacare quotannis poſſint; Nemini tamen Adventus, & Quadrageſimæ temporibus, ac per totam ſolemni-

(1) Can. fin. diſt. 92., Clem. 1. de celebrat. Miſſar., Concil. Baſileen. ſeſſ. 21. §. 3., Trid. ſeſſ. 24. c. 12., S. Pius V. in Conſt. *Ex proximo*, Sac. Congr. Concil. in Egitanien. 23. Nov. 1602., & 12. Januar. 1619., in Vicent. 7. Junii 1626., in Tarviſen. 23. Februar. 1636., in Patavin. 17. Septemb. 1667., in Ulisbonen. Oriental. 5. Septembris 1722., Benedictus XIV. in Conſtit. *Cum ſemper oblatas*. 19. Aug. 1744.

(2) Sac. Congr. Conc. in Andrien. 15. Martii 1620., & in Atrien. 27. Febr. 1664.

(3) Conſtit. Capitul. cap. 2. §. 10.

Digitized by Google

lemnitatis Corporis Chriſti Octavam, a Choro abeſſe, multoque minus reſidentiæ locum deſerere licet, cum ejuſmodi temporum ſanctitas poſtulet, ut qui Chori ſervitio ſunt addicti, numquam non interſint, divina Officia tunc diligentius, ac religioſius obituri. Quamobrem ſi quis eorum abſque legitima cauſa, ac non obtenta a Nobis, aut a Vicario Noſtro Generali venia, prædictis temporibus locum reſidentiæ ſuæ, ad plures dies, aut frequenter, deſerat, ac proinde Choro non interſit (1), pœnis arbitrio Noſtro infligendis multabitur.

X. In Noſtra Cathedrali Eccleſia uſus quidem jam dudum invaluit, ut ejuſdem Canonici, ac Beneficiati quoad Eccleſiæ, & Chori ſervitium ſeſe invicem ſubſtituere aliquando poſſint. Verum hac in re cavere illud potiſſimum debent, ne ab ea regula aberrent, quam toties Sacra Congregatio Concilii ſervandam eſſe præſcripſit. Ea autem hæc eſt (2): *Sacra Congregatio Concilii ſæpius cenſuit, Epiſcopum permittere debere, ut Canonici in functionibus tum ipſius Eccleſiæ, tum Chori, ad quas tenentur, ſeſe invicem ſubſtituant, dummodo ſubſtituens a Civitate, vel a Suburbiis non abſit, & ſubſtitutus eodem tempore ejuſdem Eccleſiæ ſervitio adſtrictus non ſit: præcavendum nihilominus eſſe, ne Canonici hujuſmodi facultate abutentes, frequentius ſubſtituant: quod ejuſdem Ordinarii erit arbitrium.*

XI. Cum relatum Nobis fuerit in Cathedrali Noſtra Eccleſia non ſemel uſuveniſſe, ut deficiente Canonico, aut Beneficiato, qui juxta Capitulares Conſtitutiones Miſſam canere jubebatur, vix alius repertus fuerit, qui ejuſmodi munus obiret; Ne ſimile quid ſummo cum Eccleſiaſtici Cœtus dedecore contingat in poſterum; Præcipimus, & mandamus, ut, ſi Canonicus ille, aut Beneficiatus, a quo ad normam Capitularium Conſtitutionum Miſſa cantanda eſt, abſque legitima cauſa huic ſuo deſit muneri; præter conſuetam Julii unius eleemoſynam, multetur in aliis obolis

(1) Synod. Tuſculana anni 1703. cap. 9.

(2) Sac. Congr. Concil. in Venetana 23. Junii 1594.. & in reſponſ. ad B. Gregorium Cardinalem Barbadigum Epiſcopum Bergomenſem anno 1660.

obolis quinque, ſi Miſſa ab eo celebranda, ſit ſolemnis, ſeu, ut ajunt, *parata*, in obolis vero duobus cum dimidio, ſi Miſſa non ſit *parata*, ſeu non ſolemnis: quam quidem pecuniam ſtatim poſt ejus Miſſæ celebrationem a Capituli Camerario illi Canonico, aut Beneficiato perſolvi jubemus, qui abſentis vices ſupplevit. Volumus autem, ut Præfectus Chori quotidie mane opportuno tempore inquirat, an adſit, qui Miſſam ſit cantaturus; & ſi fortaſſe abſit, alium ſubſtituat, qui abſentis munere perfungatur: Si ſecus fecerit, trium juliorum Sacrario Eccleſiæ applicandorum multam toties ſubibit, quoties hujus violatæ legis erit reus.

XII. Ab ipſo Eccleſiæ naſcentis exordio nemo Clericali Militiæ nomen dabat ſuum, quin alicujus Eccleſiæ ſervitio adſcriptus, ejuſdem ſtipendio militaret. Verum cum poſt undecimum Chriſti ſæculum conſuetudo paulatim induci cœpiſſet, ut ad Clericatum aliqui ex ſolo patrimonii titulo promoverentur; paulatim etiam factum eſt, ut iidem nullius particularis Eccleſiæ addicerentur ſervitio. Hinc divinus imminui in Eccleſiis cultus cœpit, cum eæ ob Clericorum iiſdem adſcriptorum defectum congruo Miniſtrorum numero deſtituerentur. Ut huic malo Tridentina Synodus occurreret, veſtigiis ſexti Canonis Concilii Chalcedonenſis inhærendo ſtatuit, (1) *ut, cum nullus debeat ordinari, qui judicio Epiſcopi non ſit utilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſiis, nullus etiam in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate, aut utilitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus. Quod ſi locum, inconſulto Epiſcopo, deſeruerit, ei Sacrorum exercitium interdicatur*. Verum cum ſapientiſſimum hoc Tridentini Concilii decretum pluribus in Diœceſibus negligeretur, Benedictus XIII. in Concilio Romano (2) illud confirmavit, uberiuſque explicavit his verbis: *Clericali inſuper Tonſura nullus initietur, niſi eodem tempore Eccleſiæ illi adſcribatur, pro cujus ſervitio debet ordinari. Si qui vero ſint, etiam minoribus, aut Sacris Ordi-*

(1) Trid. ſeſſ.23. cap.16. de reformat. (2) Concil. Roman. ſub Benedicto XIII. an.1725. tit.6. cap.2.

Ordinibus inſigniti, qui nulli certæ Eccleſiæ fuerint adſcripti; Epiſcopi adſcriptionem hujuſmodi etiam a ſuis Prædeceſſoribus omiſſam ſupp leant, & pro arbitrio ſervitium toties, quoties opus fuerit, præſtandum deſignent: quam adſcriptionem quoad eos, qui jam promoti extra Diæceſim vel ſtudiorum cauſa, vel alia ab Epiſcopis probata commorantur, ad tempus ipſiſmet Epiſcopis beneviſum differri poſſe indulgemus. Ita autem adſcripti, etſi Clerici ſint etiam conjugati, aut beneficia, vel officia Eccleſiaſtica non obtineant, ab Eccleſiæ ſervitio, cui fuerint deputati, feſtis diebus ſingulis, præſertim ſolemnioribus, ne abſint, propria ibi munia obituri: alias ad altiores promovendi non promoveantur, & jam promoti, Epiſcoporum arbitrio pro inobedientiæ gravitate multentur. Creſcente vero contumacia, Epiſcopi, ultra pœnas a Concilio Tridentino indictas, poſt trinam Canonicam monitionem, contra inobedientes, & contumaces procedant ad omnium uſque Clericalium privilegiorum privationem. Nos itaque ſanctiſſimis utriuſque Concilii decretis, ea, qua par eſt, animi alacritate obſequentes, ſtatuimus primum, (1) ut ſi qui forte Noſtræ Diœceſis Clerici ſive in primæ Tonſuræ, ſive in minorum, ſive in Sacrorum Ordinum ſuſceptione nulli certæ Eccleſiæ adſcripti fuerint; in Civitate Tuſculana Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ ſervitio ſint, & cenſeantur adſcripti; in aliis vero Diœceſis locis habeantur pro adſcriptis ſervitio majoris Eccleſiæ loci illius, in quo domicilium habent ſuum. Deſtinamus præterea ſervitium, quod ab iis præſtandum erit Eccleſiæ, cui fuerunt adſcripti. Volumus itaque, ut omnes, & ſinguli Clerici, qui ad Presbyteratum promoti non fuerint, feſtis diebus ſingulis de præcepto, ac præſertim ſolemnioribus, veſte talari, alboque ſuperpelliceo induti ſolemni Miſſæ, ac Veſperis, quæ iis diebus in Choro celebrantur, interſint. Qui vero jam in Sacro Presbyteratus Ordine fuerint conſtituti, ac præſertim ii, qui in Ordinum ſuſceptione, aut alias, Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ ſervitio fuerint adſcripti, præcipimus, ut in eodem Cathedrali Templo Choro interſint iis diebus, iiſque horis, quas alias in

O Noſtro

(1) Synod. Auximana II. cap.4. ſub Cardinali Lanfredino anno 1735.

Noſtro Decreto præſcripſimus, cum Diœceſim viſitaremus. Hujus decreti exemplar in Synodi Appendice num. 9. ſubnectimus, & aliud ejuſdem exemplar in Cathedralis Templi Sacrario affixum pendere juſſimus, ne quis ignorantiæ obtentu excuſare ſe poſſit. Eorum itaque nullus ſine legitimo impedimento, cujus judicium Nobis reſervamus, a Choro ſtatutis hiſce diebus abeſſe audeat ſub pœna pecuniaria, aliiſque pœnis juxta Sacros Canones, & arbitrio Noſtro infligendis. Ut autem hæc diligentius ſerventur, præcipimus, ut Beneficiatus ille, cui demandata cura eſt adnotandi ſingulis Feſtis diebus illorum Clericorum nomina, qui Choro non interſunt, horum etiam Presbyterorum, de quibus loquimur, nomina adnotet, quoties eos præſcriptis diebus a Choro abeſſe contigerit. Hujuſmodi autem elenchum diligenter exaratum ſingulis menſibus Nobis, aut Vicario Noſtro Generali exhibebit, aliquo tamen apud ſe ejuſdem elenchi exemplari reſervato.

XIII. Recta Eccleſiaſticæ diſciplinæ ratio poſtulat, ut in Sacris Functionibus obeundis ſuus cuique Clericorum cœtui tribuatur locus, nequa inter ipſos non ſine Fidelium admiratione contentio, atque æmulatio oriatur. Cum itaque jam pluries Prædeceſſores Noſtri controverſiam inter Alumnos Seminarii Noſtri Tuſculani, & Clericos hujus Noſtræ Civitatis hac ſuper re ortam diremiſſent, decernentes præcedentiam in Eccleſia, in Choro, in Proceſſionibus, aliiſque ſacris Functionibus tum de jure, tum de conſuetudine Alumnis Seminarii Noſtri Epiſcopalis convenire, iiſque tribuendam eſſe; æquum profecto erat, ut omnes ſapientiſſimis hiſce Decretis acquieſcerent, & obſequerentur. Verum cum primum ad Tuſculanum Epiſcopatum evecti Noſtram Diœceſim viſitaremus, iidem Seminarii Noſtri Alumni conqueſti ſunt apud Nos, deſtinatum ſibi in Sacris Functionibus locum a Clericis nonnullis non modo impugnari, verum etiam per vim eripi, adeoque enixis precibus poſtularunt, ut ſuum illis Jus vindicaremus. Nos, qui prædictos Alumnos ob eximiam eorum indolem, morum probitatem, progreſſum in litteris, ac Sacra-

rum

rum Cæremoniarum peritiam plurimum in Domino diligimus, eorum precibus benigne annuimus, ac re tota mature iterum diſcuſſa, decretum edidimus, quo non modo noſtrorum Prædeceſſorum decreta confirmavimus, verum etiam præcepimus, ut in poſterum Seminarii Noſtri Alumni Clericos omnes Sacris Ordinibus nondum inſignitos præcedant, primumque ſemper locum teneant, tum quando in Choro aſſident, tum quando in publicis ſupplicationibus procedunt, tum quando ad Euchariſtiam, aut Candelas, aut Cineres, aut ramos olivarum de manu Sacerdotis recipiendos accedunt, tum demum quando in aliarum Sacrarum Functionum exercitio verſantur. Noſtro autem Vicario Generali mandavimus, ut in contradictores quoslibet, Noſtrique ejuſmodi Decreti Tranſgreſſores ſevere animadverteret, eoſque remediis Juris, pœniſque pro ejus, aut Noſtro arbitrio infligendis ad debitam obedientiam compelleret. Nequis vero deinceps ſopitam hanc controverſiam excitare iterum audeat, prædictum Noſtrum Decretum in hac Synodo iterum confirmantes, novum eidem robur adjicimus, atque ut vim legis Synodalis obtineat, decernimus, ac mandamus.

XIV. Dum Clerici divinis Officiis in Choro interſunt, toto Corporis habitu modeſtiam, pietatem, veramque erga Deum religionem præſeferant; dum pſallendum eſt, concordibus pſallant vocibus; ad Magiſtri Cæremoniarum nutum omnes ſimul ſtatis temporibus aut ſedebunt, aut aſſurgent, aut ſtabunt, aut procedent, aut procumbent in genua, Sacraſque Cæremonias pie, ac religioſe exequentur. Laici vero homines, cum divina peraguntur Officia, Chorum, aut Presbyterium non ingrediantur: Ingreſſos autem Chori Præfectus admoneat, ut illico abeant: renuentes ad Nos deferantur, ut debitis eos pœnis coerceamus.

ARTICULUS V.

De publicis ſupplicationibus, aut Proceſſionibus.

I. SUpplicationes publicæ, ſeu, ut ajunt, Proceſſiones nihil aliud ſunt, quam communis quædam Eccleſiæ vox, quæ per Templa, ac per vias Deum adorat, eique vel debitas rependit grates pro beneficiis, quæ in nos quotidie ab immenſa illius largitate proficiſcuntur, vel pias porrigit preces, ut aut novis, quibus indigemus, muneribus nos cumulet, aut flagella iracundiæ ſuæ a nobis placatus avertat; quem in finem cœleſtes omnes Spiritus, omneſque Sanctos cum Chriſto regnantes in cœlis apud Deum adhibet deprecatores. Ut hæ publicæ Sacrorum Eccleſiæ Miniſtrorum, Populique ad Deum ſupplicationes, quas ab ipſo naſcentis (1), vel certe florentis Eccleſiæ exordio inſtitutas fuiſſe non ignoramus, qua decet, religione, ac diſciplina celebrentur; ea, quæ ſequuntur, ſtatuimus, exacteque ſervari jubemus.

II. Antequam publicæ hujuſmodi ſupplicationes fiant, Parochi ſedulo Fidelibus explicabunt, quem ob finem eædem ab Eccleſia fuerint inſtitutæ; quæ in iis myſteria in mentem nobis revocentur; quot, quantaque in nos commoda derivari ex iis poſſint; ac potiſſimum quo animi ſenſu, affectuque pietatis intereſſe Fideles oporteat, ne ſi minus religioſe, minuſve reverenter fiant, non ad optatam miſericordiam flectatur Deus, ſed ad juſtiſſimam provocetur iracundiam. Illos propterea rogabunt, ac hortabuntur, ut omnes quidem ad hunc religionis actum exercendum confluant; ſed ſuo quilibet ordine, ac loco procedant, itaut neque Clero Populus, neque viris mulieres commiſceantur: Omnes etiam ad modeſtiam compoſiti Chriſtianam pietatem ipſo externo corporis habitu, cultuque præſeferant, & vel pias preces, aut divi-

(1) Tertullianus lib. 2. ad uxorem, S. Ambroſ. ſerm. 8., Concil. Laodicen. ſub Silveſtro circa ann. 320. cap. 17., Baron. in notis ad Martyrol. Rom. 25. Aprilis, & in Annal. ann. Chriſti 58.

divinas laudes, quas Clerus incedendo concinit, intimo animi ſenſu comitentur, vel alias ſubmiſſa voce preces recitent, quæ rerum, ac temporum circumſtantiis magis congruere videantur. Cum autem nihil tam Sanctum ſit, ac tam Religioſum, quo non aliquando mali Dæmonis artibus humana abutatur malitia; ut omnis, quoad fieri poteſt, aditus Rectori tenebrarum, qui perambulare ſolet in tenebris, arreptaque pietatis ſpecie incautas animas ſecurius decipit, obſtruatur; Sacras quaſcumque Proceſſiones noctu fieri omnino prohibemus; diurno vero tempore inſtitutas, ante horam vigeſimam quartam abſolvi præcipimus.

III. Cum Sancta Dei Eccleſia in ſacris Paginis *terribilis, ut caſtrorum acies ordinata*, deſcribatur; Jure, meritoque ſuis eadem legibus debitum ordinem, qui in Eccleſiaſtica qualibet Functione adhibeatur, præſcripſit. Hic autem eſt in publicis ſupplicationibus ſervandus ordo. Pridie ejus diei, quo futuræ ſupplicationes erunt, non modo a Cathedrali, ſeu majori Eccleſia, ſed a reliquis etiam Eccleſiis omnibus tam Regularium, quam Sæcularium ſignum ejus rei Populo detur conſueto æris campani pulſu: Per ſchedam (1) præterea omnes Laicorum Sodalitates, omneſque Cleri ordines tam Sæculares, quam Regulares (2) (iis dumtaxat exceptis, qui vel ob arctiorem diſciplinam in ſuis continentur Clauſtris, vel Apoſtolica auctoritate ab his Proceſſionibus eximuntur, vel ultra ſemimilliare ab eo loco diſtant, in quo ſolemnis ſupplicatio inſtituenda eſt) certo ſtatuto tempore ad Cathedralem (3) Eccleſiam, aut ad eam, unde ſupplicandi initium faciendum erit, convenire jubeantur. Poſtridie vero, cum ii, qui publicæ ſupplicationi intereſſe debent, ſuis jam alibi induti veſtibus, in Eccleſiam convenerint; nullo modo per eam vagentur, ſed in conſtituto ſibi loco conſiſtentes, precibus cum ſilentio vacent,

atque

(1) Sac. Congreg. Epiſcop. in Cajetana 5. Junii 1607., & in Ravellenſi 5. Martii 1646.

(2) Trid. ſeſſ. 25. c. 13. de Regularibus, Sacr. Congr. Concil. in Interamnen. 18. Auguſti 1669.

(3) Sac. Cong. Rit. in Foſſanen. 21. Julii 1645. ad 1.

Digitized by Google

atque exeundi tempus opperiantur. Dato per Cæremoniarum Magiſtrum procedendi ſigno, procedent primum Laicorum Sodalitates, deinde Religioſæ Familiæ, tertio Clerus Sæcularis, & Sacri Miniſtri, qui Eccleſiaſticam claudent pompam: poſt hos gradientur Prælati, ſi qui forte adſint, & Protonotarii Apoſtolici: poſtremi incedent Magiſtratus, & Populus in duas diviſus turmas, virorum videlicet, & mulierum, ita ut tamen viri præeant, mulieres ſubſequantur. Qui ſacram conſtituunt pompam, illis quique veſtibus induantur, quibus in publicis Eccleſiaſticis Functionibus indui ſolent, videlicet ſuo Sodales ſacco, Religioſi eo, quo in Choro utuntur, indumento, Clerici demum talari veſte, mundo ſuperpelliceo, ac bireto, & ſi Beneficiati ſint, aut Canonici, aut Dignitates, ſuis ornati incedant inſignibus. Debitus quoque inter illos præcedentiæ ſervetur ordo, itaut tamen minus digni anteeant, digniores ſubſequantur. Inter Sodalitates illa habenda eſt dignior (1), quæ Epiſcopali auctoritate ante alias in eo loco, in quo publica habetur ſupplicatio, fuerit inſtituta; excepta tamen Sanctiſſimi Sacramenti Sodalitate (2), cui præcedentiæ honor in iis ſupplicationibus eſt debitus, in quibus Sacra defertur Euchariſtia, & cujus Priores, ut vocant, cereas accenſas faces deferentes, hinc inde ad umbellæ latus debent incedere. Religioſæ quoque Familiæ debitum inter ſe primatum ſervent ad normam Conſtitutionis (3) hac ſuper re editæ a Gregorio XIII. Pontifice Optimo Maximo. Clerus tandem Sæcularis hoc procedet Ordine. Cathedralis Eccleſiæ Crucem ſequentur primum Clerici in hac Tuſculana Urbe commorantes, mox Alumni Epiſcopalis Noſtri Seminarii, deinde Subdiaconi, Diaconi, ac Sacerdotes ſimplices, tandem Beneficiati, Canonici, ac Dignitates hujus Cathedralis, quibus enixe commendamus, ut quæ in eorum Conſti-

(1) Concil. Prov. Mediol. VI.

(2) Sac. Cong. Rit. in Vercellen. 18. Junii 1695., & in Cremen. 3. Aug. 1697.

(3) Gregorius XIII. Conſtit. 84. *Expoſcit*, & Clemens VIII. Conſtit. 13. *Inter cætera*.

Conſtitutionibus hac ſuper re ſancita ſunt, diligentiſſime exequantur.

IV. Sodalitas quælibet, & quælibet Religioſa Familia propriam deferat Crucem cum Chriſti ex ea pendentis imagine, ſed velum (1) e Cruce vel erectum, vel circumpoſitum pendeat, niſi fortaſſe earum alicui vel ex Apoſtolico Privilegio, vel ex legitima conſuetudine nudam deferre liceat. Sodalitates quoque ſuum deferent labarum, ſeu vexillum, ac tum Sodales, tum Religioſi, tum omnes ex Clero Sæculari, Diſcipulos imitati, quos Chriſtus (2) binos miſit ante faciem ſuam prædicare Evangelium omni Creaturæ, inter eundum bini progrediantur, gravi inceſſu, demiſſis oculis, vultuque ad modeſtiam compoſito, qui internum religionis ſenſum præſeferat. Juſtis inter ſe diſtincti ſpatiis incedant, & pſalmos, hymnos, Litanias, aliaſque conſuetas preces alternatim concinant, vel ſubmiſſa quilibet voce Deum oret, itaut nemo in pio officio, quod obit, ceſſare videatur. Progredientem e Templo (3) pompam feſtus æris campani ſonus proſequatur; idem quoque redeuntem excipiat; Imo & prætergredientem comitetur. Summo mane, antequam ſupplicantium cœtus progredi incipiat, viæ omes, per quas tranſituri erunt, a vicinis eas incolentibus verrantur, abſterſæque ſordes ſedulo amoveantur. Claudantur (4) etiam officinæ omnes, ipſique Opifices, Ferialibus licet diebus, artis ſuæ opus tamdiu intermittant, donec ſacra ex eorum conſpectu abierit pompa: ipſa quoque eſculenta, & poculenta in iiſdem viis venalia exponi omnino vetamus.

V. Si de jure procedendi inter Eccleſiaſticas perſonas ſive Sæculares, ſive Regulares controverſia fortaſſe oriatur; ad Nos opportuno tempore deferatur, aut mature componenda, aut, omni amota appellatione, & non obſtantibus quibuſcumque, a Nobis

(1) Sac. Rit. Cong. ex Bulla Leonis X. in una Neapolit. 14. Januarii 1617., Acta Mediol. Eccl. tit. de ſupelleſt. Eccl. lib.2.

(2) Marci c.6.v.7., & Lucæ c.10. v.1.

(3) S. Carolus in Concil. Mediolanen. Prov. IV.

(4) Synod. Sublacen. ſub Cardinali Barberino anno 1674. cap.20. n.7.

Nobis juxta Sacri Tridentini (1) Concilii decreta, Romanorumque Pontificum (2) Conſtitutiones dirimenda, ac definienda. Quod ſi propter temporis anguſtias fieri id nequeat; ad evitanda ſcandala, conſuetæ fiant coram teſtibus proteſtationes, per quas illæſa maneant partium jura. Interea vero juxta Apoſtolicum monitum *ex charitate fraternitatis honore invicem prævenientes recumbere in noviſſimo loco* non pigeat, cum ſint quam primum majori cum gloria, & cum adverſantium rubore aſcenſuri ſuperius, quin ex unico illo actu quidquam detrimenti redundare in eos valeat.

VI. Dum publicæ ſupplicationes fiunt, nulla ſpectacula, ad ipſas etiam res ſacras pertinentia, aut in viis, aut in plateis exhibeantur, multoque minus id fieri in ipſo ſupplicantium agmine liceat. Neque ænea mortaria, neque alia quælibet bellica tormenta, dum Sacra pompa procedit, explodere quiſquam auſit: id enim Sacra Congregatio (3) Epiſcoporum, & Regularium expreſſe reprobavit, ac vetuit. Quamquam laudabile ſit, ut, qua ſupplicantium agmen incedit, e domorum feneſtris, ac parietibus aulæa, ſtragula, tapetes, aliæque pictæ imagines pendeant; Cavendum tamen quam maxime eſt, ne eædem imagines aut Ethniciſmum redoleant, aut inhoneſtatem. Permittimus quidem, ut floribus, frondibuſque ſternantur viæ, per quas publica ducitur ſupplicatio: At eoſdem flores, frondeſque ſuper prætereuntes dejici, ſub pœnis arbitrio Noſtro irrogandis omnino interdicimus. Quicumque demum, dum Sacræ Proceſſiones aguntur, vel in viis, per quas inceditur, vel in Eccleſiis, intra quarum ambitum religioſa fit ſupplicatio, inconditas, ac turbulentas voces ediderit, aut tumultus, & rixas, ſeu contentiones excitaverit, ad Canonici Juris (4), ac Pontificiarum Conſtitutionum (5) normam graviſſimas luet pœnas. VII. Sup-

(1) Trid. ſeſſ.25. cap.13. de Regularib.

(2) Gregorius XIII. in Conſt. *Expoſuit*, & in Conſtit. *Paſtoralis*, 15. Julii 1583., Sac. Cong. Rituum in Camerinen. 24. Auguſti 1619., in Tullenſi 17.Dec. 1602., & in Elboren. 14.Jan.1617.,& 28.Mart.1628.

(3) Sac. Congreg. Epiſcopor. & Regul. in Ventimilien. 2. Julii 1613.

(4) Cap. *Decet*. de Immunit. Eccleſ. in 6.

(5) S. Pius V. in Conſtit. *Cum primum* 1. Aprilis 1566.

VII. Supplicationes publicæ, & generales Proceſſiones diebus S. Marci Evangeliſtæ, Rogationum, Solemnitatis Corporis Chriſti, aliæque ſecundum laudabilem locorum conſuetudinem jamdudum fieri ſolitæ (1) non omittantur, ſed majori, qua inſtitui poterunt, frequentia quotannis ſtatis horis peragantur. In iis non alii ritus, neque aliæ ſacrarum precum formulæ adhibeantur, quam quibus Sancta Romana utitur Eccleſia, ejuſque Rituales libri præſcribunt. Conſuetis autem Litaniis nulli pro arbitrio addantur Sancti, ne Oppidorum quidem Patroni, aut Eccleſiarum Titulares. Proceſſiones (2), quæ non ſolum in Cathedrali, ſed in aliis etiam, præſertim Parochialibus, Eccleſiis ex Miſſalis præſcripto fieri quotannis ſolent, ac debent diebus Purificationis B. Mariæ Virginis, Palmarum, Feriis quinta, & ſexta Majoris Hebdomadæ, numquam extra Eccleſias, ne circa exteriorem quidem earum ambitum, ſed intra Eccleſias dumtaxat fiant, eaque ſerventur omnia, quæ in Rituali Romano præſcribuntur.

VIII. Cum ad Nos ſolummodo ſpectet (3) publicas in Noſtra Diœceſi ſupplicationes indicere; Præter communes, & conſuetas, nulla (quamquam gravis urgeat, aut impellat neceſſitas) in tota Diœceſi fiat Sacra Proceſſio, & nemo illam indicere audeat, niſi facultatem a Nobis in ſcriptis acceperit, ſub pœna, etiam quoad exemptos, interdicti Eccleſiæ, a qua exierint, & ad quam perrexerint, ipſo facto incurrenda, aliiſque pœnis adverſus tranſgreſſores arbitrio Noſtro infligendis. Regularibus vero permittimus, ut intra Monaſterii ſepta, vel circa Eccleſiæ propriæ ambitum (4) Proceſſiones juxta antiquam, & laudabilem ſui Religioſi

P Ordi-

(1) Clement. *Si Dominum*. de reliq., & venerat. Sanctorum.

(2) Specialis Congreg. de mandato Urbani VIII. 27. Julii, 21. Aug., & 19. Sept. 1628., Sac. Congreg. Epiſc. 6. Aug. 1591., Sac. Cong. Rit. in Aretina 11. Nov. 1613.

(3) Trid. ſeſſ. 25. de Regularibus cap. 13., Sac. Cong. Immunit. in Mediolanen. 13. Januarii 1634., Sacr. Congreg. Concil. in Abulen. 3. Aug. 1586., Sac. Congr. Epiſc. in Cajetana 25. Octob. 1602., Sac. Congr. Rit. in Caballicen. 27. Auguſti 1615., & 18. Febr. 1617., & in Camerinen. 24. Auguſti 1619.

(4) Sac. Cong. Rit. in Savonen. 17. Septembris 1671.

Digitized by Google

Ordinis conſuetudinem ſtatis anni diebus, ſi velint, celebrare valeant: ſolemniores (1) tamen, ac generales Proceſſiones, per Civitatem, vel per Noſtræ Diœceſis loca ſine peculiari Noſtra licentia deducere iidem nequeant. Harum autem, aliarumque Proceſſionum occaſione comeſſationes, & compotationes ſub pœnis arbitrio Noſtro inurendis abſint omnino; & Laici potiſſimum, qui Sodalitiis adſcripti ſunt, diligenter caveant, ne proprio induti ſacco divagentur per loca; ne tabernas, aut cauponas ingrediantur; aut aliis hujuſmodi indecoris actibus Sacram Functionem dehoneſtent.

CAPUT X.

DE VOTO, ET JUREJURANDO.

I. Votum eſt promiſſio (2) facta Deo de meliori bono: Jusjurandum autem eſt actus, quo Deus ipſe in veritatis, quæ aſſeritur, Teſtem invocatur. Uterque actus, ſi rite, recteque fiat, ad virtutem Religionis pertinet: utroque enim colitur, & honoratur Deus, cum per priorem nos infinitam Dei Majeſtatem, per poſteriorem vero ſummam ejuſdem Veracitatem profiteamur, ac veneremur juxta illud Iſaiæ (3): *Colent eum in hoſtiis, & muneribus, & vota vovebunt Domino*, & juxta S. Auguſtini (4) dictum: *quid eſt jurare, niſi jus Deo reddere?* Cum autem tum votum, tum jusjurandum apud Populum frequentiſſime uſurpetur (facile enim vovere mulieres, facilius viri jurare ſolent,) plura hic monendi ſunt Parochi, ut Fideles curæ ſuæ commiſſos rectam vovendi, jurandique rationem edoceant, omnem vero, qui apud eos hac in re fortaſſe irrepſerit, abuſum evellant.

II. Primum itaque Fidelibus in memoriam revocent, quæ de voto ſcripta ſunt in Deuteronomio (5): *Cum votum voveris Domino*

(1) Sacr. Congreg. Rit. in Senogallien. Terræ Corinaldi 22. Junii 1675. in reſponſ. ad 8.

(2) Cap. *Litteraturam*, de voto, & voti redemptione.

(3) Iſaiæ cap. 19.

(4) S. Auguſt. ſerm. 180., alias 28. de verbis Domini c. 6.

(5) Deuteron. cap. 23.

mino Deo tuo, non tardabis reddere, & ſi moratus fuer is, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſque pecc ato eris: quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis. Quare illos edoceant (1), voventem fieri graviſſimi peccati reum, ſi quæ Deo promiſerit, non ſolvat, cum poſſit: Maxime vero mulieres redarguant, quæ nimiam vovendi facilitatem culpabili ſæpe executionis tarditate compenſant. Illas itaque moneant, ut non, niſi poſt maturam rei diſcuſſionem, auditoque prius Confeſſarii conſilio, vota ſua Deo nuncupent: quæ autem ita nuncupaverint, quam primum poterunt, ſancte, & alacriter exequantur. Illud quoque ſignificent (2), ad hæredes una cum hæreditate obligationem transferri voti realis, quo Defunctus rem aliquam, vel aliquam pecuniam Deo promiſerit, quam tamen mox non ſolverit: ſolvenda enim tunc ex ipſa hæreditate ab iiſdem erit, niſi violati voti fieri velint rei.

III. Sacerdotes ſive Sæculares, ſive Regulares, qui ad Sacramentales Chriſtifidelium confeſſiones excipiendas approbati a Nobis fuerint, nullo modo (3), niſi Apoſtolicum ad id habuerint Privilegium, facultatem ſibi arrogent diſpenſandi, aut commutandi vota, ſeu promiſſoria juramenta, quibus aliquid ad Dei obſequium, cultumque, promiſſum a Fidelibus fuerit. Hujuſmodi enim poteſtas, ſeu facultas Summo Pontifici dumtaxat, Epiſcopis, aliiſque, qui in externo Foro juriſdictione funguntur, & quidem in Fideles ſibi ſubjectos, jure ordinario competit: quare ab eadem facultate Parochi quoque ſe excluſos eſſe intelligant. Si cui vero a Nobis detur (4) commutandi vota, ac promiſſoria juramen-

(1) Cap. *Licet*. de voto, Innocentius I. epiſt. 2. ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem cap. 12. & 13., S.Th. 2.2.q.88. art.3. & 4., & in 4.ſent. art.2. qu.1.ad 7.

(2) Cap. *Licet*. de voto, cap. *Si hæredes*. de teſtamentis, cap. *Ex parte*. de cenſibus, & cap.1. de ſolutionibus.

(3) Cap. *De peregrinis*, cap. *Venientis*, cap. *Non eſt*. de voto. S. Th. 2. 2. qu.88. art.12., S. Antoninus par.2. tit.10. cap.6.

(4) Cap.1., cap. *Magnæ*. de voto, cap. *Quod votum*. de voto in 6., cap. *Cum primum*. de renunciat., cap *Cui licet* 53. de regulis juris in 6., Sixtus IV. in ſua Conſt. *Etſi Dominici*. inter extravag. commun. tit. de pœnit. & remiſſion.

ramenta facultas, non proinde is conceſſam ſibi etiam eſſe diſpenſandi facultatem arbitretur. Quicumque etiam vel a Nobis, vel ab Apoſtolica Sede facultatem obtinuerit vota tum commutandi, tum diſpenſandi; non proinde diſpenſare ſe poſſe putet, aut commutare juramenta promiſſoria facta in favorem tertii, & ab hoc acceptata, aut vota ſolemnia jam emiſſa, aut tria majora vota Romano Pontifici reſervata, videlicet Caſtitatis Perpetuæ, Religionis approbatæ, ac Peregrinationis ſive Jeroſolymitanæ, ſive Romanæ, ſive Compoſtellanæ, aut tandem vota pœnalia, quæ præſervativa a peccato nuncupantur. Hujuſmodi enim juramenta, ac vota neque commutare, neque diſpenſare quis poteſt, niſi ſpecialem ad id a Sede Apoſtolica obtinuerit facultatem, atque in ejus conceſſione ſpecialis, ac individua dictorum juramentorum, votorumque mentio fiat; excepta pœnalium votorum commutatione, quam Benedictus XIV. (1) ab habente facultatem commutandi vota fieri poſſe edixit, *ſi commutatio futura judicetur ejuſmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet, quam prior voti materia*. Tandem Confeſſarii illi, ſive Sæculares, ſive Regulares (2), quibus facultas hujuſmodi, vel a Nobis, vel a Romano Pontifice delegata fuerit, meminerint, ſe poteſtate hac ſpirituali, Romano Pontifici a Chriſto tradita, ipſiſque ab eo, vel a Nobis communicata, uti debere non in deſtructionem, ſed in ædificationem Eccleſiæ, neque tamquam Dominos, ſed tamquam prudentes diſpenſatores, ex rationabili videlicet, juſtaque dumtaxat cauſa, diſpenſare, aut commutare valide, ac licite poſſe.

IV. Ut in Dei honorem vergat jusjurandum, veræque ſit Religionis actus, emitti a Fidelibus debet, juxta Prophetæ (3) monitum, *in veritate*, *in juſtitia*, *& in judicio*. Frequenter id Parochi, diſtincte, accurateque Populo explicent, eumque tum a nimia jurandi facilitate, tum a juramento de re mala facienda, modis

(1) Benedictus XIV. in ſua Conſtit. quæ incipit: *Benedictus Deus*.

(2) Cap. *De peregrinis*, cap. *Non eſt*. de voto, & S. Th. 2. 2. qu. 88. art. 12., & S. Antoninus par. 2. qu. 11. cap. 2.

(3) Jeremiæ cap. 4.

modis omnibus abſterreant. Doceant itaque, ut jusjurandum fiat in *veritate*, oportere, ut verum ſit, aut ſaltem gravibus ex cauſis verum eſſe exiſtimetur a jurante, quidquid is juramenti interpoſita religione affirmat, aut negat: Si enim jurans, veritatem dictis ſuis deeſſe aut ſciat, aut putet, aut dubitet, perjurus fit, graviſſimoque ſe crimine alligat: Ut fiat *in juſtitia*, opus eſſe, ut juſta res ſit, licita, atque honeſta, quam quis jurejurando pollicetur: ſi quis enim rem graviter malam ſe facturum juraret, grave crimen admitteret, &, cum *juramentum* (1) *non debeat eſſe vinculum iniquitatis*, a re promiſſa præſtanda debet abſtinere, niſi alterius gravis culpæ reus eſſe velit: Tandem ut fiat *in judicio*, non, niſi cum neceſſitas, vel charitas, vel obedientia juramentum exigit, emittendum illud eſt: divinam enim dedecet Majeſtatem, facile, & quaſi per jocum abſque rationabili cauſa in quacumque re levi Deum in teſtem advocare contra Eccleſiaſtici (2) præceptum: *Jurationi non aſſueſcat os tuum*; & contra Jacobi Apoſtoli monitum (3): *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum: Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt, non, non, ut non ſub judicio decidatis*. Quod ſi quis ex nimia, quam contraxit, jurandi facilitate, proximo pejerandi periculo ſe obnoxium eſſe intelligat (quod quidem facile, apud rudes præſertim homines, uſuvenire ſolet) ſciat, divino ſe adigi gravi præcepto curam omnem, diligentiamque adhibendi, ut contractum facile jurandi habitum a ſe penitus avellat, atque eradicet. *Qui intelligit*, inquit S. Auguſtinus (4), *non in bonis, ſed in neceſſariis jurationem habendam, refrænet ſe, quantum poteſt, & non utatur, niſi neceſſitate*.

V. *Cum odibilis* (5) *ſit Deo, qui ſophiſtice loquitur*; Reſtrictiones pure mentales, inanes æquivocationes, atque amphibologias, ſi in juramentis adhibeantur, præſertim in judiciis, & contractibus, tamquam noxia perjuria rejicimus, damnamus, atque in pra-

(1) Cap. 18. de jurejurando.
(2) Eccleſ. c. 23. v. 9.
(3) Jacobi c. 5. v. 12.
(4) S. Aug. lib. 5. de Serm. Domini c. 17.
(5) Eccl. cap. 38.

in praxim deduci prohibemus. *Quacumque enim arte verborum quiſquis juret* (ut ait S. Iſidorus (1) Hiſpalenſis Epiſcopus) *Deus tamen, qui conſcientiæ teſtis eſt, ita hoc accipit, ſicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui & Dei nomen in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.* Cui quidem doctrinæ conſonant Sacri Canones (2), Sancti Patres, & Apoſtolica Romana Sedes, quæ ſub Innocentio XI. plures huic doctrinæ contrarias proſcripſit propoſitiones, quas Nos etiam proſcribimus, ac damnamus.

VI. *Falſidicus teſtis tribus perſonis eſt obnoxius*, ut optime docet S. Auguſtinus, *primum Deo, cujus præſentiam* (3) *contemnit: deinde Judici, quem mentiendo fallit: poſtremo innocenti, quem falſo teſtimonio lædit. Item uterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia & ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat.* Utriuſque graviſſimi hujus criminis atrocitatem Populo Parochus deſcribat, ut Fideles tum a falſo ferendo teſtimonio adverſus proximum ſuum, tum ab occultanda veritate Judici legitime interroganti abſterreantur, cum præcipue utrumque fiat interpoſita jurisjurandi religione. Illud etiam adjungat, adverſus utrumque crimen graviſſimas in utroque Jure tum Civili, tum Canonico pœnas eſſe conſtitutas, in quibus irrogandis ſeverum eſſe Judicem oportet, ut ſaltem propter pœnarum metum perverſi homines ab his perpetrandis criminibus abſtineant.

VII. In cauſis civilibus, in quibus, ex defectu probationum, definienda lis eſt per juramentum deciſorium, quod, approbante Judice, a parte parti defertur, vel refertur, omnino interdicimus, ac prohibemus, ne Judex (4) ſive Laicus, ſive Eccleſiaſticus utramque partem jurare unquam compellat, aut ſinat, *cum ſine dubio, duobus contra ſe jurantibus, unus perjurus efficiatur, neceſſe*

(1) S. Iſidorus Hiſpalen. lib. 2. cap. 31.

(2) Can. *Quacumque arte*. cauſ. 22. q. 5., Innocentius XI. 2. Martii 1679. in damnat. propoſ. 25., 26., 27., & 28., S. Aug. lib. contra mendacium cap. 18., & S. Th. 2. 2. qu. 89. art. 7.

(3) Cap. *Falſidicus*. de crimine falſi, cap. 1. de teſtibus; cap. *Ad audientiam* de jurejurando. S. Th. 2. 2. qu. 70. art. 1., & 4.

(4) Conc. Valentinum III. can. 11. anno 858., cap. fin. de jurejurando.

ceſſe ſit, ut optime monuit Concilium Valentinum III. Præterea ſi quando in foro Noſtro Eccleſiaſtico juramenti in contractu præſtiti (1) petatur abſolutio; eadem non, niſi ad Sacrorum Canonum normam, concedatur, ita videlicet, ut primum non ſit commiſſum perjurium; deinde ut, citata parte, conſtet conſenſum in contractu jurato præſtitum, per vim, vel metum, aut dolum fuiſſe a contrahente extortum; vel conſtet, ex promiſſione quidem nullum jus parti adverſæ competere, ſed obſtare dumtaxat juramenti religionem; cujuſmodi ſunt juramenta illa, quæ adduntur contractibus, qui in pœnam turpitudinis ex parte alterius contrahentis ortæ, vel orituræ, a legibus vel prohibentur, vel infirmantur. Quod ſi ad agendum dumtaxat juramenti abſolutio petatur, eam denegari volumus, quoties conſtet, calumniandi dumtaxat animo abſolutionem poſtulari. Tandem jusjurandum (2) de veritate dicenda, quod alias exigi ſolebat in cauſis criminalibus a Reis hominibus criminaliter inquiſitis, qui uti principales conſtituebantur examen ſubituri, Concilii Romani decreto obſequentes volumus, ut in omnibus Noſtræ Diœceſis Tribunalibus ab iiſdem Reis (niſi tamen ut Teſtes quoad alios examinentur) numquam exigatur: alias examen, ſive Conſtitutum, *& acta omnia ſint eo ipſo nulla, & irrita, omnique careant contra Reos effectu*; ut ejuſdem Concilii verbis utamur. Non loquimur hìc de ſanctæ Inquiſitionis Tribunali, in quo peculiaris ſua ſervanda eſt praxis ſupremo Apoſtolicæ Sedis oraculo comprobata.

(1) Cap. *Debitores*, cap. *Si vero*, cap. *Verum*, cap. *Cum contingat* de jurejurando, cap. *Licet* eod. tit. in *6.*, cap. *Quamvis pactum* de pactis in *6.*, cap. *Ad aures*, cap. *Ad audientiam*, de iis quæ vi, metuſve cauſa fiunt.

(2) Concil. Rom. ſub Benedicto XIII. tit. 13. cap. 2.

CA-

CAPUT XI.

DE ADORATIONE DEI, CULTUQUE DEIPARÆ VIRGINIS.

I. NEmo eſt rationis, Fideique lumine præditus, qui non intelligat Deum Optimum Maximum non modo internis, verum etiam externis adorandum a nobis eſſe ſubmiſſionis, ac reverentiæ ſignis, quibus infinitam ejus Majeſtatem, atque excellentiam, ſupremumque in creaturas omnes dominium recognoſcamus, ac profiteamur. Id enim naturali, divinoque jure præſtare jubemur; idque a pueris diſcimus, cum primum Decalogi præceptum edocemur. Hujus autem adorationis, cultuſque ſpecies, teſte S. Auguſtino (1), *græca voce latria nuncupatur, quia ea nec colimus, nec colendum dicimus, niſi ſolum Deum, cum ſit quædam proprie divinitati debita ſervitus*. At præter hunc ſoli debitum divinitati cultum, geminam aliam cultus ſpeciem vera Religio agnoſcit, quarum alteram *Hyperduliam*, alteram vero *Duliam* græce nominamus. Prior Deiparæ debita eſt Virgini, quam propter divinæ Maternitatis excellentiam, omniumque ſupernarum gratiarum, ac donorum, quibus cumulata a Deo eſt, plenitudinem, colere quam maxime nos oportet, ac venerari. Poſterior Angelis Sanctis, Sanctiſque Viris, ac Mulieribus in Cœlo cum Chriſto regnantibus convenit, quos plurimum apud Deum, ut ejus Amicos, valere patrocinio credimus, ac proinde venerandos, honorandos, atque invocandos a nobis eſſe Catholica Religio nos docet. Ut triplex hæc cultus ſpecies ſancte, ac religioſe a Fidelibus curæ Noſtræ commiſſis exerceatur, auctoritate Noſtra ordinaria, & a Concilio Tridentino Nobis attributa, ea, quæ ſequuntur, ſervari ab omnibus jubemus.

II. Auguſtiſſimum Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium, quod omnem humanæ mentis captum excedit, & quod, niſi revelatum divi-

(1) S. Aug. Epiſt. 118. ad Januarium, & lib. 7. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1., & lib. 20. contra Fauſtum cap. 21.

divinitus fuiſſet, ab hominibus ignoraretur, frequenter populo explicetur a Parochis, ut nemo ſit, qui non illud probe ſciat, expliciteque credat, ut in Synodalibus hiſce Conſtitutionibus inſinuavimus cap. 1. art. 1. Illud hic adjungimus, optare Nos quam maxime, ut Parochi in Fidelium animis ſummam erga hoc Myſterium pietatem excitent, ac religionem. Cum enim turbulentiſſimis hiſce temporibus tum incredibili morum corruptela, tum effræni cogitandi, loquendi, ſcribendique licentia & Chriſtianam pietatem, & Catholicam Religionem acriter impugnari, ac non parum labefactari doleamus; plurimum ſolliciti, ne tam dira lues Noſtræ Diœceſis fines pervadat, Gregemque Noſtrum inficiat, diu, multumque cogitavimus, qua ratione graviſſimo huic periculo occurreremus. Tandem illud Nobis venit in mentem, ſi Noſtræ Diœceſis Populi Auguſtiſſimam Trinitatem peculiari quodam cultu venerentur, tantumque Myſterium frequenter recolant, ac ferventiori religionis ſtudio proſequantur, futurum, ut Deus Unus, ac Trinus ex benefica Clementiæ ſuæ largitate divinam ſit in iis Fidem una cum morum integritate ſervaturus incolumem. Qua quidem in re tum plurimorum Antiſtitum, tum potiſſimum Sanctiſſimi D. N. Clementis PP. XIII. imitamur exempla, qui in ipſo ſui Pontificatus exordio, cum Eccleſiæ navem, cujus gubernaculo præeſt, graviſſimis tempeſtatibus jactari videret; ut illarum vim infringeret, ac ſuperaret; in tota, quam late patet, Eccleſia frequentius Sanctiſſimæ Trinitatis memoriam recoli, laudeſque celebrari mandavit. *Idcirco* (1) *ad majorem, ſplendidioremque tanti Myſterii gloriam, ut Fideles quoque, qui die Dominico Miſſæ intereſſe debent, latius, atque apertius Sacroſancti ejuſdem Myſterii præconia audientes, debitum & ipſi ſervitutis obſequium Supremæ impendant Majeſtati, ſtatuit, atque decrevit, ut ſingulis Dominicis diebus totius anni, quibus Præfationes propriæ per Rubricas non ſunt aſſignatæ, Sacerdotes omnes utriuſque Cleri, Sæcularis nempe, atque Regularis, Præfationem de Sanctiſſima Trinitate, quæ*

Q *jam*

(1) Clemens XIII. in decreto edito 3. Januarii 1759.

jam inde a vetuſtiſſimis temporibus in uſu fuiſſe dignoſcitur, *in Miſſa recitare tenerentur*.

III. Populos itaque ſibi concreditos hortentur Parochi, primum, ut Auguſtiſſimam Trinitatem, unum videlicet Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate, firmiter credant, reverenter adorent, ac ſincera dilectione proſequantur: deinde, ut Feſtum diem tanto Myſterio ſolemniter celebrando quotannis in Eccleſia deſtinatum religioſius tranſigant; ſancta Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ Sacramenta eo die ſumma cum pietate ſuſcipiant; divinis interſint Officiis; fundendis ad Deum Unum, ac Trinum precibus diutius vacent; alioſque pietatis, ac Religionis actus laudabiliter exerceant: tertio demum, ut quotidie Trinitati Sanctiſſimæ ſe totos dedant, eamque ſuppliciter rogent, ut totam Diœceſim ab omni nequitia cuſtodiat, Catholicamque Fidem, ac morum integritatem in ea conſervet; imo etiam magis, magiſque benevolentiſſime augeat.

IV. Cum autem ex tribus Divinis Perſonis primam (1) *ſub Antiqui dierum ſedentis in Throno*, tertiam vero *ſub columbæ ſpecie*, ſeu imagine Fideles exprimere, & in Templis etiam religioſe collocare conſueverint; rudes, pueri, ac mulieres edoceantur a Parochis, non exprimi illis imaginibus *Divinitatem*, *quaſi ſenſibilis ſit*, *oculiſque corporeis conſpici*, *aut coloribus*, *& figuris exprimi poſſit*; ſed proprietates ſolum, aut actiones aliquas, quæ Divinis illis Perſonis ſpecialiter tribuuntur, ſignificari, ac præterea ſic olim Prophetis, aut Apoſtolis divinas eaſdem Perſonas ſe contemplandas exhibuiſſe, ut ſe humanæ mentis imbecillitati accommodarent.

V. Quemadmodum poſt Regem Amicos Regis colimus, ac veneramur; (honorabiles enim ſunt, quos Princeps honore amicitiæ ſuæ dignos putat, & qui, cum apud eum gratia plurimum valeant,

(1) Synodus Nicæna act. 3., & 7., Trid. Seſſ. 25. decr. de invocat. Sanctorum; Alexander VIII. in dam. propoſ. 25., Catechiſmus Rom. part. 3., S. Aug. lib. de fide, & Symbolo c. 7., Origenes lib. 7. contra Celſum, S. Joan. Damaſ. lib. 4. de fid. Orthod. cap. 17.

valeant, nobis quoque prodeſſe in multis poſſunt); Ita quoque poſt Deum Amicos Dei, Angelos videlicet, & Sanctos cum Chriſto regnantes in Cœlis, colendos a nobis eſſe, ac venerandos, & recta ratio ſuadet, & vera Religio docet. Verum cum Deipara Virgo & divinæ Maternitatis honore, quo major puræ Creaturæ conferri a Deo nequit, & gratiarum omnium, meritorumque ubertate longe creaturas reliquas antecellat; Jure, meritoque excellentiori quodam cultu, quem Hyperduliam dicimus, eamdem veneremur oportet. Curam itaque omnem, diligentiamque in eo collocent Parochi, Confeſſarii, ſcholarum Magiſtri, ac Patresfamilias, ut in omnium Fidelium, ac præſertim in adoleſcentum animis, alte defigatur vera erga Deiparam pietas, atque Religio. Propterea frequenter iiſdem explicent, quanta eadem apud Deum auctoritate polleat, quantoque nos veluti filios amore proſequatur. Iis hac in re utantur verbis, quibus ad Fidelium animos amore erga Deiparam inflammandos uſus eſt S. Bernardus in ſermone de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis, qui inſcriptus fuit *de aquæ ductu*, ubi ſic inquit: *Ad Patrem verebaris accedere: ſolo auditu territus ad folia fugiebas. Jeſum tibi dedit Mediatorem: quid non apud talem Patrem Filius talis obtineat? Exaudietur utique pro reverentia ſua: Pater enim diligit Filium. An vero trepidas & ad ipſum? Frater tuus, & caro eſt, tentatus per omnia abſque peccato, ut miſericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forſitan & in ipſo Majeſtatem verebare divinam, quod, licet factus ſit homo, manſerit tamen Deus. Advocatum habere vis & ad ipſum? Ad Mariam recurre. Pura ſiquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, ſed & pura ſingularitate naturæ. Non dubius dixerim: Exaudietur & ipſa pro reverentia ſua. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet Filium Pater.*

VI. Ut autem præſentiſſimum Deiparæ patrocinium peculiaribus ſuæ ſervitutis officiis Fideles ſibi concilient; Parochi hortationibus, piiſque ſuaſionibus curent, ut in qualibet domo, aut familia vel ſervetur, vel inducatur laudabilis conſuetudo recitandi

Q 2 quoti-

Digitized by Google

quotidie tertiam Roſarii partem, ac Litanias Lauretanas una cum Theologicarum Virtutum actibus, lucrandique Indulgentias plurimas a Summis Pontificibus piæ earum precum recitationi peramanter adnexas. Inſtent præterea, ut diebus illis Feſtis, quibus ſolemnis in Eccleſia quotannis Sanctiſſimæ Dei Genitricis recordatio inſtauratur, Fideles orationi diutius vacent, Deiparam impenſius venerentur, Sanctiſque Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis ea, qua par eſt, pietate muniantur. Tandem illud omni vi, atque ope conentur, ut ſuæ Parœciæ incolæ Deiparæ virtutum exempla imitanda ſibi proponant, eam, veluti Matrem amantiſſimam, diligant, ejuſdemque patrocinium ſive in rebus dubiis, ſive in adverſis fidenter implorent, juxta illud S. Bernardi (1) conſilium: *In periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, & ut impetres ejus orationis ſuffragium, non deſeras converſationis exemplum. Ipſam ſequens non devias; ipſam rogans non deſperas; ipſam cogitans non erras. Ipſa tenente non corruis; ipſa protegente non metuis; ipſa duce non fatigaris; ipſa propitia pervenis.*

VII. Ut aliquid tandem de Sanctis Angelis dicamus; (nam de Sanctis viris, ac Mulieribus in cœlo cum Chriſto regnantibus loquemur inferius) Peculiarem ſane iidem a Nobis Duliæ cultum exigunt, ac reverentiam, ſive eorum naturam, dignitatem, & gloriam, ſive eorum erga nos, univerſumque hominum genus merita, ac beneficia inſpiciamus. Deus enim, cum in principio (2) creavit Cœlum, & terram, inumerabiles in cœlo Angelos, qui ſibi miniſtrarent, atque aſſiſterent, ex nihilo condidit, ac non modo ſpiritualem iis, mediamque (3) inter Deum, & hominem naturam tribuit, verum etiam *eoſdem*, ut ait Auguſtinus (4), *cum bona voluntate, ideſt cum amore caſto, quo illi adhærent, creavit, ſimul in eis & condens naturam, & largiens gratiam*. Quare cum con-

(1) S. Bernardus homil. 2. de laudibus Beatæ Virginis.
(2) Geneſ. cap. 1.
(3) Catech. Rom. par. 4. cap. 9. n. 5.
(4) S. Auguſtin. lib. 12. de Civit. Dei cap. 9.

Digitized by Google

conditi a Deo fuerint, plurimis, maximiſque & naturæ, & gratiæ muneribus aucti, & locupletati, uſurpare illud poſſunt, quod de luce ſcriptum eſt in Sacris litteris: (1) *Ego primogenita prodivi ex ore Altiſſimi*. Verum quamquam cœleſtibus donis ornati omnes fuerint; plurimi tamen in veritate (2) non ſteterunt, & a Deo parente, & Creatore ſuo deficientes, ex Altiſſimis illis ſedibus deturbati ſunt, atque in obſcuriſſimum terræ carcerem detruſi, in quo æternas ſuperbiæ ſuæ pœnas luunt. *Deus enim Angelis peccantibus non pepercit*, ut inquit (3) Apoſtolorum Princeps, *ſed rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos in judicium reſervari*. Reliqui vero Deo firmiter adhærentes, cum in veritate ſtetiſſent, facti ſunt Cœlorum cives, ac domeſtici Dei, ac *ſemper* (4) *vident faciem Patris, qui in cælis eſt*. Hi autem, Apoſtolo teſte (5), *omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis*. Eos enim Deus miniſtros ſuos eſſe voluit, eorumque uti opera non modo ad providam Eccleſiæ ſuæ, ſed ad reliquarum etiam rerum gubernationem. Hinc bonis Angelis tum humana ſpecies, tum alæ affinguntur, ut videlicet Fideles intelligant, quam propenſi iidem ſint in humanum genus, & quam parati, atque alacres ad miniſteria Domini exequenda. Provinciis itaque, ac Regnis Dominus Cœli, ac Terræ Angelicos Spiritus præeſſe juſſit, ut pro eorum incolis preces (6) funderent, eorum vota, lacrymaſque (7) Deo offerrent, eos tandem a maximis cum animæ, tum corporis periculis liberarent. Invocandi proinde ſunt, multaque veneratione proſequendi, tum quod perpetuo Deum intuentur, tum quod ſalutis noſtræ patrocinium ſibi delatum libentiſſime ſuſcipiunt.

VIII. Neque vero Provincias tantum, ac Regna Angeli univerſim cuſtodiunt, ſed ſingulari Dei providentia hæc ipſis quoque commiſſa cura eſt, ut ſingulis præſto ſint hominibus, ne gravius

(1) Eccli. c. 24. v. 5.
(2) Joan. cap. 8. v. 42.
(3) 2. Petri cap. 2.
(4) Matth. cap. 18.
(5) Ad Hebr. cap. 1. v. 14.
(6) Daniel c. 10. (7) Tobiæ c. 12.

vius aliquod detrimentum accipiant, juxta Davidicum illud (1): *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Qua quidem in re, quamquam exclamare præ gaudio cum S. Hieronymo (2) debeamus: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat in ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum*; vehementer tamen etiam admirari nos oportet, ac redamare paternam, qua nos Deus proſequitur, charitatem. Ut enim parentes, ſi infeſtum, & periculoſum filiis peragendum ſit iter, cuſtodes iiſdem admovent, & periculorum adjutores; ſic cœleſtis Parens in difficili hoc itinere, quo ad cœleſtem Patriam contendimus, ſingulis nobis Angelos præpoſuit, quorum ope, diligentiaque protecti, paratas ab hoſtibus vitaremus inſidias, adverſoſque eorum impetus repelleremus, donec rectum ſemper tenentes iter, optatam tandem votorum noſtrorum metam attingeremus. Quamobrem curet Parochus diligentiſſime, ut Fidelium animos ad reverentiam, ac religionem excitet erga Angelicos iſtos Spiritus, noſtræ curæ præpoſitos, & in ſingulorum hominum ſalutis præſidio collocatos. Quotidiana recenſeat beneficia, quibus ob vigilem eorum cuſtodiam tum in iis, quæ ad corpus, tum & multo magis in iis, quæ ad animam pertinent, peramanter cumulamur. Verbis utatur S. Bernardi, qui recitato illo Pſalmi (3) verſiculo: *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*; ſic Fideles alloquitur (4): *Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! reverentiam pro præſentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro cuſtodia. In quovis diverſorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tune audeas illo præſente, quod vidente me non auderes? An præſentem eſſe dubitas, quem non vides? Adeſt igitur, & adeſt tibi, non modo tecum, ſed etiam pro te. Adeſt, ut protegat; adeſt, ut proſit.* Hortetur

(1) Pſalm. 90. v. 11.
(2) S. Hieron. in cap. 18. Matthæi.
(3) Pſalm. 90. v. 11.
(4) S. Bernardus ſerm. 12. in Pſalm. Qui habitat.

Digitized by Google

tetur illos proinde, ut, cum aut tentationum procellis concutiuntur, aut cupiditatum æſtu exardeſcunt, aut etiam corporeis calamitatibus afflictantur, Angelici Spiritus, quem ſui cuſtodem habent, præſidium, atque opem implorent. Quid ſub tantis Cuſtodibus reformidabunt? Illud tamen etiam adjungant, iiſque inſinuent, quod dictum eſt Moyſi (1), cum Angelum illi Deus deſtinavit, qui illum præcederet, & cuſtodiret in via: *Obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet te, cum peccaveris, & eſt nomen meum in illo. Quod ſi audieris vocem ejus, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.*

CAPUT XII.

DE SACRIS IMAGINIBUS, RELIQUIIS, ET VENERATIONE SANCTORUM.

I. SI veteris, novæque Legis teſtimonia, ac traditiones; ſi ſacros Conciliorum Canones, & Summorum Pontificum Conſtitutiones; ſi unanimem Sanctorum Patrum, ac Doctorum ſenſum, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumenta conſulamus; Sacras Imagines in vera Dei Eccleſia magno ſemper in uſu, ſummoque in pretio, atque honore habitas fuiſſe comperiemus. Merito itaque Sacroſancta Tridentina Synodus (2) omnibus animarum Paſtoribus, iiſque, qui docendi munus, curamque ſuſtinent, mandavit, ut fideles diligenter inſtruant, docentes eos, *Imagines Chriſti, Deiparæ, & aliorum Sanctorum, in Templis præſertim, habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam, non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quod ab eis ſit aliquid petendum; vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda; veluti olim fiebat a gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam honos, qui eis exhibetur,*

(1) Exodi cap. 23.

(2) Trid. ſeſſ. 25. de invocat., venerat., & reliqu. Sanctorum, & ſacris Imaginibus.

betur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, itaut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur: id, quod Conciliorum, præſertim vero ſecundæ Nicænæ Synodi, decretis contra Imaginum oppugnatores eſt ſancitum. Illud quoque diligenter docendos eſſe Fideles eadem Tridentina (1) Synodus præcepit, *per hiſtorias myſteriorum noſtræ redemptionis, picturis, vel aliis ſimilitudinibus expreſſas, erudiri, & confirmari populum in articulis Fidei commemorandis, & aſſidue recolendis; tum vero ex omnibus Sacris Imaginibus magnum fructum percipi, non ſolum quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ a Chriſto ſibi collata ſunt; ſed etiam, quia Dei per Sanctos miracula, & ſalutaria exempla oculis Fidelium ſubiiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam, moreſque ſuos componant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam.*

II. Cum itaque tot, tantaque bona ex ſacris imaginibus publicæ Fidelium venerationi expoſitis in intuentium, ac venerantium animos deriventur; Ne ulla (2) aut turpis quæſtus fœditas, aut ſuperſtitionis impietas in populorum mentes irrepat; ſed earumdem veneratio illibata cuſtodiatur; Diſtricte prohibemus, ne qua ſtatua, vel imago in Noſtræ Diœceſis Eccleſiis publice veneranda exponatur abſque Noſtra, ſeu Vicarii Noſtri Generalis licentia, & niſi prius a Nobis, vel a Vicario Noſtro recognita, & approbata, Eccleſiaſtico ritu benedicatur (3). Imagines vel nimia turpitudine (4) indecoras, quæ riſum, aut ſpretum cieant; aut procaci venuſtate depictas, quæ ad laſciviam excitent, aut profanam redoleant pompam, a locis ſacris removeri omnino jubemus, *cum Domum Dei deceat Sanctitudo* (5). Si quæ item Sacræ Imagines

(1) Trid. loc. cit.

(2) Conc. Nicænum II. act. 4., ſexta Synodus Can. 110., Tridentin. loc. cit., Urbanus VIII. Conſtitut. edita 5. Martii 1642.

(3) Pontificale, & Rituale Rom. de benedict. imaginum.

(4) Trid. ſeſſ. 25. de invocat., & S. Carolus in Concil. Prov. III. Inſtruct. de fabric. Eccleſ.

(5) Pſalm. 92.

Digitized by Google

nes aut ſitu, aut vetuſtate, aut humidiori aere, aliove caſu deturpatæ, aut conſumptæ fuerint; e Templis (1), locisſve ſacris removeantur, & vel honeſto in loco reponantur, vel igne ſuppoſito comburantur: earum vero cineres in Sacrarium projici jubemus, quemadmodum de pallis, velis, candelabris, cæteriſque rebus divino dedicatis cultui Sacri Canones edixere. Vivificæ Crucis ſignum (2) in locis turpibus, aut ſordidis, aut irreverentiæ obnoxiis pingi vetamus, & ſi forte depictum ſit, deleri jubemus ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis. Chriſti autem, aut Deiparæ, aut aliorum Sanctorum imagines in ſolo, aut in ſilice, aliiſve marmoribus humi poſitis nemini (3) ſculpere, aut pingere liceat: ſi vero ſculptæ, aut pictæ jam fuerint, inde protinus auferantur honeſtiori in ſede collocandæ.

III. Ut ſuperſtitioni, falſæque pietati omnis, quoad fieri poteſt, aditus obſtruatur; ad ſepulchra defunctorum (4), licet ii in magna Sanctitatis opinione deceſſerint, conſtantique apud Populum patratorum poſt obitum miraculorum fama præfulgeant, anathemata, ſeu, ut aiunt, *vota* Vicarii Foranei, & Parochi appendi non ſinant, neque eorum Imagines laureolis, aut radiis inſigniri, cum iis, quorum Sanctitas ab Apoſtolica Sede approbata non ſit, publicam venerationem, publicumque cultum Sacri Canones, Romanique Pontifices exhiberi vetuerint. Vota vero, pictaſque tabellas, quæ aut Deiparæ, aut Sanctorum Altaribus in accepti alicujus beneficii ſignificationem a Fidelibus appenſa jam fuerint, amoveri, diſtrahi, aut alienari ſine Noſtra licentia minime permittant. Diligenter tamen caveant, ne votivæ tabellæ aut tam deformes ſint, ut horroris, aut riſus occaſionem præbeant, aut obſcænum aliquid exhibeant, quod piorum oculos, animum-

(1) Can. *Altaris*, Can. *Ligna*, de conſecrat. diſt. 2., Can. *Queſti ſunt* cauſ. 17. qu. ultim., & Can. *Quæ ſemel* cauſ. 19. qu. 3.

(2) S. Th. part. 3. qu. 25. art. 4., Sacra Congr. Rit. 22. Maii 1596.

(3) L. unica, cod. *Nemini licere* &c.

(4) Cap. 1. de Reliq., & venerat. Sanct., Trid. loc. cit. verſ. *Ullam inſolitam imaginem*, Urbanus VIII. Conſt. *Sanctiſſimus*. 13. Martii 1625., & Conſt. *Cœleſtis Jeruſalem*. 5. Julii 1634.

que poſſit offendere, has enim nullo modo appendi patiantur, aut ſi appenſæ fuerint, protinus removeri curent. Hortentur præterea Fideles, ut Sacras quiſque Imagines in proprio habeat cubiculo, ante quas mane ſaltem, ac veſpere flexis genibus pias recitent preces, conſcientiam ſuam excutiant, Theologicarum Virtutum actus eliciant, & ex earum aſpectu, ac veneratione ad vitam Chriſtiano homine dignam excitentur. Quæcumque tandem munera ad Sanctorum Reliquias, aut Imagines a Chriſtiano Populo propter accepta divinitus beneficia affluenter offeruntur, Sacri Loci Præſides ſibi non vindicent, ſed arbitrio Noſtro in pium opus, quod magis divinæ gloriæ expedire viſum fuerit, erogentur.

IV. Si qua forte nova patrentur miracula, quæ certa, atque indubia videantur; nemo adhuc ſive Laicus, ſive Clericus (1), ſive etiam Regularis, & exemptus, eadem typis evulgare, aut e ſuggeſtu Populo tamquam authentica annunciare audeat, niſi prius a Nobis diligenti examine diſcuſſa fuerint, auditoque Theologorum, ac peritorum hominum conſilio, fuerint approbata, & expreſſam in ſcriptis facultatem eadem publicandi dederimus. Quicumque autem falſa miracula in vulgus ſpargere auſit, is noverit, ſe excommunicationem Summo Pontifici reſervatam incurrere. Quia vero perſæpe fit, ut vulgi concurſu, Populique clamore aliquid pro miraculo evulgetur, quod revera non eſt, eamque ob famam ad aliquam Sacram Imaginem, aut Eccleſiam Populus turmatim confluat; Ne quid in hoc tumultu inordinatum contingat; Vicario Noſtro Generrli præcipimus, ut primis illis vulgi clamoribus pie obſiſtat, & niſi aliter tumultui occurri poſſit, Eccleſiam claudi, aut Imaginem occultari jubeat, donec rei veritate legitime comperta, & ad Nos per eum delata, quid ad Dei gloriam, & Sanctorum honorem fieri deceat, ſtatuamus.

V. Qui venerabile Crucis ſignum (2), aut Sacras Chriſti Domi-

(1) Trid. ſeſſ.25. loc. cit. §. *Hæc ut fidelius*, cap. *Audivimus*. de Reliq., & venerat. Sanctor., Urbanus VIII. Conſt.39., & Leo X. Conſt.21. *Supernæ*, can. *Placuit*. de conſecr. diſt.1., & Concil. Mediol. I. ſub S. Carolo.

(2) Can. *Unicuique*. cauſ.26.q.5, cap. *Si Canonici* §. *Cæterum*. de offic. ordin. in 6.

Domini, ſeu Deiparæ, ſeu Sanctorum Imagines, aut Reliquias ſacrilego auſu pedibus conterunt, aut per ludibrium irrident, aut alio quovis modo male accipiunt; ii, tamquam vehementer ſuſpecti de hæreſi, Nobis, tamquam Ordinario Fidei Cenſori, denuncientur graviſſimis pœnis pro modo culpæ puniendi. Sacras quidem repræſentationes, quibus Chriſti Domini Nativitas, aut Paſſio, ſeu Sanctorum geſta, aut miracula exhibentur, non reprobamus: Ne tamen quid ſuperſtitioſum, aut falſum, aut indecorum immiſceatur; eas profanis etiam in locis exhiberi vetamus ſub gravibus pœnis adverſus Tranſgreſſores infligendis, niſi expreſſam a Nobis licentiam obtinuerint, ſane non concedendam, niſi opere ad examen revocato, & a Nobis ſpecialiter approbato.

VI. Cereas quaſdam formas, in quarum antica parte Agnus, in poſtica vero Sacra aliqua Effigies exſculpta reperitur, & quas proinde hoc nomine *Agnus Dei* vulgus nuncupare conſuevit, nemo cujuſcumque gradus, conditionis, ac dignitatis aut inaurare, aut minio inficere, aut alio quolibet colore pingere audeat: id enim ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, non tamen reſervatæ, fieri vetuit Gregorius XIII. (1), ob eum videlicet finem, ut eædem *ceræ albæ, & mundæ, Agnum illum purum, & innocentem repræſentantes, qui occiſus pretioſiſſimo Sanguine ſuo nos redemit, decenter, ac reverenter a cunctis haberentur, deferrentur, & cuſtodirentur*. Venales etiam dictos Agnos proponere, aut tenere ſub eadem excommunicationis pœna idem Pontifex prohibuit: vera enim, ac realis ſimonia eſt ſacram benedictionem iiſdem ceris a Romano Pontifice ſolemniter impertitam pretio temporali æſtimare. Neque etiam cuiquam licet cereos ejuſmodi Agnos ad ignem liquefacere, & cum alia cera commiſcere, niſi ſpeciale ad id ab Apoſtolica Sede privilegium quis obtinuerit, cum Paulus V. (2) Monachis Sanctæ Mariæ Fulienſis conceſſerit,

R 2 ut

(1) Gregorius XIII. ſua Conſtit. 2. *Omni certe ſtudio*. (2) Paulus V. Conſtit. 43. *Romanum*.

ut ipſi ſoli, non vero alii, cereos iſtos agnos jam compactos renovare poſſint.

VII. Cum autem Fidelium venerationem, ac religionem erga Sacras hujuſmodi ceras valde imminutam videamus, ac doleamus; illam iterum in eorum animis excitare Parochi diligenter curent. Et primum quidem iis edicant, ceras iſtas a ſolo Romano Pontifice, primo, & ſeptimo quolibet Pontificatus ſui anno, infra Octavam Paſchatis ſolemniſſimo ritu benedici, ac per infuſionem in aquam benedictam, & balſami, ſanctique Chriſmatis commixtione, ac Pontificia benedictione ſanctificatam conſecrari; eaque de cauſa maxime decere, ut non ab aliis, quam a Clericis, qui in Sacris Ordinibus ſint conſtituti, nudis manibus contrectentur. Uberes deinde fructus recenſeant, quos ex pio earumdem uſu percipere poſſunt, ſi velint, illos videlicet, quos Sanctiſſimus Chriſti Vicarius in ſolemni earum benedictione iteratis precibus a Deo precatur, ac poſtulat. Sunt autem hi, *ut Sacrarum illarum cerarum veneratione, atque honore diluantur crimina, peccatorum maculæ abſtergantur, impetretur venia, & gratiæ conferantur; Ut contra omnia diabolica tentamenta virtutem accipiant; adverſus illos, qui eaſdem devote ſecum ferunt, nulla tempeſtas prævaleat, nulla dominetur adverſitas, nulla peſtilens aura, nulla aeris corruptio, nullus caducus morbus, nulla maris procella, ac tempeſtas, nullum incendium, nulla iniquitas noceat, neque prævaleat homo; Ut partus cum Matre ſervetur incolumis; ut ante Sanctæ Crucis vexillum, quod in illis cereis formis exculptum eſt, maligni Spiritus contremiſcant, ac fugiant; ut tandem qui illas ſecum portat, nullam umbram, nullumque ſpectrum reformidet*. Tandem ut ab omni inordinato cerarum iſtarum uſu Fideles abſtineant, iis Parochi inſinuent, quæ Clemens XI. ſervanda præcepit in ſuo edicto, quo Sacrarum Reliquiarum, Sacrarumque Cerarum *Agnus Dei* nuncupatarum venerationi conſulere ſtuduit. Extat hujuſmodi edictum in laudati Sanctiſſimi Pontificis Bullario, & Nos ejus exemplar, ut omnibus in promptu ſit, in Synodi hujus appendice num. 10. damus.

VIII. Sa-

VIII. Sacrarum veteris, novique Teſtamenti Paginarum teſtimonia, receptus jam ab ipſo Chriſtianæ Religionis exordio, & ad præſentem uſque diem retentus, Patrumque conſenſu, & Conciliorum decretis approbatus uſus, quotidiana demum, quæ a Deo per Sanctorum interceſſionem impetramus, beneficia, luculenter nobis ſuadent, eoſdem Sanctos de ſua jam felicitate ſecuros, de noſtra tamen ſalute eſſe ſollicitos, illamque charitatem, qua, dum viverent, flagrabant in proximos, non modo non excidiſſe, verum etiam auctam in immenſum fuiſſe, ac per eam, noſtro omnium beneficio, communionem illam haberi, atque enutriri, quam inter Militantem, ac Triumphantem Eccleſiam intercedere in Apoſtolorum Symbolo edocemur. Poſtulat itaque Chriſtiana Pietas, ac Religio, ut quorum opem in noſtris neceſſitatibus imploramus, ac propitiam experimur, eorumdem memoriam ſancte recolamus, ſacraque oſſa, & reliquias, ipſoſque cineres proni, ſuppliceſque veneremur. *Honoramus* (1) *autem reliquias Martyrum*, ut verbis utamur Sancti Hieronymi, *ut eum, cujus ſunt Martyres, adoremus. Honoramus ſervos, ut honor ſervorum redundet in Dominum, qui ait: Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit.*

IX. Ut itaque debitus Sanctis honor exhibeatur, ea, qua par eſt, decentia, ac religione Sanctarum Reliquiarum theſauros cuſtodiri jubemus. In Thecis (2) proinde argenteis, aut ſaltem ligneis affabre elaboratis, ac deauratis ſerventur incluſæ, chryſtallo, aut mundo, integroque vitro contectæ, ac ſuis in diſtinctis cellulis, proprioque inſcripto nomine collocatæ. Thecæ autem hujuſmodi non ubilibet, ſed in armariis dumtaxat eum in finem decenter ornatis, atque in Eccleſia ipſa, vel in Sacrario conſtitutis includantur, cum hac exteriori Epigraphe: *Reliquiæ Sanctorum*. Clavi præterea obſerentur, vel una, vel etiam duplici, ubi hæc conſuetudo vigeat, quarum altera ab Eccleſiæ Rectore, altera ab iis, ad quos pro diverſo locorum more pertinet, cuſtodiatur. E proximo autem pariete index pendeat vulgari idio-

(1) S.Hieronym. ep.12. ad Riparium. (2) Innoc. III. in Concilio Lateranenſi c.6.

Digitized by Google

idiomate exaratus Reliquiarum omnium, quæ inibi aſſervantur; earumdem vero authentica documenta vel in Eccleſiæ Archivio, vel in alio certo, tutoque loco reponantur. Ne vero temporis progreſſu dictarum Reliquiarum memoria depereat, quilibet Eccleſiæ Rector earumdem catalogum a ſe proprio charactere ſubſcriptum ad Epiſcopalem Noſtram Cancellariam intra duos menſes ab hujus Noſtræ Synodi publicatione, ac promulgatione tranſmittat. Nullæ (1) in poſterum novæ Reliquiæ abſque authenticis litteris a Nobis, ſeu a Vicario Noſtro Generali recognoſcendis, atque approbandis, publicæ Fidelium venerationi exponantur.

X. Si quis ex armariis, thecis, aut vaſculis Reliquiarum (2) cujuſcumque loci noſtræ Diœceſis ſacrilege furari, aut abſque Noſtra licentia Sacras Reliquias, aut earum partem aliquam extrahere, ſibi attribuere, aut aliis donare, obſequio non rationabili ductus audeat, excommunicatione, aliiſque etiam pœnis arbitrio Noſtro irrogandis ſevere punietur. Corpora (3) item Sanctorum de loco ad locum abſque Sedis Apoſtolicæ licentia transferri nequeunt, ne intra quidem ejuſdem Eccleſiæ ſepta, ſi perpetuæ eadem tradita ſint ſepulturæ. At ſi per modum depoſiti aliquo in loco detineantur; vel ſi neceſſitas, aut juſta, & rationabilis cauſa aliter fieri ſuadeat; tunc Noſtra ſaltem auctoritas, & facultas ad id accedat, oportet. Si forte Sacræ Reliquiæ (4) ad ægrotos deferantur, (quod tamen non paſſim fiat, & non, niſi cum debitis facultatibus) Sanctorum oſſa non radantur, neque minimæ eorum particulæ cum potu iiſdem ægrotis deglutiendæ propinentur.

XI. Ut Sacrarum Reliquiarum cultus, ac veneratio in Populis augeatur, Concionatores, & Parochi, captata ſæpius opportuna

(1) Trid. ſeſſ.25. loc. cit., cap. *Cum ex eo*. de Reliq., & vener. Sanct., Sac. Congreg.Concil. in Viterbienſi 26.Junii 1627.

(2) Extravag. *Ambitioſæ*. de rebus Eccleſiæ alienan., can. *Quiſquis inventus*. cauſ.7.qu.4., S.Gregorius PP.lib.3.ep.30., Innocent.III. cap.2. de Reliq., & venerat. Sanctorum.

(3) Can. *Corpora Sanctorum*. de conſecrat. diſt. 1.

(4) Sac. Congreg. Epiſcoporum 7. Decembris 1591.

Digitized by Google

tuna aliqua occaſione, Fideles doceant, hoc pacto Sanctorum memoriam eſſe recolendam, ut, quoties eorum Reliquias publicæ venerationi expoſitas intuentur, ſerio cogitent, momentaneum, ac leve tribulationis æternum gloriæ pondus operatum eſſe in Sanctis; eorum proinde gratulentur triumphis, ac felicitati; Deo, qui fecit victoriam per Jeſum Chriſtum, ex animo gratias agant, eumque per Sanctorum merita ſuppliciter rogent, ut quorum Sacros Cineres venerantur, eorum etiam virtutes feliciter imitandi gratiam largiatur. Ut autem hi Religionis, pietatiſque ſenſus Fidelium mentibus altius defigantur, & externus Sanctorum cultus, ac veneratio augeatur, præcipimus, ut quoties Sanctorum Reliquiæ, vel ex religioſa conſuetudine, vel ob recurrentis Feſti ſolemnitatem publicæ Populi venerationi ſunt exponendæ, Sacerdos ſuperpelliceo, ſtolaque indutus eas ex armario ad Altare deferat, Hymnumque, Antiphonam, & congruentem Orationem una cum Clero, & adſtante Populo concinat. Quamdiu autem apertis Eccleſiæ foribus in Altari manent, tamdiu coram ipſis cereæ ardeant candelæ ad minimum duæ. Numquam tamen eædem Reliquiæ ſub umbella exponantur, neque in Altari, in quo venerationi expoſitum pateat Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, multoque minus cum illo, dum Sacra fit Proceſſio, circumducantur. Cum pluribus in locis ſtata die quotannis Sanctorum Reliquiæ, quæ in aliqua aſſervantur Eccleſia, oſtendi Populo ſoleant, ut illas, qua par eſt, pietate veneretur; Volumus, ut ante hujuſmodi oſtenſionem eædem Reliquiæ a Sacerdote thurificentur, qui illas mox Populo eſt oſtenſurus. Dum is ſuperpelliceo, Stola, & Pluviali indutus ſingulas lente oſtendit Populo, earum nomina clara voce, vulgarique idiomate præleget Clericus aliquis, aut Sacerdos ſuperpelliceo item indutus, eaque diſtincte, graviterque pronunciabit. Tandem omnes Eccleſiarum Rectores hortamur, & enixe rogamus in Domino, ut, ſi pro Eccleſiæ facultatibus fieri poſſit, ante Sanctorum Corpora, ubi hæc habean-

habeantur, & ante Reliquias inſigniores, ſi hæ præſertim in Eccleſia cuſtodiantur, aut quotidie, aut Dominicis ſaltem, Feſtiſque diebus accenſa lampas ardeat.

CAPUT XIII.

DE FESTORUM DIERUM RELIGIOSA, SANCTAQUE OBSERVANTIA.

I. NON modo Deum Optimum Maximum, & Unigenitum ejus Filium Jeſum Chriſtum, Deiparamque Virginem, ac Sanctos omnes cum Deo regnantes in Cœlis, adorandos, colendos, atque invocandos eſſe Catholica Religio nos docet; verum etiam congruam præſtare reverentiam nos jubet temporibus, locis, rebus, ac perſonis peculiari aliqua ratione divino cultui, ſervitioque addictis, & conſecratis. Hìc de reverentia dumtaxat Sacris Temporibus, Dominicis videlicet, Feſtiſque de præcepto diebus debita ſermonem faciemus. De reliquis dicemus inferius.

II. Quamquam homines, ipſa natura Duce, aliquos in anno dies Deo Optimo Maximo conſecrare juberentur, quibus ipſum non intimis modo animi ſenſibus, ſed externo etiam, publicoque cultu adorarent; Cum tamen Deus in Veteri Teſtamento Populo ſuo legem dedit, per quam tuto ambularet in via Domini, Sabbatum ſibi conſecrari juſſit, & hoc eſſe voluit tertium legis ſuæ præceptum (1): *Memento, ut diem Sabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt: non facies omne opus in eo....... Sex enim diebus fecit Dominus Cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo. Idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificavit eum.* Divinum hoc mandatum, abrogatis dumtaxat quibuſdam ritibus, ac cæremoniis, confirmatum a Chri-

(1) Exodi cap. 20., & 21.

a Chriſto Domino fuit in novo Teſtamento, & Sabbati loco Apoſtoli (1) diem Dominicum ſuffecerunt, ut eum diem ſanctificarent, quo Salvator noſter ad immortalem ſurgens vitam de peccato, de morte, ac de tenebrarum Principe triumphavit. Et quoniam in veteri lege, præter Sabbati celebritatem, alii quoque dies Feſti fuerant deſignati, ut præclara Dei opera debita religione, ac memoria Populus proſequeretur, ac fortia geſta celebraret præſtantium Mulierum, ac virorum, Judith, Eſther, Machabæorum, aliorumque, qui in lege Dei cuſtodienda immortalem ſibi gloriam, & laudem comparaverant; In nova quoque lege per Apoſtolos, Romanoſque Pontifices ſolemnes aliqui dies inſtituti fuerunt, ut præcipuis Chriſtianæ Religionis myſteriis, invictiſque Fidelibus ſacri honores decernerentur. *Jam vero ex quo (2) Catholica Noſtra Eccleſia, veteris, novique Teſtamenti oraculis inſtituta, dies Dominicos, alioſque per annum æterno totius temporis Creatori, ac Domino conſecravit; illos ſuis Fidelibus, ad quietem nedum e diuturnis laboribus capeſſendam, ſed & præcipue ad majorem in iis Deo cultum præſtandum, religioſe ſemper obſervari mandavit, omnique adhuc mandat devotione cuſtodiri, ac religione ſanctificari.*

III. Parochi igitur ſolerter curent, ut Feſtos omnes dies Populus ſibi concreditus ſancte, religioſeque cuſtodiat. Duo autem potiſſimum ad Feſtorum ſanctificationem requiruntur; primum, ut Fideles a quibuſdam operibus abſtineant; deinde ut in aliis ſe pie, ac laudabiliter exerceant. Quod ad primum attinet, ad tria capita rediguntur opera, a quibus eſt abſtinendum, cum dies Feſtus agitur; nempe ad opera ſervilia, ad Mercatum, & ad cauſas Forenſes. Præcipitur itaque primum, ut Mechanicæ (3) cujuſcumque artis opera, ruralia, fabrilia, uno verbo ſervilia non exerceantur: Sutores igitur, Cæmentarii, Calcearii, Fabri lignarii, alii-

S que

(1) Benedictus XIV. Inſtit.43.num.14.

(2) Concil. Rom. ſub Benedicto XIII. tit.11. cap.1.

(3) Cap.1., & 3. de feriis, S. Pius V. Conſtit.5. 15.April. 1566., Sac. Congreg. Epiſcop. in Recineten. 16.Jan. 1601., in Bellocaſtren. 1.Sept. 1603., in Cornetana 12. Decembris 1642., in Terracinen. 14. Decembris 1594.

Digitized by Google

que Opifices a ſuæ artis exercitio abſtineant; jumenta onuſta non ducantur; venales non proſtent merces; Mulieres tum ab opere textorio, & a lanificio, tum a purgandis pannis ceſſent; tandem *neque Agricolæ, neque alii quicumque illicitum opus aggrediantur*, ut Leonis ſapientis utamur verbis. *Si enim qui umbram quamdam, atque figuram obſervabant* (videlicet Judæi,) *tantopere Sabbati diem venerabantur, ut ab omni prorſus opere abſtinerent; quomodo qui gratiæ lucem, ipſamque veritatem colunt* (videlicet Chriſtiani) *diem, qui a Domino honore ditatus eſt, noſque ab exitii dedecore liberavit, non venerari par eſt?* Quod ad Mercatum attinet, hic a Nundinis diſtinguitur. Nundinæ enim dicuntur (1), quæ ſunt de rebus majoribus, & ſemel in anno, vel raro in eodem loco fiunt, & de longinquo ibidem conveniunt homines. Mercatus vero ille eſt, qui fit de rebus minoribus ad quotidianas neceſſitates pertinentibus, & quidem ſingulis hebdomadis, & ab hominibus de vicino ibidem convenientibus. Certum autem eſt (2), Mercatus, & Nundinas Feſtis diebus non licere, non quia vendere, ac emere ſit opus ſervile, ideoque vetitum diebus Feſtis; ſed quia actiones hujuſmodi impediunt, & diſtrahunt Chriſtifideles a cultu divino, ad quem dies Feſti ſunt inſtituti. Certum quoque eſt (3), Eccleſiaſticis legibus quovis tempore illas fuiſſe vetitas. Et de Mercatu quidem dubitari non poteſt; uti ex Juris Canonici (4) textibus, ex Pontificiis Conſtitutionibus, & ex pluribus Sacræ Congregationis Concilii decretis liquido conſtat. Quare Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione, ſeu Epiſtola Encyclica, quam ad omnes Ditionis Eccleſiaſticæ Archiepiſcopos, Epiſcopos, atque Ordinarios ſcripſit, ſic iiſdem indicit. *Qua (5) de re omnem dubitandi anſam præcidentes, vobis per hæc Apoſtolica ſcripta mandamus, ne in Diœceſium veſtra-*

(1) Humbertus de Romanis lib.2. de eruditione Religioſorum Prædicat.tract.2. n.92. pag.351. edit. Rom.

(2) Benedictus XIV. in ſua Conſtit.142. tom.1. §.15.

(3) Benedictus XIV. loc. cit.

(4) Cap.1. de Feriis, S. Pius V. in ſua Conſtit.5. §.8., Sac. Cong. Concil. in Ripana Mercat us 2. Maii 1711., & in Barchinonen. obſervationis Feſtorum 13. Maii 1669., & 27. Martii 1683.

(5) Benedictus XIV. cit. Conſtit. §.22.

Digitized by Google

veſtrarum Urbibus, & Locis Mercatus fieri Feſtis diebus patiamini. De Nundinis eadem, quæ de Mercatibus, dicenda eſſent (1), ac ſtatuenda. Verum Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIV. in laudata ſua Encyclica Epiſtola gravibus de cauſis aliquod adhibendum eſſe temperamentum cenſuit, quod omnibus locorum Ordinariis per hæc verba inſinuavit (2): *Conſtituite auctoritate Noſtra matutinas, & veſpertinas horas, quibus Feſto die, quo Nundinæ habentur, claudi debeant Apothecæ, nec publica poſſint exerceri commercia, ut qui ad Nundinas confluxerunt, Miſſæ Sacrificio, ac divinis Officiis interſint, aliiſque Chriſtianis operibus Feſtum ſanctificent. Vigilate, ut omnia plene, & exacte impleantur. Nos autem per publicum Edictum non prætermittemus extendere Nundinarum privilegia ad diem ſequentem, qui Feſtus non erit, ut temporalia negotia paucarum horarum ſpatio propter Dei cultum, & animarum ſalutem intermiſſa, integri diei acceſſione commode peragantur.* Cum itaque in hac Tuſculana Civitate Feſto S. Matthæi die ex antiquiſſima conſuetudine Nundinæ quotannis habeantur, illas quidem permittimus, ſed hac adjecta conditione, ut eæ non amplius, ut olim, in Foro ante Cathedrale Templum, ſed extra Civitatis mœnia inſtituantur, ne videlicet mercatorum, emptorumque clamoribus Populi ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta recipienda confluentis pietas, ac religio perturbetur. Tandem quod ad Cauſas Forenſes ſpectat, utroque Jure, tum Canonico, tum Civili diſtricte (3) prohibetur, ne Feſtis diebus ulli fiant jurati contractus, aut exerceantur judicia, aut litium acta agitentur, aut teſtes, aut juramenta in civilibus cauſis cujuslibet Fori recipiantur; aut demum ſeu publica a Notariis inſtrumenta ſcribantur, niſi cauſæ pietas intercedat, aut magni momenti exigat occaſio; ſeu capturæ vel reales, vel perſonales, niſi in caſibus a Jure permiſſis, executioni demandentur. Uno verbo: præcipitur, ut Feſtis diebus ſub pœna nullitatis actorum

(1) Benedictus XIV. cit. Conſtit. §.25.
(2) Benedictus XIV. cit. Conſtit. §.30.
(1) Cap.1., & cap. *Omnes dies*. de Feriis, L. *Omnes Judices*. cod. Theodoſian. de Feriis.

omnium, utrumque Forum, Eccleſiaſticum pariter, & Laicum, conticeſcat.

IV. Ab his omnibus operibus, quæ modo recenſuimus, diebus Feſtis abſtinendum prorſus eſt, niſi aliud gravis, & vera neceſſitas poſtulet. Nam, uti Tranſilvaniæ populis Nicolaus V. (1) reſpondit, *ceſſante neceſſitate, ab omni opere ſervili abſtinendum eſt diebus Dominicis, & Feſtivis: ſed neceſſitate cogente, non tamen affectata; ſeu procurata, licitum eſt præmiſſa exercere*, videlicet frumentum ſecare, fœnum, cæteraſque fruges colligere &c., quæ quidem opera an die Dominico licerent, Summum Pontificem interrogaverant Tranſilvani. Hæc autem neceſſitas eſſe debet vera, non affectata, ſeu procurata, cujuſmodi ſane eſſet, ſi quis ea, quæ diebus feriatis agere, aut procurare deberet, & poſſet, in diem Dominicum, aut Feſtum ex propoſito differret: tunc enim profecto is neceſſitatem affectaret, ſeu procuraret. Ne qua igitur ſtruendæ fraudis alicui detur occaſio, plura hic a Nobis ad rem, de qua agimus, accommodata ſtatuentur, quæ ab omnibus, & ſingulis exacte ſervari jubemus.

V. De faciendi operis ſervilis neceſſitate, an vera ſit, ac tanta, ut exerceri opus licite valeat, Noſtrum erit judicium, ne videlicet homines æqua Sacrorum Canonum indulgentia abutantur, rerumque domeſticarum amore obcæcati divinas, humanaſque leges in controverſiam temere adducant, iiſque privato ſe judicio liberos, ſolutoſque declarent. Quamobrem (2) vindemiarum, meſſis, fœni, aut aliorum terræ fructuum colligendorum tempore, vel quandocumque ſervile aliquod opus neceſſitas exigit, aut pietas ſuadet, nemini liceat Feſtis diebus operibus ſervilibus vacare (ſi præſertim publica ſint,) in Civitate Tuſculana abſque Noſtra, vel Noſtri Vicarii Generalis, in aliis vero Noſtræ Diœce-

(1) Apud Raynald. an.Chr. 1447. n.28.

(2) Cap. finali de Feriis, cap. *Novit*, de judiciis, cap. *Cum ſit generale*, de foro compet., Urbanus VIII. Bulla 164. *Univerſa*, Sac. Rit. Congreg. in Recineten. 9. Decemb. 1700., Sac. Congreg. Concilii 22. April. 1599., Sac.Cong.Epiſc.12 Martii 1601., & in Caſtellan. 21.Aug. 1615.

Diœceſeos locis abſque Vicariorum Foraneorum expreſſa licentia in ſcriptis, & gratis omnino concedenda; adiecta tamen ſemper monitione, & conditione, ut non proinde, qui ejuſmodi licentiam impetrant, ſe ab onere audiendi Sacrum ulla ratione ſolutos eſſe arbitrentur. Vicarii (1) autem Generalis, & Vicariorum Foraneorum conſcientiam graviter oneramus, ut non, niſi gravi exigente neceſſitate, ac ſine ullo prorſus pretio, ac pacto, tum directe, tum indirecte, prætextu etiam eleemoſynæ piis uſibus applicandæ, ejuſmodi licentiam impertiantur. Cum hujus licentiæ (2) conceſſio exercitium ſit juriſdictionis in foro externo, ab ea Parochi ſe abſtineant, niſi forte & Vicarii Foranei abſint, & periculum ſit in mora, & ad Vicarium Noſtrum Generalem recurri commode nequeat. Molendinorum (3) operarii ceſſent diebus Feſtis ab advehendo ad Molendinum tritico, a revehenda ad Piſtorum, ſeu privatorum domos farina, a tundendis ſcalpro molis, a reſarciendis rotis, aut alio quovis opere præſtando circa Molendinum, niſi forſan, ob plurium Feſtorum continuam frequentiam, aut urgentem utilitatis communis cauſam, in ſcriptis, ut ſupra, licentiam obtinuerint. Mola quoque olearia Feſtis diebus a terendis olivis ceſſet. Lanii (4), Macellarii, Cupedinarii, cæterique omnes, qui carnes, ſalſamenta, aliave eſculenta ad victum diurnum neceſſaria in officinis vendunt, id negotii, Feſtis etiam diebus, ſuſcipere non prohibentur, dummodo Miſſæ, Concionis, divinique Officii tempore apothecas ſuas omnino claudant; reliquis vero diei horis earum tantum oſtiolum recludant. In majoribus (5) tamen anni ſolemnitatibus, ſcilicet Natalis Domini, Paſchatis, & Epiphaniæ licentia vacandi operibus ſervilibus dene-

(1) Urbanus VIII. cit. Conſt. §. 3., Sac. Cong. Epiſcop. in Umbraticen. 15. Januarii 1619., & in Uliſſiponen. 7. Decembris 1691.

(2) Sac. Cong. Epiſc. 18. Julii 1594., & 18. Novembris 1597.

(3) S. Carolus Borromæus in edicto pro dierum Feſtorum obſerv. inſerto in Actis Eccl. Mediolanen. tom. 1.

(4) Synod. Sublacen. c. 18. §. 4., ſeu ad medicinam.

(5) Cap. 3. de Feriis, Sac. Cong. Epiſc. in Hieracenſi 20. April. 1587.

denegetur omnino; imo ne ea quidem, quæ ad victum ſunt neceſſaria, vendere liceat, juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem, & laudabilem hujus Civitatis, Diœceſis, atque Almæ Urbis Romæ conſuetudinem.

VI. Si ut Feſti dies rite, ſanctéque ſerventur, ab operibus ſervilibus, a Mercatu (qui, ſi in diem Feſtum incidat, in anteriorem, vel poſteriorem transferri debet diem) & a Forenſibus cauſis abſtinendum eſt; quanto impenſius (1) ab omni crimine iis diebus perpetrando cavere debent Fideles, cum nulla ſit turpior, atque execrabilior ſervitus, quam ſervitus peccati, & nihil ſit, quod hominem a divinis rebus, atque a Deo magis avertat, quam opus peccati! Hinc S. Thomas (2), cum docuiſſet opera ſervilia eam ob cauſam Feſtis diebus interdici, quia divinis rebus ne vacemus, magnopere impediunt, ſubdit: *Et quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis ſit corporale; ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die Feſto, quam qui aliud corporale opus licitum facit*. Proinde Parochi populum inſtruant, ſi non diſtincto reatu, certe multo gravius peccari, Deumque magis offendi lethali culpa, quæ die Feſto admittatur, quam ſi eadem culpa profeſto die patraretur. Quapropter ſuadeant, obſecrent, increpent, ne Fideles ad otium, ad peccata, ad convivia, ad comeſſationes, ad ebrietatem, ad ludos, ad ſpectacula, ad choreas, aliaque id generis Feſtis diebus abutantur, ſed divinis Laudibus vacent, Deumque in Templis colant, ac revereantur: Secus enim quadrare in eos poterunt, quæ de Judæis ſcribit S. Auguſtinus (3): *obſervant Sabbatum non ſpiritualiter, ſed carnaliter, quia otio abutuntur ad nequitiam: melius enim tota die utique foderent, quam tota die ſaltarent. Melius facerent in agro ſuo aliquid utile, quam in theatro ſeditioſi exiſterent. Melius fœminæ eorum*

(1) Can. *Omnis Chriſtianus*. de conſecr. diſt.1., & Can. *Irreligioſa*. de conſecr. diſt.3., & can. *Conſideret*. de pœnitentia diſt.5.

(2) S. Thomas 2.2. qu.122.art.4. ad 3., Catechiſmus Roman. in 3. Decalogi præceptum.

(3) S. Auguſtinus lib. de decem chordis cap.3., & in concione 1. in Pſalm.32.

rum die Sabbati lanam facerent, quam tota die in mœnianis ſuis impudice ſaltarent.

VII. Hactenus de operibus egimus, a quibus, cum dies Feſtus agitur, abſtinere jubemur. Pauca nunc de iis operibus ſtatuamus, quæ, ad Dei cultum, obſequiumque, Feſtis diebus præſtanda eſſe Religio nos docet. Primum (1) itaque omnibus, qui Chriſtiana Profeſſione ſignantur, ab Eccleſia diſtricte præcipitur, ut Miſſam Dominicis, ac Feſtis diebus audiant, cui quidem ſumma religione, ac pietate intereſſe illos oportet. Eam autem in Parochiali Templo audire deceret quam maxime, ut ibidem concioni adeſſe poſſent, quam Parochus inter Miſſarum ſolemnia iis diebus eſt habiturus. At profecto Dei voluntati non faceret ſatis, qui in eo ſolum Feſtorum dierum celebrationem conſtitueret, ut rei divinæ intereſſet, non vero etiam omni ſtudio contenderet illos ferme totos in ſacris meditationibus, ac precibus, aliiſque Chriſtianæ charitatis, ac Religionis operibus obeundis tranſigere. Quapropter omni ope, ac vi Fideles ſuos Parochi hortentur, ac moneant (2), ut Feſtis diebus Deo impenſius vacent, Templa religioſius adeant, Sacramentis ſe mundent, & communiant, Concionibus, diviniſque Officiis interſint, ac ferventius in aliis ſe operibus Chriſtianæ pietatis exerceant. Sacerdotes vero, & Clerici, ut bonum Populo exemplum præbeant, Matutinis, ac Veſpertinis Officiis omnino interſint, ac pſallant, Sacras, quæ in Eccleſia fiunt, functiones obeant, atque orationi, & precibus in Templo diutius vacent. Dum vero Miſſa (3) ſolemnis, divina Officia, Sacra Concio, Doctrina Chriſtiana, vel quæcumque alia Eccleſiaſtica functio celebratur, nulli in Eccleſia, aut prope ipſam ſtrepitus, clamores, aut importunæ confabulationes permittantur. Imo (4) ne in ipſa quidem platea, quæ Templo eſt proxima, divi.

(1) Can. *Miſſas*, & Can. *Omnes*. de conſecr. diſt. 1., Concil. Agathenſe can. 47. ann. 506., & Conc. Aurelianenſe can. 26. an. 511., & Conc. Rom. ſub Bened. XIII. tit. 11. cap. 1.

(2) Concilium Romanum ſub Benedicto XIII. tit. 11. cap. 1.

(3) Can. *Irreligioſa*. de conſecr. diſt. 3.

(4) Can. *Qui die*. de conſecr. diſt. 1.

Digitized by Google

divinorum Officiorum tempore cantilenæ, inſtrumentorum concentus, ſaltationes, ſpectacula, circulatorum ineptiæ, luſuſve quilibet ullatenus tolerentur. Nulla etiam Feſtis diebus ſpectacula cæteroqui licita præbeantur, niſi poſt divina Officia, & ex peculiari licentia ad id a Nobis, aut a Vicario Noſtro Generali conceſſa.

VIII. Parochi frequenter (1) moneant Patresfamilias, ac Dominos, ut filios, ac famulos, quos vel in paſcendis pecoribus, vel in vineis cuſtodiendis, vel in colligendis herbis, aliiſve ruſticis laboribus ſubeundis ruri occupant, Feſtis ſaltem diebus Miſſæ jubeant intereſſe: ſecus enim Deo omnium Patri, ac Domino pro illis rationem erunt reddituri. Herus item, Pater, ceterique, quorum juſſu filii, famuli, aliique ſub eorum poteſtate, & cura conſtituti, diebus Feſtis ſerviliter laborant, ſe violatores eſſe hujus præcepti ſciant, ac pœnis arbitrio Noſtro infligendis eſſe puniendos. Nequa vero ignorantiæ excuſatio Feſtorum tranſgreſſoribus ſuffragetur, diſtricte Parochis, & Capellanis ruralibus præcipimus, ut ſingula Feſta de præcepto (2) ſive fixa, ſive mobilia, & jejunia per unamquamque hebdomadam recurrentia, die Dominico præcedente inter Miſſarum ſolemnia Populo ſignificent, & pridie cujuslibet Feſti poſt veſpertinam Angelicam ſalutationem ſolemni campani æris ſono ſacræ impendentis ſolemnitatis excitent recordationem.

IX. Præter diem Dominicum, qui Judæorum Sabbato ab Eccleſia ſubſtitutus eſt, hos alios Feſtos dies in univerſa Eccleſia ex præcepto ſervandos indixit Urbanus VIII. peculiari ſua Conſtitutione (3), ubi §. 2. ſic inquit: Motu proprio, & ex certa ſcientia, meraque deliberatione noſtris; nec non de prædictæ Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, hac perpetuo valitura Conſtitutione, de voto etiam Ven. Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus Præpoſitorum, Apoſtolica auctoritate decernimus, & de-

(1) Concil. Prov. Mediolanenſe I. ſub S. Carolo. (2) Can. *Pronunciandum*. de conſecr. diſt. 1. (3) Urbanus VIII. Conſt. 164. *Univerſa*. edita Idib. Sept. 1642.

Digitized by Google

& declaramus, infraſcriptos dumtaxat dies pro Feſtis ex præcepto colendos eſſe, quos nempe vel ab initio veneranda ſacravit antiquitas, vel univerſalis Eccleſiæ probavit conſuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur; Dominicos ſcilicet dies totius anni, Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis cum duabus ſequentibus Feriis, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duabus ſequentibus Feriis, Sanctiſſimæ Trinitatis, Solemnitatis Corporis Chriſti, & Inventionis Sanctæ Crucis, necnon feſtivitatum Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, & Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, SS. Petri, & Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi, & Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis, & Judæ, & S. Matthiæ, Chriſti Domini Apoſtolorum, item S. Stephani Protomartyris, SS. Innocentum, S. Laurentii Martyris, S. Sylveſtri Papæ, & Confeſſoris, S. Joſeph etiam Confeſſoris, & S. Annæ, Deiparæ reſpective Sponſi, ac Genitricis, Solemnitatis omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, ſive Provincia, & alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, & venerari contigerit. His autem diebus alium Feſtum diem addidit Clemens XI. (1), Conceptionis Immaculatæ Deiparæ Virginis Mariæ.

X. Cum ex Bulla Urbani VIII., ut vidimus, ſervandus quoque ex præcepto ſit in quolibet Oppido Feſtus dies Patroni Principalioris ejuſdem Oppidi; Municipalia proinde Noſtræ Diœceſis Feſta in poſterum ſervanda, & a Parochis, uti ſuperius diximus, Populo prænuncianda recenſebimus, ne ulla deinceps ſuper debita eorum obſervantia controverſia, aut dubitatio oriatur.

XI. Cum Tuſculani Cives Sanctis Sebaſtiano, & Rocco beneficentiſſimis Patronis ſuis minus principalibus acceptum referrent, quod proxime elapſo ſæculo cum dira lues finitima loca depopu-

T

(1) Clemens XI. in ſuo peculiari Brevi.

popularetur, immunes ipſi, atque incolumes a tam ſæva contagione evaſiſſent; Ut accepti beneficii certa, & grata inſtauraretur recordatio; Communi inito conſilio, unanimique ſuffragio ſtatuerunt, ut dies decimus octavus menſis Junii, quo tantum ſe accepiſſe beneficium fatebantur, tamquam Feſtus de præcepto dies, quotannis obſervaretur, ac præterea eodem die publica in eorumdem Sanctorum honorem ſupplicatio in Civitate haberetur. Supplicatio ſane hujuſmodi, Tuſculano Epiſcopo conſentiente, numquam habita non fuit. At cum dies Feſtus de præcepto, licet a pleriſque obſervaretur, ab aliquibus tamen negligeretur, nullumque ea ſuper re authenticum de Ordinarii approbatione, & conſenſu documentum extaret, dubitari merito cœptum fuit, an vere idem dies eſſet Feſtus de præcepto? Rogati proinde fuimus, ut dubium omne tolleremus, & quid ſervandum eſſet in poſterum, a Nobis perpetuo valitura lege in hac Noſtra Synodo ſtatueretur. Nos itaque, re mature diſcuſſa, auditoque plurium Theologorum, pluriumque Noſtræ Cathedralis Canonicorum conſilio, Cleri, Populique pietati indulgentes, volumus, ac tota, qua pollemus, auctoritate mandamus, ut in Urbe Tuſculana quotannis dies decimus octavus menſis Junii ad accepti per Sanctorum Sebaſtiani, & Rocci interceſſionem beneficii memoriam recolendam, eoſdemque Sanctos Viros ſpeciali quodam cultu venerandos, tamquam Feſtus de præcepto dies, ab omnibus ſancte, religioſeque obſervetur. Eo itaque die, quicumque Tuſculi commorantur, ab omni opere ſervili abſtineant, Sacrum audiant, Deo, ac Sanctis Sebaſtiano, & Rocco de collatis donis gratias agant, & jugi piorum operum exercitio ad uberiora recipienda beneficia ſe præparent. Præterea eodem die mane Sodalitates omnes hujus Civitatis una cum Clero Sæculari, ac Regulari a Noſtra Cathedrali Eccleſia ad Sanctæ Mariæ de Vivario Templum, in quo pervetuſtæ eorundem Sanctorum aſſervantur Imagines, ſupplicantium more ſolemni pompa procedant, ibique Miſſa de Beata Virgine cum oratione pro gratiarum actione ſub unica concluſione

ſione celebretur. Parochi vero Feſtum hunc diem inter reliquos Feſtos de præcepto dies deſcribant, eumque Dominica, quæ illum præcedit, inter Miſſarum ſolemnia Populo de more annuncient, ac pridie Feſti diei, conſueto campani æris ſonitu ejuſdem in Fidelium animis excitent memoriam.

XII. In Arce Pontificia, ſeu Oppido, quod vulgo dicunt *Rocca di Papa*, proxime elapſo ſæculo, anno videlicet Reparatæ ſalutis 1619., Clerus, & Populus, propter innumera ſibi a Sancto Carolo Borromæo collata beneficia, non modo illum in Patronum loci principaliorem elegerunt, verum etiam unanimi conſenſu legem ſibi, poſteriſque ſuis dixere, ut diem quartam Novembris ejuſdem Sanctiſſimi Cardinalis cultui dicatam, tamquam Feſtum de præcepto diem, ſervarent; pervigilium vero ejus diei communi conſecrarent jejunio. Cum autem poſtmodum ad Sacrorum Canonum normam ejus legis approbationem, & confirmationem ab Epiſcopo Tuſculano poſtulaſſent; illam facili negotio obtinuerunt, uti patet ex Litteris Cardinalis Evangeliſtæ Pallotta Epiſcopi Tuſculani ad ejuſdem Oppidi Populum datis 11. Junii 1619., quas in Appendice num. 11. exhibemus. Volumus itaque, ac præcipimus ut hanc legem, ſancte hactenus cuſtoditam, nemo in poſterum violare audeat, aut de gravi ejuſdem obligatione dubitare.

XIII. Antequam Montis Porcii Oppidum conderetur, Templum in ea vicinia extabat in honorem S. Antonini Martyris Deo Optimo Maximo dedicatum, in quod finitimorum prædiorum incolæ confluebant, ut Miſſæ Sacrificio intereſſent, ac Sanctiſſimum Chriſti Martyrem, quem præcipuum ſibi Patronum delegerant, piis precibus, & obſequiis venerarentur. Extructo mox Oppido, cum in illud iidem incolæ, aliique plures e vicinis locis ſe recepiſſent; nullam tamen in eo Sacram haberent Ædem, in qua divina Myſteria peragerentur; non levi proinde cum incommodo, ut Sacramenta reciperent, quandoque Altaria in cryptis erigere, quandoque ad Parœcialem Montis Compatrum Eccle-

 ſiam,

ſiam, plerumque ad S. Antonini Templum accedere cogebantur, in quo jam obtinuerant, ut defunctorum corpora tumularentur. Illorum tandem miſeratus incommoda Gregorius XIII. (1), proprio ære in honorem S. Gregorii Magni Templum in Oppido a fundamentis extruxit, quod pictis ornavit Imaginibus, & ſacra ſupellectili auxit, annuo etiam cenſu ad congruam Parochi ſuſtentationem conſtituto, cui perpetuam Templi cuſtodiam, ac ſpiritualem animarum curam demandavit. Non tamen exinde imminuta, imo verius aucta magis in dies eſt erga Chriſti Martyrem Populi pietas. Non modo enim in ejus honorem dedicatum Altare in Templo eſt; verum etiam ſecundus Septembris dies ejuſdem Martyris cultui (2) deſtinatus, ex voto, tamquam Feſtus de præcepto, ſervari a Populo cœpit, publicis ſupplicationibus, communi ad Euchariſticam Menſam acceſſu, ſolemnique divinorum Officiorum cantu diſtingui, iis demum popularibus lætitiæ ſignis celebrari, quibus in tota ferme Italia Feſtus Principalioris Patroni dies celebrari conſuevit, uti ex actis conſtat Sacræ Viſitationis, qua Alexander Rauli Anagninæ Urbis, ac Diœceſis Vicarius Generalis ex ſpeciali Cardinalis Epiſcopi Tuſculani Franciſci Sfortiæ delegatione Menſe Junii anno reparatæ ſalutis 1620. Tuſculanam Civitatem, ac Diœceſim perluſtravit. Ea autem omnia ad hæc uſque tempora ſancte, religioſeque ſervata ſemper fuiſſe, ex Actis cum Apoſtolicarum, tum Epiſcopalium Viſitationum, aliiſque authenticis documentis abunde patet. Imo etiam cum ab Vrbano VIII. in ſuperius laudata Conſtitutione præſcriptum fuiſſet, ut unius dumtaxat Principalioris Patroni in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago Feſtus de præcepto ſervaretur dies; huic mandato Incolæ Montis Porcii obſequentes, ex quinque Feſtis diebus, quos ex voto, vel conſuetudine ſervare conſueverant, unicum S. Antonini, tamquam Patroni Principalioris, Feſtum diem ſibi ex præcepto ſervandum, omiſſis reliquis, retinuerunt, eumque proinde Parochi inter Feſtos de præcepto dies ſem-

(1) Gregorius XIII. in Bulla edita 1. Junii 1580. (2) In Martyrol. Romano.

ſemper Populo prænunciarunt, Oppidani vero ſumma ſemper religione, ac pietate cuſtodierunt. Neque vero de clientibus ſuis benemereri umquam deſtitit Patronus amantiſſimus, cujus proinde opem iidem cum in plurimis rebus, tum in fugandis potiſſimum febribus experti olim ſunt, & adhuc experiuntur præſentiſſimam. Quæ cum ita ſint, ne ulla umquam hujus rei memoriam deleat oblivio, utque omnis in poſterum hac ſuper re vel leviſſimæ dubitationi locus intercludatur; hac Noſtra Synodali perpetuo valitura Conſtitutione decernimus, ac declaramus, in Oppido Montis Porcii ab Oppidanis omnibus, & ab aliis quibuſcumque inibi forte exiſtentibus ſecundum Septembris diem in S. Antonini Martyris tamquam Patroni Principalioris honorem ſervandum de præcepto eſſe, eumque ſuo tempore quotannis, tamquam Feſtum de præcepto, Populo a Parocho eſſe prænunciandum. Quicumque igitur ſive Oppidanus, ſive Advena in toto Montis Porcii Oppido, ac Territorio Feſtum hunc diem ſeu ſervilibus, ſeu aliis vetitis operibus violare audebit, præter gravis culpæ reatum, ad normam Sacrorum Canonum Noſtram non effugiet animadverſionem.

XIV. Tandem Parochis omnibus diſtricte mandamus, ut præceptum de ſervandis diebus Feſtis populo non ſemel explanent, eique fuſius, ac ſingillatim explicent, quæ paucis ſane, ſed gravibus verbis in ſua Epiſtola Encyclica ad Provinciarum Maritimæ, & Campaniæ, aliorumque locorum Epiſcopos data (1) de ſervandis Feſtis diebus Benedictus XIV. edixit, ubi ait: *Dies Feſti non ad id inſtituti ſunt, ut Chriſtianus populus epulis, ebrietatibus, ludis, ſpectaculis, aliiſque id genus licentiæ liberius vacet; ſed ut Fideles in precibus, diviniſque laudibus frequentes, & aſſidui ſint; ut Eccleſiis interſint; Sacramenta ad animæ vulnerum curationem inſtituta adhibeant; ſeduloque ſe exerceant in iis operibus, quæ veram pietatem continent; & ut demum Sanctos una cum Chriſto regnantes, tamquam Patronos, congruis officiis, & honoribus proſequantur.* Populo

(1) Benedictus XIV. Epiſt. Encyclica *Nihil profecto*. edita 12. Aug. 1742.

pulo præterea oſtendant, quantum exoſa Deo ſit Feſtorum dierum violatio, & quæ graviſſima ex ea detrimenta oriantur. Quamobrem (1) Sacrarum Litterarum proferant teſtimonia, ex quibus perſpectum fiat, eos, qui dies Feſtos contempſerint, etiam in hac vita eſſe puniendos, uti per Ezechielem (2) Deus diſertiſſime ſignificavit: *Sabbata mea violaverunt vehementer: dixi ergo, ut effunderem furorem meum ſuper eos, & conſumerem eos.* Quod ſi in veteri Teſtamento tam ſevere Feſtorum dierum contemptum ulciſcebatur Deus; quanto acriorem futuram eſſe putabimus divinam ultionem in novo Tuſtamento, in quo nos multo pluribus, gravioribuſque titulis Deo obſtrictos, multo etiam impenſius divino vacare ſervitio, dieſque vero Dei cultui conſecratos obſervare religioſius oportet! *Irritam quis faciens legem Moyſi*, inquit (3) Apoſtolus, *ſine ulla miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit!* Profecto haud difficile erit ex hiſtoricis monumentis certiſſima divinæ ultionis adverſus Feſtorum tranſgreſſores argumenta depromere, quibus Auditorum animi ab hujuſmodi crimine perpetrando deterreantur. Concilii (4) Pariſienſis Patres eum in finem ſui temporis exempla protulerunt, ſuique Concilii Actis inſerta, poſterorum memoriæ prodere non dubitarunt. Nam can. 50. ſic habent: *Multi etiam noſtrorum viſu, multi etiam quorumdam relatu didicimus, quoſdam in hac die (videlicet Dominica, aut Feſtiva) ruralia opera exercentes fulmine interemptos, quoſdam artuum contractione multatos, quoſdam etiam viſibili igne corporibus, oſſibuſque ſimul ſub momento abſumptis, in cinerem ſubito reſolutis, pœnaliter occubuiſſe &c.* Et ut ad noſtra hæc tempora dilabamur, nonne dierum Feſtorum contemptui tribuendas eſſe merito putabimus

(1) Exodi cap. 31. n. 14., Exodi c. 35. v. 2., Numer. cap. 15. v. 32., Jeremiæ cap. 17. v. 27.

(2) Ezechiel. cap. 20. v. 11.

(3) Ad Hebræos cap. 10. v. 28., & 29.

(4) Concil. Pariſien. can. 50. celebratum ann. Chriſt. 829.

bimus agrorum ſterilitatem, meſſis parcitatem, perturbatas temporum vices, ſpes Agricolarum horæ momento præciſas, aliaſque hujuſmodi calamitates, quibus non infrequenter affligimur; cum (1) Nehemias in Sacris Litteris Judæorum captivitatem Sabbati violationi affirmaverit eſſe tribuendam? Quod ſi tam gravibus pœnis hoc mortalis vitæ tempore, quod miſerationum, ac miſericordiarum tempus in ſacris Paginis nuncupatur, in dierum Feſtorum violatores animadvertere conſuevit miſericors, & miſerator Dominus, ut ii videlicet a viis ſuis peſſimis ad rectam virtutis ſemitam revocentur; quanto ſeveriora erunt ſupplicia, quibus eos vita functos, niſi ante deceſſum reſipuerint, juſtiſſimus Vindex addicet! Hæc quidem omnia ſi frequenter, & ſerio Fidelibus Parochi ob oculos mentis ponant, brevi temporis intervallo & Feſtos dies religioſius ſervari, & verum Dei cultum in Parœcia ſua mirum in modum augeri gratanter aſpicient.

CAPUT XIV.

DE ECCLESIIS, ALIISQUE LOCIS SACRIS, AC DE REVERENTIA EISDEM DEBITA.

Quamquam prioribus tribus Eccleſiæ ſæculis, cum adverſus Chriſtianam Religionem Tyrannorum ſæviret furor, Pontifices, & Sacerdotes ſacra facturi, ſive in cryptas, ſive in cœmeteria, ſive in privatorum ædes, ſive tandem quocumque eos neceſſitas compuliſſet, una cum Fidelibus convenirent; poſt redditam tamen Eccleſiæ pacem, non, niſi in publicis ædibus auctoritate Epiſcopi erectis, & ab eo vel ſolemni ritu conſecratis, vel ſaltem benedictis, ſacra peragere, divinaque officia celebrare licet. De his ædibus ad divina celebranda, & ad Religionis actus exercendos deſtinatis, imo & de ſingulis locis piis, ac religioſis Epiſcopali auctoritate erectis, in hoc capite, & in

(1) Eſdræ lib. 2. cap. 13.

in ſequentibus loquemur, cum debitam iis præſtare reverentiam, atque honorem a Religionis virtute jubeamur. A Templis, ſeu Eccleſiis ordiamur.

ARTICULUS I.

De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.

I. QUamquam Eccleſias erigere, ac ædificare pium, religioſum, ac laudabile opus ſit; ne tamen eæ temere, aut cum aliorum jactura, aut ſine congrua perpetua dote erigantur; ad Sacrorum Canonum (1) normam mandamus, atque præcipimus, ne ulla ſive Eccleſia, ſive Capella, ſive Oratorium, ſive Altare de integro ædificetur ſine Noſtra expreſſa, & in ſcriptis obtenta licentia. Si ſecus fiat, Eccleſia, aut locus ſacer ſic erectus, Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Ejuſmodi autem licentiam (2) numquam erimus conceſſuri, *niſi is qui ædificare vult, ante præfiniat, quæ ad luminaria, ad cuſtodiam, & ad Cuſtodum ſtipendia ſufficiant. Hæreticorum* (3) *enim blaſphemiam damnamus, qui Eccleſias dotare Divinæ Scripturæ, & Chriſti regulæ contrarium eſſe divulgabant: nam Sacris Canonibus eſt proviſum, ut Eccleſiæ, quatenus divino cultui aptæ, & in ſuo ſemper decore permaneant, abſque dotis conſtitutione non ædificentur.* Quamquam vero ejuſmodi conſtituta dos fuerit; non tamen operi manus admoveatur, niſi prius a Nobis, vel a Vicario Noſtro Generali inſpectus, & approbatus fuerit locus Eccleſiæ ædificandæ deſignatus, erectaque in eo Cruce, primus lapis benedictus in fundamentis conſueto Eccleſiaſtico ritu fuerit collocatus, ut in Pon-

(1) Can. *Nemo*, Can. *Eccleſias pro congrua*. de conſecr. diſt. 1., cap. *Cum olim* §. *Inſuper*. de privilegiis, & cap. *Auctoritate*. de privilegiis in 6.

(2) Can. *Vere*. cauſ.16.qu.1., Can. *De Monachis*, Can. *Quidam*. cauſ.18. qu 2., cap. 1. de cenſibus; cap. *Cum ſicut*. de conſecr. Eccleſ., vel Altar., & Pontif. Rom. par. 2. §. 1. Novella 167. cap. 2.

(3) Concil. Rom. ſub Benedicto XIII. tit. 27. cap. unic.

Digitized by Google

Pontificali (1) Romano præſcribitur. Regularium etiam (2) cujuſcumque ſexus Monaſteria non erigantur ſine expreſſa Noſtra in ſcriptis tradita licentia, quam non erimus conceſſuri, niſi ſervatis conditionibus a Gregorio XV. (3), ab Urbano VIII., & ab Innocentio X. præſcriptis per ſuas Conſtitutiones, quæ in eorum Bullariis reperiuntur.

II. Poſtquam pro novo Templo ædificando Noſter conſenſus acceſſerit, ſub (4) Immunitatis Eccleſiaſticæ violatæ pœna nemo ejuſdem ædificium re ipſa, ac violenter impedire, ſeu alio quocumque modo prohibere præſumat. In Templo vero conſtruendo hæc potiſſimum advertantur. Primum, ut, ſi in æquo, & plano loco ſit erigendum, editior ſemper deligatur pars, ut inde ad ipſum Templi pavimentum tribus ſaltem, &, ſi natura loci ferat, etiam quinque gradibus aſcendatur. Deinde ea adhibeatur cautio, ut in loco ædificetur a ſtabulis, a cauponis, a laniienis, a ferrariis officinis, & ab omni ſtrepitu maxime remoto; item non humido, non uliginoſo, ſed a cœno, luto, ſordibuſque reliquis immuni, &, quoad fieri poterit, ab aliorum ædificiorum, ædiumque parietibus undique ſejuncto. Duarum maxime partium in Eccleſia extruenda ratio habeatur, quarum altera ædificium ſuſtentet, altera tueatur. Primum videlicet, ut fundamenta altiſſime fodiantur, firmiſſimeque locentur; deinde ut tectum ſumma diligentia conſtruatur, ſingulæque ejus partes inter ſe ita cohæreant, ut tota compago validiſſime connexa conſiſtat. Parietes firmi, ac ſolidi ædificentur; & quoad extimam ſuperficiem ſint bene politi, ac diligentiſſime dealbati. Extrinſecus autem arbores ab iis removeantur, ne earum radices ſub

V ter-

(1) Pontificale Romanum par.2. §. 1.

(2) Cap. *Cum olim*. de privilegiis, cap. fin. de religioſis domibus, & Trid. ſeſſ.25. de regularibus cap. 3.

(3) Gregorius XV. Conſt. *Cum alias*. 17. Aug. 1622., Urbanus VIII. 25. Aug. 1624., & Innocent. X. Conſtit. *Inſtaurandæ*. idibus Octob. 1652.

(4) Cap. ult. de Eccleſiis ædificandis; can. *Sunt quidam*. cauſ.1. qu.1., can. *Futuram*. cauſ. 12. qu.1., & L. *Sancimus*. cod. *De Epiſcopis, & Clericis*.

terram ſerpentes fundamenta ſubruant, ac labefactent; aut ne arborum ipſarum rami feneſtras opacent, luminibuſque officiant; quod quidem cavendum eſt potiſſimum in Templis, aut Sacellis, quæ conſtruuntur in agris. Templum quodlibet, niſi rotundæ, aut octangularis ſit figuræ, unam, aut tres, ut ajunt, naves habeat, quarum quælibet ſuo inſtructa ſit fornice, aut laqueari eleganter compacto. Altaria (1) neque alicui Eccleſiæ columnæ, aut pilæ inhæreant, neque Organo, aut Concionatoris ſuggeſtui ſubjiciantur, neque e regione Aræ Principis collocentur. Templa præterea, & Sacella decentibus munita ſint foribus, quæ ſuis temporibus diligenter obſerentur. Feneſtræ omnes vitreis claudantur tabulis ad aves, imbres, ventoſque prohibendos. Externa Templi facies indecora non ſit, & in ſummo ejus faſtigio ferrea extet Crux, e qua habitaculum Dei, & Domus orationis ab omnibus facile dignoſcatur.

III. Cum omnes ab Eccleſiis abeſſe profanæ ſervitutes debeant; Idcirco nulla ſupra eaſdem cubicula (2), ac deambulacra conſtruantur; neque earum Rectores, Nobis inconſultis, ullo modo patiantur, ut in iis, aut in adjacentibus locis fabrica ulla de integro fiat, aut quidquam innovetur. In nulla item Eccleſia aditus, aut januæ, aut Feneſtræ (3) aperiantur, quæ a Laicorum domibus in Eccleſiam ipſam aut ingreſſum, aut proſpectum præbeant; neque Laicorum ædes in poſterum ædificentur, quæ Templorum parietes ulla ex parte attingant. Si quæ ſint in Eccleſia inferiores feneſtræ, e quibus facile in eam ingreſſus pateat, non modo vitreis tabulis, verum etiam ferreis cratibus obſerentur. In ipſo Templi ingreſſu prope valvas, ad dexterum ſaltem ingredientium latus,

(1) Concil. Provin. Mediol. IV. par. 1. tit. de Capellis, & Altaribus.

(2) Edictum S. Pii V. pro Urbe 28. Nov. 1596., Sacr. Congr. Concil. in Luſitana 15. Martii 1652., Sacr. Congreg. Epiſcop. in Melphitenſi 2. Octob. 1626., in Neapolitana 18. April. 1646., in Faventina 15. Feb. 1619., & in Hieracenſi 6. Decemb. 1612., & 26. Jul. 1613.

(3) Sac. Congreg. Epiſc. in Caſertana 8. Junii 1646., in Cuſentina 14. Dec. 1646., & in Alexanen. 14. Nov. 1659.

latus, vas extet ex marmore, aut ex alio lapide decenter extructum, in quo aqua luſtralis, ſeu benedicta (1) aſſervetur, ut eadem aſpergere ſe rite poſſint Fideles, cum in Templum oraturi ingrediuntur. Luſtralem vero aquam Hebdomadis ſingulis renovari jubemus, ut illimis, mundaque ſit, eademque Dominicis diebus ante Miſſam Conventualem, ſeu Parochialem Altare, ac Populum a Sacerdote celebrante aſpergi, ac benedici mandamus. Parochis etiam indicimus, ut omni ſolertia curent, prædictam Luſtralem aquam domi quoque a Patribusfamilias retineri, qua cum ipſi, tum eorum familia, quoties vel cubitum eunt, vel ab accubitu ſurgunt, aſpergantur, ejuſdem uſu ſanctificentur, ac mali Dæmonis inſidias a ſe ipſis feliciter amoliantur: quod quidem facile obtinebunt, ſi ex Hiſtoricis (2) monumentis Populo oſtendant, hujuſmodi aquæ luſtralis uſum a primis uſque Eccleſiæ ſæculis ad Diaboli impetus retundendos frequentiſſimum fuiſſe, & plurimis a Deo miraculis comprobatum.

IV. Altaria, ſi tota conſecrata non ſint, ſaltem lapidem (3) habeant in ara media conſtitutum, ab Epiſcopo conſecratum, cerata coopertum tela, ac tanta firmitate ſubjecto Altari cohærentem, ut e loco dimoveri nequeat. Lapis hic longus ſit uncias viginti, & latus ſexdecim ita, ut in eo commode, & Calix, & Hoſtia a Sacerdote Sacrum celebrante collocari poſſint. Altaria lignea non ſint, ſed marmorea, aut ſaltem lateritia, nulluſque in iis loculus adſit, in quo aliquid condi valeat, aut aſſervari. Duo inſuper ſaltem candelabra, & inter ea Chriſti e Cruce pendentis Imago, ex aurichalco, aut ligno affabre elaborata, atque argento, aurove illita, aut decenter picta una cum precum Secretarum Tabellis ſuper Altaris gradu imponantur. Menſa vero tribus lineis mappis candidis ad Miſſam celebrandam neceſſariis operiatur,

V 2 qua-

(1) Can. *Aquam*. de conſecrat. diſt. 3. cap. 6., & Beda lib. 1. hiſt. Anglorum cap. 17.

(2) Leo IV. ſerm. de cura Paſtorali, S. Epiphanius hæreſ. 30., S. Hieronym. in vita S. Hilarionis, Theodoretus lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 21., Palladius Lauſiacæ hiſt.

(3) Can. *Nullus*, & tota diſt. 1. de conſecrat., cap. 1., & toto tit. de conſecrat. Eccleſiæ, vel Altaris.

quarum ſuprema pene uſque ad terram e lateribus defluat. Anterior Altaris pars ſuo tegatur pallio, vel ejus coloris, qui temporum rationi ſecundum Eccleſiæ leges congruat, vel ſaltem multicolori. A cornu Epiſtolæ (1) cereoſtrotum vel ex ligno colorato, ſeu deaurato, vel ex aurichalco conſtructum adſit ad ceream facem ſuſtentandam, quæ in Miſſæ Sacrificio, antequam Sacerdos conſecrationis verba proferat, Populoque adorandam Euchariſtiam exhibeat, accendi conſuevit. Haud procul menſula habeatur, in qua pelvicula cum urceolis aqua, & vino plenis, parvum tintinnabulum, linteolum, aliaque hujuſmodi ad Sacerdotis celebrantis uſum collocentur. Suum non deſit cuilibet Altari ſtragulum, quo, abſoluta Miſſarum celebratione, menſa contegatur, ut a pulvere, ac ſordibus facilius ſervetur immunis. Tandem aræ majori, atque aræ, in qua Sanctiſſimum aſſervatur Sacramentum, imo aris etiam minoribus, quæ fornicatæ non ſint, umbella ſuperimpendeat. Quæ quidem omnia a Nobis in cujuslibet Altaris viſitatione ſancita, præſenti Synodali Decreto inſtauramus.

V. Turrim habeat Eccleſia quælibet aut contiguam, aut non procul diſſitam, in qua æneæ campanæ ſuſpendantur, & in cujus ſummo faſtigio Crux ferrea collocetur: ejus autem Oſtium ex firmis aſſeribus fabricatum, firmis quoque peſſulis, & clave muniatur, ne cuilibet in illam pro arbitrio acceſſus pateat, imo clauſum perpetuo ſit, præterquam cum pulſandæ erunt Campanæ. Has vero in Cathedrali Eccleſia ſaltem quinque, in Collegiata ſaltem tres, ac totidem in Parochiali eſſe oportet, ſi Eccleſiæ facultates id patiantur. Antiquiſſimus (2) eſt in Chriſtiana Republica campanarum uſus, eumque in finem inſtitutus, ut earum ſonitu ſignum Clero, Populoque ad Templa, divinaque officia conveniendi detur. Hinc veteri Eccleſiæ inſtituto factum eſt, ut eædem peculiaribus ritibus, ac cæremoniis ab Epiſcopo benedicantur, & conſecrentur. Quapropter Nos, ut Sanctum hunc,

ac

(1) Cap. 2. de cuſtodia Euchariſtiæ.

(2) Concil. Colonien. II. par. 9. cap. 14., can. *Solent*. de conſecr. diſt. 1., & c. 2. de officio cuſtodis.

ac pervetuſtum Eccleſiæ morem ſervemus illæſum, diſtricte prohibemus, ne campanæ, niſi benedictæ a Nobis prius fuerint, & conſecratæ, in Turri ad id deſtinata collocentur (1), ſacroſque ad uſus adhibeantur: Si ſecus fiat, Eccleſiarum Rectores, aut Sacrarii cuſtodes id permittentes, pœnis arbitrio Noſtro infligendis ſevere punientur. Hujuſmodi autem campanæ, ſervitio Eccleſiæ jam addictæ, & conſecratæ, ne ad profanos uſus pulſentur, omnino interdicimus.

VI. Templa, quæ vel ob vetuſtatem, vel ex aliquo fortuito caſu ruinam minitantur, ex reditibus eorumdem (2) fabricæ aſſignatis reparentur. Quod ſi Eccleſia vel nullos ad hunc uſum, vel non ſufficientes habeat reditus; tunc ſi Patronata ſit, a Patronis inſtauretur; ſi vero Patronata non fuerit, ejuſdem Eccleſiæ Rector, ac Beneficiati, prout a Nobis ad Sacrorum Canonum tramites judicabitur, id oneris ſuſtinebunt. Quod ſi Parochialis fuerit, ac libera, & Parochi reditus congruam, eique debitam ſuſtentationem non excedant; a Parochianis juxta Canonicas leges reficiatur. Eccleſiæ vero quæcumque, licet Parochiales, aut prorſus dirutæ, aut vetuſtate plurimum labefactatæ, quæ propter ſummam omnium, ad quos pertinet, inopiam reſtaurari nequeant, juxta Concilii Tridentini decretum (3), prævia Noſtra facultate in ſcriptis tradita, diruentur omnino, & in profanos uſus non ſordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertentur; eorum autem onera, vel in matrices, vel in viciniores Eccleſias, prout expedire in Domino judicabimus, transferemus. Lapides autem, cæmenta, rudera, tigna, ac reliquam dirutorum Templorum materiam ad

(1) Sac. Rit. Congr. in Aprutienſi 5. Julii 1614., Durant. in Rat. Divin. Offic. lib. 1. cap. 4., Angelus Rocchi tract. de Campanis, Acta Eccleſ. Mediol. in Concil. Provin. I. par. 1. tit. *De Eccleſiis &c.* Pontif. Rom. tit. *De benedictione Campanarum*.

(2) Can. *Decernimus*. cauſ. 18. qu 1., can. *Unio*. cauſ. 10. qu. 3. can. *Si Monachus*. cauſ. 16. qu. 1., cap. 1. & cap. *De his*. de Eccleſiis ædificandis, vel reparandis, & Trid. ſeſſ. 21. de reformat. cap. 7., & 8., Benedictus XIV. inſtitutione 100., Sac. Cong. Concil. in Narnienſi 24. Martii 1657., in Raguſina 3. Auguſti 1686.

(3) Trid. ſeſſ. 21. de reform. cap. 7.

ad profana ædificanda, aut reparanda ædificia adhiberi vetamus, niſi juſta de cauſa Noſtra interceſſerit auctoritas. Plurimum enim dedecet, ea, quæ ſemel conſecrata Deo ſunt, ad privatos, ac profanos hominum uſus iterum transferri. Nobis inconſultis (1), neque Templa prorſus diruta iterum ædificentur, neque vetuſtaſtate labefactata reſtituantur, neque in jam extructis quidquam aut reædificetur, aut deſtruatur, aut innovetur. Si qua tandem Eccleſia reditus, bona, pecunias, aliaſve res fabricæ deſtinatas habeat; hæ tuendis dumtaxat Eccleſiæ ædificiis, & ubi opus ſit, ſarciendis impendantur, niſi Eccleſiæ ipſius neceſſitas, aut utilitas aliter poſtulare videatur; qua tamen in re nihil abſque Noſtra licentia, & auctoritate liceat. Qui vero rei adminiſtrandæ præpoſiti ſunt, quotannis accepti, atque expenſi codicem Nobis exhibeant, & rationem geſti muneris reddant.

VII. Oratoria, aut Ædiculæ juxta vias publicas extructæ, in quibus Sacræ aliquæ imagines Fidelium tranſeuntium venerationi ſunt expoſitæ, oſtium habeant clave, ac ſera diligenter munitum, cujus ligneæ valvæ cancellatæ ſint, aut ligneis clathris inſtructæ, ut licet clauſæ ſint, introſpicere tamen Viatores poſſint, & a Sacris Imaginibus inibi extantibus ad pios Chriſtianæ Religionis actus excitari. At in poſterum nihil tale in agris, publiciſque viis conſtruatur, niſi ejus rei conceſſa a Nobis fuerit facultas. Oratoria (2) campeſtria, in quibus Miſſæ Sacrificium celebrare permiſſum eſt, cancellis, januis, ac feris optime munita cuſtodiantur, itaut nemini ingreſſus pateat, niſi eo tempore, quo Sacerdos ſacris operatur, aut una cum Populo publicas ad Deum fundit preces.

(1) Can. *Quicumque*. cauſ. 16. qu. 1., can. *Lator*. cauſ. 16. qu. 5., can. *Quidam*. cauſ. 18. qu. 2.

(2) Synodus Tuſculana ſub Benedicto XIII. ann. 1703. cap. 12.

AR-

ARTICULUS II.

De Conſecratione, aut benedictione Eccleſiæ, aut Altaris, aliarumque Sacrarum rerum.

I. EX Eccleſiaſtica (1) Hiſtoria, Sanctorumque Patrum teſtimoniis accepimus, antiquiſſimum Eccleſiæ morem ſacras ædes, atque Altaria, in quibus incruentum Deo Miſſæ Sacrificium offertur, conſecrandi, ſolemnique ritu dedicandi, ex Apoſtolica traditione manaſſe, ac a Beato Sylveſtro Papa diligentius excultum, abſolutumque fuiſſe. Hunc itaque morem conſtanter, atque illibate retineri cupientes, ea, quæ ſequuntur, ſtatuimus, ac diligentiſſime ſervari mandamus. Cum ſolius Epiſcopalis Ordinis ſit, & quidem ad proprium Diœceſanum Epiſcopum ſpectet Eccleſias ſolemni ritu conſecrare; Nulla proinde Eccleſia intra Noſtræ Diœceſis fines ſita ab alieno Epiſcopo ſine prævia Noſtra licentia conſecretur: Si ſecus fiat, eadem ipſo facto Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto. Eccleſia autem ſemel conſecrata, niſi vel tota (2), vel majori ex parte corruat, aut parietes comburantur, aut deſtruantur; conſecrari iterum nequit. Quod ſi antiquis Eccleſiæ parietibus majori ex parte disjectis, Eccleſia iterum ædificetur; eadem nova conſecratione donari poterit: At Officium Dedicationis (3) quotannis recitandum, eidem diei, cui prioris Dedicationis Officium adnexum fuerat, optimo ſane conſilio adnexum relinquetur.

II. Quamvis in Eccleſia non conſecrata, ſed ab Epiſcopo tantum benedicta, celebrari Miſſæ Sacrificium poſſit; Altare tamen,

(1) Can. *Nemo* de conſecrat. diſt. 1., can. *Pie mentis*. cauſ. 16. qu. 7., cap. *Tua fraternitas*; cap. *Aqua*. de conſecr. Eccleſ., vel Altaris, S. Paulinus ad Severum Epiſt. 11., Euſebius lib. 15. Hiſt. Eccl. c. 3., & lib. 4. de vita Conſtantini c. 43. S. Athanaſius in Apolog. ad Conſtantem Imperatorem, S. Dionyſius de Eccl. Hierarchia c. 4., S. Gregorius Nyſſenus orat. in baptiſmum Chriſti.

(2) Can. *Eccleſiis* diſt. 63. Can. *Eccleſiis* de conſecr. diſt. 1., cap. *Propoſuiſti*, cap. *Ligneas*, de conſecr. Eccleſiæ, vel Altaris.

(3) Benedictus XIV. Inſtitut. 67.

Digitized by Google

men, ſeu Menſa lapidea, ſuper qua Sacrificium conficitur, eſſe debet omnino ab Epiſcopo conſecrata, uti ſuperius diximus, & uti ex Sacrorum (1) Canonum Conſtitutionibus docemur. Quare nullus Sacerdos in Ara non conſecrata celebrare audeat, niſi ſacrilegus fieri, & pœnas ſubire velit per Sacros Canones conſtitutas. Hinc execrato Altari (2), vel per Sacri Lapidis fractionem, quæ tanta ſit, ut ſuperſtes pars integra Calicem, & Patenam continere commode nequeat, vel per amotionem ſepulchri, ſeu lapidis, ſub quo Reliquiæ ſunt collocatæ, nemo celebrare in eo licite poteſt, niſi poſtquam ab Epiſcopo conſecratum denuo fuerit. Qui ſecus fecerit, pœnas ſubibit contra eos, qui extra Aram Sacram celebrant, in Jure Canonico ſtatutas. Sub iiſdem etiam pœnis nemo celebrare audeat in Eccleſia polluta (3), niſi prius eadem reconciliata fuerit, & expiata. Polluitur autem Eccleſia. 1. Per voluntariam (4), vetitamque humani ſanguinis, ac ſeminis effuſionem. 2. Per homicidium (5) in ea perpetratum. 3. Per hoc, quod in ea (6) vel excommunicatus vitandus, vel hæreticus publice denunciatus, vel infidelis Eccleſiaſticæ mandetur ſepulturæ. Si Eccleſia, quæ polluitur, ſit conſecrata, non, niſi per proprium Epiſcopum, vel ab alio Epiſcopo de ejus licentia reconcilianda erit. Si vero non ſit conſecrata, ſed ſolum benedicta, per quemcumque Sacerdotem ab Epiſcopo ſpecialiter deputandum aquæ luſtralis aſperſione reconciliabitur, amota tamen prius, ſi adhuc extet, pollutionis cauſa, videlicet cadavere excommunicati, aut hæretici, aut infidelis in ejuſmodi Eccleſia tumulato. Tandem ignorandum non eſt, per Eccleſiæ pollutionem ejuſdem

quoque

(1) Can. *Nullus*; & tota diſt. 1. de conſecrat., & cap. 1. ac toto titulo de conſecrat. Eccleſiæ, vel Altaris.

(2) Cap. 1., & cap. *Quod in dubiis*. de conſecr. Eccleſiæ, vel Altaris.

(3) Cap. *Aquæ*, cap. *Propoſuiſti* de conſecr. Eccleſ. vel Altaris. Can. *Eccleſiis*, cum ſeq. de conſecr. diſt. 1. Pontificale Romanum part. 2. tit. de reconciliatione Eccleſiæ, & Rituale Romanum eod. tit.

(4) Can. *Eccleſiis*. de conſecr. diſt. 1., cap. *Propoſuiſti*., & cap. *Si Eccleſia*. de conſecr. Eccleſ.

(5) Can. *Si motum*. de conſecr. diſt. 1.

(6) Cap. *Sacris*. de Sepulturis; & cap. *Conſuluiſti*. de conſecratione Eccleſiæ.

quoque pollui cæmeterium. At contra ſi cæmeterium ipſum polluatur, non proinde polluta cenſenda erit Eccleſia.

III. Cum benedicenda per Epiſcopum ſint Sacra omnia tam Miniſtrorum, quam Altaris ornamenta, etiam quæ conſecratione non indigent; nullus ſimplex Sacerdos (1), niſi idoneam ad id facultatem, ac licentiam obtinuerit, illa benedicere præſumat. Regulares vero Prælati (2) meminerint, per Apoſtolicum privilegium, quod habent, non aliam iiſdem facultatem concedi, quam ſacra ornamenta benedicendi pro ſuarum, non vero pro aliarum Eccleſiarum uſu, quemadmodum Sacra Rituum Congregatio ſæpiſſime declaravit, niſi de peculiari aliquo Apoſtolico privilegio conſtet, quo hæc benedicendi facultas ad aliarum etiam Eccleſiarum ſupellectilem extendatur (3). Caveant igitur Rectores, Sacrarii Cuſtodes, cæterique, quibus Eccleſiarum cura demandata eſt, ne vaſis ſacris, Sacerdotalibus veſtibus (4), cæteriſque Altarium ornamentis utantur, vel aliis utenda exhibeant, niſi vel fuerint conſecrata, ut Calix, & patena, vel fuerint benedicta, ut Sacerdotalia, ac Levitica indumenta, Corporalia, Pallæ, Altaris mappæ, Crux, Sanctorum Imagines ſuper Altari exponendæ, Pyxis, Oſtenſorium, Cuſtodia, cæteraque hujuſmodi. Si ſecus fecerint, pœnis per Sacros Canones ſtatutis, aliiſque pro delicti qualitate arbitrio Noſtro infligendis multabuntur. Caveant (5) etiam, atque etiam iidem Eccleſiarum Rectores, ac Miniſtri, ne veſtes, vaſa, aut alia quælibet ſacra ſupellex ad profanos uſus cuiquam commodentur: qui ita commodaverit, graviter arbitrio Noſtro punietur.

(1) Can. *Veſtimenta*. de conſecr. diſt. 1.

(2) Sac. Rit. Cong. 24. Aug. 1609., & in Spoletana 30. Septembris 1628., & 19. Auguſti 1629., Alexander VII. in ſuo Decreto edito 27. Septembris 1659. §. 18.

(3) Sac. Rit. Congr. 12. Junii 1660., confirmante Alexandro VII. 20. Julii ejuſdem anni.

(4) Rubrica Miſſalis, Pontificale, & Rituale Romanum locis citatis.

(5) Can. *Veſtimenta*, Can. *Nuptiarum*. de conſecrat. diſt. 1.

ARTICULUS III.

De reverentia Eccleſiis, aliiſque ſacris locis debita.

I. ELegi, *& ſanctificavi* (1), ait Dominus de Templo Sancto ſuo in Jeruſalem, *locum iſtum in domum Sacrificii, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum: oculi quoque mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco iſto oraverit*. At quanto veriora hæc ſunt de Chriſtianorum Templis, quæ Chriſtus in Evangelio *domum ſuam, ac domum orationis* nuncupavit, & in quibus ſub Euchariſticis ſpeciebus deliteſcens, vere cum hominibus habitat, & ſupplicantium preces exaudit, ac vota! Noſtra igitur Templa, ut unuſquiſque ſanæ mentis intelligit, omnis decet mundities, nitor, ac ſanctitudo. Quamobrem Eccleſiarum Cuſtodibus, ac Miniſtris diſtricte præcipimus, ut earum pavimentum octavo quoque die diligenter verratur, ne pulvere, ſituque ſordeſcat; chorus, ſi adſit, bis in Hebdomada purgetur a ſordibus; parietes quater in anno ab aranearum telis, pulveriſque glomerati fuligine, ſolerti mundentur induſtria, & ſi quando tractu temporis, aut denigrentur, aut decruſtentur, expenſis eorum, ad quos pertinet, dealbari, aut refici curent; tandem omni ſtudio, diligentiaque contendant, ut nihil in domo Dei, niſi nitidum, niſi mundum ab omni ſorde, & macula, Fidelium adventantium oculis occurrat. *Dominus* (2) *enim in Templo ſancto ſuo*.

II. In tota divini cultus ratione nihil eſt, quod & rei ipſi magis congruat, & populi religionem magis excitet, quam ſacrarum veſtium non pretium modo, atque ſplendor, ſed etiam mundities, nitor, & quædam in illis habendis, adhibendiſque ſedulitas, ac diligentia. Sacrarii igitur Cuſtodes, aliique, quibus Sacræ ſupellectilis demandata fuerit cura, aſſiduam dabunt operam, ut in ſacris indumentis nihil ſciſſum, nihil fractum, nihil immundum, nihil maculoſum ſit, ſed quæ reparatione indigent, ſarcian-

(1) Deuteron. cap. 12., & Paralip. lib. 2. cap. 7. (2) Pſalm. 4. v. 5.

ciantur; quæ ſordeſcere incipiunt, tergantur; quæ ad uſu m inepta ſunt, ac indecora, ab uſu penitus amoveantur; omnia demum in armariis, loculiſque ſuis majori, quam antea, cura, diligentiaque cuſtodiantur. Quod quidem ſtudium in linea ſupellectili ſacris uſibus deſtinata impenſius eſt adhibendum. Quemadmodum enim in hujus ſupellectilis uſu nihil eſt, quod magis omnium oculos alliciat, quam nitor, & lacteus ille ejuſdem candor; ita ſi eadem lurida, ac mucida ſordibus ſit, nihil eſt, quod magis omnes ſtomachentur, & ab ipſo etiam ſacrorum ſtudio avertantur. Curandum itaque eſt, ut multa ſit ejuſmodi linea ſupellex, adeoque perſæpe mutari, crebraque lotura ab omni purgari labe commodius poſſit.

III. Qua vero reverentia Fideles Templum adire, atque in eo commorari oporteat, Gregorius X. (1) in Concilio Generali Lugdunenſi præſcripſit his verbis: *Sit ad Eccleſias humilis, & devotus ingreſſus; ſit in eis quieta converſatio, Deo grata, inſpicientibus placita, quæ conſiderantes non ſolum inſtruat, ſed & reficiat. Convenientes ibidem nomen illud, quod eſt ſuper omne nomen (a quo aliud ſub cælo non eſt datum hominibus, in quo ſalvos fieri credentes oporteat, nomen videlicet Jeſu Chriſti, qui ſalvum faciet Populum ſuum a peccatis eorum) exhibitione reverentiæ ſpecialis attollant, & quod generaliter ſcribitur, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur, ſinguli ſingulariter in ſeipſis implentes (præcipue dum aguntur Miſſarum Sacra Miniſteria) glorioſum illud nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis ſui, quod vel capitis inclinatione teſtentur. Attendantur in locis eiſdem intentis præcordiis ſacra ſolemnia; devotis orationibus inſiſtatur. Nullus in locis eiſdem, in quibus cum pace, ac quiete vota convenit celebrari, ſeditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. Ceſſent in locis illis Univerſitatum, & Societatum quarumlibet Concilia, conciones, & publica parlamenta. Ceſſent vana, & multo fortius fœda, & profana colloquia. Ceſſent confabulationes quælibet. Sint poſtremo*

X 2

(1) S. Gregorius X. in Concil. Gener. Lugdunen. relatus in cap. *Decet*. de immunitate Eccleſiarum in *6*.

Digitized by Google

mo quæcumque alia, quæ divinum poſſunt turbare officium, aut oculos divinæ Majeſtatis offendere, ab ipſis prorſus extranea, ne ubi peccatorum eſt venia poſtulanda, ibi peccandi detur occaſio, aut deprehendantur peccata committi. Ceſſent in Eccleſiis, earumque cœmeteriis negotiationes, & præcipue nundinarum, ac fori cujuſcumque tumultus. Omnis in eis ſæcularium judiciorum ſtrepitus conquieſcat: nulla inibi cauſa per Laicos, criminalis maxime, agitetur: ſint loca eadem a Laicorum cognitionibus aliena. Hæc autem omnia, quæ Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi præſcripſit, peculiari ſua Conſtitutione (1) confirmavit, innovavit, ampliavitque S. Pius V., gravioribus adverſus tranſgreſſores pœnis conſtitutis. Hujus Pianæ Conſtitutionis Summam una cum Epiſtola Encyclica a Sacra Epiſcoporum Congregatione juſſu Clementis XI. ad omnes Italiæ Antiſtites data, in hujus Synodi Appendice num. 12. exhibemus, ut bis in anno, videlicet ſecunda Adventus, & ſecunda Quadrageſimæ Dominica, utraque a Parocho legatur ad Populum, quemadmodum in Synodo Tuſculana, ejuſque Appendice ſancitum fuit anno 1703., cum Tuſculanam hanc Eccleſiam Eminentiſſimus Vincentius Maria Cardinalis Urſinus, poſtmodum Benedictus XIII., regeret, ac moderaretur. Adjungimus etiam Litteras ab eadem Sacra Congregatione juſſu Clementis XII. ad omnes Italiæ Epiſcopos ſcriptas, ut ex iis Parochi intelligant, quanti momenti ſit, Fideles in domo Dei ſumma cum pietate, ac religione verſari.

IV. Volumus autem, ut Parochi frequenter Populo ex Sacris Litteris, atque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis oſtendant, quam grande nefas ſit, in Domo Dei minus reverenter ſe gerere, aut, quod longe pejus eſt, criminibus in ea perpetratis audacter oculos, ac præſentiam divinæ Majeſtatis offendere. Declarent præterea Sacrilegii reatum, in Sacramento Pœnitentiæ neceſſario exprimendum, eos incurrere, qui domus Dei ſanctitatem violant ſermonibus, aut actibus impudicis, aut qui Eccleſiam polluunt voluntaria humani ſanguinis, aut ſeminis effuſione, aut homici-

(1) S. Pius V. Conſtit. *Cum primum*. edita 1. Aprilis 1566.

micidio, aut Infidelis, ſeu Hæretici, ſeu excommunicati tumulatione, aut tandem qui aliis nefariis actibus Sacra Templa contemerant, ac profanant. Graviſſimas tandem recenſeant pœnas, quas cum in veteri, tum in Novo Teſtamento Deus, licet miſericors, & miſerator, ſumere ex iis conſuevit, qui Sacrarum Ædium ſanctitatem, ac decorem lædere, ac violare non dubitarunt. *Poſuerunt* (1), inquit Dominus apud Jeremiam, *offendicula ſua in domo, in qua invocatum eſt nomen meum: ideo in deſolationem erit terra. Quoniam ultio Domini eſt ultio Templi ſui.*

V. Ut debita Templis reverentia conſtantius, faciliuſque adhibeatur, præcipimus 1. ut juxta laudabilem veterum Chriſtianorum morem Mulieres in Eccleſia, quoad fieri poteſt, ſegregentur a viris, ne, uti ſcripſit S. Anaſtaſius Synaita (2), *ex exitiali alterius ſexus vicinia ſalutis ſtudium fiat perditionis occaſio*. 2. Ut Eccleſiarum Rectores, & Sacrarii Cuſtodes nulla ratione (3) mendicos per Eccleſiam vagari, & ab adſtantibus Fidelibus ſtipem quærere patiantur; ſed eos ante fores conſiſtere jubeant, ut ab intrantibus, atque exeuntibus eleemosyna donari valeant. 3. ut nemini cum venaticis canibus, vel volucribus in Eccleſiam ingredi, aut in eam (præter enſem) haſtam, ſive arma quæcumque, præſertim igni concipiendo accommodata, inferre, aut illa more caſtrorum apud internos Eccleſiæ parietes deponere liceat: non enim ſtatio Militibus, ſed ſacræ orantibus panduntur Ædes. Ipſe Theodoſius Junior Imperator nemini ſacras Ædes cum armis adeundas celeberrimo indixit edicto, quod integrum in fine Concilii Epheſini deſcribitur. Excipiendi tamen ab hac lege ſunt Milites, quibus in Eccleſiam armatos ingredi licet, quando ab Eccleſiaſtico Superiore advocantur, ut eidem in ſacra aliqua functione ſtipatores aſſiſtant, Populique impediant tumultum. 4. Ut Mulieres non, niſi velato, viri autem

(1) Jeremiæ cap. 7. v. 30., & cap. 51. v. 11.

(2) S. Anaſtaſius Synaita orat. de Synaxi, citatæ Litteræ Encyclicæ juſſu Clementis XI., Benedictus XIV. de Synodo lib. 7. cap. 54. n. 8.

(3) Bulla citata S. Pii V., & Litteræ Encyclicæ citatæ.

Digitized by Google

autem non, niſi detecto capite, verſentur, aut orent in Templo, quorum proinde nulli aut nigrum pileum, aut album pileolum, aut reticulum, aut aliud quodlibet tegumentum geſtare liceat in capite juxta illud Apoſtoli (1): *Omnis vir orans, aut prophetans velato capite, deturpat caput ſuum: omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput ſuum; unum enim eſt, ac ſi decalvetur. Nam ſi non velatur mulier, tondeatur: Si vero turpe eſt mulieri tonderi, aut decalvari, velet caput ſuum.* 5. Ut nemo in (2) Eccleſias aſportare, aut aſſervare in iis audeat frumentum, legumina, fruges, vinum, trabes, tigna, fabrilia inſtrumenta, domeſticam ſupellectilem, aliaque hujuſmodi, niſi forte vel propter hoſtiles incurſus, vel propter repentinum incendium aliter fieri neceſſitas cogat: quo quidem in caſu, ceſſante periculo, omnia protinus removeantur. 6. Ut nullus (3) ſive Laicus, ſive Clericus in Eccleſia, ejuſve atrio, aut cæmeterio, aut porticu, veſtibulove quidquam venale proponat, ne id quidem, quod ad Sacrificii, aut Eccleſiæ ipſius cultum pertinere videatur; ut (4) contractus nullus, præter matrimoniales, ac reliquos ad pietatem ſpectantes, in Eccleſia celebretur: ut tandem in eadem neque ducantur (5) choreæ, neque ſymphoniæ, comeſſationes, ludi, & cujuſvis generis ſpectacula habeantur; quæ quidem omnia etiam ante fores Eccleſiæ, ejuſque in atrio ſub gravibus pœnis arbitrio Noſtro infligendis fieri omnino prohibemus.

VI. Præterea ut omnis contemptui, atque irreverentiæ, quoad fieri poteſt, aditus intercludatur, volumus, 1. ut juxta (6) Sum-

(1) 1. ad Cor. c.11. v.4., 5., & 6.

(2) Cap. *Relinqui*. de cuſtodia Euchariſtiæ, Sac. Cong. Immun. in Nucerina 15. Julii 1636., Synodus Tuſculana anni 1703. cap.12.

(3) Cap. *Decet*. de Immun. Eccleſ. in 6., S. Pius V. cit. Conſt., Sacr. Congr. Epiſc. in Neapolitana 21. Julii 1679.

(4) Cit. cap. *Decet*. Acta Eccl. Mediolan. fol.438.

(5) Can. *Cantantes*. diſt.92., Can. *Nullus*. cauſ.17. qu.4., cap. *Cum decorem*, de vita, & honeſt. Clericorum, cap. *Decet*. de Immunit. Eccl. in 6.

(6) Sacr. Cong. Epiſcop. de mandato Innocent. XI. in Neapolit. 22. Januar. 1677., 20. Septemb. 1683., & 1. Octob. 1684., Litteræ Encyclicæ Sac. Cong. Epiſcop. de mandato Clementis XI. anno 1701.

Summorum Pontificum, & Sacræ Congregationis Epiſcoporum decreta, quarumcumque Eccleſiarum fores poſt editum veſpere ſalutationis Angelicæ ſignum obſerentur, nec ante Auroram aperiantur; itaut nocturnis ad eas acceſſibus populo, etiam Religionis cauſa, aditus non pateat. Fores (1) autem ruralium Eccleſiarum, aut Oratoriorum (excepto Sacrificii tempore, quod in iis celebretur), clauſæ ſemper detineantur, earumque clavis, prout etiam Oratoriorum, & Eccleſiarum, quæ in Civitate, & Oppidis ſita ſunt, niſi proprium habeant Rectorem, nullo modo a Laicis, ſed ab aliqua Eccleſiaſtica perſona a Nobis, vel a Noſtro Vicario Generali deputanda, cuſtodiatur. 2. Ut quoad ſcamna, ac ſedilia in Eccleſiis retinenda, aut collocanda, quæ clamorum, & contentionum cauſæ non infrequenter eſſe ſolent, decretum omnino ſervetur editum (2) in Synodo Tuſculana anno 1703., quod ſic habet: *Quia, ſicuti obſervavimus, dedecoris non parum inferunt ſedilia, & ſcamna Laicorum, quæ tum præ numeroſitate, tum præ magnitudine, ac ſtructuræ deformitate ambitum occupant, & ſacras impediunt functiones; firmo retento decreto hac ſuper re quoad Eccleſiam Cathedralem generaliter edito; decernimus, ut in ſingulis Diœceſis Eccleſiis ſedilia, ſi quæ ſint, reformentur ad modum, menſuram, & exemplar ab Eminentiſſimo Epiſcopo præſcribenda, itaut ſingula unam, eamdemque ſtructuram habeant, & magnitudinem: potiſſimum autem extructa appareant ſine genuflexorio anteriori, & ſolum ad ſedendi uſum ſint aptata. Nemini præterea, qui ſedendi jus nondum obtinuerit, licitum ſit ſedile ad Eccleſiam immittere, permiſſu ſibi non facto ab Eminentiſſimo Epiſcopo. Si quæ autem introducta reperiantur ſola privatorum auctoritate, Eminentiſſimus Epiſcopus illa amoveri, prout ipſi expediens videbitur, curabit. Porro iis, qui ſedendi jus legitime ſunt adepti, interdictum ſit, juxta Sacræ Congregationis (3) reſolu-*

(1) Synodus Tuſculana anni 1703. c.12. in fine, Concil. Provincial. Mediol. I. ſub S. Carolo.

(2) Synodus Tuſculana ann.1703.cap.12.

(3) Monacellus par.1. tit.5. formul.8. n.4., & 5., & in Anagnina 5.Sept. 1665., Pignatellus tom.9. conſult.147. n.19., Sac. Cong. Rit. in Narnien. edicti 21. Novembris 1711.

Digitized by Google

ſolutiones, illud alteri vendere, cedere, vel diſtrahere, ſine Eminentiſſimi Epiſcopi facultate, ſed ad illos tantum de familia devolutum cenſeatur; qua extincta, vel deficiente, jus hujuſmodi libere ad Eccleſiam revertatur.

ARTICULUS IV.

De immunitate Eccleſiis, aliiſque locis ſacris, & piis debita.

I. TAnta ſemper habita Templis veneratio eſt, ut ipſa quoque antiquitas, atque iidem ipſi inanium Deorum cultores loca quædam ſacra habuerint, ad quæ qui confugiſſent, nulla vi eos abducere, aut omnino violare fas eſſet. *Si quondam*, ut verbis utamur Nicolai I. (1), *latrones diverſorum criminum rei ad Aſylum Templum Romuli fugientes, indemnitatem conſequebantur; quanto potius hi, qui ad Templum Chriſti confugium faciunt, delictorum remiſſionem ſuorum adipiſci debent!* Cum igitur Chriſtianorum Templis id juris humanis, diviniſque legibus tributum eſſe non ignoremus; retineri idem diligentiſſime, ac tam ſancte cuſtodiri mandamus, ut a nemine umquam violetur, aut minuatur. Quamobrem ne forte propter aliquorum, ſive Clericorum, ſive Laicorum ignorantiam Eccleſiaſticæ Immunitati vulnus aliquod infligatur; quæ de eadem Immunitate per Sacros Canones, Summorumque Pontificum Conſtitutiones ſancita ſunt, paucis hìc recenſeamus.

II. Immunitas, ſeu jus Aſyli, Templis, aliiſque locis ſacris, ac Piis debitum (2), in eo conſiſtit, ut Malefactores ad ea confugientes, neque inde avelli, neque in iis aut capi, aut feriri, aut mutilari, aut occidi poſſint. Hæc immunitas, ſeu jus Aſyli convenit 1. Eccleſiis (3) quibuſcumque Epiſcopi auctoritate erectis, licet conſecratæ non ſint, ſed ſimpliciter benedictæ, imo licet in iis

(1) Nicolaus I. in reſponſ. ad 115. quæſit. Bulgarorum.

(2) Cap. *Inter alia*. de immunit. Eccleſiarum.

(3) Cap. *Inter alia*, cap. *Eccleſiæ*, cap. *Immunitatem*. de immunit. Eccleſ., Can. *Sicut antiquitus*, Can. *Reum*, Can. *Si quis*, Can. *Definivit*. cauſ. 17. qu. 4.

Digitized by Google

iis numquam divinum celebratum fuerit Sacrificium, aut pollutæ etiam ſint, ſeu interdictæ. 2. Cæmeteriis, quamquam ab Eccleſiis ſint ſejuncta, dummodo (1) Epiſcopi auctoritate ſint deſignata. 3. Eccleſiarum porticibus (2), atriis (3), ſcalis exterioribus, ſtillicidiis, Sacrario (4), dummodo Eccleſiæ, vel Cæmeterio cohæreat, vel dummodo, ſi non cohæret, Altare in eo extet, in quo Miſſa celebretur, Turri Campanariæ (5), quamquam a Templo disjunctæ, dummodo ab eo non ultra triginta paſſus diſtet, foribus (6), aut valvis, muriſque exterioribus, ſi quis eos, vel apprehendat, vel tangat, vel iiſdem adhæreat, aut innitatur. 4. Monaſteriis (7), & Conventibus, omnibuſque locis intra eorum ſepta conſtitutis, cujuſmodi ſunt Clauſtra, Cellæ, atque habitacula, imo etiam areæ, horti, domus Familiarium, ſtabula animantium brutorum, officinæ, aliaque loca omnia, quæ intra Monaſteriorum ſepta continentur: item Religioſorum Grangiis, & Hoſpitiis. 5. Seminariis, Hoſpitalibus (8), Noſocomiis, Orphanotrophiis, aliiſque hujuſmodi religioſis locis auctoritate Epiſcopi erectis, & conſtitutis. 6. Eccleſiis (9) campeſtribus Epiſcopali auctoritate conſtructis, etiamſi benedictæ adhuc non ſint; Capellis (10), ſeu Eccleſiis, quæ in Arcibus, ſeu Caſtellis ſitæ ſunt; Ca-

 pellæ

(1) Cap. *Cum Eccleſiarum*. de immunitate Eccleſiarum.

(2) Sac. Cong. Immun. in Spolet. 7. Februar. 1630., in Camerinen. 3. Apr. 1635., in Aſculana 20. Decemb. 1657., & in Dertonen. 9. Septemb. 1670.

(3) Can. *Id conſtituimus*. cauſ. 17. q. 4., & Can. *Si quis contumax*. cauſ. 17. qu. 4.

(4) Sac. Cong. Immun. apud Farinaccium tract. de immunit. n. 180.

(5) Sac. Cong. Immun. apud del Bene de immun. d. 9. ſect. 6.

(6) Sac. Congreg. Immun. in Amerina 28. Maii 1628., in Firmana 13. Julii 1657., in Brunduſina 4. Sept. 1640., in Amerina 18. Febr. 1632., & in Camerinen. 13. Julii 1638., Sac. Congreg. Epiſc. 31. Martii 1604., 18. Julii 1614., & 20. Dec. 1616.

(7) Gregorius XIV. in Conſt. *Cum alias*, can. *Quiſquis*. cauſ. 17. qu. 4., & l. *Omnia privilegia*. cod. de Epiſ., & Cleric., & L. *Pateant*. cod. de his, qui ad Eccleſiam confugiunt.

(8) Cap. *Ad hæc*, & cap. *Ne nimia*. de religioſis domibus, L. *Sancimus*. cod. de Sacroſanctis Eccleſiis.

(9) Sac. Congr. Immunit. in Brunduſina 18. Decemb. 1694., & in Anconitana 19. Junii 1635.

(10) Sac. Cong. Immun. ſub ann. 1653., & in Bononien. 16. Julii 1675.

pellæ (1) in Palatio Gubernatoris extanti, ſi perpetua ſit, & immutabilis; Loco tandem, ſeu ſolo, (2) in quo Eccleſia conſtruitur, quando jam ſolemni ritu primus in fundamento collocatus eſt lapis. 7. Palatio Epiſcopi (3), quamquam ab Eccleſia Cathedrali ultra quadraginta paſſus abſit, & ubicumque ſitum ſit; imo quam quam (4) dumtaxat ſit ab Epiſcopo pro ſua Epiſcopali habitatione conductum, uti a Sacra Immunitatis Congregatione declaratum eſt; item domui illi, in qua Sacræ Viſitationis tempore Epiſcopus hoſpitatur, aut moram trahit. 8. Domibus Parochialibus (5), quæ ad ipſam Parochiam ſpectant, non tamen iis, quæ conductæ ſunt (6) a Parocho, & ab eodem dumtaxat habitantur; quemadmodum Domus ipſæ Parochiales ad Parochiam ſpectantes immunitate non gaudent, ſi a Parocho locatæ (7) Laicis fuerint, & a Laicis incolantur.

III. Quicumque igitur ſive criminoſi, ſive profugæ, ſive obærati in aliquem ex recenſitis locis ſe recipiant; tutiſſimum in eo perfugium nanciſcuntur, ita ut ſub graviſſimis pœnis per Sacros Canones, Summorumque Pontificum Bullas conſtitutis nemini liceat eos inde avellere, aut ulla ratione lædere, aut iiſdem inferre moleſtiam. Hæ autem ſunt pœnæ adverſus hujuſmodi Eccleſiaſticæ Immunitatis violatores conſtitutæ. 1. Ut graviſſimi (8) ſacrilegii reatum contrahant. 2. Ut nulla ſint, atque invalida omnia acta, quæ per ipſos, aut per eorum Miniſtros adverſus reos e ſacro avulſos loco fiant. 3. Ut, quacumque auctoritate (9), ac dignitate præfulgeant, adhuc ipſo facto excommunicationem incurrant

(1) Sac. Cong. Immunit. in Tudertina 7. Maii 1658.

(2) Sacr. Cong. Immunit. in Januenſi 5. Octobris 1688.

(3) Can. *Id conſtituimus*. cauſ. 17. qu. 4.

(4) Sac. Cong. Immunit. in Aquinaten. 19. Novemb. 1666.

(5) Sac. Congreg. Immunit. in Comen. 25. Febr. 1698.

(6) Sac. Congreg. Immunit. in Alatrina 5. Maii 1699.

(7) Sac. Congreg. Immunit. in Ceſenaten. 17. Novemb. 1654.

(8) Can. *Miror*, can. *Frater*. can. *Quiſquis*. cauſ. 17. qu. 4.

(9) Gregorius XIV. Conſtit. *Cum alias* §. 8. 9. Cal. Jun. 1591., Benedictus XIII. Conſt. *Ex quo*. §. 7. 6. Id. Jun. 1725., Clemens XII. Conſtit. *In ſupremo juſtitiæ ſolio*. Cal. Jan. 1734.

curant majorem, a qua, excepto mortis articulo, per ſolum Romanum Pontificem abſolvi poſſint, itaut (1), Apoſtolica Sede vacante, nemo olim illos abſolvendi facultatem haberet. At nunc per Conſtitutionem (2) Clementis XII., quæ incipit: *Apoſtolatus Officium* facta eſt facultas Pœnitentiario Majori ab hac etiam cenſura, Sede vacante, (re tamen prius in Signatura ipſius Officii Pœnitentiariæ Apoſtolicæ ad examen vocata, ſervatiſque aliis ſervandis) Fideles abſolvendi, ſed ad tempus, & cum reincidentia in dictam Cenſuram, itaut qui fuerint abſoluti, ad novum Pontificem intra terminum pro diſtantia locorum definiendum recurrere, & ab eo plenariæ abſolutionis beneficium petere, & obtinere teneantur, nec Pœnitentiario Majori præfixum terminum poſt Pontificis electionem ampliare liceat, vel prorogare. Quare (3) Ordinarii, & Epiſcopi, qui ſine Apoſtolicæ Sedis facultate ab hujuſmodi cenſura audent abſolvere, non modo invalide abſolvunt, ſed præterea ipſi quoque majori excommunicatione innodantur Romano Pontifici reſervata. 4. Ut abſolutio (4) ab hujuſmodi cenſura non detur, & ſi data fuerit, non valeat, niſi prius Reum reſtituerint, pleneque Eccleſiæ læſæ ſatisfecerint. Reſtituendus autem Reus eſt illi eidem (5) Eccleſiæ, aut loco, a quo fuit extractus, nec ſufficit partium conſenſus, ſed Romani Pontificis diſpenſatio requiritur, ut alteri Eccleſiæ fieri reſtitutio poſſit; quæ tamen diſpenſatio (6) concedi ſolet, ſi extractus conſentiat, & multum ab ea Eccleſia diſtet, a qua fuit avulſus. Satisfieri autem debet Ec-

 cleſiæ,

(1) Sac. Cong. Immun. in una S. Marci in Calabria 2. Jun. 1691. apud Riccium in Synopſi verb. *Abſolutio* n. 2.

(2) Clemens XII. in ſua Conſt. *Apoſtolatus officium*. 4. Novemb. 1732.

(3) Sac. Cong. Immunit. in Squillacen. 16. Decemb. 1664., & in Acernen. 29. Jan. 1666., in Sagonen. 11. Febr. 1730., & in Neritonen. 7. Julii 1739.

(4) Sac. Congreg. Immunit. in Lauden. 9. Octob. 1629., in Mexanen. 11. Auguſti 1638., in Marſicana 24. Januar. 1645., in Aquen. 18. Feb. 1659., & in Roſſanen. 9. Maii 1662.

(5) Sac. Cong. Immun. in Neapolitana 21. April. 1634., & in Mediolanen. 28. Novemb. 1634. apud Pignatelli tom. 1. conſult. 172. n. 10.

(6) Sac. Cong. Immun. in Mediolanen. 28. Novemb. 1634., in Vercellen. 25. Maii 1655., & in Aſculana 22. Junii 1655.

cleſiæ, cui per violentam extractionem publica irrogata fuit injuria, per hoc, quod ab iiſdem, qui injuriam irrogarunt, reus Eccleſiæ publice reſtituatur: Sic enim publico pœnitentiæ actu publica reparatur injuria, & Fideles debitam locis ſacris reverentiam præſtare publico docentur exemplo. Præterea reſtituenda ſunt Reo ea omnia, quæ ad ipſum pertinent, etiam arma, ſi ablata cum eo fuerint, quando illum e loco ſacro abripuere. *Qui perſonam, vel bona ejus inde ſubtraxerit, quoadusque emendet, & quod rapuerit, reddat, excommunicetur*: Verba ſunt Juris (1) Canonici, cui multiplex conſonat Sacræ Congregationis Immunitatis declaratio (2). 5. Ut, ſi Epiſcopus per ſententiam declaraverit, aliquos eſſe Eccleſiaſticæ Immunitatis violatores, ac proinde in cenſuras, aliaſque Canonicas pœnas incurriſſe, & hi ab hujuſmodi ſententia ad Romanum Pontificem, & Sacram Immunitatis Congregationem appellent, eorum (3) appellatio admittenda non ſit, niſi prius Eccleſiæ omnino fuerit ſatisfactum, ſeu, ut ajunt, *admittenda non ſit quoad effectum ſuſpenſiuum, ſed dumtaxat quoad devolutiuum*. 6. Tandem, ut aliqui ex his Eccleſiaſticæ Immunitatis violatoribus, quos inferius recenſebimus, omni (4) beneficio, ac privilegio Eccleſiaſtici confugii, & asyli tam apud Eccleſias, & loca immunia ab ipſis violata, quam apud alias quaſcumque Eccleſias, & loca ſacra, & religioſa, indigni, ac privati cenſeantur.

IV. Has incurrunt pœnas ii omnes, qui Eccleſiaſticam Immunitatem violant. Illam autem violare cenſentur, adeoque recenſitas pœnas, ac præſertim cenſuras, incurrunt 1. Omnes capien-

(1) Can. *Sicut antiquitus*. cauſ.17.qu.4.

(2) Sac. Congreg. Immun. in Aſculana 15.Jan. 1658., in Verulana 20.Feb. 168c., in Lunen.Sarzanen.4.Aug.1624., in Brunduſina 24. Aug. 1624., & in Mediolanen. 28.Maii 1626.

(3) Sacr. Congreg. Immun. in Biſacien. 6.Febr. 1694., in Materanen. 9.Sept.1631., in Beneventana 22.Nov.1639., in una nullius Abbatiæ S.Joa. in Lamis 19.Oct.1695., in Balneoregi.18.Aug. 1700., in una Burgi S. Sepulchri 7. Maii 1688., in Piſauren. 25. Sept. 1617., & in Roſſanen. 8. April. 1642., Sac. Cong. Epiſc. in Neapolitana 11.Oct. 1617., in Liparen. 4.Jul., & Rhegien. 4.Jul. 1620., & in Siracuſana 19.Julii 1622.

(4) Benedictus XIII. in Conſt. *Ex quo divina*, & Benedictus XIV. in Conſt. *Officii noſtri*. §.14.

pientes, extrahentes, incarcerantes, vincientes Reos, qui in aſyli locum confugerint, atque in eo commorentur; Item extractionis, aliorumque hujuſmodi actuum Complices (1), Fautores (2), Cooperatores (3), Mandantes (4), Cogentes (5), obſidentes in loco ſacro, & Cuſtodientes Reum, ut e loco immuni egrediatur, & egreſſus a Juſtitiæ Miniſtris capiatur. 2. Qui, licet Satellites, ac Juſtitiæ Miniſtri non ſint, Reum tamen e loco Immuni eripiunt (6), eumque Eccleſiaſticæ tradunt Poteſtati. 3. Qui doloſe (7), fraudulenter, blandiſque ſuaſionibus e loco ſacro Reum extrahunt, vel abducunt, ut ab executoribus Juſtitiæ extra locum immunem capiatur. Et olim quidem ſic doloſe extractus, reſtituendus erat loco immuni. Verum cum perverſi homines hac Eccleſiæ benignitate abuterentur, & plurimis in locis, ac præſertim in Italiæ Provinciis, Inſuliſque eidem adjacentibus, atque etiam in Hiſpaniarum regnis, de Judicum mandato pro cauſis civilibus, vel criminalibus capti, carceribuſque mancipati allegare frequenter ſolerent, ſeſe ab Eccleſiis, aliiſve locis immunibus, ad quæ confugerant, blandis verbis, vel alias doloſe fuiſſe extractos, dictumque ſuum perjurio confirmarent, itemque adhibita conſanguineorum, vel amicorum ſuorum opera falſos teſtes inducere, aliaque non minus deteſtabilia patrare non vererentur; Proinde Clemens XI. (8) ad graves ejuſmodi abuſus tollendos e medio, ac radicitus extirpandos (audito prius nonnullorum S. R. E. Cardinalium,

(1) Sac. Cong. Immun. in Hydruntina 2.Dec.1692., in Balneoregien.11.Jan.1695., in Regien. Jul. 1695.

(2) Sac. Cong. Immun. in Neapolitana 18.Novemb. 1687.

(3) Sac. Cong. Immun. in Regien. 19. Dec. 1690., in una Aquipendii 13.Novembris 1691., & in Signina 31.Jul. 1695.

(4) Sac. Cong. Immun. in Neapolitana 18. Novemb. 1687., & in Camerinen. 3. Aug. 1695.

(5) Sac. Congreg. Immun. in Peruſina 5. Junii 1694., & in Hieracen. 28. Auguſti 1700.

(6) Sac.Cong. Immun. in una Civitatis Caſtellanæ 18.Nov. 1687.

(7) Sac. Cong. Immunit. in Marſicen. 31. Julii 1691., in Aquipendii 13. Novembris 1691., in Neapolitana, ſeu Caſtri Maris 23. Junii 1693., & in Camerinen. 13. Maii 1698.

(8) Clemens XI. in peculiari Decreto edito 22.Dec. 1716.

nalium, ac Romanæ Curiæ Prælatorum ſuper hac re ſpecialiter deputatorum conſilio) a Sacra Eccleſiaſticæ Immunitatis Congregatione litteras ſcribi juſſit ad omnes tam Italiæ, Inſularumque illi adjacentium, quam etiam Hiſpaniarum Ordinarios, per quas iiſdem præſcribebatur, ut ſpeciale publicum edictum, cujus exemplar ad eos mittebatur, in ſuis quique Diœceſibus promulgarent. Hoc autem edicto monebantur omnes, & ſinguli, cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis eſſent, qui vel jam confugiſſent, vel in poſterum confugerent ad Eccleſias, ſeu alia immunia loca, ut, ſi immunitate gaudere vellent, attente curarent in eis permanere, neque ſe ullo prætextu, cauſa, aut quæſito colore ſeduci ſinerent ad diſcedendum ab iiſdem Eccleſiis, aut aliis immunibus locis: ſi enim extra illa deprehenderentur, nihil profuturum iiſdem eſſet allegare, & probare, fallacibus ſuaſionibus, blandis promiſſis, doloſiſve machinationibus ſe e loco immuni extractos, abductoſve fuiſſe, cum Sanctitas ſua jam decreviſſet, ut deinceps ii tantum Eccleſiaſticæ immunitatis beneficio gauderent, qui ab Eccleſiis, aliiſve immunibus locis aut violenter fuiſſent extracti, aut inde diſceſſiſſent ſub fide Salvi-Conductus ab aliquo Judice Ordinario, vel Delegato conceſſi, atque ſubſcripti, non tamen, niſi ad tempus in eo præfixum, valituri. Hujuſce Epiſtolæ, ac Decreti exemplar damus in Appendice num. 13.

V. Violatæ Eccleſiaſticæ Immunitatis Rei pariter ſunt. 1. Qui impediunt, (1) aut prohibent, ne ad Reos in loco immuni receptos victus, veſtitus, aut alia ad victum neceſſaria deferantur; aut ne conſulere poſſint neceſſitatibus naturæ, quibus nonniſi extra Eccleſiam, in loco tamen eidem proximo, propter loci Sacri reverentiam conſulere fas eſt. 2. Qui Reum (2) in loco immuni exiſtentem aut occidunt, aut percutiunt, aut verberant, aut ferreis mani-

(1) Cap. *Inter alia*. de immunit. Eccleſ., Sac. Congreg. Epiſc. juſſu Clementis VIII. 26. Nov. 1602., & juſſu Pauli V. in reſponſ. ad Archiepiſc. Neapolitanum 7. Januarii 1617., Benedictus XIV. Conſtitut. *Officii noſtri ratio*. §. 14.

(2) Can. *Eos qui*. diſt. 87., Sac. Cong. Immunit. in Neapolit. 22. Junii 1617., in Iſclana 14. Febr. 1634., & in Puteolana 17. Decemb. 1675.

manicis, ſeu compedibus devinciunt, aut aliud quodlibet eidem damnum, ſeu ſpolium inferunt. 3. Judices (1), Magiſtratus, Carcerum Custodes, aliique Curiæ Sæcularis Miniſtri, qui reum, etiam abſque eorum mandato ab Eccleſia ereptum, reſtituere Eccleſiæ renuunt, & in Carcere detinent, vel e Carcere dimittunt, ſed prævia ejuſdem obligatione de ſe præſentando, quoties illum eadem Curia ad ſe revocet. 4. Qui Eccleſiam (2) incendunt, aut ejus portas ſive ſeras, aut muros, vel feneſtras etiam vitreas frangunt, licet nulla proinde ſecuta fuerit Eccleſiæ ſpoliatio, ſive detrimentum. 5. Judices (3), aliique Curiæ Laicalis Miniſtri, & Executores, qui in Eccleſiis, aliiſve immunibus locis defunctorum cadavera inſpicere, & recognoſcere audent. Si qua enim cadavera hujuſmodi recognoſcenda ſint; prævia dumtaxat Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis in ſcriptis obtenta licentia, extra locum immunem eadem transferantur, ut eorum a Sæculari Curia inſpectio fiat. 6. Quicumque (4) judicium aliquod Laicale, ſeu civile, ſeu criminale in Eccleſiis, aliiſve locis immunibus exercent. Quod ſi quæſtio oriatur (5), utrum Reus in loco ſacro, an in profano captus ſit, vel utrum delictum a Reo admiſſum Immunitate gaudeat, annon? declaramus, cognitionem ejuſmodi ex utriuſque Juris, ac Bullæ Gregorianæ, ac Benedictinæ (6) præcepto ad Noſtram Epiſcopalem Curiam privative quoad Judices Laicos, ac Prælatos quoſcumque Eccleſiaſticos inferiores pertinere.

VI. Nullum olim tam atrox erat crimen, ut, qui ſe eodem alligaſſet, Jure Aſyli in locis ſacris, aut Religioſis, atque Eccleſiaſti-

(1) Gregorius XIV. cit. Conſtit., & Sac. Cong. Immun. in Ferrarien. ann. 1632.

(2) Cap. *Super eo*, cap. *In litteris*. de raptoribus, cap. *Conqueſti*. de ſententia excommunic.

(3) Cap. *Decet*. de Immun. Eccleſ. in 6., Sac. Cong. Immunit. in Nullius S. Marci 21. *Nov.* 1693., in una Burgi S. Sepulchri 2. Maii 1629., & in Maceraten. 8. Auguſti 1645.

(4) Cap. 1., & cap. *Cum Eccleſia*. de Immun. Eccleſ., cap. *Decet*. eod. tit. in 6., Sac. Cong. Immunit. 8. Maii 1629.

(5) Cap. *Si Judex*. de ſent. excommunic. in 6., can. *Reum*. cauſ. 17. qu. 4., L. *Præſenti*. cod. de his, qui ad Eccleſ. confug., & Gregorius XIV. cit. Conſt. §. 8.

(6) Benedictus XIV. Conſt. *Officii noſtri*. Idibus Martii 1750.

ſiaſticæ Immunitatis beneficio privaretur. Verum cum inde perverſi homines fierent ad peccandum audaciores, & in immenſum crimina augerentur, Romani Pontifices, ac præſertim Gregorius XIV., Benedictus XIII., Clemens XII., & Benedictus XIV., ut tantam peccandi licentiam, quoquo modo poſſent, coercerent, peculiaribus editis Conſtitutionibus decreverunt, ut nullam a Sacris, ac Religioſis ædibus immunitatem conſequerentur, qui perpetratis quibuſdam criminibus in eaſdem ſe reciperent. Singula ejuſmodi crimina, quæ dicuntur *excepta*, percurramus.

VII. Ab Eccleſiaſticæ itaque Immunitatis beneficio excluduntur. 1. Latrones publici (1), viarumque graſſatores (2), qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur. Unica (3) vero tantum graſſatio in via publica, aut vicinali admiſſa ſufficit, ut quis publicus Latro, & Graſſator dici valeat, dummodo tamen graſſati mors, aut membrorum mutilatio fuerit ſecuta. 2. Depopulatores (4) agrorum ſive nocturni, ſive diurni, qui videlicet agros depopulantur, & meſſes, fructuſque igne devaſtant. 3. Qui ſtantes (5) in Eccleſia, vel Cæmeterio interficiunt ſtantes extra Eccleſiam, vel Cæmeterium, aut eos mutilant; nec non qui ſtantes extra Eccleſiam, vel Cæmeterium occidunt ſtantes intra Eccleſiam, vel Cæmeterium, aut ipſos mutilant: præterea qui impediunt, ne quis in locum immunem ſe recipiat; & qui confugientibus vim inferunt, ipſoſque ab Eccleſia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt. In his autem quatuor caſibus violatores Immunitatis, non illius tantum Eccleſiæ, quam violarunt, ſed cujuſcumque etiam alterius Eccleſiæ immunitate gaudere nequaquam poſſunt, aut debent. 4. Sicarii (6), ſeu mandatarii, qui mercede conducti, alieno juſſu aliquem interficiunt, cujuſcumque natio-

(1) Cap. *Inter alia*. de Immunit. Eccleſ.
(2) Gregorius XIV. cit. Conſt.
(3) Benedictus XIII. cit. Conſt.
(4) Gregorius XIV. cit. Conſt.
(5) Benedictus XIII. cit. Conſtitut., & cap. *Immunitatem*. de Immunitate Eccleſiarum, & Gregorius XIV. cit. Conſt.
(6) Gregorius XIV. cit. Conſt.

nationis ſint, & quamlibet Religionem ſequantur. Imo etiam (1) mandantes, qui certum præmium, aut mercedem ſive in pecunia, ſive in aliis rebus tradiderint, aut etiam ſolum promiſerint, quamvis promiſſio nullum habuerit effectum, dummodo aſſaſſinium re ipſa fuerit perpetratum. 5. Qui litteras (2) Apoſtolicas falſificant. 6. Qui Montem Pietatis (3), aut alia ejuſdem generis loca adminiſtrantes, furtum, aut falſitatem in prædictis locis committunt, cujus cauſa arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus ſit. 7. Qui aliquid (4) contra ipſius Principis perſonam moliuntur, ac in ipſa perſona Principis fiunt rei læſæ Majeſtatis. 8. Qui conflant (5), adulterant, vel tondent quaſcumque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, quotieſcumque in loco, aut Provincia, ubi crimen admittitur, liberum habeant uſum, & commercium; vel ipſas monetas conflatas, adulteratas, aut detonſas ſcienter ita expendere, & erogare præſumunt, ut fraudis conſcii, atque participes cenſeri poſſint. 9. Qui ementito Curiæ nomine in alienas domos ſe introducunt animo ibidem perpetrandi rapinas, eaſque re ipſa committunt cum homicidio, aut mutilatione membrorum alicujus ex domeſticis earumdem domorum, vel etiam extranei, quem ibi forte verſari contigerit, dummodo homicidium, aut membrorum mutilatio ſequatur. 10. Hæretici (6), vel ſuſpecti de hæreſi, & Judæi, qui ſuſceptam antea Chriſtianam Religionem deſeruerint. 11. Qui aliquem occiderit proditorie (7), & per inſidias; vel animo (8) præmeditato, ac deliberato; vel etiam in rixa (9), dummodo caſuale non fuerit homicidium, vel ad propriam defenſionem perpetratum. Cum autem Clemens XII. ab Immunitatis beneficio excluſiſſet tam Laicos, quam Eccleſiaſticos inquiſitos, &, ut ajunt, proceſſatos, vel in contu-

Z

(1) Benedictus XIII. cit. Conſt.
(2) Benedictus XIII. cit. Conſtit.
(3) Benedictus XIII. cit. Conſtit
(4) Gregorius XIV. cit. Conſtit.
(5) Benedictus XIII. cit. Conſtit.
(6) Joannes XXII. Conſtit. 1. to. 1. Bullarii Romani, Gregorius XIV. cit. Conſtit.
(7) Cap. *De homicidio*; cap. *Si rixati*; de injuriis; Gregorius XIV. cit. Conſtit.
(8) Benedictus XIII. cit. Conſtit.
(9) Clemens XII. cit. Conſtit.

contumaciam bannitos, *& condemnatos ex cauſa, & occaſione homicidii etiam in rixa commiſſi cum armis, ſeu inſtrumentis ſuapte natura aptis ad occidendum*; Agitata ſæpe fuit quæſtio, an ab Immunitate locali cenſendi eſſent excluſi ii, qui homicidium in rixa baculo, aut ſaxo (quæ certe non videntur eſſe arma ſuapte natura ad occidendum apta) commiſerint? At controverſiam, litemque diremit Benedictus (1) XIV. peculiari ſua Conſtitutione declarans, ac ſtatuens, ut Eccleſiaſtica Immunitate non gaudeat, quicumque ſive Vir, ſive Mulier, ſive Laicus, ſive Clericus, ſive Sæcularis, ſive cujuſvis Ordinis Regularis, baculo, aut ſaxo proximum ſuum occiderit, dummodo ex delicti circumſtantiis dignoſcatur, illius actum, quamvis in rixa commiſſum, non caſu, aut ex neceſſaria defenſione, ſed ex odio, & nocendi animo, ac voluntate prodiiſſe. Illud etiam in eadem Conſtitutione (2) Pontifex decernit, ut ſi quis vulneraverit aliquem, & Chirurgi ad inſpiciendum vulnus acciti, grave vitæ periculum adeſſe retulerint; percuſſor e loco immuni, in quem ſe recepit, ſervatis ſervandis extrahatur, & carceribus mancipetur, ea tamen lege, ut Eccleſiæ omnino reſtituatur, ubi is, qui vulneratus fuerit, ultra tempus a legibus conſtitutum ſuperſtes vivat; & quidem ſub iiſdem pœnis, quibus in memoratis Benedicti XIII., & Clementis XII. Litteris ii ſubjiciuntur, qui delinquentem ex indiciis ad torturam ſufficientibus ſibi traditum reſtituere recuſant, poſtquam is in ſuis defenſionibus hujuſmodi indicia diluerit.

VIII. Cum Gregorius XIV. in ſua Conſtitutione, quæ incipit: *Cum alias*. ea delicta enumerans, quæ ab Eccleſiaſticæ Immunitatis beneficio excluduntur, de laicis delinquentibus dumtaxat mentionem feciſſet, & de his etiam tantummodo locutus fuiſſet Benedictus XIII. in ſua Conſtitutione: *Ex quo divina*; placuit Clementi (3) XII. dictas Conſtitutiones extendere, & ampliare ad Eccleſiaſticos cujuſcumque gradus, & Ordinis, qui homicidium animo

(1) Benedictus XIV. cit. Conſtit. §. 9. (2) Clemens XII. cit. Conſtit. (3) Benedictus XIV. cit. Conſtit. §. 11.

Digitized by Google

mo præmeditato, ac deliberato patrent, dummodo ejuſmodi homicidii cauſa ab eorum Eccleſiaſtico Judice competente cognoſcatur, & ab eo, ſi Rei reperti fuerint, citra pœnam ſanguinis, ad Sacrorum Canonum præſcriptum, condigna puniantur animadverſione. Benedictus vero XIV. eaſdem Conſtitutiones extendit etiam ad omnes, & ſingulos cujuſcumque Ordinis, Congregationis, Militiæ, & Inſtituti Regulares, ſive Profeſſos, ſive illis quomodolibet adſcriptos, cujuſcumque gradus fuerint, & conditionis, licet expreſſa, & individua ipſorum mentio requiratur, ſi qui umquam eorum (quod Deus avertat) homicidium animo præmeditato, ac deliberato patraverint. Præterea declaravit (1), ac ſtatuit, ut etiam Mulieres, ac Milites, ſi quod exceptum crimen admiſerint, immunitate non gaudeant.

IX. Quamquam ii, qui exceptis hujuſmodi criminibus ſeſe inquinaverint, Eccleſiaſticæ immunitatis beneficio gaudere non debeant; non proinde illos e Sacris Ædibus abducere continuo licet, ſed ea omnia neceſſario ſervanda ſunt, quæ Romani Pontifices (2), præſertim Clemens XI., & XII., & Benedictus XIII., & XIV., ſervanda præſcripſerunt, videlicet 1. Ut non, niſi interpoſita Judicis Ordinarii Eccleſiaſtici auctoritate, crimi noſi homines ab Aſyli loco removeantur; 2. Ut hujuſmodi extractioni aliquis Eccleſiaſticus ab Ordinario deſignatus interſit, 3. Ut per ſolum Judicem Eccleſiaſticum cognoſcatur, an Reus ea crimina perpetraverit, ob quæ immunitate prorſus indignus habeatur? 4. Benedictus XIII. (3) declaravit, & voluit, ad hoc, ut Reus ab immuni loco deduci, & Epiſcopi carceribus tradi poſſit, ea ſatis eſſe indicia, quæ ad capturam decernendam ſufficere videantur. Præterea ſtatuit, ut, quando ex proceſſu informativo conficiendo ab Ordinario conſtet de crimine excepto, ac inſuper adverſus Reum extractum talia reſultent indicia, ut crimen ab eo patratum fuiſſe moraliter credi poſſit (quæ quidem indicia juxta regulas Juris vocantur

(1) Benedictns XIV. cit. Conſtitut. §.8. (2) Benedictus XIV. Inſtitut. 41. §.7. a num. 26. (3) Benedictus XIII. cit. Conſtit.

tur *ultra torturam*) in eo tantum caſu præfatus Reus extractus Miniſtris, & Officialibus Curiæ Sæcularis tradi, & conſignari poſſit, ac debeat: Neque tamen iiſdem tradatur, niſi exacta, receptaque prius ipſorum obligatione in forma Juris valida reſtituendi extractum Eccleſiæ ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Romano Pontifici reſervatæ, quoties idem extractus indicia contra ipſum acquiſita in ſuis defenſionibus purget, ac diluat. Quod ſi ea minime purgaverit, & vere delinquens repertus fuerit, tunc Curiæ Sæculari in ipſum, ut Juris eſſe cenſuerit, agere, atque procedere liceat. Hanc Benedicti XIII. Conſtitutionem Clemens XII. (1) confirmavit, illudque præterea addidit, ut, quoties de homicidio deliberato, vel per inſidias, aut etiam per rixam patrato judicium ab Ordinario ſtatuitur; ad hoc, ut foro Sæculari Reus committatur, ſatis eſſe in tota Eccleſiaſtica ditione, ut *acquiſita, ſeu ſubminiſtrata indicia ſint ad torturam tantum ſufficientia*. Poſtremo Benedictus XIV., ut eos corriperet, qui delictum exceptum in una ditione patrant, & ad immunem confugiunt locum in alia, in qua ex mutua conſuetudine Rei traduntur Curiæ in loco delicti juriſdictionem habenti, ſtatuit, ut indicia contra hos ab eo Epiſcopo cumulentur, ad quem ſpectat ratione loci delicti, & ſtatim alteri Epiſcopo tranſmittantur, ad quem pertinet extractionem decernere, ut videlicet hujus Antiſtitis auctoritate, ſervatis ſervandis, a confugii loco extrahi, &, ſi ita res ferat, externæ poſtulanti Curiæ tradi valeat, ita tamen, ut tam in extractione, quam in reliquis omnibus, Pontificiæ Conſtitutiones, & Concordata ſerventur.

X. Pontificias Conſtitutiones Gregorii XIV., Benedicti XIII., Clementis XII., ac Benedicti XIV., quas paucis hactenus expoſuimus, in Synodi Appendice num. 14. damus, ut Parochi omnes noſtræ Civitatis, ac Diœceſis ea cognoſcant, quæ Pontificio jure de ſacrarum Ædium immunitate præſcribuntur, utque certiores fiant, quinam ii ſint, qui Sacri Aſyli beneficio carent, & qua ratione

(1) Clemens XII. cit. Conſtit. *In ſupremo*.

Digitized by Google

tione ii contineri in officio debeant, qui poſt aliquod facinus ad Eccleſias perfugiunt; populo videlicet ea crimina denunciando, quæ Sacra Immunitate deſtituuntur, ut inde eorumdem gravitatem intelligat, & ab iis perpetrandis abſterreatur. Ne quis vero Eccleſiæ Aſylo ad nova crimina admittenda abutatur, mandamus omnibus, & ſingulis Parochis, Rectoribus, atque Adminiſtratoribus etiam Laicis Eccleſiarum, Oratoriorum, aliorumque Piorum Locorum, ut ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis intra triduum a die, qua aliquis ad Eccleſiam confugerit, certiores Nos reddant de ejuſmodi perſona, ejuſque qualitatibus, ac de perpetrato delicto, ut id conſilii, quod res ipſa poſtulabit, capere valeamus. Id etiam præſtari ab iiſdem jubemus, ſi is, qui in locum ſacrum ſe recepit, Eccleſiæ Aſylo ad nova facinora abutatur; ſi vicinis, aut prætereuntibus metum comminationibus ſuis incutiat; ſi noctu ab Eccleſia, ſeu loco ſacro egrediatur; ſi ſuſpectas Mulieres ſecum habeat, aut ſi qua ratione divinorum Officiorum celebrationem impediat, aut perturbet.

XI. Tandem Vicariis Foraneis, Parochis, Rectoribus, Sacrarii Cuſtodibus, aliiſque, quibus Domus Dei cuſtodia demandata eſt, enixe commendamus, ac diſtricte præcipimus, ut ea, quæ circa Eccleſiæ reverentiam, ac Immunitatem tum Jure Pontificio, tum Synodalibus hiſce Conſtitutionibus ſancita ſunt, omni vigilantia, diligentiaque exacte obſervari curent. Noſtræ vero Curiæ Miniſtris, atque Executoribus mandamus, ut ſi forte a Laicis (quod Deus avertat) Eccleſiaſtica Immunitas violetur, non eam armis temporalibus vindicent, neque illatam injuriam humani ſanguinis effuſione ulciſcantur, ſed rem totam ad Nos deferant, ut Eccleſiaſtico Cenſurarum mucrone, aliiſque opportunis adhibitis remediis, hujuſmodi Eccleſiæ hoſtium petulantiam, audaciamque conteramus.

Digitized by Google

CAPUT XV.

DE JURIBUS, ET PRÆEMINENTIIS SANCTÆ TUSCULANÆ CATHEDRALIS ECCLESIÆ, AC DE PARŒCIALIBUS ECCLESIIS, EARUMQUE JURIBUS.

I. HActenus de reverentia Eccleſiis, aliiſque generatim locis ſacris, ac religioſis debita locuti ſumus. Reſtat nunc, ut aliqua ſpeciatim de juribus, & præeminentiis Sanctæ Tuſculanæ Cathedralis Eccleſiæ, & Parœcialium noſtræ Diœceſis Eccleſiarum dicamus, quæ ſane peculiarem reverentiam, atque obſervantiam promerentur.

II. Et primum quidem Cathedralis Eccleſia ab Epiſcopali Cathedra, (1) in qua *magna ſupremi Magiſterii dignitas deſignatur*, nomen ſortitur ſuum, ac principem inter omnes Civitatis, ac Diœceſis Eccleſias locum obtinet, eaſque, cum ipſarum Magiſtra ſit, ac Mater, facile antecellit. Tuſculana autem Eccleſia cum dignitate, tum antiquitate inter plurimas præſtat: dignitate quidem, cum Tuſculanus Antiſtes unus ſit ex ſex Epiſcopis (2) Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui proximam Urbi Diœceſim habentes, Pontifici Maximo aſſiſtunt, ejuſque *Collaterales* in antiquis monumentis appellantur: antiquitate vero, cum ex certiſſimis documentis ſciamus, jam inde a tertio Chriſti ſæculo Tuſculanos Epiſcopos extitiſſe, quorum ut vigeat memoria ſempiterna, Chronologicam Tuſculanorum Antiſtitum ſeriem in Appendice n. 15. damus, qualem ex probatis Auctoribus decerpere licuit. Præterea Tuſculanus Epiſcopus olim non modo Romæ commorari, verum etiam fixam in certo Urbis loco ſedem, ac domicilium habere conſuevit. Vetus autem Epiſcopium Tuſculanum in eadem Urbe fuit (3) Eccleſia S. Mariæ in Monaſterio, quam ab Honorio III. pro

(1) Ex D. Hieronymo Toſtatus in Matth. cap. 1. qu. 70., & cap. *Quamquam*. De præbendis in 6.

(2) Baronius in Annalibus Eccleſiaſticis ad ann. 769. litt. E.

(3) Oldoinus ad annum 1216.

pro ſe, & Succeſſoribus ſuis obtinuit Nicolaus de Claromonte Siculus Monachus Ciſtercienſis, qui ab eodem Honorio III. anno Domini 1219. creatus fuit Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, ac pie obiit anno 1227. In præfata vero Eccleſia Tuſculanus Antiſtes multis quondam juribus, ac privilegiis potiebatur.

III. Quamquam Tuſculanus Epiſcopus (quemadmodum & alii Cardinales Epiſcopi (1) Suburbicarii) tum ex multorum ſæculorum conſuetudine, tum ex aperta Sedis Apoſtolicæ declaratione ad perſonalem in Suburbicaria Diœceſi reſidentiam non obligegetur; Nos tamen, quibus plurimum cordi eſt æterna Populi Nobis concrediti ſalus, & qui Gregem Noſtrum, Noſtramque Sponſam incredibili amore proſequimur, hac facultate non reſidendi ſatis moderate uſi hactenus fuimus, & utemur in poſterum. Memores enim decreti ab Alexandro VII. lati in Conſiſtorio Secreto quinto Idus Octobris anni 1666., quo pronunciatum eſt, Epiſcopos Suburbicarios Cardinales ad propriarum Diœceſum viſitationem teneri juxta id, quod Sacri Canones, & Tridentina Synodus præſcripſere; non modo Diœceſim Noſtram jam non ſemel luſtravimus, & luſtraturi ſumus deinceps quotannis, verum etiam per illud tempus, quod vacuum Nobis ab aliis erit curis, in Tuſculana Civitate commorabimur, ut ſpiritu præſentes, & corpore, diligentius, accuratiuſque publico, & privato Noſtri Gregis bono conſulamus.

IV. Quoniam a Cathedrali (2), quæ communis eſt Magiſtra, Eccleſiæ reliquæ ſumere debent exemplum, præcipimus, ac mandamus, ut Sacros Ritus, Eccleſiaſticas Cæremonias, aliaſque laudabiles conſuetudines, quæ tum in celebratione divinorum Officiorum, tum in aliis divini cultus actibus in Cathedrali obſervantur, inferiores quoque Eccleſiæ, quoad fieri poteſt, amplecti, & imitari ſtudeant. Præeminentias (3) autem Cathedrali debitas nulla alia

(1) Paulus III. ſuo decreto edito 18. Februarii 1547.. & S. Pius V. declaratione edita anno 1568.

(2) Can. *Convenit* diſt. 5. de conſecrat.

(3) Cap. *Ex parte.* de ſepulturis; cap. 3. & ult. de Parochis; *Can. Presbyteri*. diſt. 4. de conſecrat., & Sac. Rit. Cong. in una Tuſcanen 19. Auguſti 1619.

la alia Eccleſia ſine expreſſo Apoſtolico Privilegio ſibi arrogare audeat. Quamobrem Feſto die Corporis Chriſti matutino tempore ſoli Cathedralis Capitulo Sanctiſſimam Euchariſtiam ſolemni pompa circumferre per Urbem liceat. Solius itidem Cathedralis jus eſt Sacra Olea, quæ renovantur quotannis, aſſervare, cæteriſque Eccleſiis opportune diſpenſare. Ut debitus (1) etiam Cathedrali honor ſervetur, Sabbato Majoris Hebdomadæ in nulla Eccleſia ſive Sæculari, ſive Regulari pulſentur campanæ, antequam Tuſculi in Cathedrali, in aliis vero Diœceſeos Pagis in majori Eccleſia pulſatæ eædem fuerint. Hujus legis tranſgreſſores centum ducatorum pœna multabuntur, & in ſubſidium interdicto ſubjicietur Eccleſia. Quotannis etiam eo die, quo anniverſaria Dedicationis Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ inſtauratur recordatio, tum in Urbe Tuſculana, tum in tota Diœceſi a Clero quidem Sæculari ſub ritu Duplici primæ Claſſis cum Octava, a Clero vero Regulari ſub ritu Duplici ſecundæ Claſſis ſine Octava, pie, ac religioſe Dedicationis ejuſdem Eccleſiæ recitetur Officium. Tandem enixe in Domino hortamur, ac rogamus univerſæ noſtræ Diœceſis incolas, ac Tuſculanos præſertim Cives, ut Noſtrum Cathedrale Templum oraturi frequentius inviſant, atque in eo Sanctiſſimum Apoſtolorum Principem, in cujus honorem dedicatum Deo eſt, ea, qua decet, religione venerentur; Indulgentias plurimas, quibus illud Romani Pontifices locupletarunt, & quarum conceſſiones in hujus Synodi Appendice n. 16. damus, ſumma pietate lucrari curent; ac demum Eccleſiæ, quæ in hac Diœceſi reliquarum Mater eſt, ac Magiſtra, debitum exhibeant cultum, ac reverentiam.

V. Immunitates, privilegia, & cujuſvis generis jura, quæ Tuſculanus Epiſcopus in ſua obtinet Diœceſi, integra, & inviolata eſſe decernimus. Si quis autem illa, aut annuos Epiſcopalis Menſæ, aut Cathedralis Eccleſiæ reditus, cenſus, emolumenta, & quo-

(1) Leo X. Conſtit. 22. §. *Ut debitus*. 14. Kalendas Januarii 1516., lata in Concilio Lateranen. ſeſſ. ultima.

& quovis nomine cenſitos proventus, per ſe, vel per alios, quocumque modo, vel quæſito colore occupare, in proprios uſus convertere, uſurpare, aut impedire, ne ad quem pertinent, libere, atque integre deferantur, in excommunicationem (1) majorem Romano Pontifici reſervatam incurret, a qua non abſolvetur, niſi facti pœnitens debito ſatisfecerit.

VI Poſt Cathedralem, in Noſtra Diœceſi, in qua nulla adhuc Collegiata reperitur Eccleſia, digniorem ſibi vindicant locum Eccleſiæ Parochiales (2), quæ non immerito in Sacris Canonibus Matres, ſeu Matrices nuncupantur, cum in ipſis Chriſtifideles, Parochorum, tamquam Parentum, miniſterio, baptiſmo generentur ad Fidem, reliquis Sacramentis alantur ad vitam, mortui demum in iiſdem, veluti in Matris ſinu, peramanter excipiantur. Ut harum etiam Eccleſiarum honori conſulamus, ſub pœnis a Jure latis, aliiſque arbitrio Noſtro infligendis diſtricte prohibemus, ne quis ſive Laicus, ſive Clericus, ſive Sæcularis, ſive Regularis Parochorum jura, prærogativas, ac præeminentias, quas non immerito iiſdem conceſſas eſſe non ignoramus, ullo modo vindicare ſibi audeat, atque uſurpare. Nequa vero ſuper his Parochialibus juribus contentio oriatur, juvat hic eadem diligenti calculo recenſere.

VII. Jura itaque proprie Parochialia ſecundum Sacros Canones ea eſſe, quæ ſequuntur, omnibus edicimus, ac declaramus. Ad Parochum proprie pertinet (3). 1. Curam animarum gerere quoad Populum Parochiali Eccleſiæ deſtinatum, certiſque finibus circumſcriptum. 2. Sacramenta miniſtrare, ac præſertim ſolemnem

A a infan-

(1) Trid. ſeſſ. 22. de reformat. c. 11.

(2) Cap. *Ut ſingulæ*. de officio Archipresbyteri, Clement. unica de baptiſmo, & Clem. I. de ſenten. excommunicationis.

(3) Can. *Placuit*. cauſ. 9. qu. 2., Can. *In ſacris*, Can. 16. qu. 1., cap. *Omnis utriuſque ſexus*. de pœnit., & remiſ., cap. 1. de Sepulturis. cap. 1. de decimis; Clement. I. de privilegiis, Clem. *Dudum*. de Sepulturis; cap. 1. de cuſtodia Euchariſtiæ, cap. *De Apoſtolica*. de Simonia, Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de matrimonio; Sac. Cong. Conc. in Neapolit. 14. Nov. 1693., Sac. Congreg. Epiſcop. 12. Januar. 1604., Sac. Cong. Rit. in Camerinen. 21. Nov. 1637., & in Theleſina 18. Auguſti 1629.

infantibus conferre baptiſmum, Euchariſtiam Adultis Paſchali tempore diſtribuere, Sacro Viatico morituros reficere, extrema unctione ægrotantes linire, matrimonia contrahenda in Parochiali Eccleſia publicare, iiſdem, dum contrahuntur, adeſſe, & Fidelium cadavera, qui intra Parœciæ ſuæ fines fixum habent domicilium, & qui neque tacite, neque expreſſe ſepulchrum ſibi delegerunt, in Parochiali Eccleſia ſepulturæ demandare 3. Eorumdem cadavera e propriis domibus levare, & aqua benedicta aſpergere. 4. Euchariſtiam, & fontem, quem baptiſmalem nuncupant, ac Sacra Olea aſſervare. 5. Demum habere Jus exigendi decimas a ſuis Parochianis, & percipiendi, occaſione funerum, Canonicam portionem, ſeu quartam, ut ajunt, funeralem.

VIII. Alias præterea Sacras, atque Eccleſiaſticas functiones, quæ ad animarum curam, ac Paſtoris Officium quodammodo referuntur, Sacræ Congregationes Cardinalium, accedente Romanorum Pontificum conſenſu, ad Parochos proprie ſpectare declararunt. Sunt autem hæ, quæ ſequuntur. 1. Delatio (1) Stolæ in funeralibus Proceſſionibus, aliiſque Eccleſiaſticis functionibus, quæ extra propriam Eccleſiam, ſeu Oratorium fiunt. 2. Benedictio domorum (2), ac Fontis baptiſmalis Sabbato Sancto, ac ciborum Paſchalium die Paſchatis. 3. Sponſorum (3) benedictio, ac mulierum poſt partum. 4. Excommunicationum (4), & Indulgentiarum promulgatio. 5. Officium (5) funebre ſuper cadaveribus, quæ ſepelienda ſunt in Eccleſiis, ſeu Oratoriis etiam a Parochiali ſejunctis, dummodo eædem Eccleſiæ, ſeu Oratoria ſint

(1) Sacr. Congreg. Concil. in Ebrunden. 25. Junii 1695., & in Cremonen. 23. Januar. 1706. auditis partibus.

(2) Sac. Cong. Rit. in Decreto Encyclico 10. Dec. 1703 in reſponſ. ad 6. & in Theleſina pro Terra Cerreti 3. April 1632., Sac. Cong. Concilii in Bononienſi 4. Jul. 1620.

(3) Sac. Cong. Concil. in Antuerpienſi 19. Nov. 1652., Sac. Cong. Viſitat. Apoſtolicæ in Romana jurium Parochialium 15. Sept. 1695., & 23. Ian. 1698., auditis partibus.

(4) Sac. Congreg. Epiſcop. in Firmana 3. Julii 1615. in reſponſ. ad 8.

(5) Can. *Eccleſiæ*, can. *Quicumque*. cauſ. 16. qu. 1., cap. *Ad audientiam*. de Eccleſ. ædificandis, Sac. Cong. Rit. in cit. decr. Encyclico an. 1703. in reſponſ. ad 20.

Digitized by Google

ſint intra Parœciæ fines, præſertim ſi ſubditus Parocho ſit is, qui in iiſdem eſt tumulandus. 6. Defunctorum (1) Miſſas in Sodalium anniverſario pro legatis piis in Oratorio cum cantu celebrare. 7. Agrorum (2) benedictio, & contra locuſtas, vermes, cæteraque ejuſmodi animalia effuſio precum. 8. Eccleſiaſticæ (3) functiones Majoris Hebdomadæ, præſertim Miſſa ſolemnis Feria v. in Cœna Domini, & Sabbato Sancto. 9. Solemnis (4) Candelarum, Cinerum, & Palmarum benedictio Populo confluenti diſtribuendarum. 10. Functiones omnes, ſive Parochiales, ſive Sacerdotales, omniaque Eccleſiaſtica munia in propriis Parochialibus Eccleſiis exercenda: hæc enim ad Parochos, non vero ad Sacrarii Cuſtodes, ſeu ad Sodales, aut ad eorum Capellanos pertinent: quare in iis peragendis nemo, invito Parocho, poteſt, adeoque nemo ingerere, aut immiſcere ſe audeat.

IX. Permultæ aliæ ſunt Sacræ, atque Eccleſiaſticæ functiones, quæ, licet a Parochis fieri conſueverint, non tamen proprie ſunt Parochiales, neque privative, ut ajunt, ad eos pertinent. Quamobrem cum ſuper iis frequenter inter Parochos, & alios Clericos, ac præſertim Confraternitatum Capellanos non ſine Populi ſcandalo jurgia, ac lites orirentur; Proinde Sacræ Congregationes Cardinalium decretis ſuis editis declararunt, Parochos impedire non poſſe, quominus eædem functiones ab aliis Eccleſiæ Miniſtris exerceantur, dummodo extra Eccleſiam Parochialem fiant, ſeu in Eccleſiis, vel Oratoriis a Parochiali ſejunctis, & quæ ab ea non dependent, & dummodo prædicta Laicorum Ora-

(1) Sac. Cong. Rit. in Iſclana, petente Epiſcopo Cotignola, 14. Decemb. 1697.

(2) Sac. Cong. Conc., petente Procuratore Gener. Cappuccinorum, 28. Auguſti 1688.

(3) Sac. Cong. Rit. in cit. decreto anni 1703. in reſponſ. ad 7., & 8.

(4) Sac. Congr. Rit. cit. decr. ann. 1703. in reſponſ. ad 5., & 6., Sac. Cong. Conc. in Rhegienſi 5. Jun. 1699., in Nullius Nonantulana Jurium Parochial. 13. Jan. 1685., & in Lunen. Sarzanen. 18. Aug. 1690., quæ auditis partibus confirmata fuit 13. Januar. 1691., eamque declarationem ſervari mandavit Sac. Cong. Epiſcop. in Cæſenaten. 27. Junii 1692., Sac. Cong. Rit. in cit. decr. Encyclico ann. 1703. in reſp. ad 26., & in Neapolitana 18. Maii 1602.

toria legitime ſint erecta, quemadmodum Clementis VIII. Conſtitutione cavetur. Functiones autem, de quibus loquimur, ſunt hæ. 1. Brutorum animantium benedictio (1), quæ fieri ſolet Feſto S. Antonii Abbatis die, eaque occaſione oblationes recipere. 2. Benedictio (2), ac diſtributio Candelarum, Cinerum, & Palmarum, quæ in Sæcularium Oratoriis fiat, pro ſodalibus tantum, non vero pro aliis. 3. Miſſarum (3) ſolemnium celebratio Feſtis diebus tantum ſolemnioribus alicujus Eccleſiæ, aut Oratorii. 4. Expoſitio (4) Auguſtiſſimi Euchariſtici Sacramenti, aut Reliquiarum, & benedictio, quæ hac occaſione ſuper Populum effunditur. 5. Denunciatio (5) dierum Feſtorum de præcepto, & Vigiliarum, ac jejuniorum occurrentium, quæ in prædictis Eccleſiis, ſeu Oratoriis a Capellano fiat. 6. Concio (6), ac Miſſæ celebratio in dictis Eccleſiis, ſeu Oratoriis, dummodo Ordinarii accedat licentia, etiamſi Parochi conſenſus deſit, ac dummodo ante Miſſam Parochialem non fiat, niſi tamen aliter Ordinarius decernat. 7. Proceſſiones (7) ſive intra, ſive extra dictas Eccleſias, aut Oratoria, dummodo licentia adſit Epiſcopi, & extra propriam Eccleſiam Capellanus Stolam patentem non deferat. 8. Porrectio (8) Aſperſorii Epiſcopo ad prædictas Eccleſias, ſeu Oratoria accedenti, ut ſe, & circumſtantes Fideles aqua luſtrali, ut ſolet, aſpergere valeat. 9. Adminiſtratio (9), ac diſpoſitio bonorum, quæ ad Oratorium pertinent. 10. Eleemoſynarum (10) collectio, ſeu, ut ajunt, quæſtuatio, de licentia tamen Epiſcopi, licet Parochi conſenſus deſit. X. Quæ

(1) Sac. Cong. Epiſcop. in Fulginatenſi 25. Maii 1685., & in Tudertina 18. Nov. 1695., & Sac. Cong. Rit. in Ravennatenſi 12. Nov. 1695.

(2) Sac. Cong. Rit. in cit. decr. Encyclico Jurium Parochialium pro Urbe, & Orbe 10. Dec. 1703., approbato a Clemente XI. 12. Jan. 1704. in reſponſ. ad 5., & in Iſclana 4. Dec. 1697., & Sac. Congreg. Concil. in Rhegienſi 5. Junii 1699.

(3) Sac. Rit. Congr. cit. decret. Encyclico anni 1703. in reſponſ. ad 10., & in Brunduſina 1. Junii 1601.

(4) Sac. Cong. Rit. cit. decret. Encycl. ann. 1703. in reſponſ. ad 11., & 12.

(5), (6), (7), (8), (9) Ead. Sac. Cong. cit. decreto Encyclico in reſponſ. ad 14., 15., 16., 18., 19., 21., 22., 23., 24., & 31.

(10) Sac. Cong. Epiſc. in Viterbienſi 25. Maii 1601.

X. Quæ hactenus quoad Sacras, atque Eccleſiaſticas functiones, ſive pro Parochis, ſive pro aliis, a Sacris Canonibus, & a S. R. E. Cardinalium Congregationibus ſancita, ac declarata recenſuimus, ad omnes præcidendas lites, atque diſſidia tum a Parochis, tum ab aliis exacte, ac fideliter ſervari mandamus. Volumus tamen, ut ſalvæ (1), atque illæſæ ſemper ſint conventiones, ac pacta, quæ forte in ſodalitatibus erigendis interceſſerint, concordiæ inter partes initæ, & a Sancta Sede approbatæ, Indulta, Conſtitutiones Synodales, & conſuetudines immemorabiles, aut ſaltem centenariæ, quas omnes, & ſingulas in ſuo robore permanere ſtatuimus, ne ullius juribus irrogetur injuria.

XI. Ut autem Parochialibus Eccleſiis, quæ in ſingulis Noſtræ Diœceſis Oppidis inter Eccleſias reliquas primatum obtinent, ſuus ſervetur honor, ac reverentia; Præcipimus, ut ſolemnes ſupplicationes, & Proceſſiones univerſæ, tum quæ conſueto Eccleſiæ more quotannis fiunt, tum quæ extra ordinem inſtitui aliquando ſolent, a Parœciali Eccleſia initium ſumant, & in eadem deſinant. Eadem etiam Parœcialis Eccleſia Sabbato Majoris Hebdomadæ omnium prima campani æris ſonitu Paſchalem Populo ſolemnitatem annuntiet. In eadem præterea Romani Pontificis, ac Noſtræ Conſtitutiones, Mandata, vel Edicta, quæ ſeu ad Orthodoxam doctrinam, ſeu ad mores, ac diſciplinam pertinent, Fidelibus promulgentur. Nemini tandem in ea, præter Curatores animarum, & ab ipſis de licentia Noſtra ad id delectos Sacerdotes, Parochiales functiones obire liceat.

XII. Oblationes, quæ in uſum Miniſtrorum in Parochiali Eccleſia fiunt, ad Parochos ſpectare declaramus (2), cum ii ſuper omnibus his, quæ intra Parœciæ fines peraguntur, fundatam de

(1) Cap.fin. de conſuetudine, cap. *Super quibuſdam*. de V. S., cap. *Ad aures*. de præſcript., cap. 1. eod. tit. in 6., Sac. Cong. Rit. cit. decreto Encyclico in fine.

(1) Can. *Quia Sacerdotes*, can. *Sanctorum*. cauſ. 10. qu. 1., can. *Ulterant.e*, can. *Quatuor*. cauſ. 12. qu. 1., cap. *Quoniam*. de decimis, cap. *Ad audientiam*. de Eccleſ. ædif., cap. *Cum inter vos*. de V.S., Sac. Cong. Conc. in Bracharen. oblationum 17. Dec. 1612., & in Beneventana Spolii 2. Dec. 1585., & 2. Dec. 1587.

de jure habeant intentionem, niſi ex largientium voluntate conſtet, hujuſmodi oblationes non Parochis, ſed aliis. donari, ac tradi. Quod ſi oblationes non in Miniſtrorum uſum, ſed in Eccleſiarum, ſeu Altarium, ſeu ſacrarum Imaginum decus, & ornamentum datas eſſe conſtiterit; eaſdem in ipſos uſus a largientibus intentos ad Sacrorum Canonum normam erogari jubemus. At ſi oblationes fiant (1) alicui ſacræ Imagini depictæ, aut affixæ parieti alicujus privati hominis; eaſdem ſane non acquirit parietis Dominus, imo ne eas quidem adminiſtrandi jus adipiſcitur, cum Laici ſint Juris ſpiritualis incapaces. Hujuſmodi itaque oblationes vel per Parochum, vel per alium a Nobis deputandum, prout magis expedire in Domino judicabimus, juxta largientium mentem, ac voluntatem expendendas eſſe decernimus.

XIII. Quod ſi magnam Parochiali Eccleſiæ Fidelis Populus exhibere debet reverentiam, multo ſane major præſtanda eidem a Parocho eſt una cum ſincera amoris ſignificatione. Cum enim Parochus Eccleſiæ ſuæ ſancto veluti conjugio ſocietur, eamdem proinde veluti ſpiritualem Sponſam, & vera charitate diligere, & ſummo ſtudio colere, atque ornare, & plurimum illius munditie, forma, ac decore capi debet: ex ejus enim dignitate non parum ad ſe laudis, fructumque veræ voluptatis redire animadvertet. Parochus igitur in Eccleſia ſua excolenda, perpoliendaque totus ſit, ut ſemper munda, ſemper nitens, ſemper læta videatur. In ea Sacri Fons Baptiſmatis, Oleorum ſacrorum vaſa, Sedes Confeſſionales, Concionatorum ſuggeſtus, ac Sanctiſſimæ Euchariſtiæ cuſtodia tam recte, atque decenter ſint conſtituta, ut ſuo quæque res probe congruat miniſterio. Serventur etiam in ea baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, ac mortuorum libri ab eodem Parocho rite, diligenterque confecti, & quidquid ad animarum curam, ac ſalutem pertinet, ab eodem ſuis temporibus

ribus

(1) Can. *Hanc conſuetudinem*. cauſ. 10. qu. 1., cap. *Decernimus*. de judiciis, cap. *Meſſana*, cap. *Sacroſancta*. de electionibus, cap. *Cauſam*. de præſcriptionibus, cap. *Relatum*. il 2. de teſtamentis.

ribus religioſiſſime adminiſtretur. Quæ quidem omnia facile præſtabit Parochus, ſi ab ipſo ſtatim initio verum erga ſuam Eccleſiam, veluti ſponſam, amorem induat; ſi non ex illius dote, atque opibus locupletari, ſed omnia ad illius cultum, ornatumque, conferenda ſibi eſſe ſtatuerit; ſi denique, victis cupiditatum illecebris, veram gloriam, veraque præmia, quæ Deus recte factis, veræque charitati ſtatuit, ob oculos ſæpe habeat ſuos.

CAPUT XVI.

DE PUBLICIS, AC DE PRIVATIS ORATORIIS.

I. Anguſta quædam, ac minora Templa, ad quæ confluentibus acceſſus e publica patet via, publici Oratorii nomine deſignantur, quippe in eadem certus potiſſimum ſodalium cœtus Feſtis per annum diebus ad orandum, divinaque celebranda, ac participanda Myſteria convenire ſolet. Publica hæc Oratoria iiſdem, quibus Majora Templa, privilegiis, atque immunitatibus gaudent, dummodo fuerint & Epiſcopali auctoritate erecta, & divino dumtaxat cultui deſtinata, & foribus inſtructa, per quas e publica via ingreſſus ad eadem accedentibus pateat. Quamobrem in his ſacris Ædibus conſtruendis, dotandis, conſervandiſque, ac, ſi neceſſitas poſtulet, etiam reparandis, aut deſtruendis eædem locum habent leges, quas pro majoribus Templis a Sacris Canonibus, Romaniſque Pontificibus conditas ſuperius ſummatim recenſuimus, & quarum proinde exactam, uti Religionis virtus jubet, obſervantiam omnibus, ad quos pertinet, iterum, iterumque commendamus,

II. De privatis Oratoriis, quæ in Laicorum domibus ſunt conſtituta, dicendum nunc Nobis eſt, ac Romanorum Pontificum, Sacrarumque Congregationum Decreta, quæ ſuper his emanarunt, in medium ſunt proferenda. Si enim, uti adducto Epiſcoporum Italiæ exemplo Epiſcopos omnes Regni Poloniæ monet

net (1) Benedictus XIV., ſi, inquam, decretorum iſtorum Summa in Diœceſana Synodo inſeratur, aut in Appendice ad ipſam Synodum eadem decreta per extenſum adjungantur; duplex inde extabit bonum, videlicet ut & viva in Epiſcopis eorumdem memoria ſervetur, & ab aliis aut ignorantia expellatur, aut eadem, utpote craſſa deinceps, ac ſupina, reddatur inexcuſabilis.

III. Ab Apoſtolorum uſque tempore (2) in Laicorum domibus viguit privatorum Oratoriorum uſus, in quibus Miſſæ Sacrificium, accedente tamen Epiſcoporum licentia, celebraretur (3). Verum cum ad eam concedendam licentiam Epiſcopi faciles plerumque eſſent, ac proinde non pauci irrepſiſſent abuſus; factum fuit, ut Tridentini Concilii Patres, poſt varios hac de re habitos ſermones, hoc tandem ediderint decretum (4): *Neve patiantur* (Epiſcopi) *privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria ab iiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc Sacrificium a Sæcularibus, aut Regularibus quibuſcumque peragi, non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, & conſuetudinibus quibuſcumque.* Unde factum eſt, ut non amplius Epiſcopis facultas (5) ſit concedendi uſum Oratoriorum privatorum, in quibus Miſſa celebretur: licentia enim, quæ ab ipſis daretur, celebrandi Miſſam in Oratoriis privatis, ſtare nequit cum Tridentini Concilii præcepto iiſdem Epiſcopis impoſito, ne id patiantur. Prædictum itaque Jus ad Sanctam Sedem devolutum eſſe, & hanc eſſe veram Concilii verborum intelligentiam docuit Paulus V. in Epiſtola Encyclica (6) ad univerſos Epiſcopos data, in qua diſerte concludit, *facultatem hujuſmodi licentias dandi ipſius Concilii decreto unicuique ademptam eſſe, ſolique Beatiſſimo Romano Pontifici eſſe reſervatam.* IV. Poſt-

(1) Benedictus XIV. in epiſt. Encycl. ad Epiſcopos Poloniæ, quæ incipit: *Magno.* edita 2. Junii 1751.

(2) Benedictus XIV. de Sacrif. Miſſæ ſect. 1. §. 10.

(3) Can. *Miſſarum*. de conſecr. diſt. 1.

(4) Trid. ſeſſ. 22. in decret. de obſerv., & evit. in celebr. Miſſæ.

(5) Bened. XIV. cit. epiſt. Encycl. §. 11.

(6) Paulus V. epiſt. Encycl. ann. 1605. & Benedictus XIV. de Sacrificio Miſſæ ſect. 2. §. 42.

Digitized by Google

IV. Poſtquam reſervata Apoſtolicæ Sedi fuit hæc Oratoria privata concedendi facultas, dici vix poteſt (1), quantum curæ, diligentiæque ad omnes tollendos abuſus, qui ex ejuſdem facultatis conceſſione oriri poſſent, adhibuerit, Romano jubente Pontifice, Sacra Congregatio Concilii, ex cujus ſententia hæ tandem ſtatutæ fuerunt leges; videlicet ut Oratorium parietibus ſit extructum, per quos ab omnibus aliis domeſticis uſibus ſegregetur; ut idem vel ab Epiſcopo, vel ab alio, cui vices ipſe ſuas delegaverit, viſitetur, attenteque inſpiciatur, num decens, apteque compoſitum ſit, & num aliqua eorum, quæ neceſſaria ſunt, deſint? ut Epiſcopus ipſe licentiam celebrandi Miſſam impertiatur, ejuſmodi vero licentia ſecundum rationabile illius arbitrium perduret; ut non plures in die, ſed unica tantum Miſſa in Oratorio celebretur a Sacerdote vel Sæculari, vel Regulari, dummodo Sæcularis ab Epiſcopo approbatus ſit, Regularis autem licentiam habeat a ſuo Regulari Superiore; ne celebrari poſſit Miſſa ſolemnibus diebus Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, aliiſque ſolemnioribus diebus, inter quos enumerandi ſunt dies Epiphaniæ, & Aſcenſionis Domini, Annunciationis, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, omnium Sanctorum, necnon Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Titularis Eccleſiæ loci; ut exprimantur perſonæ, quarum præſentia neceſſaria eſt, ut Miſſa in privato Oratorio celebrari poſſit; aliæ item perſonæ, quæ, ſi eodem tempore Miſſæ interſint, Eccleſiaſtico ſatisfacere poſſunt præcepto; tandem ut declaretur, omnia ſine Parochialium Jurium præjudicio fieri debere. Et ſane ſub his conditionibus, legibus, & clauſulis Oratorii privati facultas a Romanis Pontificibus concedi ſolet, quamquam aliquando juſtis de cauſis concedatur alicui, ſed per extraordinarium Breve, aut per Apoſtolicum Reſcriptum, ut vel ſecundam Miſſam celebrari facere poſſit, vel ut eadem aliquanto citius, aut aliquanto

Bb

(1) Benedictus XIV. in cit. Epiſt. Encycl. §. 12.

to ſerius tempore in Rubricis præfixo celebretur, vel ut celebretur diebus exceptis, vel aliquid aliud hujuſmodi.

V. Cum duobus plerumque Conjugibus licentia concedatur, ut coram ipſis, eorumque filiis, conſanguineis, & affinibus in eadem domo habitantibus Miſſa in privato Oratorio celebrari poſſit; dubitatum fuit, an, ſi neuter Conjugum, ſed unus ex filiis, aut conſanguineis in eadem domo habitantibus adſit, eo jubente, celebrari Miſſa valeat, & reliqui affines, & conſanguinei eamdem audientes Miſſam, Eccleſiaſtico præcepto poſſint Feſtis diebus ſatisfacere? *Celebrari non poſſe*, reſpondit Sacra Congregatio Concilii (1), *niſi aliquis ex indultariis in Oratorio præſens habeatur*; quam reſponſionem Apoſtolica auctoritate confirmavit Benedictus XIV. (2), juſſitque, hanc in poſterum clauſulam in privatorum Oratoriorum conceſſionibus inſeri: *Volumus autem, ut nati, ac conſanguinei, & affines prædicti unicam dictam Miſſam, vobis quidem præſentibus, audire tantummodo, numquam vero celebrari facere audeant*. Ut autem, quæ Indultariæ perſonæ ſint, agnoſci facile poſſit; illud adjunxit idem Sanctiſſimus Pontifex, ut videlicet pro Indultariis perſonis illæ haberentur, quæ in Brevis fronte, ſeu inſcriptione nominatæ forent, cum ad eaſdem ipſas Breve dirigatur. Quod ſi forte in corpore Brevis aliqua nominetur perſona, qua præſente concedatur, ut Miſſa celebrari poſſit, & alii affines, conſanguinei, vel familiares eamdem audientes præcepto ſatisfaciant; tunc etiamſi ea perſona in fronte Brevis minime nominetur; ut tamen pro indultaria habeatur, idem (3) Pontifex in citata Epiſtola Encyclica expreſſe ſtatuit, ac declaravit. Præterea cum alicui interdum ab Apoſtolica Sede malæ valetudinis cauſa conceſſum fuiſſet, ut diebus etiam exceptis Miſſam in privato Oratorio audire poſſet, ac præcepto ſatisfacere; Dubitatum fuit, utrum

(1) Sac. Cong. Conc. in Marſicen. Oratorii 3. Dec. 1740.

(2) Benedictus XIV. 7. Jan. 1741.

(3) Benedictus XIV. in cit. Epiſt. Encycl. §. 15.

Digitized by Google

utrum Natali Chriſti Domini die a Sacerdote, qui in Oratorio celebrat, tres Miſſæ celebrari poſſent, an ad normam Brevis ordinarii, unica tantum eſſet celebranda? Re matura diſcuſſa, *tres Miſſas celebrari poſſe* Sacra Congregatio (1) Concilii declaravit.

VI. Diſputabatur quidem olim, an Sacræ quædam functiones in privatis Oratoriis fieri, ac potiſſimum an baptiſmi, Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ Sacramenta miniſtrari poſſent? Verum quoad baptiſmum controverſia dirempta prorſus eſt in Concilio Viennenſi (2), in quo ſub Clemente V. decretum fuit, ne baptiſmus in aliis locis conferri poſſet, præterquam in Templis, in quibus Sacri hujus lavacri fontes reperiuntur, niſi cum caſus neceſſitatis adeſſet, aut cum de Regum, vel de Principum filiis ageretur. Quoad Pœnitentiæ vero, atque Euchariſtiæ Sacramenta, cum eorum ſanctitas exigat (3), ut, extra veræ neceſſitatis caſum, nonniſi in Eccleſia adminiſtrentur; Nos S. Carolum (4) Borromæum, aliſque Sanctiſſimos, doctiſſimoſque Epiſcopos imitati, & Benedicti XIV. in citata Epiſtola Encyclica diſpoſitioni obſecundantes, Synodali hoc Noſtro Decreto præcipimus, ac mandamus, ut nullus ſive Sæcularis, ſive Regularis Sacerdos in privatis Oratoriis eadem Sacramenta miniſtrare audeat, niſi vel Noſtram, vel Generalis Vicarii Noſtri licentiam obtinuerit.

VII. Quæ hactenus hac ſuper re diſſeruimus, aliaque plura fuſe recenſet, atque Apoſtolica auctoritate confirmat Benedictus XIV in laudata Epiſtola Encyclica, quæ ut ab omnibus attente perlegatur, & omnimodæ executioni demandetur, in Synodi hujus Appendice num. 17. exhibebitur. Reliquum nunc eſt, ut iis, quibus ab Apoſtolica Sede privati Oratorii facultas in hac Noſtra Diœceſi conceſſa jam eſt, aut concedetur in poſterum, pau-

(1) Sac: Cong. Conc. 13. Januar. 1725. tom. 3. Theſ. Reſolut.

(2) Clemen. unic. de baptiſmo, & ejus effectibus.

(3) Rituale Romanum ſub Paulo V. tit. de Sacramento Pœnitentiæ.

(4) Concil. Provinc. Mediolanen. I. in Actis Eccleſ. Mediolanen. par. 1. pag. 11., par. 4. pag. 520., 761., 773., & 775.

Digitized by Google

ca quædam pro divini cultus conſervatione, atque incremento præſcribamus. Volumus itaque, ut ipſum Oratorium a quocumque alio domeſtico uſu immune religioſo quodam ornatu, ac decore renideat; ut munda ſit, ac nitida in divinis Myſteriis adhibenda ſupellex; ut demum ea omnia, quæ in Pontificiæ conceſſionis Brevi præſcribuntur., ſumma religione ſerventur.

CAPUT XVII.

DE LAICORUM HOMINUM SODALITIIS, SEU CONFRATERNITATIBUS.

I. Laicorum ſodalitia, quæ Confraternitates vulgo nuncupantur, ad pietatis, religionis, & charitatis officia exercenda ſub certis regulis, ac præceptis fuiſſe inſtituta non ignoramus. Primam eorumdem originem aliqui referunt ad S. Bonifacium Germanorum Apoſtolum, qui octavo ſæculo floruit, circa annum videlicet 730., alii vero altius, ab ipſis nempe Apoſtolis, repetunt, qui (1), teſte Tertulliano, *conventus faciebant, & in cœtum & aggregationem coibant* ad orandum, pſallendum, ac rem Chriſtianam pertractandam; unde morem cœpiſſe ajunt, & ad poſteros manaſſe, ut Laici quoque homines, Apoſtolos imitati, ad divinum cultum exercendum ſocietates inſtituerent, ſeu fraternæ charitatis Collegia, quæ Confraternitates nuncuparunt. Has igitur Confraternitates ad divinum cultum conſervandum, augendumque inſtitutas, Religionis virtus poſtulat, ut a Dæmonis incurſibus ſedulo tueamur, & ab omni inordinatione, aut perturbatione cuſtodiamus immunes. De iis itaque agendum Nobis hìc eſt, & ad rectam earum gubernationem ſalutares quædam præſcribendæ ſunt leges.

II. Primum igitur nulla hujuſmodi piorum hominum Sodalitas

(1) Tertullianus in Apologetico c.39., Polidorus lib.7. cap.6., Surius to m.3. in vita S. Cœleſtini Papæ.

tas in Tuſculana Diœceſi abſque Noſtra (1), aut Succeſſorum Noſtrorum facultate, & ſine prævio diligenti, ac maturo regularum, & ſtatutorum examine, Noſtraque eorumdem approbatione erigatur: Secus eam nullam, illegitimam, irritamque declaramus. Nulla præterea ſine Noſtris Teſtimonialibus litteris Sodalitatibus aliis, aut in Templis Religioſorum hominum, aut alibi, ſive Apoſtolica, ſive Epiſcopali auctoritate rite inſtitutis aggregari licite valeat. Quamobrem ſi qua neque legitime erecta, neque ſtatuta habens, ac regulas a Nobis approbatas, Archiconfraternitatibus aggregetur; eam Indulgentiis, ac privilegiis quibuſcumque frui non poſſe declaramus. Quæcumque vero jampridem Deceſſorum Noſtrorum auctoritate erectæ, vel aggregatæ regulis carent, aut ſtatutis nondum approbatis utuntur; infra ſex menſes ab hujus Synodi publicatione per eos, ad quos pertinet, ſuas regulas, & Conſtitutiones exhiberi Nobis curent, ut poſt maturum examen auctoritate Noſtra approbari valeant.

III. Cum Clemens VIII. peculiari Conſtitutione (2) plura obſervanda præſcripſerit, ut ſodalitates legitime, ac valide erigantur, & aggregentur, juvat hic eamdem per ſumma capita delibare. Statuit igitur 1. ut unica tantum ejuſdem Inſtituti, & generis Confraternitas in Eccleſiis tam Sæcularium, quam Regularium inſtitui, & aggregari poſſit. 2. Ut id fiat accedente Ordinarii conſenſu, habitiſque teſtimonialibus ejuſdem litteris. 3. Ut Confraternitatem inſtituentes, vel aggregantes, eidem expreſſe, & in ſpecie communicent quidem privilegia, & Indulgentias Ordini inſtituenti, vel aggreganti nominatim conceſſas; non tamen ea, quibus idem Ordo per ſolum communicationis privilegium gaudet. 4. Ut Confraternitatum Statuta ab Ordinario loci examinentur, & approbentur, & corrigi ab eodem poſſint. Ut in Con-

(1) Can. *Multis*. diſt. 16., Concil. Lateran. III. cap. 9., Clemens VIII. Conſt. *Quæcumque*. 7. Decemb. 1604., Paulus V. Conſt. *Salubriter*. 23. Nov. 1610., Sacr. Congr. Rit. in Elborenſi 7. Octob. 1617., Sac. Cong. Concil. in Potentina Aggregationis 29. Maii 1683., Trid. ſeſſ. 22. de reform. cap. 8.

(2) Clemens VIII. Conſt. 115. quæ incipit: *Quæcumque*. edita 7. Dec. 1604.

Confraternitatibus aggregandis, & inſtituendis formula ſervetur ab eodem Summo Pontifice Clemente VIII. approbata. 6. Ut gratiæ, atque Indulgentiæ Confraternitatibus communicatæ, prævia dumtaxat Ordinarii cognitione, promulgentur. 7. Ut Confraternitas eleemoſynas, aliaque oblata Chriſtianæ charitatis ſubſidia, juxta modum, & formam ab Ordinario loci præſcribendam excipere tantum poſſit. 8. Ut dictæ eleemoſynæ pro arbitrio Ordinarii in Eccleſiæ, ſeu Oratorii utilitatem, alioſque pios uſus erogentur. 9. Ut Confeſſarii Confraternitatum ſint ab Ordinario approbati. 10. Ut, ſi Confeſſarii ſint Regulares, præter Ordinarii approbationem, a propriis etiam approbentur Prælatis, & abſolvant Confratres juxta privilegia iiſdem conceſſa, dummodo ſint in uſu, & neque Concilio Tridentino, neque cæteris Romanorum Pontificum Conſtitutionibus adverſentur. 11. Ut a prædictis Confeſſariis abſolvi ſodales nequeant a caſibus reſervatis in Bulla Cœnæ; ab Eccleſiaſticæ Immunitatis violatione; a violatione Clauſuræ Monaſteriorum Sacrarum Virginum, ſi quis eadem ingreſſus fuerit ſine urgenti cauſa, & abſque Superioris licentia, vel cum dictæ licentiæ abuſu; ab injectione violentæ manus in Clericum; a ſingulari certamine, ſeu duello, & ab aliis peccatis Apoſtolicæ Sedi, & Ordinario loci reſpective reſervatis, & pro tempore reſervandis; a quavis excommunicatione ab homine lata; ac tandem ut ſuper irregularitatibus diſpenſari ab iiſdem Confeſſariis nequeat. 12. Ut Litteræ erectionis, & aggregationis gratis dentur. 13. Ut Confraternitates ante dictam Clementis VIII. Conſtitutionem erectæ novas erectionis Litteras juxta formam ab eodem Clemente approbatam petant.

IV. Laudatam Clementis VIII. Conſtitutionem Paulus V.(1) confirmavit, exacteque obſervari juſſit. Verum adhuc poſt illas plura exorta ſunt diſſidia, ac plures excitatæ controverſiæ modo inter ipſas Confraternitates, modo inter ipſas, & locorum Ordinarios, a quorum Juriſdictione varias ob cauſas ſe abducere conabantur;

(1) Paulus V. Conſtit. *Salubriter*. 23. Nov. 1610.

bantur; modo tandem inter ipſas, & Parochos, quibus ſubeſſe detrectabant, ut ad altiorem quemdam gradum proprios Capellanos eveherent. His litibus,controverſiis, atque diſſidiis ut modus tandem imponeretur, Sacræ Cardinalium Congregationes plura edidere decreta, quorum brevem notitiam partim hìc, partim in Appendice n. 18. damus, ut Parochis, ac Sodalibus innoteſcant, & ab omnibus in hac Noſtra Diœceſi exacte, ac perpetuo obſerventur.

V. Primo itaque de loci primatu Sodalitates inter ſe contenderunt. At paucis litem diremit Gregorius XIII. (1) ſtatuens, ut *ii Sodales, qui prius Saccis uſi ſunt, in Proceſſionibus tam publicis,quam privatis præcedere debeant: qui vero in quaſi poſſeſſione hujuſmodi præcedentiæ, ac juris præcedendi ſunt, quibuſcumque reclamationibus, proteſtationibus, appellationibus, & aliis ſubterfugiis prorſus remotis, & ceſſantibus, & poſtpoſitis, præcedant*. Nullos umquam limites alii Romani Pontifices huic Conſtitutioni mox poſuere, niſi quoad Sodalitates, quæ a Sanctiſſimo Sacramento nuncupantur. His enim conceſſum eſt reliquis ſemper præire in iis Proceſſionibus, in quibus Sacra Euchariſtia defertur, dummodo & ſacco utantur, & aliis quoque Proceſſionibus intereſſe conſueverint. In aliis vero Proceſſionibus Conſtitutionem Gregorii XIII. ſervare debent, uti Sacræ Cardinalium Congregationes (2), ac Tribunal Romanæ Rotæ non ſemel declararunt. Illud quoque peculiare privilegium conceſſum eſt ab Apoſtolica Sede Sodalitatibus Corporis Chriſti, quas in ſingulis Parochialibus Eccleſiis erigi Summi Pontifices exoptarunt, ut videlicet ſtatim ac ordinaria Epiſcoporum auctoritate erectæ fuerint, abſque ulla alia aggregatione, omnibus gratiis, atque Indulgentiis gaudeant, quibus Archiconfraternitas Corporis Chriſti in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſuper Minervam de Urbe potitur, & gaudet, uti cautum eſt Conſtitutione Pauli III., Apoſtolicis litteris in forma Brevis Pauli V., & Innocentii XI.

(1) Gregorius XIII. Conſtit. 84. Bullarii tom. 2.

(2) Videatur Baſſius in ſuo tractatu de Sodalitiis qu. 11. n. 5.

Digitized by Google

tii XI. (1), & uti Cœtus Cardinalium Sacris Indulgentiis præpoſitus declaravit.

VI. Non ſemel Sodalitates ab Epiſcopi auctoritate ſe ſubducere curarunt, vel quod erectæ eſſent in Eccleſiis Regularium, qui Epiſcopis non ſubjiciuntur; vel quod Romanis Archiconfraternitatibus eſſent adſcriptæ, earumque propterea privilegiis, atque exemptionibus ſe gaudere contenderent; vel tandem quod Capitulo S. Joannis in Laterano Romæ adſcriptæ eſſent, adeoque ab Epiſcopi ſubjectione eximerentur. Verum inter tot Sodalitatum conatus illæſa ſemper perſtitit Epiſcoporum auctoritas, ac juriſdictio. Nam quod ad primum attinet, Sacra Congregatio Concilii (2) die 23. Junii anno 1719. ſic ſtatuit: *Sacra Congregatio &c. inhærendo declarationibus jam factis cenſuit, Confraternitates Laicorum in Eccleſiis Regularium exemptorum inſtitutas, ſubeſſe juriſdictioni, & viſitationi Epiſcopi, illaſque ab eo viſitari poſſe, necnon illorum Capellas in iiſdem Eccleſiis Regularium exiſtentes, in iis tamen, quæ Confraternitatum adminiſtrationem reſpiciunt; Et, ſi Confraternitatibus incumbit onus manutenendi Altare, & illius cultum, Epiſcopum poſſe viſitare circa ea, quæ reſpiciunt ipſam manutentionem, cultum, & ornamenta Altaris, ſeu Capellæ, onera Miſſarum, atque divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, & circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem Confratrum relationem habent.* Quod quidem decretum pro cauſa peculiari editum, probatum deinde fuit, tamquam lex generalis, cum eidem (3) Sacra Congregatio ſemper adhæſerit, quando ejuſdem generis cauſæ diſcutiendæ proponerentur. Quod vero attinet ad ſecundum; ut Epiſcoporum juriſdictio integra, atque inviolata ſervaretur, Sacra Congregatio (4) Concilii

tria

(1) Breve Innocentii XI. editum Romæ 1. Octob. 1678., Sacr. Congreg. Epiſc. in Vercellenſi 3. Feb. 1610.

(2) Sacr. Cong. Conc. in Nucerina Paganorum 23. Junii 1719. lib. 14. Decretor. fol. 215.

(3) Sac. Cong. Conc. in Coſentina Viſitationis, & Cenſurarum 19. Sept. 1722., in Spoletina 3. Sept. 1730., & in Ravennaten. 7. April. 1731.

(4) Sac. Congreg. Concil. in Potentina 29. Maii 1683.

tria decrevit: 1., *ut Confraternitates laicales aggregatæ uti poſſint Regulis, Statutis, & Conſtitutionibus, quas obſervandas recipiunt ab Archiconfraternitatibus aggregantibus, neceſſariam eſſe præcedentem Ordinarii loci approbationem. 2. Ut dictæ Confraternitates aggregatæ uti, & gaudere poſſint Indulgentiis, privilegiis, & Indultis Confraternitatum aggregantium, neceſſariam pariter eſſe præcedentem approbationem Epiſcopi cum interventu duorum de Capitulo. 3. Tandem dictas Confraternitates aggregatas ita ſubeſſe Ordinariis, ut earum Officiales adminiſtrationis rationem Ordinario reddere teneantur*. Ad tertium denique quod attinet; Paulus V. firmam eſſe voluit Epiſcoporum juriſdictionem: præcepit (1) enim, ut ſuperius laudatam Clementis VIII. Conſtitutionem illæ etiam Sodalitates ſervarent, quæ a Capitulo Sancti Joannis in Laterano de Urbe cooptantur.

VII. Poſtremo cum innumeræ controverſiæ, ac lites inter Parochos, & Confraternitates Sæculares, earumque Capellanos, & Officiales ſuper juribus Parochialibus, & functionibus Eccleſiaſticis, nonnulliſque præeminentiis, ſeu prærogativis orirentur in dies; Sacra Rituum Congregatio 10. Decembris 1703. juſſu Clementis XI., poſt accuratiſſimum rei totius examen, triginta tres quæſtiones ſoluit, totidemque edidit decreta ab omnibus in poſterum ſervanda, ſalvis tamen conventionibus, & pactis in erectione Confraternitatum forſan factis, concordiis inter partes initis, & a Sancta Sede approbatis, Indultis, Conſtitutionibus Synodalibus, ac Provincialibus, conſuetudinibus immemorabilibus, vel ſaltem centenariis. Cum autem prædicta decreta relata fuiſſent Clementi XI., Romanus Pontifex eadem laudavit, benigneque approbavit, & publicari, ac non obſtantibus quibuſcumque aliis in contrarium facientibus, ſervari mandavit. Quæ quidem decreta in Appendice num. 18. damus, ut omnibus innoteſcant, ac diligentiſſime ſerventur.

VIII. Cum plurimum cordi Nobis ſit, ut Sodalitates ad eum tendant finem, ob quem inſtitutas eſſe diximus; ad eas nonniſi ii

(1) Paulus V. Conſtit. 63. Bullarii tom. 3.

Digitized by Google

admittantur, qui vita, moribus, ac fama commendentur. Quamobrem, antequam in Sodales recipiantur, de illorum probitate, honeſtate, atque indole delecti ad id fratres diligenter, ac fideliter inquirant, & poſtquam probati fuerint, ac per ſecreta ſuffragia in Cœtum adlecti, ſuum ponant tyrocinium. Statis diebus in proprium Sacellum frequentes coeant; pia munera religioſe exequantur; ſpectatæque virtutis exemplis Cives alios, aut Oppidanos antecellant. Ut id obtineri facilius poſſit, edicimus (1), ut in ſingulis ſodalitatibus Sacerdos aliquis ſive Sæcularis, ſive Regularis deligatur, in omni pietatis diſciplina verſatus, vir ſpectatæ fidei, & a Nobis approbatus, qui Dominicis, Feſtiſque de præcepto diebus in Oratorio vel ante, vel poſt recitationem Officii parvi Deiparæ Virginis, ſeu aliarum vocalium precum, vel Miſſæ celebrationem, ſuper aliquo Evangelii textu brevem ad ſodales ſermonem habeat, quo illos excitet ad charitatis, veræque pietatis opera alacriter exercenda, ad vitia fugienda, ſectandaſque virtutes, ad Pœnitentiæ demum, atque Euchariſtiæ Sacramenta rite, frequenterque ſuſcipienda: illos præterea doceat conſcientiam diligenter excutere, Theologicarum virtutum actus religioſe elicere, & Indulgentiarum theſauros ea, qua par eſt, ſedulitate lucrari: eos tandem hortetur, ut ſodalitatis leges ſancte cuſtodiant; cum res poſcit, mutua ſe juvent ope, mutuiſque demereantur officiis; frequenter Eccleſias adeant, ſacriſque religioſe interſint; perpetuum denique vitæ ſancte inſtitutæ ſpecimen aliis præbeant, ut eorum exemplo reliquus Populus in Chriſtianæ pietatis officiis contineatur.

IX. Præſcriptis a Sodalitate Legibus Sodales diligenter obtemperent: Contumaces vero corripiantur, &, ſi opus ſit, etiam a Sodalitate, Nobis tamen antea conſultis, ejiciantur. Munera Sodalitatis propria nemo recuſet, nemo ſegniter obeat: ad publicas ſupplicationes non modo acciti, verum etiam ultro, libenter-

que

(1) Sac. Congreg. Epiſc. in Sulmonenſi 16. Maii 1653., Conc. Prov. Mediol. IV. tit. *Quæ ad Confratres*, Synodus Tuſculana anni 1703. cap. 14.

que accurrant : ad funus invitati promptam pio officio operam præſtent . Si quæ ſimultates , ſi qua contentio inter eos forte exoriatur , præſto ſint omnes ad eas ſedandas , componendaſque , & diſſidentes in priſtinam gratiam reducendos . Sacellum , ſeu Oratorium , in quod conveniunt, decenti niteat decore, & mundities in eo, ordo , ac Religio dominentur . In Sanctorum , quos peculiari cultu venerantur , diebus feſtis celebrandis eam animi religionem , ac pietatem oſtendant , quæ verum Deo cultum , gratumque obſequium , proximis vero bonorum operum exemplum præbeant . A choreis propterea, ſaltationibus, comeſſationibus, compotationibus , ſcenicis ſpectaculis , omnibuſque profanis , aut illicitis actionibus abſtineant . Nulla prorſus ea occaſione convivia a Sodalibus , neque propriis , neque Sodalitatum impenſis inſtruantur . Sodalitatum reditus , & pecuniæ in uſus vel a regulis præſcriptos , vel a Nobis præſcribendos erogentur : qui ſecus fecerint , graves ſubibunt pœnas. In publicis ſupplicationibus, aliiſque ſacris functionibus Sodales ſuo induantur ſacco , qui neque ſordidus ſit , neque uſu attritus , aut ita incompoſitus , ut riſum ſpectatoribus cieat . Nemo ſodalitatis veſtitus inſignibus , huc illuc per Urbis , aut Oppidi plateas , & vicos circumcurſare , multoque minus caupornas , aut tabernas adire audeat : Sin minus , tranſgreſſores pœna pecuniaria multabuntur .

X. In ſodalitatum Oratoriis non , niſi ex Apoſtolico Indulto , vel ſi publica ſint , nonniſi ex Noſtra licentia , Miſſæ celebrentur,neque in iiſdem ſepulcra conſtruantur, aut tumuli, in quibus ſodalium corpora ſepeliantur , niſi peculiaris ad id conceſſa a Nobis fuerit facultas . Cum ad Nos pertineat in quolibet ſodalitio, licet in Eccleſiis Regularium conſtituto , modum præſcribere , qui in pia Fidelium ſtipe colligenda , cuſtodiendaque adhibeatur ; Interdicimus , ne Nobis irrequiſitis , aut non conſentientibus , capſula in Oratorio ſtatuatur , multoque minus extra Oratorium ad eleemoſynas corrogandas circumferatur . Quod ſi conſenſus Noſter acceſſerit ; eadem capſula duabus occludatur clavibus ; quarum

unam in Civitate Vicarius Generalis, in Oppidis vero Vicarius Foraneus; alteram Sodalitatis Prior, aut Præfectus, aut quocumque tandem nomine nuncupetur, apud ſe cuſtodiendam retinebit. Uterque autem adſit, cum aperienda eadem erit, collectaque pecunia coram utroque numeretur, ac in libro ad id conſtituto deſcribatur, ut exactius, faciliuſque Sodalitatis Præſes, atque Officiales quotannis Nobis rationem peractæ reddant adminiſtrationis. Sodalitatum Oratoria, Capellæ, atque Altaria, quæ reparatione indigent, quamprimum reficiantur, ſacrarumque veſtium, ac rerum, quæ ad Miſſam celebrandam requiruntur, congruo inſtruantur apparatu. Vaſa autem ſacra numquam domi apud Laicos, ſed in ipſis Oratoriis in ſcrinio diligenter obſerato cuſtodiantur.

XI. Præſcriptis temporibus quotannis ſodalitatum Præſides, ſeu Priores, Adminiſtri, & Officiales (1) per ſecreta ſuffragia coram Vicario Foraneo in Diœceſi, in pleno ſodalium cœtu deligantur, factaque electio, niſi quid in contrarium obſtet, a Vicario Generali confirmetur: ſecus, nulla, irritaque ſit electio. Ad has autem Præfecturas, & munia ii dumtaxat aſſumantur, de quibus vel diuturno probatis experimento, vel aliunde probe notis, firma ſpes ſit futurum, ut officio ſuo recte, diligenterque fungantur. Electi vero (2), & a Vicario Generali approbati, & confirmati, collata ſibi munera ne reſpuant ſub pœna pecuniaria arbitrio Noſtro infligenda, ipſique ſodalitati applicanda, & ſub pœna inhabilitatis ad alia quæque in poſterum officia conſequenda. Præterea ſtatim coram Generali Vicario, aut de ejus conſenſu coram Vicario Foraneo, juramentum præſtent de collatis ſibi muneribus fideliter adminiſtrandis, ſuiſque loco, & tempore ejuſdem adminiſtrationis ratione tum Sodalibus, tum Nobis, aut Vicario Noſtro Generali reddenda. Camerarius vero, aut quicumque alius Officialis, cui ſodalitatis pecunias, ac reditus vel exigendi, vel cuſto-

(1) Synod. Tuſculana anni 1703. c. 14., Clem. *Quia contingit*. de Religioſis domibus, Sacr. Cong. Epiſc. in Bovinenſi 11. Auguſti 1618., in Bononien. 11. Auguſti 1627., & in Cæſenatenſi 28. Maii 1683.

(2) Synodus Albanenſis anni 1687. c. 8., Synodus Sublacen. anni 1674. cap. 36., Synodus Iſclana anni 1716. par. 3. cap. 5. §. 10.

cuſtodiendi, vel erogandi facultas creditur, non eligatur, niſi is, qui vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum explerit, bona ſtabilia poſſideat, integraque fama, ac fide apud Cives ſuos commendetur. Sodalis nullus, qui aliquod in Sodalitate munus per annum obierit, confirmari in eo poſſit, aut ejus adminiſtratio, ſeu officium prorogari, niſi ſpecialis Noſtra, aut Vicarii Generalis obtenta fuerit facultas. Quicumque vel ex priore ſodalitatis adminiſtratione, vel alio ex titulo pecuniam, aut aliam rem quamlibet ſodalitio debet, aut ejuſdem bona conduxit; ad nullum, ac præſertim Prioris, vel Camerarii, ſeu Depoſitarii munus, niſi ſoluto prius debito, expletove conductionis tempore, admittatur; Nullus item ſodalis eodem tempore duarum ſodalitatum fungatur officiis.

XII. Omnes, & ſinguli cujuſvis ſodalitatis reditus a proprio Camerario exigantur, in cujus tamen arbitrio non ſit (1) illos in ſumptus extraordinarios, quamquam ſodalitati utiles, erogare: ſed quoties aut domus, ac ædificia ſint reparanda, aut prædia, aliaque immobilia bona extraordinariis expenſis ſint excolenda; ſi ad id major, quam viginti juliorum, ſumma requiratur, Officialium omnium conſilium, & conſenſus requiratur omnino; ſi vero pluſquam decem Romana ſcuta ſint expendenda, præter Officialium omnium conſenſum, Vicarii Noſtri Generalis licentia in ſcriptis tradenda requiratur: qui ſecus fecerit, quidquid ultra prædictam ſummam expenſum fuerit, in utroque caſu ære proprio Societati rependere teneatur. Camerarius item, aut quivis alius ſine Prioris, aliorumque Officialium conſenſu frumentum, vinum, aliaque hujuſmodi ad ſodalitatem ſpectantia, ſub pœna decem ſcutorum, privationis officii, & refectionis damnorum, vendere ne audeat, neque ſodalitatis reditus ſive certos, ſive incertos in alios, quam in deſtinatos uſus, erogare: abſoluto vero ſuæ adminiſtrationis tempore, ſodalibus, & Vicario Noſtro Generali,

(1) Synodus Tuſculana anni 1703., Synodus Albanen. anni 1687., Synodus Sublacen. anni 1674. locis citatis.

nerali, aut, ſi impeditus is fuerit, alteri per eumdem Generalem Vicarium deputando rationem reddere teneatur: ad quod quidem præſtandum, ſi forte renuerit, omnibus tam juris, quam facti remediis compellatur. In reddenda vero hujuſmodi ratione expenſas quaſcumque legitimis documentis probet: ſin minus, illas proprio ære rependat. Quoad credita vero ſodalitatis, ſi quæ adhuc perſtant, oſtendat omnem ſe diligentiam uſque ad expeditionem mandati adhibuiſſe, ut opportuno tempore exigerentur: ſecus, ad damnorum refectionem teneatur. Datis rationibus, quidquid pecuniæ ſupererit, novis Officialibus tradatur, qui non apud ſe retinere poſſint, ſed in Sacro Pietatis Monte deponere teneantur, niſi forte tam modica ſit ſumma, ut eam quotidianis expenſis neceſſariam fore, adeoque novis Officialibus eam eſſe relinquendam Vicarius Generalis arbitretur. Quod ſi rationum libris rite, recteque perpenſis pateat, Camerarium, aut alium hujuſmodi Adminiſtratorem aliquid adhuc ſodalitati debere, eidem edicatur, ut intra menſem ſolvat: ni fecerit, Officiorum in quacumque ſodalitate ſit incapax, & a novis Officialibus, nulla interpoſita mora, coram Judice ad ſolvendum adigatur.

XIII. Si qua forte Sodalitas legata aliqua pia certis ſolvenda temporibus acceptarit; Curent Officiales, ad quos pertinet, ut diligenter huic oneri fiat ſatis. Meminerint tamen ſe nova Miſſarum onera acceptare non poſſe, niſi peculiarem a Nobis poſt maturam rei diſcuſſionem obtinuerint facultatem. Quoad ſubſidia vero dotalia, quæ ſolvi ab aliqua ſodalitate quotannis debent, ut nubere puellæ poſſint, pia Teſtatorum voluntas ſuum omnino ſortiatur effectum; quare aliis omnibus, quamquam neceſſariis, poſthabitis ſumptibus, antequam puellæ dotem accepturæ ſeligantur, ſubſidia dotalia in Sacra Æde, quam Pietatis Montem dicunt, omnino deponantur. Iniquum enim eſt, ac prorſus indignum, ut expectare diutius, ac ſuſpirare puellæ ſubſidium illud dotale cogantur, quod iis fortaſſe eſt unicum ad onera matrimonii ſuſtentanda levamen. Si ſodales igitur in ejuſmodi deponenda pecunia moroſi

moroſi fuerint; præter alia Juris remedia, illud etiam adjicimus, ut puellæ ejuſmodi, quibus deſtinatum fuerit vel per electionem, vel per fortuitam ex urna extractionem dotale ſubſidium, Jus habeant in judicio agendi contra Sodales illos, qui electionis, aut extractionis tempore Adminiſtratores ſodalitatis erant: hi autem a Vicario Noſtro Generali ad hujuſmodi dotale ſubſidium e proprio cenſu ſolvendum opportunis Juris remediis adigantur.

XIV. Ut ſodalitia Tuſculanæ Civitatis, totiuſque Diœceſis tum quoad diſciplinam, tum quoad Œconomicam adminiſtrationem viridi legum ſuarum obſervantia commendentur; ſtatuimus, ac præcipimus, ut in qualibet ſodalitate quatuor adſint libri bene compacti, ac rite diſpoſiti; in quorum primo nomina, & cognomina ſodalium, *(ſive Mulieres ſint,ſive Viri)* ſervato temporis ordine, quo ſodalitio adſcripti ſunt, recenſeantur; in ſecundo deſcripta ſint, una cum ſodalitatis Regulis, & Conſtitutionibus, decreta, quæ aut ab iis, qui Magiſtratum gerunt, aut communi ſodalium conſilio legitime condita ſunt, addito anno, menſe, & die, quo decretum quodlibet fuerit efformatum; item decreta, edicta, & leges, quæ vel in ſacra viſitatione, vel quandocumque ab Epiſcopo fiant quoad ea, quæ ad ſodalitatum diſciplinam, ſeu œconomicam adminiſtrationem pertinent; in tertio certi, & incerti Confraternitatis reditus, exactiones, atque exitus pecuniarum accurate adnotentur, adjectis itidem die, & anno, & cauſa, ob quam facta ſit ſolutio; nec non Syndicorum, & Vicarii Noſtri Generalis ſententiæ, quibus abſoluta adminiſtratione, redditaque ratione, Officiales aut abſolvuntur, aut condemnantur; in quarto demum deſcribantur bona omnia immobilia, mobiliaque, ac ſingulæ res, quæ ad ſodalitatem quomodolibet ſpectant, ac declaretur, a quo, & quam ob cauſam promanarint, legata item pia, eorumque onera, ita tamen, ut locus etiam, & tempus, quibus implenda ſunt, explicetur, ac de eorumdem implemento edoceatur. Hi vero libri una cum bonorum omnium inventariis, ejuſdem ſodalitatis erectionis, aut aggregationis litteris, Indulgentia-

gentiarum Brevibus, Teſtamentis, Codicillis, Legatis piis, Inſtrumentis, aliiſque cujuſvis generis ſcripturis ad ſodalitatem pertinentibus, non in privata domo penes Officiales, ſed in particulari Archivio, ſeu Armariolo, quod clave, & ſera optime munitum in Sodalitatis Oratorio, ſeu Sacrario ſitum ſit, maxima cura, diligentiaque cuſtodiantur. Cum autem Officiales adminiſtrationis ſuæ rationem erunt reddituri, de his præcipue ſcripturis, ac Juribus rationem reddant, & ſi quid eorum aut deperditum, aut ſublatum, aut imminutum reperiatur, eorumdem Officialium expenſis detrimentum quodlibet inde ſecutum reparetur.

XV. Quæcumque tandem de rebus Eccleſiaſticis alienandis, locandis, in emphyteuſim concedendis, de cenſibus acquirendis, aut extinguendis, de pecuniarum fructifera collocatione, ac de ſacra, profanaque ſupellectili commodanda in tit. de Bonis Eccleſiæ, Locorumque Piorum ſtatuemus inferius, & quæ cum in decretis Sacrarum viſitationum, tum in ipſis ſodalitatis regulis ſtatuta jam ſunt, ſub pœnis in Jure ſtatutis, & arbitrio Noſtro infligendis obſervari diſtiɛte præcipimus, ac mandamus.

CAPUT XVIII.

DE DOMIBUS HOSPITALIBUS PAUPERUM PEREGRINORUM, ET ÆGROTORUM.

I. CUM in hoc cognoſcere debeant omnes, quod Diſcipuli Chriſti ſumus, ſi dilectionem habuerimus ad invicem; Probatio autem dilectionis exhibitio ſit operis; Hinc Hoſpitales Pauperum ſive peregrinorum, ſive ægrotantium domos Canonicæ ſanctiones, Imperiales leges, & Sanctorum Patrum dicta tantopere Fidelibus commendarunt. Noſtri igitur muneris partes eſſe ducimus, in id potiſſimum ſedulo, ac diligenter incumbere, ut, quæ hujuſmodi pia loca in Noſtra Diœceſi jam ſunt inſtituta, nulla ex parte depereant, ac Fundatorum voluntas non minus exacte, quam religioſe impleatur. Has proinde leges ſtatuimus, quas omnino ſervari mandamus.

II. Pri-

II. Primum itaque reditus omnes domorum hujuſmodi, ſive certi, ſive incerti, non in alium erogentur uſum, quam qui aut fundationis lege, aut diuturna conſuetudine præſcriptus eſt. Eorum vero adminiſtratio ea ſit, quam Clemens V. (1) in Concilio Viennenſi ſancivit, & mox Tridentina Synodus (2) innovavit. Quod ſi domus hujuſmodi ad certum dumtaxat perſonarum genus excipiendum erectæ fuerint; tales autem homines in iis locis, in quibus ſitæ ſunt, vel nulli, vel pauci admodum habeantur; Noſtrum erit, uti Tridentina (3) Synodus ſtatuit, duobus Cathedralis Eccleſiæ Canonicis in conſilium adhibitis, in aliud pium opus Fundatorum voluntati, quoad fieri poteſt, proximius, ac pro loco, & tempore utilius convertere, prout expedire magis in Domino judicabimus.

III. Pro qualibet Hoſpitali domo a Vicario Noſtro Generali (vel ab iis, ad quos de jure, vel conſuetudine ſpectat, dummodo Vicarii Noſtri Generalis, aut Noſter conſenſus accedat) in Priorem, ſeu Adminiſtratorem vir ſpectatæ fidei, ac probitatis eligatur, qui bona omnia ad Hoſpitalem domum pertinentia adminiſtret, ejuſque reditus ſive certos, ſive incertos exigat, ac recipiat, confecto tamen prius dictorum bonorum, redituumque inventario, præſtitoque in Civitate coram Vicario Generali, in Oppidis vero coram Vicario Foraneo, juramento de iis fideliter adminiſtrandis, ac de peractæ adminiſtrationis ratione ſuo tempore coram Deputatis, eodemque Vicario Noſtro Generali reddenda. Hic Loci Pii bona, ac jura fideliter adminiſtret, ſtrenueque tueatur, atque eorumdem uſurpatores Nobis, aut Vicario Noſtro Generali denunciet, ut cenſuris, aliiſque Canonicis pœnis coerceantur. Curabit is etiam diligenter, ut excolantur prædia pio operi deſtinata; Ædes, quæ reparatione indigent, reficiantur; & Eccleſia, ſive Capella, ſi qua forte Hoſpitali domui ſit adnexa, munda ſit, ac nitida, ſacraque ſupellectili ſatis inſtructa. Neque

 illud

(1) Clement. *Quia contigit*. de religioſis domibus. (2) Trid. ſeſſ.25. de reform. cap.8. (3) Trid. ſeſſ.25. de reform. cap.8.

illud negliget, ut Miſſarum onera, ſi quæ in eadem Eccleſia ſint implenda, exacte ſuis diebus impleantur. Sub excommunicationis pœna piæ domus reditus neque in ſuos uſus convertere, neque in alienos ab inſtituto erogare audeat: ſed quidquid acceperit, exegerit, aut expenderit, in libro bene compacto, & ad hunc uſum deſtinato, diligenter adnotet, ut,cum adminiſtrationis rationem erit redditurus, uno ictu oculi acceptum, & expenſum videatur.

IV. Qua quidem in re eaſdem ſervari leges volumus, quas pro ſodalitatum Camerariis, atque Officialibus ſuperius opportune præſcripſimus. Si quid autem ex annuis reditibus ſupereſſe comperiatur; Noſtrum erit ſtatuere, ut id juxta fundationis leges in Hoſpitalis domus commodum, aut in alios pios uſus erogetur.

V. Præter Priorem, ſeu Adminiſtratorem, Cuſtos alter, ſeu Miniſter, quem Hoſpitalarium dicunt, eligatur, qui non modo honeſtis polleat moribus, multaque in proximos ſit inſtructus charitate, verum etiam providus ſit, & ſagax, & vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum exegerit. Huic Prior coram Vicario Generali in Civitate, & coram Vicario Foraneo in Oppido, totam Hoſpitalis domus ſupellectilem in Inventario accurate deſcriptam tradet, exigetque ab eo, ut ad Inventarii calcem deſcriptam in eo ſupellectilem a ſe fuiſſe receptam fateatur, in cujus rei teſtimonium proprio ſe charactere ſubſcribat; quod ſi ſcribere neſciat, id aut publico Inſtrumento, aut ſub alia authentica forma fateatur. Hoſpitalarii munus erit ægrotos hoſpitio recipere, ac peregrinos, quos tamen non ultra præſcriptum a domeſticis legibus tempus in Hoſpitali domo commorari patietur, niſi aut morbi gravitas Medicorum judicio comprobata, aut alia rationabilis cauſa Vicario Generali in Civitate, Vicario vero Foraneo in Oppidis, abunde perſpecta longiorem aliquando exigat moram. Sive peregrinos, ſive ægrotos excipiat, numquam ætate provectiores cum pueris, aut adoleſcentibus, niſi filios ſuos eſſe manifeſte docuerint, in eodem lecto cubare permittat. Diſcretæ autem a viris ſemper ſint fœmi-

fœminæ, nec umquam utriuſque ſexus homines in eodem cubiculo habitare ſinat, etiamſi matrimonio ſe conjunctos eſſe affirment. Quamobrem duo ſaltem in qualibet Hoſpitali domo parata, inſtructaque ſint cubilia, quorum unum maribus, alterum fœminis excipiendis deſtinetur. Noctu autem in quolibet cubili lucerna perpetuo ardeat, ad quam alendam quadrantem unum ii, qui hoſpitio excipiuntur, ſolvant, eumque ob finem capſula bene clauſa in cubili habeatur, in quam injici pecunia ab hoſpitibus debeat ad oleum comparandum deſtinata. Ipſe vero Hoſpitalarius nihil ab iis in ſui commodum exigat, imo etiam quidquam vel ultro oblatum ne recipiat. Sacrilegii inſtar ducat, ullam cum mendicis, qui quæſtus cauſa morbum, aut egeſtatem ſimulant, turpis lucri ſocietatem inire, & ob id in Hoſpitali eos domo recipere.

VI. Cum primum ægrotus quiſquam advenerit, in libro ad id comparato diligenter adnotetur nomen, cognomen, patria, ætas, ac res, quæ ad illum pertinent; & ſi forte in Noſocomio obierit, adſcribatur etiam dies, quo vita ceſſerit. Cum tamen prima ſemper, & potior cura eſſe debeat Religionis, ac ſalutis animarum; in primo ipſo ægroti adventu Parochus moneatur, qui Eccleſiæ Sacramenta eidem, prout opportunum judicaverit, adminiſtret. Quod ſi eadem recipere infirmus renuat, & paterna Parochi monita pertinaciter contemnat; res ad Vicarium Noſtrum Generalem deferatur, ut pro ſua prudentia, & prout in Domino magis expedire judicaverit, æternæ illius animæ ſaluti conſulere valeat. Medicus quoque confeſtim advocetur, qui ægrotum patienter inviſat, & quæ ad depellendum morbum neceſſaria eſſe arbitretur, medicamenta præſcribat. Ægrotus de rebus ſuis teſtari, ſi velit, pro libito poſſit. Si quis autem (1) inteſtatus decedat, ejus bona, ſi quæ ſint, non ad Noſocomium, neque ad Fiſcum, ſed ad Epiſcopum deferantur, qui ea vel hæredibus ab inteſtato ſuccedentibus, vel ſi ii non extent, aut poſt maturam

(1) L.9. Friderici II. regiſtrat. in cod. poſt lib. Feud. ſub tit. de Statu, & confirmat. in Conſtit. Honorii III. *Has leges*.

turam adhibitam diligentiam ignoti adhuc ſint, in uſum pauperum erogabit. Facinoroſos (1) homines arma deferentes, Nebulones, Circulatores, Aleatores, Ebrioſos, præſtigiatores, blaſphemos, aliosquè publicos Peccatores Hoſpitalarius hoſpitio ne excipiat, exceptos vero, ſi tales eſſe deprehenderit, aut ſi aliter, quam loci Religio poſtulat, in eo verſari viderit, protinus ejiciat. Quod ſi abire contumaciter renuant, res tota Vicario Generali deferatur, ut opportunum malo adhibeat remedium.

VII. Numquam Hoſpitalarius hoſpitalem domum deſeret, ſed in ea noctu, diuque commorabitur, ut ægrotantibus, ſi qui adſint, & adventantibus peregrinis præſto ſit. Nocte ingruente, domus portas claudat; illuceſcente vero die, illas aperiat, ſed nonniſi poſtquam domum inviſerit, noveritque nihil eorum deeſſe, quæ uſui fuerint Peregrinis. Poſtquam omnes abierint, iterum fores claudantur, & interdiu, præter ægrotos, nemo recipiatur hoſpitio. Curet etiam, ut munda ſint cubilia, lecti, totaque ſuppellex domus. Multo autem diligentius ſtudeat, ut ægroti, & peregrini ea, qua par eſt, modeſtia, morumque probitate verſentur. Veſpere, antequam cubitum eant, una cum iiſdem Deiparæ Virginis Roſarium, ac Litanias Lauretanas devote recitet, actuſque Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis elata voce pronunciet: mane vero, antequam abeant, eoſdem actus, & Litanias Lauretanas una cum iis iterum recitare illum jubemus. Cum pia hujuſmodi loca, quæ ad exercendam Chriſtianam Charitatem ſunt inſtituta, nemini pernicioſa eſſe debeant; diſtricte prohibemus, ne Hoſpitalarius (2) res, & bona aliis obligata, & executivo Judicis mandato obnoxia in Creditorum detrimentum in Hoſpitali recipiat domo. Præcipimus etiam, ut, ſi quis gravis delicti Reus (3) vel in Noſocomium, vel in Xenodochium confugerit, & ejuſmodi Aſylo abutatur, id Nobis ſignificet, ut Nos, quoties

(1) Sac. Cong. Immunit. apud Riccium in Synopſi V. *Hoſpitale* n.9.

(2) Sac. Congreg. Immunit. apud Riccium V. *Bona aſportata in Eccleſ.* num.4.

(3) Ead. Sacr. Congreg. apud Riccium V. *Abutens immunitate*.

Digitized by Google

quoties de Aſyli abuſu conſtet, vel confugam ad alia immunia loca tuto transferamus, vel abire renuentem ad formam Bullæ extrahi jubeamus, in Carceribus Curiæ Noſtræ nomine Sacræ Congregationis Immunitatis cuſtodiendum, donec eadem, inſpecto ejuſdem Curiæ Noſtræ proceſſu ſuper abuſu Aſyli, quid de eo faciendum ſit, opportune decernat.

CAPUT XIX.

DE MONTE PIETATIS.

I. MOntes Pietatis (1) anno 1450. Peruſiæ primum erectos, in quibus, recepto pignore, mutua pecunia, aut frumentum mutuum pauperibus datur ea lege, ut ſi debitum præfixo tempore non ſolvant, pignora veneant, & ex eorum pretio Mons Pietatis ſortem creditam, & modicum quid ultra ſortem recipiat, reſiduum vero debitori reſtituatur, Leo X. in Concilio Lateranenſi V. (2), Sacro approbante Concilio, licitos eſſe, atque ab omni uſuræ labe immunes pronunciavit. Quod enim ultra ſortem a mutuatariis exigitur, non cauſa mutui, ſed alio exigitur nomine, ac præcipue ut ſine Montis detrimento congrua dari poſſit merces Miniſtris, qui non ſine magno labore pignora cuſtodiunt, excutiunt, expendunt, aliaque ejuſdem generis multa præſtare coguntur. Montes hujuſmodi Tridentina Synodus (3) inter loca Pia enumeravit, & Epiſcoporum Viſitationi ſubjecit. Cum autem periculum ſemper adſit, ne id, quod a Montium Præfectis, ultra mutuo datam pecuniam, exigitur, expenſas ſuperet in Miniſtrorum ſuſtentationem erogandas; idcirco Sacra Congregatio (4) Concilii, ut qualibet uſuræ ſuſpicio a Montibus Pietatis quam longe abeſſet, reſcribens ad Archiepiſcopum Neapolitanum nihil ultra ſortem eſſe exigendum ſtatuit, niſi

(1) Benedictus XIV. de Synodo Diœceſana lib.7. cap.48. n.1.

(2) Leo X. in Concil. Lateranen. V. ſeſſ.10.

(3) Trid. ſeſſ.22. cap.8. de reform.

(4) Sac. Cong. Concil. 7.Februar. 1637. lib.15. decret. pag.501.

Digitized by Google

niſi conſulta prius fuerit Apoſtolica Sedes, & ab eadem auctarium aliquod exigendi ad neceſſarias expenſas ſuſtinendas facta fuerit facultas. Simile etiam eadem Sacra (1) Congregatio reſponſum dedit ad Epiſcopum Adrienſem.

II. Duplex eſt Montium Pietatis genus: alii ſiquidem ad indigentium levandam inopiam nummos tribuunt, alii vero frumentum ſuppeditant. Utrique nedum a Magiſtratu cujuſque Oppidi, verum etiam a privatis hominibus erigi licite poſſunt, dummodo Apoſtolicæ Sedis accedat auctoritas, ſi quid, ultra ſortem, ad miniſtrorum impenſas, ac Montium indemnitatem, ac tutelam exigendum ſit. Cum autem utiliſſimum eſſe pauperibus hoc pium opus docuiſſet experientia; Ut ejuſdem ſecuritati conſuleretur; Conſtitutionem edidit Paulus V. (2), qua ſtatuit, ut quicumque ſub quovis prætextu, aut quæſito colore, etiam cum obligatione reſtituendi intra breve tempus, pecunias piorum Montium avertunt, aut diſtribuunt contra, aut præter formam ſeu in fundatione præſcriptam, ſeu peculiaribus legibus conſtitutam, ipſo facto excommunicationem majorem incurrant, a qua nonniſi Romanus Pontifex, excepto mortis articulo, abſolvere valeat. Hanc Pauli V. Conſtitutionem extendi etiam ad eos, qui frumentum in alios uſus, quam in pauperum commodum, erogare audeant contra normam in frumentarii Montis fundatione præſcriptam, Sacra Congregatio (3) Cardinalium negotiis, & conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita declaravit, ejuſque declarationem Urbanus VIII. approbavit, confirmavitque.

III. Epiſcopalem Pietatis Montem, qui mutuam, recepto pignore, pauperibus dat pecuniam, quam tamen ſine ullo auctario ſibi reddi poſtulat, Noſtra hæc Diœceſis habet in Tuſculana Civitate conſtitutum. Erectus hic fuit anno 1566. auctoritate ordinaria Alexandri Cardinalis Farneſii tunc Epiſcopi Tuſculani ex pecunia, quam eum in finem Tuſculanus Civis in ſuo legaverat teſta-

(1) Sac. Cong. Conc. 14. Martii 1637. lib. 15. decr. pag. 501. (2) Paulus V. Conſtitut. edita 5. Feb. 1615. (3) Sac. Cong. Epiſc. 14. Feb. 1632.

teſtamento condito die 5. Februarii anni 1560. Pium hunc locum pro temporum varietate opportunis legibus muniverunt Succeſſores Epiſcopi, quos inter peculiari dignus eſt laude Marcellinus Cardinalis Corradinus: Sapientiſſimas enim leges condidit, quibus negotia hujus Montis bene adminiſtrarentur. Eaſdem, cum Sacra Viſitatione Civitatem luſtraremus, approbavimus, optimeque deſcriptas in dicto Monte affigi juſſimus. Eas nunc iterum confirmamus, & vim habere volumus Synodalium Conſtitutionum, ac proinde in Synodi Appendice num. 19. illas adjiciemus.

IV. Tres Mons iſte Tuſculanus Miniſtros habet, qui rem totam, quamdiu Epiſcopo viſum fuerit, curant, & adminiſtrant; Gubernatorem videlicet, Depoſitarium, ac pignorum æſtimatorem. Hi ad munus, quod gratis exercent, ab Epiſcopo deliguntur, cui etiam, aut Generali ejus Vicario exactam quotannis rationem reddunt adminiſtrationis. Ut autem gravia præcaveantur incommoda, quæ fidelem, rectamque piorum hujuſmodi locorum curam, & adminiſtrationem alicubi labefactant, decernimus, ut dicti tres Officiales in Officio capeſſendo, jusjurandum interponant, quo ſe fideliter, diligenterque munus ſuum obituros, præſcriptas exacte obſervaturos regulas, & rationem quotannis geſti muneris Epiſcopo, aut Vicario ejus Generali reddituros polliceantur (1). Idoneam præterea exhibeant cautionem, qua Loco pio integrum maneat, quidquid fortaſſe vitio ſuo in adminiſtratione perierit. Arca, in qua cuſtoditur pecunia, ſive quæ ad Montem pertinet, ſive quæ depoſiti loco tradita Monti eſt, duabus obſeretur clavibus, quarum unam Gubernator, Depoſitarius alteram apud ſe retinebit, ne videlicet ab eorum altero ſine alterius conſenſu, præſentiaque reſerari poſſit. Idem ſervari volumus quoad Montis fores, quas eodem modo duabus diverſis clavibus occludi jubemus. Cum in egenorum commodum Mons fuerit

(1) Vide Decretum editum 12. Junii 1688. in viſitatione a Cardinali Franzono Epiſcopo Tuſculano, quod extat in calce Synodi Tuſculanæ ab eodem Cardinali Franzono celebratæ 1688.

fuerit inſtitutus; hi autem per hebdomadam ſive ruſticis, ſive mechanicis laboribus occupati non niſi diebus Feſtis accedere ad Civitatem poſſint; præcipimus, ut dicti tres Officiales Montis quolibet Dominico die mane per horam integram, quo tempore Conventualis Miſſa in Cathedrali Templo cum cantu celebratur, apertis foribus in Monte adſint, pignora ab adventantibus pauperibus accepturi, & mutuam ipſis daturi pecuniam. Caveant, ne plus nummorum cuiquam dent mutuum, quam per leges Montis licet, neve quibus non licet: ſolis autem pauperibus, qui vel Tuſculani, vel ex Diœceſi ſint, mutuam dare liceat pecuniam. Ne quid Monti depereat, non niſi pignora, quorum pretium datam mutuo pecuniam duplo ſuperet, recipiant: datum vero ſemel pignus numquam commutari ſinant. Ne data pignora ſitu, ac pulvere ſordeant, & corrumpantur, eadem ſingulis menſibus explicari, atque excuti curent. Nemo alteri partes ſuas deleget, ſed munus quiſque ſuum ipſe per ſe diligenter exequatur. Intra menſem ab expleto munere rationem reddant: in ea autem exigenda in librorum accepti, & expenſi, ac rationum, & tabularum cognitores eligantur viri integri, rerumque excutiendarum periti, a quibus accuratum ad Juſtitiæ tramites examen inſtituatur. Qui muneribus, atque adminiſtratione decedunt, de ſtatu rerum omnium ad Montem quovis modo ſpectantium ſucceſſores admoneant, quibus etiam libri, bonorum inventaria, accipiendorum nummorum Syngraphæ, cæteraque cujuſvis generis documenta tradantur. In recipiendis pignoribus, mutuaque tribuenda pecunia, quemadmodum & in iis pignoribus auctionandis, & præconis voce divendendis, quæ intra annum redimere Domini neglexerint, ea omnia ſerventur, quæ ſuis legibus, quarum ſuperius mentionem fecimus, ſervari Cardinalis Corradinus mandavit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XX.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM ADMINISTRATIONE, TUTELA, ATQUE IMMUNITATE.

QUamquam Deus Optimus Maximus,cujus eſt(1)orbis terrarum, bonorum noſtrorum non egeat, quæ nobis omnia ipſe largiter donavit; eorum tamen partem (2) vel minimam, ab hominibus ſponte oblatam, non dedignatur accipere, itaut minuta quæque, piloſque (3) ipſos caprarum ineffabili miſeratione non reſpuat. At quidquid ei conſecratum ſemel fuerit, ſanctum ſemper Domino erit, neque ſine immani ſcelere a quoquam uſurpari in ſuos, aut in alienos uſus poteſt. Plura in hujuſmodi bonorum uſurpatores divinæ ultionis exempla a ſacris Litteris accepimus: In tanti enim criminis pœnam Balthaſſarem (4) inopinatæ addictum cædi, Antiochum (5) triſtitia, vermibus, ac fœtore conſumptum, & Heliodorum (6) calcibus eliſum, flagellis cæſum, circumfuſum caligine, raptumque per aera nobis cædem repræſentant. Nos itaque optime intelligentes non modo a juſtitia, verum etiam a Religionis virtute præſcribi, ut bona quælibet, ac jura ad externum Dei cultum, Templorum nitorem, ſacrorum Miniſtrorum alimenta, aliorumque piorum operum conſervationem Deo a Fidelibus oblata, ſumma diligentia adminiſtrentur, miraque dexteritate cuſtodiantur; Synodales haſce Conſtitutiones, quas ad id opportunas arbitramur, ex Pontificiis Conſtitutionibus, aliiſque Eccleſiaſticis legibus excerptas ſtatuimus, exacteque in poſterum ſervari mandamus.

II. Primum itaque celeberrimum illud Tridentinæ Synodi decretum in omnium memoriam revocamus, quo in bonorum Eccleſiaſticorum uſurpatores ita ſtatuitur: *Si quem Clericorum*,

(1) Pſalm.23. v.1.
(2) Num. c.18.
(3) Exodi cap.25. v.4.
(4) Danielis c.5. v.5.
(5) Machabæorum c.6. v.12.
(6) Machabæorum c.3. v.25.

vel Laicorum, quacumque is dignitate, etiam Imperiali, aut Regali (1) *præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Eccleſiæ, ſeu cujuſvis Sæcularis, aut Regularis beneficii, Montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, cenſus, ac jura, etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obventiones, quæ in miniſtrorum, & pauperum neceſſitates converti debent, per ſe, vel alios, vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Clericorum, aut Laicorum, ſeu quacumque arte, aut quocumque quæſito colore, in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare præſumpſerit, ſeu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur; is anathemati tamdiu ſubjaceat, quamdiu juriſdictiones, bona, res, jura, fructus, & reditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ, pervenerint, Eccleſiæ, ejuſque Adminiſtratori, ſive Beneficiato integre reſtituerit, ac deinde a Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quod ſi ejuſdem Eccleſiæ patronus fuerit, etiam jure patronatus, ultra prædictas pœnas, eo ipſo privatus exiſtat. Clericus vero, qui nefandæ fraudis, & uſurpationis hujuſmodi fabricator, ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pœnis ſubjaceat, nec non quibuſcumque beneficiis privatus ſit, & ad quæcumque alia beneficia inhabilis efficiatur, & a ſuorum Ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionem, ſui Ordinarii arbitrio ſuſpendatur.* Hanc autem excommunicationem majorem Romano Pontifici reſervatam, & ipſo facto incurrendam, quam adverſus uſurpantes Eccleſiaſtica bona Tridentina Synodus inflixit, infligere quotannis, ſibique ſpeciali modo reſervare in Bulla Cœnæ Romani Pontifices ſolent.

III. Præterea ii omnes, ad quos pertinet, illud omni vi, ſtudioque contendant, (2) *ut Eccleſiaſticorum bonorum gubernatio viris providis, idoneis, ac boni teſtimonii committatur, qui ſciant, velint, & valeant loca, bona eorum, & jura utiliter regere, & eorum*

(1) Trid. ſeſſ.22. cap.11. de reform.

(2) Clemens V. in Concilio Viennenſi, relatus in Clement. *Quia contingit*, de religioſis domibus.

rum proventus, & reditus in perſonarum miſerabilium &c. uſum fideliter diſpenſare, & quos in uſus alios bona prædicta convertere præſumptio veriſimilis non exiſtat. Quicumque vero Eccleſiarum, piorumque locorum curam, atque adminiſtrationem ſuſcipiunt, ex decreto Concilii Viennenſis (1) *inſtar Tutorum, & Curatorum juramentum præſtare de fideliter adminiſtrando, de locorum ipſorum bonis inventaria conficere, & Ordinariis, ſeu aliis, quibus loca hujuſmodi ſubſunt, vel deputandis ab eis, quotannis de adminiſtratione rationem reddere teneantur.*

IV. Cum res, & bona Eccleſiaſticis, ſacriſque uſibus addicta, peccatorum pretium, & Chriſti, ac pauperum patrimonium in Sacris Canonibus (2) nuncupentur; Recta ratio ſuadet, ut perpetuo in Chriſti ſerventur ærario, adeoque ſumma religione, integritate, diligentiaque adminiſtrentur. Propterea ſub graviſſimis per Sacros (3) Canones, ac Pontificias Conſtitutiones ſtatutis pœnis diſtricte interdicimus, ne Eccleſiarum, Beneficiorum, locorumque piorum Rectores, Poſseſsores, Adminiſtratores eorumdem bona immobilia, aut mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſsunt, vendere, alienare, vel quomodocumque obligare, etiam cum clauſula *reſervato beneplacito Apoſtolico, quatenus opus ſit*, niſi vere idem beneplacitum prius acceſserit, præſumant. Mobilia vero non pretioſa, (4) aut quæ ſervando ſervari non poſsunt, aliaque, etiam immobilia, ſed modici valoris, cujuſmodi ſunt prædiola, & vineolæ, quæ vigintiquinque ducatorum, vel quadraginta circiter Romanorum ſcutorum valorem non excedunt, ac proinde auctoritate Ordinaria alienari de jure poſsunt, ſine Noſtra, vel Vicarii Noſtri Generalis licen-

(1) Clemens V. in Concil. Viennen. loco citato.

(2) Benedictus XIV. Conſt. 29. *Univerſalis* Bullarii tom. 1., & de Synodo lib. 7. c. 2. num. 10.

(3) Cap. *Nulli*. de rebus Eccleſiæ non alienandis; Paulus II. in Extrav. *Ambitioſæ*. de rebus Eccleſiæ non alienandis; Urbanus VIII. Conſt., quæ incipit: *Romanus Pontifex*.

(4) Can. *Hoc jus*. cauſ. 10. qu. 2., & Can. *Terrulas*. cauſ. 12. qu. 2., Sac. Cong. Concil. 11. Januar. 1596., & in Meſſanen. 14. Decemb. 1613.

tia in ſcriptis prius obtenta diſtrahere, permutare, aut quomodolibet obligare ne audeant ſub pœnis nullitatis contractus, aliiſque arbitrio Noſtro infligendis. Nomine rerum, ac bonorum Eccleſiæ, quæ alienari, aut quomodocumque diſtrahi prohibemus, intelligimus etiam juriſdictiones, cenſus, jura ſive feudalia, ſive emphyteutica, actiones, nomina debitorum, ſervitutes activas, exemptionem a ſervitutibus paſſivis, reditus, emolumenta, obventiones, decimas, primitias, canones, livellos, prædia, aliaque bona, quæ ad Montes Pietatis, ad Hoſpitalia, ad Monaſteria ſive Virorum, ſive Mulierum, aliaque Loca Pia pertinent, vel piis uſibus ſunt deſtinata. Sub alienationis vero vocabulo complectimur contractus omnes, oppignorationes, hypothecas, & pacta quælibet, per quæ dominium Eccleſiæ ſive directum, ſive utile, vel uſusfructus, vel jus, in alterum transferatur.

V. Bonorum Eccleſiaſticorum Adminiſtratores, ipſique Beneficiati ex Eccleſiarum, ſeu ſuorum Beneficiorum (1) vineis, viridariis, ac ſylvis vites, quercus, arbores, aut quid ſimile fructiferum, quocumque prætextu ſuccidere, aut evellere non audeant ſub pœnis in *Extrav. Ambitioſæ* contentis. Excipimus tamen ab hac prohibitione ſylvas (2) cæduas, nemora, arundineta, aliaſque arbores, quarum fructus fere totus in earum ſucciſione ſitus ſit, quæ ſucciſæ renaſcuntur, & quarum ſucciſione nulla ratione fundus ſit deterior, quemadmodum excipiuntur etiam argillæ, aut alterius materiæ fodinæ, quarum ſola effoſſio utilis Domino eſt: rerum enim iſtarum ſucciſio, & effoſſio inter prædiorum fructus recenſentur, de quibus diſponere licet. At in iis etiam caſibus, in quibus cædendæ ſint arbores, quas infructiferas eſse contenditur, licentia Noſtra requiratur, quam conceſsuri non erimus, niſi Nobis conſtiterit, & arbores vere eſse

(1) Extravag. *Ambitioſæ*. de reb. Eccl. non alien. §. *Si Titius*. Inſtit. de rer. diviſione; L. *Adeo*. ff. de acquir. rer. dom., L. *Æquiſſimum*. §. *Uſusfructus*. ff. de uſufr.

(2) L. *Sylva cædua*. ff. de V. S., & L. *Divortio*. §. *Si vir*. ff. ſoluto Matrimonio.

eſse infructiferas, & nullum ex earum ſucciſione neque tunc, neque in poſterum, vel Eccleſiæ, vel Beneficio, vel alteri pio operi detrimentum eſse obventurum. Quibuſcumque etiam dictorum bonorum Colonis interdicimus, ne ſine Rectorum, aut Procuratorum licentia fructus colligere, aut collectos triturare audeant, aut ab areis, aliiſve locis, niſi facta prius eorum cum Dominis partitione, amovere.

VI. Cum tranſactiones ſint ſpecies quædam alienationis, in iis enim ſemper ex utraque parte aliquid datur, & aliquid accipitur; Idcirco ſevere, & ſub pœna nullitatis, aliiſque Canonicis pœnis interdicimus, ne jurium, rerumque Eccleſiaſticarum, de quibus controverſia oriatur, tranſactiones fiant, niſi impetrata prius Apoſtolicæ Sedis, aut Noſtra in caſibus a Jure permiſſis facultate, ſervatiſque iis, quæ a Jure Canonico (1) ſervari jubentur. Præcipimus etiam, ne quis ſine legitima cauſa, Nobiſque non conſultis repudiare audeat hæreditates, donationes, ac legata, quæ piis locis fiant, etiamſi a conditione futura, &, ut ajunt, eventuali pendeant. Si Eccleſiæ, aut loci Pii Rector, ſeu Adminiſtrator ſecus egerit, a Nobis cogetur ære ſuo reparare, quidquid detrimenti ex ejuſmodi repudiatione in Eccleſiam, aut locum pium redundaverit.

VII. Quod ſi evidens Eccleſiæ, aut Loci Pii ſeu neceſſitas, ſeu utilitas poſtulet, ut aliqua ejuſdem bona alienentur; Nemo (2) adhuc ſine Apoſtolico beneplacito, aliiſque ſolemnitatibus a Jure præſcriptis alienare præſumat, niſi graviſſimas a Sacris Canonibus præſcriptas ſubire malit pœnas. Quamquam vero ſi quis hæreditatem ſuam certis gravatam debitis Eccleſiæ, aut Pio Loco reliquerit, aliqua hujuſmodi hæreditaria bona ſine præſcriptis ſolemnitatibus alienari poſſint, ut defuncti Teſtatoris debitis fiat ſatis; in eo enim caſu dicta bona non ſunt Eccleſiæ, aut Pio

(1) Cap. *Statutum*. de tranſactionibus.

(2) Cap. *Cum Laicis*. de reb. Eccleſ. non alien., Clem. 1. eod. tit., Extrav. *Ambitioſæ*. eod. tit., & Trident. ſeſſ. 25. cap. 11. de reform.

Pio Loco incorporata, cum per aditionem hæreditatis nonniſi ea bona hæredi acquiri (1) cenſeantur, quæ deducto ære alieno ſuperſunt; Apoſtolicum tamen Beneplacitum ad alienationem omnino requiritur, quando bona (2) jam ſunt Eccleſiæ, aut Pio Loco plene incorporata. Sic etiam quamquam ſine ſolemnitatibus, & ſine Apoſtolico privilegio aliqua res Eccleſiæ in aliam tranſmutari poſſit, puta calix vetuſtus in Crucem, ſylva inutilis in Olivetum, vinea deſerta in pratum &c, ea enim non eſt vere alienatio, ac diſtractio, ſed mera in rem utiliorem, magiſque neceſsariam commutatio; Non tamen Clericus ſine Epiſcopi licentia patrimonium ſuum (3), ad cujus titulum Sacris eſt inſignitus Ordinibus, alienare poteſt, etiamſi ab eodem Clerico in patrimonii locum beneficium ad congruam ſuſtentationem ſufficiens ſubrogetur.

VII. *Sicut Eccleſia perpetua Religionis, & Fidei Mater eſt; ita decet, ut ejus Patrimonium jugiter ſervetur illæſum*; ut optime Leo Imperator (4) ajebat. Quapropter Beneficiatis, & quibuſcumque Bonorum Eccleſiaſticorum Adminiſtratoribus ſub interminatione divini Judicii præcipimus (5), ne ipſorum culpa, aut incuria ædificia, quæ ad Eccleſias, ſeu Loca Pia ſpectant, ruinam, aut detrimentum patiantur, ſed ſarta tecta cuſtodiantur, & ſi reparatione indigeant, opportune reparentur; prædia vero, ſi inculta fuerint, excolantur; alienata vindicentur; poſseſsa augeantur; periculo obnoxia defendantur; deperdita demum, in judicio inſtructa lite, recuperentur. Si qui ſint moroſi Eccleſiarum, Locorumve Piorum debitores, adhibitis opportunis juris, factique remediis, ad debiti ſolutionem compellantur. Quod ſi decurſu temporis comperiatur, Adminiſtratoris alicujus culpa Eccleſiæ bona deperiiſse; aut aliquem Eccleſiæ debitorem ſuo quidem tempore fuiſse ſolvendo, ſed non adhibita tunc adverſus illum opportuna ab

(1) L. *Subſignatum*. §. *Bono*. ff. de V.S.

(2) Sac. Cong. Concil. in una Salutiarum 20. Septemb. 1624. lib. 17. Decret. pag. 103.

(3) Sac. Congregat. Concilii 16. Aprilis 1622. lib. 4. decretor. pag. 231.

(4) Leo Cæſar in L. *Jubemus* 14. cod. de Sacroſ. Eccleſiis.

(5) Can. 1., & ſeq. cauſ. 16. qu. 6., & cap. 1. de præſcript.

ab Adminiſtratore diligentia, ſolvendo imparem mox factum fuiſse; damna quæcumque Eccleſiis, aliiſve locis Piis illata proprio adminiſtratoris ære reſarciantur, quemadmodum Tutoribus (1), publiciſque Procuratoribus Jura diſerte præſcribunt. Canonici vero, ac Beneficiati Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ ſolemnis juramenti meminerint, quod in Beneficiorum, ac Præbendarum poſseſſione capienda emiſerunt, & quo polliciti ſunt, *ſe ſuorum Canonicatuum, ac Beneficiorum bona, res, & jura pro viribus ſuis ſemper defenſuros, & dolum, vel fraudem aliquam in præjudicium, vel damnum Cathedralis Eccleſiæ, illiuſque bonorum non commiſſuros, nec committenti conſenſuros*. Quare omni fide, induſtriaque res, & jura Beneficiorum ſuorum male alienata recuperare pro viribus conentur, & Nos, quoties hujuſmodi ſeſe offert occaſio, de re tota certiores faciant, ut juris remedia opportune adhibere valeamus, neque ſuper iiſdem litibus, aut cauſis, uti ſuperius diximus, ad ullam compoſitionem, aut tranſactionem, Nobis inconſultis, audeant devenire. Ejuſmodi autem juramentum non modo ab Eccleſiæ Cathedralis Canonicis, ac Beneficiatis, verum etiam ab omnibus, & quibuſcumque Beneficium quodlibet obtinentibus emitti volumus coram Vicario Noſtro Generali, aut coram alio ab eo, vel a Nobis deputato, cum primum ſuorum beneficiorum capient poſseſſionem.

IX. Cum bonorum Eccleſiaſticorum locatio (2) ultra triennium utile in jure eſse alienatio cenſeatur, adeoque ſine Apoſtolico Beneplacito ſub pœnis in Extravaganti *Ambitioſæ* contentis fieri nequeat, duo hic declaramus: Primum nomine triennii utilis tres fructuum annos intelligi: quare ſi fructus ſemel dumtaxat biennio quolibet ex fundo locato percipiantur; jam ſine Apoſtolico Beneplacito ad ſex annos locari fundus (3) poterit, ut trina fru-

(1) L. *Si Tutor*. ff. de adminiſtrat. Tutor., & L. *Miſſi opinatores*. cod. de exact. tribut. lib. 10.

(2) Cap. *Nulli liceat*, & cap. *Ad audientiam*. de reb. Eccleſ. non alienandis.

(3) Rota Romana in Tiburtina Affictus 19. Junii 1648.

fructuum collectio, adeoque triennium utile habeatur. Declaramus deinde, illicitam eſse, atque invalidam doloſam illam locationem ad triennium, quæ ſub ea conditione fit, ut ſi ultimis menſibus partes quieſcant, & nihil innovent, nova locatio ad aliud triennium facta cenſeatur, & ſic deinceps: quare qui hoc pacto locationis contractum ſuper Eccleſiaſticis bonis ſine Apoſtolico Indulto ineunt, pœnas procul dubio in eadem Conſtitutione *Ambitioſæ* (1) ſtatutas incurrunt. Elapſo itaque triennio utili, Beneficiati, & Eccleſiarum Rectores, ſeu Adminiſtratores nullo modo patiantur Conductores tacite in conductione perſeverare, ſed vel a re conducta expellant, vel per publicas ſcripturas locationem ad aliud triennium ſtipulentur: qui ſecus fecerint, pœnas ſubibunt arbitrio Noſtro infligendas.

X. Ut autem Eccleſiis hæ bonorum locationes proſint, volumus, ac mandamus, ut ne ad triennium quidem fiant, niſi publicis edictis, dataque omnibus libera conducendi facultate, ut ea offerentis conditio eligi poſſit, quæ melior, atque utilior videatur. Oblationum autem, quæ tradentur, ſchedulæ aperiantur coram Capitulo, ſi bona ad Canonicos, aut Beneficiatos Noſtræ Cathedralis ſpectent, ad formam Capitularium Conſtitutionum; coram Vicario vero Generali, aut Vicariis Foraneis locorum, ſi bona ſint vel Parochialis Eccleſiæ, vel Beneficiorum ſimplicium, vel Confraternitatum, aliorumve piorum locorum: plus vero offerenti locatio decernatur, qui tamen idoneam dabit fidejuſſionem, ſi ſolvendo minus par eſse videatur. Si ſecus fiat, Canonicus, Rector, Beneficiarius, ſive Adminiſtrator pœnam pecuniariam arbitrio Noſtro luet, illi applicandam Eccleſiæ, cujus bona, non ſervata hac forma, locaverit.

XI. Locationes rerum Eccleſiaſticarum ultra triennium utile (idem

(1) Extrav. *Ambitioſæ*, cit. Trident. ſeſſ. 25. de reformat. cap. 11., Clement. 1. de rebus Eccleſiæ non alienandis, cap. *Ad audientiam*. eod. tit., cap. *Querelam*. ne Prælati vices ſuas &c., cap. *Si gratioſe*. de reſcriptis in 6., L. 4. ff. locati, & conducti.

(idem de earum alienationibus dicendum eſt) factæ (1) cum clauſula *reſervato Apoſtolico aſſenſu* nullæ ſunt, & invalidæ, ſi ante Apoſtolici Indulti conceſſionem poſſeſſio earumdem rerum conductori tradatur; aut ſi in locationis contractu clauſula *Conſtituti* apponatur, quæ (2) vim habet transferendi in conductorem poſſeſſionem rei locatæ. Imo & concedentes, & poſſeſſores, tamquam intruſi, excommunicationis pœnam in Pontificiis Conſtitutionibus conſtitutam ſubeunt. Nullas (3) etiam, & invalidas Tridentina Synodus eas locationes declaravit, quibus, repræſentata pecunia, & anticipatis ſolutionibus, res Eccleſiaſticæ in Succeſſorum perniciem privata auctoritate locantur; neque lapſu temporis convalidari eædem poſſunt, niſi notoria Eccleſiæ neceſſitate exigente, præviaque Noſtra licentia, initæ fuerint.

XII. Eccleſiarum, Oratoriorum, aliorumve locorum Piorum Adminiſtratores pecuniam Eccleſiæ, ſeu loci Pii, cujus adminiſtrationem gerunt, aliave ejuſdem bona in proprios non convertant (4) uſus, etiamſi animum habeant omnia integre ſolvendi, aut ſuo tempore reſtituendi; imo ne aliis quidem, quicumque ii ſint, mutuo dent, etiam accepto pignore. Qui ſecus fecerint, gravibus multabuntur pœnis, atque ab omni Eccleſiaſticarum rerum adminiſtratione ſtatim amovebuntur. Sub nullitatis pœna (5), aliiſque gravibus arbitrio Noſtro imponendis diſtricte prohibemus, ne res Eccleſiaſticæ locentur, multoque magis, ne dentur in emphyteuſim iis, qui ſunt conſanguinei, aut affines uſque ad tertium gradum incluſive Beneficiatorum, Rectorum,

 Admi-

(1) Cit. Extravag. *Ambitioſæ*; Urbanus VIII. Conſt. *Humanæ ſalutis*. 51. §.2., decreuum Clementis VIII. ad Archiepiſcopum Neapolit. 17.Dec. 1599.

(2) L. *Quidam*. ff. de rei vindic.

(3) Trid. ſeſſ.25. de reformat. cap.11., & Can. *De precariis*. cauſ. 10. qu. ., Sac. Congr. Concil. in Parmen. 7. Octobris 1602. ad 4.

(4) Cap. *Cum Laicis*. de reb. Eccleſ. non alienandis, cap.2. ne Clerici, vel Monachi; S. Carolus in Conc. Provinc Mediol. II. hoc tit.

(5) Alexander VII. Conſt. *Suprema*. 23. April. 1657., Sac. Cong. Concil. in Parmen. 7.Octob. 1602., & de mandato Alexand. VII. 15. Dec. 1663.

Adminiſtratorum, vel Patronorum, etiam per ſuppoſitas perſonas, vel nomina, niſi Noſtra in ſcriptis acceſſerit licentia, quam ſane largituri non erimus, niſi id in evidentem Eccleſiæ, aut loci Pii utilitatem cedere deprehenderimus. Bona Eccleſiaſtica (1), quæ valorem excedunt quinquaginta ſcutorum, non dividantur in partes, ut facilius alienationis licentia impetrari poſſit, neque eorum locationes, contractus emphyteuci, & conceſſiones ad meliorandum fiant cum Dominis finitimis, ne eorum confundantur confinia, & inde jurgia, ac lites exſurgant. Quod ſi id fieri vel neceſſitas cogat, vel ſuadeat utilitas, Noſtraque acceſſerit licentia, in contractus inſtrumento agrorum fines exactiſſime deſcribantur.

XIII. Bona Eccleſiaſtica, quæ in emphyteuſim jam dari conſueverunt, ſine novo etiam Apoſtolico indulto in emphyteuſim (2) iterum dari permittimus, dummodo tres iſtæ ſerventur conditiones, 1. ut vel per duas alienationes emphyteuticas cum quadraginta annorum lapſu, vel per unam ſolemniter factam probetur in Noſtra Curia dari in emphyteuſim conſueviſſe ea bona, de quibus quæſtio eſt. 2. ut dicta bona non ſint iterum Eccleſiæ unita, &, ut ajunt, incorporata. 3. ut non aliter in emphyteuſim dentur, quam dari conſueverunt, meliorata videlicet Eccleſiæ conditione. Præterea ſi bona ejuſmodi Eccleſiaſtica in emphyteuſim conceſſa, per caducitatem ad Eccleſiam fuerint devoluta; Nullo pacto (3) Beneficiati, atque Adminiſtratores, Nobis inconſultis, audeant caducitatis pœnam remittere, niſi Canonicam ſubire velint animadverſionem. Nefas enim eſt, ut etiam in iis acquirendis, quæ ipſo jure tranſeunt, ullum Eccleſiæ, aut loco Pio afferant detrimentum. Nulli pariter liceat, ſive Eccleſiæ, aut loci Pii Rector ſit, ſive Adminiſtrator, ſine Noſtra in ſcriptis impetrata facul-

(1) Sac. Congreg. Concil. in Parmen. 7. Octob. 1602.

(2) Extravag. *Ambitioſæ* cit.

(3) Urbanus VIII. in Conſt. *Humanæ ſalutis*. 1. Novemb. 1625., & L. fin. cod. de Sacroſanctis Eccleſiis.

facultate mobilia Eccleſiæ bona, ac præſertim vaſa ſacra oppignorare; quam tamen facultatem conceſſuri numquam erimus, niſi graviſſima, nec alia ratione reparabilis urgeat neceſſitas.

XIV. Ut autem nulla prorſus Eccleſiis, aut Locis Piis in emphyteuſis conceſſione fraus fiat; obſequentes mandato (1). Concilii Romani habiti ſub Benedicto XIII., præcipimus 1. ut immobilia quæcumque Eccleſiarum, cæterorumque piorum locorum bona numquam in emphyteuſim, etiam non perpetuam, concedantur, niſi evidens plane, & quæ in Noſtra Curia probetur, concurrat earumdem Eccleſiarum, vel piorum locorum utilitas, aliaque omnia ſerventur, quæ in Exravag. *Ambitioſæ* demandantur, ac præterea niſi Noſtrum emanaverit decretum, cui hæc ſemper adjungetur clauſula, *ut conceſſio in emphyteuſim fiat abſque ſpe renovationis, & ut expleto conceſſionis tempore, bona ipſa cum ſuis membris, juribus, & pertinentiis univerſis, necnon & melioramentis deſuper pro tempore quomodolibet factis, ad Eccleſias, & loca pia, ad quæ ex directo dominio pertinent, ad eorum diſpoſitionem pleno jure, atque omnino libera, vacua, & expedita relinquantur*. 2: Ne hujus in emphyteuſim conceſſionis occaſione aliquid pro laudemio, ſeu primo, ut ajunt, ingreſſu a quoquam recipiatur, ex quo Eccleſiæ, piiſque locis præjudicium fiat, vel juſtus annui canonis valor decreſcat, aut imminuatur: ſi ſecus fiat, contractus ſit ipſo jure nullus. 3. ne, completo conceſſionis tempore, aut alio adveniente devolutionis caſu, emphyteuſis ad ejuſdem emphyteutæ, ſuæve familiæ, vel hæredum favorem renovetur, niſi rite, & recte probata, uti ſuperius diximus, legitima adſit conſuetudo renovandi, aut niſi Apoſtolica ad id Indulta, ſeu Privilegia expreſſe conceſſa reperiantur. Volumus enim, ut Eccleſiis, lociſque piis quibuſcumque liceat bona alias in emphyteuſim conceſſa, & inde devoluta, pro ſe, ſi velint, libere retinere, propriiſque aliis bonis incorporare, nec ullo jure a quoquam ſub quovis prætextu, ſeu ex quacumque cauſa ad conceſ-

 ſiones

(1) Conc. Rom. tit. 19. cap. unic.

ſiones renovandas cogi poſſint; ſalva tamen Alexandri III. Conſtitutione (1), ubi ex æquitate dumtaxat terras illas, quæ de ſylvis extirpatis ſunt arabiles factæ, ſub annuo cenſu iis hæreditario jure iterum tradi poſſe indulget, a quibus ipſas ſuo, vel parentum ſuorum labore conſtiterit fuiſse extirpatas, niſi forte aliis poſſent cum majori utilitate concedi.

XV. Cum ad Eccleſiaſtica bona a ſacrilegis uſurpatorum manibus vindicanda, & primævo ſuo, legitimoque juri reſtituenda plurimum proſit bonorum eorumdem tum mobilium, tum immobilium Inventarium rite, diligenterque concinnatum; Idcirco inhærentes Conſtitutioni Sixti V. editæ anno 1587., ac decreto Concilii Romani *tit.*12.*cap.*1, ſub pœnis in eodem Concilio Romano ſtatutis, videlicet interdicti contra Capitula, & Collegia, ſuſpenſionis contra Clericos Sacris Ordinibus initiatos, & excommunicationis contra Laicos, & reliquos Clericos in minoribus conſtitutos, Capitulis, & Collegiis, atque Eccleſiarum, ac Beneficiorum etiam ſimplicium, & de Jurepatronatus Rectoribus, omnibuſque Hoſpitalium, Confraternitatum, Congregationum, cæterorumque locorum quomodolibet etiam exemptorum Adminiſtratoribus diſtricte præcipimus, ut infra annum ab hujus Noſtræ Synodi promulgatione, bonorum omnium quavis ratione ad eadem Capitula, Collegia, Eccleſias, Beneficia, Hoſpitalia, Confraternitates, & Congregationes pertinentium, quorum cura ipſis ſeu in communi, ſeu in particulari commiſsa reperiatur, legale Inventarium perficiant, perfectumque Nobis exhibeant in Archivio Noſtro Epiſcopali ſervandum, cujus tamen exemplar aliud authenticum apud ſe retineant in particulari cujuslibet Eccleſiæ, aut Loci Pii Archivio collocandum. In eo autem perficiendo Inventario methodus, atque inſtructio ſervetur, quam a Concilio Romano præſcriptam damus in Appendice num:20. Quod ſi alias hujuſmodi legale Inventarium exhibitum, & collocatum in Noſtro Epiſcopali Archivio fuerit, iidem, quos ſupe-

(1) Cap. *Ad aures*. de rebus Eccleſiæ non alienandis.

Digitized by Google

ſuperius recenſuimus, diligenter inquirant, an præhabitis Eccleſiaſticis bonis aliqua facta fuerit acceſſio, aut imminutio, eamque Nobis authenticam intra præſcriptum tempus exhibeant, ut una cum præcedente Inventario in eodem Noſtro Epiſcopali Archivio collocari poſſit. Imo quoniam temporis ſucceſſu rerum facies, & ordo immutari ſolet, volumus, & mandamus, ut ſingulis ſaltem decenniis inventaria hujuſmodi renoventur. In ſingulis præterea Eccleſiis Archivium conſtituatur in loco apto, & bene clauſo, ubi libri, ſcripturæ, atque hæc inventaria cuſtodiantur cum eorum omnium indicibus, quæ in his Archivis collocata fuerint. Qua quidem in re ſervetur etiam methodus, & ordo a Concilio Romano præſcriptus, quem in Appendice damus ſub num. 21.

CAPUT XXI.

DE REALI ECCLESIASTICORUM, SIVE MOBILIUM, SIVE IMMOBILIUM BONORUM IMMUNITATE.

CUM præcepto ſuo Chriſtus Dominus *reddi* juſserit, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo; Et cum ſemel* (1) *Deo dicatum, non ſit ad humanos uſus ulterius transferendum*: Optimo ſane jure Sacri Canones declararunt, *Eccleſias*, (2) *Eccleſiaſticaſque perſonas, ac res ipſarum, non ſolum jure humano, quin & divino a Sæcularium perſonarum exactionibus eſſe immunes. Cur autem non faciamus*, ut hac in re expreſse inquit Juſtinianus Imperator (3), *inter res divinas, & humanas diſcrimen? cur competens prærogativa cœleſti favori non conſervetur?* Nos itaque ſollicite, prout expedit, providere volentes, ne quis in Noſtra Diœceſi temerario auſu realem hanc Eccleſiaſticorum, ſive mobilium, ſive immobilium bonorum Immunitatem (de hac enim nunc dumtaxat loquimur) ſive directe, ſive indirecte lædat; edicimus, non licere

(1) Cap. *Semel*. 51. de R. I. in 6.

(2) Cap. *Quamquam*. de cenſib. in 6.

(3) L. *Sancimus*. cod. de Sacroſanctis Eccleſiis.

cere (1) Dominis temporalibus, quacumque tandem ſive Imperiali, ſive Regali, ſive alia mundana præfulgeant dignitate, & Judicibus quibuſcumque temporalem ſive juriſdictionem, ſive juſtitiam exercentibus, tallias, collectas, decimas, præſtantias, gabellas, pedagia, quidagia, vectigalia, aut alia onera, ſeu exactiones quaſcumque, ſine ſpeciali, & expreſsa Romani Pontificis licentia, Clericis, Prælatis, aliiſque Eccleſiaſticis Perſonis imponere, vel ab eiſdem exigere pro domibus, prædiis, vel quibuſcumque poſſeſſionibus ab eiſdem Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis legitime hactenus acquiſitis, vel in poſterum acquirendis, vel pro eorum prædiorum, ſeu bonorum fructibus, reditibus, ac proventibus: *Eccleſias (2) vero, atque Eccleſiaſticas perſonas ad pedagia, & quidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum, vel ſolvendum talia pro rebus ſuis propriis, quas non cauſa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, etiam contraria conſuetudine quacumque, quæ dicenda eſt corruptela verius, non obſtante.*

II. Cum autem triplex ſit Eccleſiaſticorum bonorum genus, in quorum primo Templa, Cœmeteria, vaſa ſacra, veſtes, aliaque hujuſmodi ſive conſecrata, ſive benedicta, divino que cultui legitime deſtinata; in altero temporalia Eccleſiarum, & beneficiorum bona a Fidelibus ad Dei honorem donata, ut eorumdem proventus in pios uſus, puta in Miniſtrorum ſuſtentationem, aut in Templorum conſervationem, aut in pauperum levamen convertantur; in tertio bona Eccleſiarum, & Clericorum propria per emptionem, aut donationem, aliumve temporalem titulum acquiſita recenſentur; De ſingulis ea, quæ ſequuntur, edicimus, atque ab omnibus ſervari mandamus. Primi itaque generis bona, cum per conſecrationem, vel benedictionem ſint divino cultui dedicata, nulloſque (3) propterea in humanos pro-

fanos

(1) Cap. *Quia nonnulli*. de Immunit. Eccleſ. in 6., cap. *Quamquam*. de cenſibus in 6., Bulla Cœnæ §.18., cap. *Non minus*, & cap. *Adverſus*. de Immunit. Eccleſ., Urbanus VIII. Conſtit. *Romanus Pontifex*. edita 5. Junii 1641.

(2) Cap. *Quamquam*. de cenſib. in 6.

(3) Can. *Quæ ſemel*. cauſ.19. qu.3., & can. *Ligna*. de conſecrat. diſt.1.

Digitized by Google

ſanos uſus adhiberi poſſint, nemo non videt, ab omni Laicorum juriſdictione, adeoque ab omnibus oneribus, tributis, atque exactionibus immunia eſſe oportere. Secundi vero generis bona, licet, poſtquam in Eccleſiaſticorum dominium tranſierint, a tributis, atque oneribus de novo imponendis ſint immunia, non eximuntur tamen ab oneribus (1), ac tributis mere realibus, quibus, antequam ad Eccleſiam pervenirent, perpetuo, & conſtanter erant obnoxia: *res (2) enim ad alios tranſit cum ſuo onere*; & nemo poteſt juri, quod alter habet in re, nocumentum afferre, *cum (3) ſuæ quiſque rei moderator*, *atque arbiter ſit*, non vero alienæ. Item exempta non ſunt ejuſmodi bona a penſionibus, & præſtationibus, quas Fundatores, Epiſcopo conſentiente, in Eccleſiarum, & Beneficiorum fundatione ſibi, aut aliis reſervarunt. *Quando enim ex beneficiorum quorumcumque erectione*, *ſeu fundatione*, uti ſtatuit Tridentina Synodus (4), *aut aliis Conſtitutionibus qualitates aliquæ requiruntur*, *ſeu certa illis onera ſunt injuncta*, *in beneficiorum collatione*, *ſeu in quacumque alia diſpoſitione eis non derogetur*. Neque etiam eximuntur ab iis oneribus, quæ ex ipſo naturalis rationis dictamine rebus ipſis quodammodo inhærent, cujuſmodi ſunt onera reficiendi viam ante domum, parietem, qui inter Eccleſiæ, ſeu Beneficii domum, & domum Laici intercedit, pro rata inſtaurandi &c. Tandem bona quoque tertii generis immunitate gaudent ab omnibus oneribus, atque exactionibus, quæ a Laica poteſtate imponantur, uti plurimorum (5) Sacrorum Canonum ſanctionibus conſtitutum eſt; & uti de patrimonialibus Clericorum bonis Sacra (6) Congregatio Immunitatis frequenter declaravit. Et ſane cum tributorum, vectigalium, aliorumque hujuſ-

(1) Rota in Brunduſina Gabellæ 13. Februarii 1604. coram Penia, & in Albanen. Gabellæ 28. Junii 1630. coram Merlino.

(2) Cap. *Cum non ſit*. de decimis; & cap. *Ex litteris*. de pignoribus.

(3) L. in re mandata. cod. mandati.

(4) Trid. ſeſſ. 25. cap. 5.

(5) Cap. *Adverſus*. de Immunit. Eccl., cap. *Quamquam*. de cenſibus in 6., cap. *Quia nonnulli*. de Immunit. Eccleſ. in 6.

(6) Sac. Cong. Immunit. in Tricaricen. 14. Novembris 1603., & in Camerinen. 24. Martii 1627., & 7. Octob. 1631.

hujuſmodi onerum ſolutio ſit verum ſubjectionis ſignum, adeoque ad ſubditos dumtaxat vere pertineat; (ut enim inquit Apoſtolus (1): *Neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ideo enim & tributa præſtatis*, & uti clarius in Jure Canonico (2) nobis inſinuatur: *Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit &c., & vos ſubditi eſſe debetis: ideo enim tributa præſtatis, quia hæc eſt probatio ſubjectionis*); Inde fit, ut Eccleſiaſticæ perſonæ, cum ab omni Laica juriſdictione ſint immunes, ab omni quoque hujuſmodi tributo, atque onere eſſe debeant exemptæ. Plurima hac ſuper re Sacrarum Congregationum decreta damus in Appendice num. 22.

III. Ad hanc Eccleſiaſticorum bonorum immunitatem tuendam celeberrimam edidit Conſtitutionem Urbanus VIII. (4), in qua hæc ſtatuit, ac declarat. 1. invalidas prorſus eſſe, illicitas, atque indebitas quaſcumque contributiones, collectas, & gabellas, quæ ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ facultate ſuper Eccleſiarum, Monaſteriorum, aut Piorum Locorum bonis, ſeu fructibus imponantur, aut exigantur, etiamſi eædem a ſponte conſentientibus ſolvantur. 2. etiamſi per tempus longiſſimum, & immemoriale exactæ fuerint. 3. etiamſi ſolutæ, aut exactæ fuerint ſub Apoſtolici privilegii prætextu. 4. aut cum tolerantia, facultate, ac permiſſione Prælatorum Eccleſiaſticorum, imo etiam Legatorum, ac Nunciorum Apoſtolicæ Sedis. 5. præcipit Pontifex, ut quæcumque in contrarium facta fuerint, in integrum reſtituantur, & numquam deinceps attententur. Quod quidem fieri jubet, etiamſi attentata fuerint per Imperatores, & Reges, & alios quoſcumque legitima Apoſtolica facultate non munitos, aut ſub prætextu, quod Apoſtolicæ Conſtitutiones hac ſuper re editæ, non fuerint in aliquo loco publicatæ, aut uſu receptæ. Hanc Urbani VIII. Conſtitutionem ab omnibus exactiſſime ſervari jubemus, neque ullo umquam tempore quidquam adverſus eam impune attentari patiemur.

IV. Quam-

(1) Ad Rom. cap. 13.

(2) Cap. *Omnis anima*. 2. de cenſibus.

(3) Urbanus VIII. Conſtitut. *Romanus Pontifex* 23. Septembr. 1641.

Digitized by Google

IV. Quamquam autem Eccleſiaſtica bona, ac res a quibuſlibet Laicorum exactionibus, tributis, atque oneribus, etiam extraordinariis, & in communis neceſſitatis caſu imponendis eximantur; Si tamen communis aliqua, ſive belli, ſive famis, ſive peſtis neceſſitas emergat, qua non minus Clerici, quam Laici urgeantur; tunc Eccleſias, atque Eccleſiaſticas Perſonas ratione bonorum ſuorum ad extraordinariam aliquam collectam, ſeu contributionem teneri edicimus, dummodo hæ, quæ ſequuntur, & quas ſacra Romana Rota (1) recenſet, conditiones copulative concurrant; videlicet 1. ut magna ſit neceſſitas, eique ſuccurri nequeat, niſi Clerici cum Laicis ad præſtandam opem concurrant. 2. ut vere adſit communis neceſſitas, aut ſaltem pietas. 3. ut ad onus illud ſuſtinendum Laici minime ſufficiant: Clerici enim contribuere (2) cum Laicis tenentur ſolum in ſubſidium, & ubi Laicorum non ſuppetunt facultates. *Sollicite attendant*, inquit Benedictus XI. (3) *Eccleſiarum Prælati, & alii Clerici Lateranenſe Concilium, quod in hujuſmodi ſubventionibus ſolum caſum neceſſitatis, aut communis utilitatis, ubi Laicorum ad id non ſuppetunt facultates, deliberatione provida noſcitur excepiſſe*. 4. ut ad onus hujuſmodi imponendum Epiſcopus cum toto Clero conſentiat: *quod enim omnes* (4) *tangit, ab omnibus debet approbari*. 5. ut juxta Concilium Lateranenſe propter (5) quorumdam imprudentiam etiam in hoc caſu Romanus Pontifex, cujus intereſt communibus providere utilitatibus, primitus conſulatur. 6. tandem ut ad has contributiones ſolvendas, poſtquam prædictis concurrentibus requiſitis impoſitæ fuerint, Clerici, & Eccleſiaſticæ Perſonæ non a Laicis Miniſtris, ſed a ſuo Epiſcopo, atque Eccleſiaſtico Superiore compellantur.

V. Ut autem omnes ab hac reali bonorum Eccleſiaſticorum immunitate violanda deterreantur, præter graviſſimum ſacrilegii rea-

(1) Rota Romana in Brunduſina Gabellæ 13. Februarii 1604. coram Penia.

(2) Cap. *Non minus*, cap. *Adverſus*, & cap. *Pervenit*. de Immunit. Eccleſ.

(3) Benedictus XI. in Extravag. *Quod olim*. de Immunit. Eccleſ.

(4) Cap. *Quod omnes*. de regul. jur. in 6.

(5) Benedictus XI. in Extravag. cit.

Digitized by Google

reatum, triplicem Sacri Canones a tranſgreſsoribus incurrendam pœnam ſtatuerunt. Prior eſt, *ut* (1) *Conſtitutiones, & ſententiæ, quæ ab iiſdem, vel de ipſorum mandato fuerint promulgatæ, inanes, & irritæ habeantur, nullo umquam tempore valituræ*. Altera eſt, ut ea omnia (2), quæ ab Eccleſiis, & Eccleſiaſticis Perſonis, earumque bonis exegerint, reſtituere teneantur. Tertia tandem eſt, ut ipſo jure (3), & ipſo facto excommunicationem majorem Romano Pontifici in Bulla Cænæ reſervatam incurrant, a qua ne in mortis quidem articulo abſolvi poſſint, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, ac de ſatisfaciendo cautionem præſtent; aut ſi cautionem præſtare vere non poſſint, ſaltem firmiter proponant, ac polliceantur, ſe numquam amplius quidquam ſimile patraturos, ſe mandatis Eccleſiæ obtemperaturos, ac reſtitutionem fideliter eſse facturos. Hanc autem excommunicationem incurrunt, *etiam ii* (4), *qui ſic impoſita a ſponte dantibus, & concedentibus recipiunt; Nec non ii, qui per ſe, vel per alios directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuſcumque ſint præeminentis dignitatis, ordinis, conditionis, ſtatus, etiamſi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate &c.* Neque ab hac incurrenda excommunicatione excuſat (5) ulla conſuetudo etiam immemorabilis, ulla præſcriptio, ullum privilegium, aut ullus titulus, ſive etiam *prætextus ille* (6), *quod ejuſmodi Bullæ, ſeu Conſtitutiones Apoſtolicæ non fuerint publicatæ, aut uſu receptæ, aut contrario uſu decennali, & quantumlibet longiſſimo, ut prætenditur, abrogatæ*; quemadmodum Urbanus VIII. in ſua Conſtitutione decrevit. Quod ſi forte aliqui, ut in Bulla Cœnæ (7) ſtatuitur, ſine expreſsa

(1) Cap. *Adverſus*. de Immunit. Eccleſ.

(2) Cap. *Non minus*, & cap. *Adverſus*. de Immunit. Eccleſ.

(3) Bulla Cœnæ §.18., 21., 22., & 23., Urbanus VIII. in cit. Conſtit. §.3. & 4., cap. *Non minus*, & cap. *Adverſus*. de Immunit., cap. *Quamquam*. de cenſibus in 6., & Clem. *Quoniam*. de Immunit. Eccl.

(4) Bulla Cœnæ §.18., Urbanus VIII. cit. Conſt. §.6.

(5) Cap. *Quamquam*. de cenſib. in 6.

(6) Urbanus VIII. cit. Conſt. *Romanus Pontifex* §.4.

(7) Bulla Cœnæ §.22.

preſſa Sedis Apoſtolicæ facultate, talibus excommunicatione, & anathemate illaqueatis, vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere de facto præſum pſerint; nòn modo excommunicationis Romano Pontifici reſervatæ vinculo innodantur, ſed gravioribus etiam contra eos ſpiritualibus, ac temporalibus pœnis animadvertetur.

CAPUT XXII.

DE REVERENTIA ECCLESIASTICIS PERSONIS DEBITA, AC DE CANONIS, ET FORI PRIVILEGIO IISDEM CONCESSO.

NON modo peculiaria quædam loca, & tempora, & rerum genera, verum etiam genera quædam perſonarum, quæ ſe certis quibuſdam ritibus divino manciparunt ſervitio, virtus Religionis præcipit, ut debita reverentia, ac veneratione proſequamur; itemque vetat, ne earum immunitates, privilegia, ac jura lædamus. De his perſonarum generibus, earumque immunitatibus, privilegiis, ac juribus agendum Nobis eſt, ne ſiquis eadem forte violaverit, communis ignorantiæ ſe tueri poſſit obtentu, præſertim cum Epiſcopale munus a Nobis exigat, ut Sacrorum Canonum, ac Pontificiarum Conſtitutionum, quæ hac de re ab Apoſtolica Sede promanarunt, obſervantiam totis viribus urgeamus. Duo autem præcipua ſunt privilegia Clericis omnibus ſive Sæcularibus, ſive Regularibus, aliiſque certis perſonis inferius recenſendis communia, eaque *Canonis*, & *fori* nuncupantur. De his pauca innuamus.

ARTICULUS I.

De Privilegio Canonis.

N*Olite tangere Chriſtos meos*, inquit Dominus per os David (1), *& in Prophetis meis nolite malignari*. Grande enim nefas eſt violentiam Dei Miniſtris inferre, cum gravis per id

(1) Paralipom. c.16., & Pſalm.104.

Digitized by Google

id Deo, cui famulantur, irrogetur injuria. Quamobrem, ut ab hoc perpetrando ſcelere Fideles deterrerentur, ſic in Concilio II. Lateranenſi ſub Innocentio II. can. 15. ſtatutum fuit: *Siquis, ſuadente Diabolo, hujus ſacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo ſubjaceat, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſolvere, niſi mortis urgente periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & ejus mandatum ſuſcipiat.* Jam vero per hunc Canonem, unde privilegium, de quo loquimur, nomen deſumpſit ſuum, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, Romanoque Pontifici reſervatæ diſtricte prohibetur, ne quis ſive vir, ſive mulier, in Clericum, vel Monachum ſacrilego auſu violentas manus injiciat. Tria itaque ad hanc incurrendam cenſuram omnino requiruntur, 1. factum conſummatum, dicitur enim in Canone *manus injecerit*. 2. animus inferendi injuriam, ut per ea verba *ſuadente Diabolo* ſignificatur. 3. violentia, ut illæ voces indicant *violentas manus injecerit*. Quicumque igitur externa aliqua injurioſa actione Clericum, ſeu Monachum, aut res ei adhærentes ſive mediate, ſive immediate violenter (1) tangat, eripiat, percutiat, detineat, lædat, aut perſequatur; imo ſiquis in equum, cui Clericus, aut Monachus inſideat, violentas injiciat manus, illum occidendo, vulnerando, percutiendo, aut detinendo; hujus excommunicationis vinculo innodatur.

II. Hujuſmodi Canonis privilegio gaudent Clerici omnes, etiamſi prima (2) dumtaxat tonſura ſint initiati: Imo etiam Clerici conjugati (3), ſi unicæ, & Virgini nupſerint, ſi habitum, & tonſuram deferant, ac ſi alicui Eccleſiæ de Epiſcopi mandato miniſtrent. Non tamen eo gaudent 1. Clerici bigami (4), qui vel duabus ſucceſſive, vel unicæ non Virgini nupſerint. 2. Clerici, qui, dimiſſo habitu, ac tonſura, negotiis ſæcularibus ſe immi-

(1) Can. *Nuper*. de ſent. excommun., & can. *Si quis pulſatus*. cauſ.33. qu.2.

(2) Cap. *Cum contingat*. de ætate, qualit., & ord. præfic.

(3) Cap. unico. de Clericis conjugatis in 6.

(4) Cap. unic. de bigamis in 6.

immiſcent (1), ſi ter ab Epiſcopo moniti ab iiſdem non abſtineant. 3. Clerici realiter degradati, ac (2) ſolemniter depoſiti. 4. Tandem Clerici, qui ſe enormitatibus inquinant (3), ideſt, qui latrocinia, & iniquas graſsationes perpetrant, aut bella, ac ſeditiones in populo commovent. *Monachi* vero nomine, quod a Canone adhibetur, Regulares omnes (4) utriuſque ſexus intelliguntur, etiam Converſi, & Converſæ, etiam Novitii, & Novitiæ: Imo etiam Ordinum Mendicantium Tertiarii, ac Tertiariæ (5), vel in Communitate viventes, vel etiam in propriis viventes domibus, ſed, emiſso de Ordinarii licentia caſtitatis voto, cælibem agentes vitam: quin & Eremitæ, qui Ereniticum habitum ex legitima facultate deferunt, & ſub ſpeciali Epiſcopi obedientia alicui Eccleſiæ, aut Eremitorio deſerviunt: Hi enim inter Eccleſiaſticas perſonas a Sacra Epiſcoporum, & Regularium (6) Congregatione recenſentur.

III. Ab hac autem incurrenda cenſura excuſantur 1. qui invincibili (7) ſive facti, ſive juris ignorantia laborant. 2. qui ad ſui defenſionem (8) Clericum percutiunt vim vi repellendo, ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. *Quamvis enim vim (9) vi repellere omnes leges, & omnia jura permittant; tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam. Si Clericum itaque vim ſibi (10) inferentem vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Sedem Apoſtolicam tranſmitti, ſi incontinenti vim vi repellat, cum vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittant*; uti Archiepiſcopo Seno-

(1) Cap. *In audientia*, & cap. *Contingit*. de ſent. excomm.

(2) Cap. *Degradatio*. de pœnis in 6.

(3) Cap. *Cum non ab homine*, & cap. *Perpendimus*. de ſent. excomm.

(4) Cap. *Cum illorum*, cap. *Non dubium*, & cap. *De Monialibus*, de ſent. excomm., & cap. *Religioſo*. de ſent. excomm. in 6.

(5) Leo X. Conſtit. 22. *Dum intra*. edita 1. Martii 1518. in Concil. Lateranen. ſeſſ. 11.

(6) Sac. Congreg. Epiſcop. in Fundana 17. Januar. 1594.

(7) Cap. *Si vero*. de ſent. excomm.

(8) Cap. *Ex tenore*. de ſent. excomm.

(9) Cap. *Significaſti*. de homicidio voluntario.

(10) Cap. *Si vero*. 3. de ſent. excomm.

Digitized by Google

Senonenſi reſcripſit (1) Alexander III. 3. qui non ex deliberatione (2), ſed caſu fortuito, aut in ſubito, primoque iræ motu Clericum lædunt. 4. *Clerici* (3), *qui non odio, vel invidia, vel indignatione, ſed levitate jocoſa ſe ad invicem percutiunt, quia non poteſt in ipſis injectio manuum violenta notari.* 5. *qui in Clericum* (4) *cum uxore, matre, ſorore, vel filia propria turpiter inventum manus injecerit violentas. At ſi in ſtupro, vel adulterio, quod committit cum ea, quæ ipſum ita proxima conſanguinitatis linea non contingit, ceperit, aut in eum violentas manus injecerit, non erit a ſententia illius excommunicationis immunis*, uti ſtatuit laudatus Pontifex Alexander III. 6. *qui ratione officii* (5), *quod in Eccleſia obtineant, aut etiam qui Clerici ſeniores cum ſint, zelo devotionis pueros, vel adoleſcentes in minoribus ordinibus conſtitutos turbantes divinum officium, & hi, qui obtentu prælationis, vel magiſterii ſubditos, & ſcholares correctionis cauſa leviter percuſſerint, excommunicationis ſententiam non incurrunt. Quod & de his dicendum eſt, qui aliquos de familia ſua, vel propinquos inferiorum graduum ſimili modo, ut cohibeantur a ſuis inſolentiis, & ſcientia, boniſque moribus informentur, duxerint corrigendos.* 7. ab incurrenda cenſura excuſantur quoque Officiales Laici, qui (6) turbam arcendo, non deliberate, ſed fortuito, & caſu irruentem Clericum lædunt.

IV. Non excuſantur, ſed cenſuram Romano Pontifici reſervatam incurrunt, non modo qui in Clericum, vel Monachum, ſuadente diabolo, violentas manus injiciunt; ſed etiam 1. qui id mandant, dummodo ſequatur effectus. *Illi vero, qui non per ſeipſos*, inquit Alexander III. (7), *ſed eorum auctoritate, & mandato alii violentas injiciunt manus in Clericos, ad Sedem Apoſtolicam ſunt mittendi, cum is committat vere, cujus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur.* Neque ad evitandam cenſuram ſatis eſt,

(1) Cit. cap. *Si vero*. 3.

(2) Cap. *Super*. 1. de ſent. excomm.

(3) Cap. cit. *Si vero*. 3.

(4) Cap. *Cum voluntate*. 54. de ſent. excommun.

(5) Cit. cap. *Cum voluntate*.

(6) Cit. cap. *Si vero*. 3. de ſent. excommun.

(7) Cap. *Mulieres*. §. *Illi vero*. de ſent. excommun.

eſt, ut mandantem mandati pœniteat, ſed neceſſe eſt, ut mandatum revocet, ac de ejus revocatione mandatarium ſerio moneat, antequam mandatum is exequatur. 2. qui, licet id non mandent, violentam tamen in Clericum, ſeu Monachum manuum injectionem ſuo nomine, aut intuitu factam, exteriori aliquo ſigno ratam habent. *Cum quis abſque tuo mandato*, inquit (1) Romanus Pontifex in ſexto Decretalium, *manus injicit in Clericum tuo nomine violentas, ſi hoc ratum habueris, excommunicationem latam a Canone incunctanter incurris. Si vero injectio eodem tuo nomine non fuit facta, tunc, licet pecces ratihabendo eamdem, non tamen præterea excommunicationis ullius vinculo innodaris, cum quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non eſt geſtum.* 3. qui Clericum, vel Monachum (2), ſine læſione tamen, in cuſtodia detinent publica, vel privata, vel etiam detrudunt in vincula. *Non credimus*, inquit Innocentius III. ad Uratislavienſem Epiſcopum reſcribens, *ejuſmodi Laicos pœnam excommunicationis evadere, quamvis per eorum factum corporalis læſio non fuerit ſubſecuta, citra quam violentia ſæpius circa Clericos nequiter perpetratur.* 4. qui conſilium dant, aut opem, aut in violentam manuum injectionem conſentiunt, aut delinquentem ſociant, aut cum illam impedire facile poſſint, & ex officio, aut alio titulo teneantur, non tamen impediunt, adeoque eam permittentes tacite conſentiunt. *Ne autem ſolos violentiæ hujuſmodi auctores aliquorum præſumptio exiſtimet puniendos*, inquit Innocentius III. (3), *facientes, & conſentientes pari pœna plectendos Catholica condemnat auctoritas; eos delinquentibus favere interpretans, qui, cum poſſint, manifeſto facinori deſinunt obviare.* 5. ab incurrenda cenſura non excuſantur ii, qui Clericum percutiunt, licet idem Clericus in ſui percuſſionem conſentiat, quemadmodum Bracharenſi Epiſcopo Innocentius III. (4) reſcripſit: *Contingit interdum, ut Clerici ſiquem offendant, & ſatisfa-*

(1) Cap. *Cum quis*. 23. de ſent. excommun. in 6.

(2) Cap. *Nuper*. 29. de ſent. excomm.

(3) Cap. *Quantæ*. 47. de ſent. excomm.

(4) Cap. *Contingit*. 36. de ſenteut. excommun.

tiſfacere velint offenſo, ſecundum morem patriæ, quem inter ſe Laici obſervant, corpora ſua ſponte ſupponant triginta, ſeu pluribus, aut paucioribus percuſſionibus fuſtium &c. Nos autem Fraternitati tuæ ſuper hoc reſpondemus, quod hujuſmodi manus injectio, etſi non violenta, tamen injurioſa videtur, cum ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem ordinis Clericalis fuerit promulgatus. Ideo & volumus, & mandamus, ut id de cætero prohibeas attentari. Si quis autem Clericus poſt prohibitionem hujuſmodi ſponte ſe ſubjecerit, excommunicetur; proviſo ut Clericus injuriam paſſo ſine injuria clericali ſatisfaciat competenter, quatenus inter eos pax valeat rationabiliter reformari.

V. Hujuſmodi Clericorum, ſeu Monachorum percuſſores regulariter, nonniſi per Romanum Pontificem ab excommunicationis viculo abſolvi poſſunt, & ſunt etiam vitandi (1), quando ſunt ita notorii Clericorum percuſſores, ut eorum crimen nec aliqua tergiverſatione celari, nec aliquo juris ſuffragio excuſari valeat. Abſolvi tamen ab aliis poſſunt in paucis quibuſdam caſibus, quos recenſemus. Præmittimus tamen hanc violentam manuum injectionem, ſeu Clerici percuſſionem aliam eſſe levem, aliam mediocrem, & aliam enormem. Levis eſt, quæ nullam externam in Clerici corpore relinquit maculam, ſeu contuſionem. Mediocris eſt, quæ maculam aliquam, ſeu externum ſignum relinquit in corpore, ſed ſine lethali vulnere, ac ſine mutilatione. Enormis tandem eſt (2), quæ fit cum gravi vulnere, aut cum mutilatione, aut cum magna ſanguinis effuſione, qui non quidem a naribus, ſed a gravi vulnere promanet. Illud tamen cavendum hìc etiam eſt, quod percuſſio, ſeu injuria ex ſe non enormis fieri poteſt enormis, vel propter perſonæ (3) offenſæ dignitatem, puta ſi percutiatur, licet leviter, Epiſcopus, Abbas, ſeu a Subdito Superior, a Filio Pater, a Diſcipulo Magiſter; vel ratione loci, puta ſi percuſſio publice fiat

(1) Martinus V. Conſtit. *Ad evitanda*.
(2) Cap. *Cum illorum*. 32. de ſent. exc.
(3) Cit. cap. *Cum illorum*.

fiat in Theatro, in Foro, in Eccleſia, in Cœmeterio, aut coram Judice, ſeu Superiore. Jam vero ab excommunicatione etiam propter enormem percuſſionem contracta, in mortis articulo, & abſente (1) Superiore, ad quem de jure ſpectat abſolutio, Sacerdos quilibet abſolvere poteſt, impoſito tamen onere, ut ſi convaluerit, coram Superiore compareat, & mandata, quæ ei præſcribentur, exequatur. Extra mortis articulum Cardinales Legati a latere excommunicatos propter quamlibet percuſſionem, undecumque adveniant, abſolvendi habent facultatem. *Tibi extat dubium*, ita reſcripſit Clemens III. (2), *utrum abſolutionis beneficium aſſequantur, qui pro injectione manuum in Clericos, vel alias religioſas perſonas excommunicationem incurrerunt, & a Legatis Cardinalibus, qui a Latere Romani Pontificis deſtinantur pro tempore, abſolvuntur, cum iidem Legati mandatum ſuper hoc non oſtendunt expreſſum. Super quo id a te volumus obſervari, ut eos habeas abſque omni hæſitationis ſcrupulo abſolutos, quos conſtiterit a talibus beneficium abſolutionis adeptos*. Eamdem facultatem habent Legati miſſi, ſeu Nuncii Apoſtolici, ſed in eos dumtaxat (3), qui in ſuæ Legationis Provincia commorantur. Epiſcopi abſolvere ab hac cenſura poſſunt, 1. ſi ob levem, quamquam publicam, percuſſionem contracta fuerit. 2. ſi contracta ob mediocrem, vel enormem læſionem fuerit, dummodo ſit occulta. *Liceat Epiſcopis*, inquit Tridentina Synodus, *in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari*. 3. Etiamſi publica fuerit (4) dummodo excommunicati Romanum adire Pontificem nequeant; cum hoc tamen diſcrimine, ut, ſi impo-

(1) Cap. *Eos qui*. de ſent. excomm. in 6., & cap. *Excommunicamus*. §. *Decernimus*. de ſent. excomm. inter Extrav. comm.

(2) Cap. *Ad eminentiam*. 20. de ſent. excommun.

(3) Cap. penultimo. de officio Legati.

(4) Cap. *Mulieres*; cap. *De cætero*; cap. *Ea noſcitur*; cap. *De Monialibus*; cap. *Quamvis*. de ſent. excomm., & cap. *Eos qui*. de ſent. excomm. in 6.

Digitized by Google

tentia ſit perpetua, ſine onere comparendi; ſi vero ſit ad tempus, cum onere comparendi, cum primum poterunt, coram Superiore, abſolvantur: alias in ſimilem cenſuram relabantur. 4. Clerici (1), qui infra puberes annos ſe invicem, aut unus alterum percuſſerint, etiam graviter, ab Epiſcopo poſſint abſolvi, *qoia eos ætas excuſat*. 5. *Mulieres* (2), *vel aliæ perſonæ, quæ ſui juris non ſunt, ab Epiſcopo Diœceſano abſolvi poſſunt, ſi manus in Clericum injecerint violentas*. 6. Moniales quoque Clericum, aut ſe invicem quacumque percuſſione lædentes, ab Epiſcopo poſſunt abſolvi. *De Monialibus tua a Nobis Fraternitas requiſivit*, Piſtorienſi Epiſcopo reſcripſit Innocentius III. (3), *per quem eis ſit beneficium abſolutionis impendendum, ſi vel in ſe invicem, vel Converſas ſuas, aut Clericos etiam, manus injecerint temere violentas? Super hoc tuæ conſultationi taliter reſpondemus, ut per Epiſcopum, in cujus Diœceſi Monaſteria fuerint, abſolvantnr*.

ARTICULUS II.

De Privilegio Fori.

ALterum, quo Clerici gaudent, privilegium *Fori* dicitur, in eoque ſitum eſt, ut nemo Eccleſiaſticam Perſonam in criminali, vel civili quæſtione ad Judicium Sæculare trahere præſumat: id enim per Canonicas Sanctiones, & Imperiales Conſtitutiones expreſſe interdictum eſt, uti habemus in Jure (4) ipſo Civili. Clericorum itaque exemptio a Laicorum Foro, ac juriſdictione *privilegium Fori* nuncupatur: Unde fit, ut Clerici (5) cum in Civilibus, tum in criminalibus cauſis non, niſi ab Eccleſiaſtico Judice, dijudicari, ac puniri, ſeu abſolvi poſſint. Hoc privi-

(1) Cap. *Super eo*. 1. de ſentent. excommun.

(2) Cap. *Mulieres*. 6. de ſentent. excommun.

(3) Cap. *De Monialibus*. de ſent. excommunic.

(4) Auth. *Statuimus*. cod. de Epiſcopis, & Clericis.

(5) Cap. *Qualiter, & quando*. de judiciis; cap. *Si diligenti*. de foro competente; cap. *At ſi Clerici*. de judiciis; & cap. *Si Judex Laicus*. de ſent. excomm. in 6.

privilegio gaudent Clerici omnes in Sacris Ordinibus (1) conſtituti; imo etiam Clerici omnes prima tonſura, aut minoribus Ordinibus inſigniti, dummodo aliquam ex iis conditionibus habeant, quas Tridentina Synodus expreſſe (2) ſic recenſivit: Is (videlicet Clericus prima tonſura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus) *Fori privilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat, aut clericalem habitum, & Tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel univerſitate de licentia Epiſcopi quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſetur*. Cum autem Tridentina Synodus disjunctive loquatur, uti ex illis disjunctivis particulis *vel*, *aut*, patet; *In alternativis (3) autem alterum impleri ſufficiat*; Inde fit, ut Clericus habens beneficium, fori privilegio gaudeat, licet neque Clericalem Tonſuram, & habitum deferat, neque Eccleſiæ inſerviat, uti expreſſe Sacra Congregatio Concilii, teſte Fagnano (4), declaravit. Clericus autem beneficium non habens, ut fori privilegio gaudeat, Clericalem habitum, ac Tonſuram deferre debet, ac ſimul vel de Epiſcopi mandato alicui Eccleſiæ inſervire, vel in aliquo Seminario de licentia Epiſcopi commorari, vel in aliqua Schola, ſeu Univerſitate verſari. Quo quidem privilegio adhuc gaudet (5), etiamſi alteri Eccleſiæ, quam cui fuit adſcriptus, inſerviat, & ea de re Epiſcopi mandatum non habuerit. Neque tale privilegium amittit, ſi ad tempus habitum, & tonſuram dimittat illum reſumpturus, non enim (6) tunc dimiſiſſe cenſetur. Imo ſi Clericus, dimiſſo habitu, ac tonſura, delinquat, & poſtmodum habitum, ac tonſuram reſumens, Eccleſiæ inſerviat, fori privilegio gaudet, niſi habitum reſumpſerit in fraudem; de quo tamen judicium ferre ad Eccleſiaſticum (7) Judicem pertinet.

 II. Qua

(1) Can. *Cleros*. diſt. 21.

(2) Trid. ſeſſ. 23. cap. *6*. de reform.

(3) Regul. 70. juris in *6*.

(4) Fagnanus in cap. *Inter cætera*. de reſcriptis n. 3.

(5) Sac. Congr. Conc. in Valentina 29. Junii 1628., & in Romana 30. Junii 1609.

(6) Arg. cap. *Ad noſtram*. de Regular.

(7) Sac. Cong. Conc. 1. Februarii, & 26. April. 1607.

II. Qua quidem in re juvat aliquas in medium proferre Sacræ Congregationis Concilii declarationes, quibus plures exortas controverſias eadem Sacra Congregatio diremit. Prima hæc eſt. Clericus quidam, cum prima tonſura initiatus fuiſſet, per ſeptennium numquam in habitu inceſſit, ac tonſura, ac præterea Judicis munere functus eſt. Perpetrato mox crimine, inquiſitus a Judice Laico fuit, citatus, domique ſiſtere juſſus: at ille fugam arripuit, reſumptoque Clericali habitu, Eccleſiæ inſervire cœpit. In hoc rerum articulo Nicienſis Epiſcopus a Sacra Congregatione infraſcripta dubia ſibi declarari poſtulavit: 1. an Clericus ille fori privilegio gauderet? 2. an Judici Laico, qui notoriam eſſe contendebat reſumptionem habitus in fraudem, Epiſcopus inhibere poſſet, ne ſive quoad perſonam, ſive quoad ejus bona procederet, donec ipſe cognoſceret, an fori privilegio gaudere deberet? 3. an ſaltem id poſſet, viſis teſtimonialibus primæ Tonſuræ litteris? 4. an ſi adhuc Judex Laicus non deſiſteret, poſſet in illum procedere ad cenſuras? 5. an cauſam hanc ſibi vindicare poſſet Epiſcopus? 6. an deberet? *Die 30. Maii 1676. Sacra Congregatio Concilii reſpondit ad omnia affirmative.* Altera declaratio eſt ejuſmodi. Clericus non habens Tridentini Concilii requiſita, quamvis ex decreto ejuſdem Concilii (1) privilegio fori non gaudeat, adeoque Laicale forum declinare nequeat; ſi tamen adhuc ſe pro Clerico gerat; impediri nequit Epiſcopus, quo minus, ſi prævenerit, punire eumdem Clericum poſſit, uti ſæpius (2) Sacra Congregatio Concilii declaravit. Orta poſtmodum eſt controverſia, an in iis etiam hujuſmodi Clericorum cauſis, in quibus non prævenit, procedere Epiſcopus poſſit, & Clericum ſibi e Laici Judicis manibus repetere? Semel autem, iterum, ac tertio diſcuſſa controverſia, hanc Sacra Congregatio declarationem edidit, quam Romanus Pontifex approbavit: Die 12. Novembris 1630. Sacra Congregatio Concilii, facta relatione Sanctiſſimo

(1) Trid. ſeſſ.23. cap.6. de reform.

(2) Sac.Cong.Concil.in Baren.16.Martii 1606., in Valentina 20.Martii 1607., & alibi ſæpe.

ſimo Domino Noſtro in cauſa Leodien. 8. ejuſdem menſis in Sacra Congregatione propoſita, & reſoluta, Sanctitas ſua approbavit declarationem factam, *ut Clerici etiam non habentes requiſita cap. 6. ſeſſ. 23. de reformat., licet ipſi, tamquam contravenientes Ordinationi Sacri Concilii, non poſſint per ſeipſos allegare privilegium fori; nihilominus ſubſint Jurisdictioni Epiſcoporum, & Ordinariorum cognitioni, nedum in cauſis, in quibus iidem Epiſcopi, ſeu Ordinarii prævenerunt, ſed etiam in quibus non prævenerunt, & illos e manibus Judicis Laici repetant, quando iidem Clerici adhuc Clerici permanent, videlicet ſi a Jure, vel ab homine per declarationem ſervatis ſervandis factam, privilegiis Clericalibus denudati, ſeu privati non ſint.* Quadriennio autem poſt, videlicet die 1. Auguſti 1634., facta denuo relatione Sanctiſſimo Domino Noſtro, *Sanctitas ſua ad removendam omnem difficultatem, denuo juſſit omnino obſervari ſupradictam declarationem, ut ſupra, firmatam in dicta cauſa Leodienſi.* Tertia tandem declaratio hæc eſt. Propoſitum fuit in Sacra Congregatione dubium, *an Clerici, qui ex decreto Concilii Tridentini cap. 6. ſeſſ. 23. de reformat., privilegio fori privantur, intelligantur etiam Canonis privilegio privati?* Sacra Congregatio die 16. Octobris 1581. cenſuit, *non intelligi eſſe privatos.*

III. *Clerici*, inquit Bonifacius VIII. (1), *qui cum unicis, & virginibus contraxerunt, ſi tonſuram, & veſtes deferant Clericales, privilegium retinent Canonis ab Innocentio Papa II. Prædeceſſore Noſtro editi in favorem totius Ordinis Clericalis; & cum juxta Pariſienſe Concilium nullus Clericus diſtringi, aut condemnari debeat a Judice Sæculari, præſenti declaramus edicto, hujuſmodi Clericos conjugatos pro commiſſis ab eis exceſſibus, vel delictis trahi non poſſe criminaliter, aut civiliter ad Judicium Sæculare, nec ab ipſis Sæcularibus Judicibus eos debere perſonaliter, vel etiam pecunialiter (ne per unam viam concedatur eiſdem Judicibus, quod per aliam viam denegatur) ullatenus condemnari.* Hanc Bonifacii VIII. Conſtitutionem confirmavit Tridenti-

(1) Cap. *Clerici*. de Clericis conjugatis in 6.

Digitized by Google

dentina Synodus (1), ac ſimul conditiones expreſſit, quas Clericis conjugatis ineſſe voluit, ut fori privilegio fruerentur, dicens: *In Clericis vero conjugatis ſervetur Conſtitutio Bonifacii VIII., quæ incipit,: Clerici, qui cum unicis; modo hi Clerici alicujus Eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputati, eidem Eccleſiæ ſerviant, vel miniſtrent, & Clerici habitu, & tonſura utantur; nemini quoad hoc privilegio, vel conſuetudine etiam immemorabili ſuffragante*. Tres itaque conditiones, ut his privilegiis gaudeat, habere debet Clericus conjugatus. Prior eſt, ut cum unica, & Virgine matrimonium contraxerit: *Bigamos enim (2) omni privilegio Clericali declaramus eſſe nudatos*, inquit Gregorius X. in Concilio Generali Lugdunenſi. Altera eſt, ut Tonſuram, & veſtes Clericales deferat. Tertia eſt, ut alicujus Eccleſiæ ſervitio, vel miniſterio ab Epiſcopo deputatus, eidem Eccleſiæ ſerviat, vel miniſtret. Si vel una ex his conditionibus deſit, nullo prorſus Clericali gaudet privilegio (3): copulativis enim particulis utitur Tridentina Synodus, dum eas conditiones requirit. Cæterum Clericus conjugatus tribus hiſce conditionibus inſtructus, privilegio fori gaudet in cauſis tum mere civilibus, tum mixtis, uti Sacra Congregatio (4) Immunitatis ſæpiſſime declaravit. Inde fit, ut 1. conveniri (5) coram Judice Laico nequeat. 2. ad ſolutiones (6), ad quas de Jure tenetur, nonniſi coram Eccleſiaſtico Judice cogi poſſit. 3. illum (7) in carcerem detrudentes excommunicentur. 4. eumdem (8) Epiſcopus tueri debeat, ſi a Curia Laica vexetur, invocato (9) etiam, ſi opus ſit, brachii Sæcularis auxilio. 5. Clericus

(1) Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. de reform.

(2) Cap. *Altercationis*. de bigamis in 6.

(3) Cit. cap. *Clerici, qui cum unicis*. §. *In cæteris autem*.

(4) Sac. Cong. Immun. in Caputaquen. 21. Junii 1644., & 14. Novemb. 1649., in Bovinen. 2. Jul. 1630., in Oppiden. 27. Septemb. 1631., 11. Sept. 1634., & 6. Maii 1635., & ſæpe alibi.

(5) Sac. Cong. Immun. in Montis Caſſini 22. Dec. 1694.

(6) Ead. Sac. Congreg. in Roſſanen. 23. Mart. 1638., & in Nazaret. 15. Jun. 1638.

(7) Ead. Congr. in Hydruntina 18. Decemb. 1694.

(8) Ead. Congr. in ead. Hydruntina 27. Nov. 1694., in Biſignanen. 15. Nov. 1604.

(9) Ead. Congr. in Nucerina 9. Feb. 1694.

cus conjugatus a Sede Apoſtolica diſpenſatus ab onere incedendi in habitu, ac tonſura (1), fori privilegio gaudeat. 6. ut exercens artem (2) merciariam, ſi menſuras adhibeat fraudulentas, ab Ordinario ſit puniendus.

ARTICULUS III.

De reverentia Eccleſiaſticis perſonis debita.

EX duplici *Canonis*, & *Fori* privilegio Clericis conceſſo, de quo hactenus egimus, Laici omnes facile intelligent, quanta Clericos reverentia proſequi debeant, cum eos humanarum, divinarumque legum auctoritate pluribus gratiis, favoribus, ac privilegiis ſupra reliquos aliorum hominum cœtus videant eſſe inſignitos. At quanto pluris eos facient, ac ferventiori Religionis ſtudio venerabuntur, ſi ſublimiſſimum illud, divinumque miniſterium, ad quod aſſumpti ſunt a Deo, attento parumper animo contemplentur! *Ipſi enim ſunt* (3) *legitimæ, ſanctiſſimæque Catholicæ Religionis Miniſtri. Ipſi ſunt Eccleſiæ decus* (4), *in quibus amplius fulget Eccleſia. Ipſi columnæ firmiſſimæ, quibus in Chriſto fundatis innititur omnis multitudo credentium. Ipſi januæ Civitatis æternæ, per quos omnes, qui credunt in Chriſtum, ingrediuntur ad Chriſtum. Ipſi janitores, quibus Claves datæ ſunt regni Cælorum. Ipſi etiam diſpenſatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni dividuntur gradus, & officia ſingulorum.* Illos ſibi Deus ad ſerviendum adſcivit, & familiares adeo ſibi eſſe voluit, ut per illos aliorum hoſtias acceptare, ac peccata condonans ſibi reconciliare velit. *Quamquam iidem terram incolant*, ut inquit Chry-

(1) Ead. Congr. in Fulginaten. 18. Octobris 1679.

(2) Ead. Congr. in Firmana 17. Decembris 1696.

(3) Conſt. in epiſt. ad Cæcilium apud Euſeb. hiſt. lib. 10. c. 8.

(4) S. Proſper de vita contemplat. lib. 2. c. 2.

Chryſoſtomus (1), *atque in ea verſentur*, *iis tamen commiſſum eſt*, *ut ea*, *quæ in Cælis ſunt*, *diſpenſent*; *iis datum eſt*, *ut poteſtatem habeant*, *quam Deus Optimus neque Angelis*, *neque Archangelis datam eſſe voluit*. *Habent quidem terreſtres Principes vinculi poteſtatem*, *ſed corporum ſolum*: *id autem*, *quod dicitur Sacerdotum vinculum*, *ipſam etiam animam contingit*, *ut Cælos uſque pervadat*. *Pater omne judicium Filio dedit*: *at ipſum omne judicium Filius illis tradidit*, *cum idoneos illos fecit novi Teſtamenti Miniſtros*. Quis itaque viros iſtos, quos ratione ſui muneris *Deos* Sacræ Litteræ appellant, non plurimi faciat, non revereatur, non omni honoris ſignificatione colat, ac veneretur? Caveant itaque omnes, ne Clericum ullum aut verbis, aut factis lædant, ne erga illum minus reverenter ſe gerant, ne ullum debiti honoris ſignum eidem denegent. Imo potius, & dictis, & factis Clericos honorent, veræque Religionis præcepta ſecuti, in Dei Miniſtris Dominum Deum ſuum, ac Filium ejus Jeſum Chriſtum fide non ficta, ac ſincero animi obſequio venerentur.

CAPUT XXIII.

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

QUamquam unum ſit Ordinis Sacramentum, uti ſuo loco dicemus; cum tamen varios habeat dignitatis, ac poteſtatis gradus; ex his Eccleſiaſtica Hierarchia conſurgit. Hæc divina ordinatione inſtituta, atque ex Epiſcopis, Presbyteris, ac Miniſtris compoſita, illa eſt *caſtrorum acies ordinata*, quam perperam evertere nituntur Hæretici, cum omnes (2) Sacerdotes pari inter ſe poteſtate præditos affirmant, & contra doctrinam Apoſtoli omnes Apoſtolos, omnes Paſtores, omnes faciunt Doctores. Verum quantumcumque effrænata adverſus illam rabie fremant, numquam tamen portæ Inferi prævalebunt. Generatim hacte-

(1) Chryſoſt. lib. 3. de Sacerd. cap. 5.

(2) Trid. ſeſſ. 23. de Sacram. Ordinis c. 4.

Digitized by Google

hactenus de hac ſacra Hierarchia locuti ſumus, cui honorem, ac reverentiam deferri virtus Religionis jubet. Pauca nunc ſingillatim dicamus, ut quem ſingulis perſonis deferre Laici debeant honorem, & qua ratione unuſquiſque ad hanc Hierarchiam pertinens pro ſui Ordinis officio in debita ſe diſciplina contineat, ac ejuſmodi ſe honore dignum oſtendat, intelligatur.

ARTICULUS I.

De Epiſcopo.

CUM Epiſcopatus (1) ſit Sacerdotii Apex, ac veluti conſummatio; Epiſcopi proinde, qui Apoſtolis ſucceſſere, eorumque tenent locum, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipue pertinent. Ipſi enim, *cum a Spiritu (2) Sancto poſiti ſint regere Eccleſiam Dei*, ac plura miniſteria obire poſſint, quorum poteſtatem reliqui inferioris ordinis Sacerdotes nullam habent; reliquorum propterea Presbyterorum, ac Miniſtrorum Patres ſunt, ac Superiores, adeoque majorem ſibi præ reliquis obedientiam, ac reverentiam jure optimo vindicant. Quæ igitur ad hujus Noſtræ Epiſcopalis Sedis (*cujus dignitas etiam in indigno hærede non deficit*) præeminentiam, dignitatem, majoritatem, atque obedientiam pertinent, ne quis aut contemnere, aut in dubium revocare audeat, paucis exponemus.

II. Propter reverentiam, quam Paſtoralis exigit dignitas, 1. cum Nos (3) concionem habemus ad Populum, in nulla ejus loci, in quo concionamur, Eccleſia, etiamſi exempta eadem ſit, aut Regularis, eodem tempore aut concio habeatur, aut divina celebrentur officia. 2. cum Pontificio Ritu ſolemniter Miſſam celebramus, (4) eo die nemo in eodem Altari abſque Noſtra licentia ſacris operetur. 3. quemadmodum in Cathedrali,

(1) Trid. loc. cit., & S. Leo ſerm. in anniverſario aſſumptionis ſuæ.

(2) Actorum cap. 20.

(3) Sac. Congreg. Conc. in Bituntina 17. Feb., & 2. Martii 1626., & in Brunduſina 18. Mart. 1645.

(4) Can. *In Altari*. de conſecr. diſt. 5., Conc. Provinc. Mediol. III.

ita & in alio quolibet, etiam Regularium, Templo Epiſcopale Solium, ſi collocandum ſit, (1) in eminentiore ſtatuatur loco, & ad illud per tres ſaltem gradus aſcendatur, ut Epiſcopus in conſeſſu Presbyterorum, quemadmodum iis omnibus gradu major eſt, ita etiam ſublimior ſedeat. 4. quoties ad Cathedralem Eccleſiam Cappa induti erimus acceſſuri, (2) ut vel in Miſſa celebranda, vel in divinis peragendis officiis Pontificalia exerceamus; Dignitates, Canonici, cæterique de Capitulo a Nobis moniti ad Noſtræ Reſidentiæ Aulam, propriis quilibet inſignibus induti, capitulariter accedant, ut Nos ad Cathedrale Templum deducant, abſolutiſque Eccleſiaſticis functionibus eodem comitatu ad Aulam, unde nos exceperunt, reducant; ac præterea nobis Pontificalia exercentibus ii de Capitulo, ac de Noſtræ Diœceſis Clero ſacris ornati indumentis aſſiſtant, qui ad id juxta (3) Cæremonialis Epiſcoporum præſcriptum, ac laudabilem Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ conſuetudinem tenentur.

III. Ut Presbyteri, cæterique Eccleſiæ Miniſtri, populique Noſtræ Diœceſis, ac plebes, reverentiæ, amoris, atque obedientiæ proprio debitæ Paſtori memoriam animo alte defixam ſervent, audiant S. Clementem Papam (4): *Qui ſuis Epiſcopis non obediunt, indubitanter rei, & reprobi exiſtunt: Porro ipſi a Deo donum ſummi muneris conſequuntur, qui per juſtitiæ, & præceptorum ejus ſemitas incedentes, doctoribus ſuis, qui recte Epiſcopi intelliguntur, libenter obediunt*: Audiant S. Evariſtum Papam (5): *Epiſcopum oportet opportune, & importune, atque ſine intermiſſione Eccleſiam ſuam docere, eamque prudenter regere, & amare, ut a vitiis ſe abſtineat, & ſalutem conſequi poſſit æternam. Illa vero cum tanta reverentia ejus doctrinam debet ſuſcipere, eumque amare, ac diligere, ut Legatum Dei, & præconem veritatis*. Audiant Tridentinam Synodum

(1) Can. *Epiſc.in Eccl.* diſt.95., & can. *Mulier debet*. cauſ.33. qu.5.

(2) Cœremoniale Epiſcop. lib.1. c.15., Sac. Rit. Cong. in Jecenſi ann.1609., & in Ripana 24. Octobris 1609., & Sac. Congregatio Epiſcoporum in Theleſina 24. Maii 1619.

(3) Cœremoniale Epiſc. lib.1. c.7., & 8.

(4) Can. *Qui ſuis Epiſcopis*. 9. diſt.93.

(5) Can. *Sicut vir*. 11. cauſ.7. qu.1.

nodum (1): *Epiſcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par eſt, eiſque in Choro, & in Capitulo, in proceſſionibus, & aliis actibus publicis ſit prima ſedes, & locus, quem ipſi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas.* Ut autem Populi filiale erga ſuum Antiſtitem oſtendant obſequium, a Parochis moneantur (2), ut Epiſcopo ſuo occurrentes, genua reverenter ad terram flectant, Paſtoralem accepturi benedictionem. Ne quis vero Epiſcopum ſuum (quod abſit) perſequatur, aut perſonaliter lædat, Parochi Populis graves pœnas edicant in Sacris Canonibus (3) adverſus tam grave facinus perpetrantes conſtitutas, ut quos delicti atrocitas non terret, pœnarum ſaltem compeſcat acerbitas. Cathedraticum, ſeu Synodaticum in Epiſcopalis Cathedræ honorem juxta Sacros Canones (4) in Synodo quotannis præſtandum, non obſtante quacumque in contrarium, etiam immemorabili, conſuetudine, ac præſcriptione, ab omnibus, qui in hac Synodo de jure, vel conſuetudine intereſſe debent, antequam Synodus dimittatur, juxta Canonicam Taxam in Concilio Romano (5) ſtatutam pro ſingulis Eccleſiis, & beneficiis perſolvi jubemus. Tandem ut in Nobis Epiſcopalis Cathedra honoretur, & imbecillitas Noſtra multorum orationibus fulciatur, mandamus, ut in Cathedrali Eccleſia (6) Anniverſarius Noſtræ Conſecrationis dies, qui decimus nonus eſt Novembris dies, quotannis Miſſæ ſolemnis celebratione recolatur, prout in Miſſalis Romani Rubricis habetur: in reliquis vero Eccleſiis eodem die Sacerdotes omnes Sacris operantes Collectam in Miſſa recitent, quæ incipit: *Deus omnium Fidelium Paſtor*; ut in eadem habetur Miſſa recitanda in anniverſario electionis, vel conſecrationis

(1) Trid. ſeſſ.25. de ref. cap.6.

(2) Cœremoniale Epiſcop. lib.1. c.2.

(3) Clem.1. de pœnis, cap. *Pervenit*. de ſent. excommun., Bulla in Cœna Domini can.11.

(4) Cap. ult. de cauſ. poſſeſſ., & propriet.; cap. *Paſtoralis*. de donationibus; Sac. Cong. Conc. in Lanchenſi Cathedratici 6.Junii 1693.

(5) Conc. Rom. tit.8. cap.4.

(6) Can. *Solemniter*. de conſec. diſt.1., Cœremoniale Epiſcop. lib.2. c.35.

Epiſcopi die; quod quidem Regulares etiam omnes in Noſtra Diœceſi commorantes facere ne dedignentur.

IV. Cum Epiſcopis in Paſtorali cura ſuſcipienda illud a Chriſto Domino præcipiatur, quod Patriarcha Jacob filio ſuo Joſeph mandavit dicens: *vade, & vide, ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora*; Nos, ne in ultimo vitæ noſtræ exitu, tamquam commiſſi muneris immemores, corripiamur a Domino, præcipuas Noſtræ ſollicitudinis curas in eo collocabimus, ut totam Diœceſim quotannis ſedula viſitatione perluſtremus, ac attente diſpiciamus, an erga Fratres Noſtros, videlicet Eccleſiaſticos, gregemque Noſtrum, videlicet Noſtræ Diœceſis Populum proſpera ſint omnia? Profecto ne viſitet ſuper Nos Dominus in die iræ, loca omnia (1), ac res, & perſonas omnes, quæ Noſtræ juriſdictioni ſubduntur, diligenti perquiſitione ſcrutabimur, ſervata in omnibus forma, quam Tridentina Synodus præſcripſit. Noſtræ autem annuæ viſitationis ſcopus præcipuus (2) erit ſanam, orthodoxamque doctrinam contra quælibet erroris, aut novitatis pericula intactam cuſtodire, bonos mores tueri, pravos corrigere, Clerum ad Domus Dei decorem diligendum, ad divinam gloriam propagandam, ad Eccleſiaſtica munia rite, ſanctèque obeunda excitare, populum cohortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, cætera demum omnia, quæ Prudentia ſuggeret, & quæ locus, tempus, & occaſio feret, ad Fidelium animarum fructum conſtituere. Cum itaque indicta a Nobis fuerit Viſitatio (3), nullus Clericorum, cujuſcumque ordinis fuerit, dignitatis, & gradus, e Diœceſi abeat, imo ſi qui abſunt, in eam revertantur, inde non, niſi peracta Viſitatione, profecturi. Eo autem die, quo Eccleſiam aliquam erimus viſitaturi, Clerici omnes, qui Eccleſiæ ejuſdem

(1) Trid. ſeſſ. 6. cap. 4., ſeſſ 7. cap. 7., & 8., ſeſſ. 22. cap. 8., & 9., & ſeſſ. 24. cap. 3., & 9.

(2) Trid. ſeſſ. 24. cap. 3.

(3) Pontificale Roman. tit. *Ordo ad viſitandas Parochias*, & Cæremon. Epiſcoporum lib. 1. cap. 4.

dem ſervitio ſunt adſcripti, præſentes adſint, & Nos in Eccleſiam ingreſſuros, honorifico, ut par eſt, apparatu excipiant, debitam Nobis obedientiam præſtent, totoque localis viſitationis tempore aſſiſtant; quod etiam in Capellarum, Oratoriorum, aliorumque Locorum Piorum Viſitatione ab eorumdem Rectoribus, Capellanis, ac Miniſtris diligenter obſervari jubemus. Expleta locali viſitatione, ii omnes, ad quos ſive realis, ſive perſonalis viſitatio pertinet, moniti ne abſint, ut perſonalis viſitatio fieri a Nobis facile poſſit. Ne quis autem in Sacris vaſis, veſtibus, libris, aliiſque id genus ad officia divina, ac Sacra Miniſteria neceſſariis defectus Noſtra viſitatione corrigendus ulla ratione occultetur; ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis diſtricte prohibemus, ne viſitationis tempore alienis veſtibus, ornamentis, aliiſque ejuſmodi rebus aliunde accerſitis Eccleſiæ, aliaque loca viſitanda inſtruantur. Tandem ne hæreditas Domini vertatur ad extraneos, & peccatorum pretia, pauperumque patrimonia dilapidentur; Volumus, ut in qualibet viſitatione Capitulum Noſtræ Cathedralis Eccleſiæ, Parochi, Rectores, Beneficiati, Capellani, cæterique omnes Adminiſtratores, Æconomi, & Officiales Eccleſiarum, Capellarum, Oratoriorum, aliorumque Piorum Locorum authenticum Nobis exemplar exhibeant exacti illius Inventarii, quod fieri ſuperius juſſimus, bonorum omnium mobilium, & immobilium, jurium, actionum, & quorumcumque redituum, onerumque ad dicta Beneficia, ſeu Loca Pia pertinentium, in quo tum locorum fines, tum conditiones omnes, tum inſtrumenta, ſeu legitima documenta, ſiquæ ſunt, deſcripta reperiantur; in eum videlicet finem, ut ſedulo diſpiciamus, numquid ex iis, quæ deſcripta in eo ſunt, aliquid deſit, aut ſit addendum.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De Canonicis, Beneficiatis, aliiſque Miniſtris Cathedralis Eccleſiæ.

CUM Canonicatus in Eccleſiis Cathedralibus ad conſervandam (1), augendamque Eccleſiaſticam diſciplinam fuerint inſtituti, ut, qui eos obtinerent, pietate præcellerent, aliiſque exemplo eſſent, atque Epiſcopos conſilio, opera, & officio juvarent; merito proinde Canonici primum inter eos, qui ſe divinis Miniſteriis manciparunt, obtinent locum. Quamobrem cum per ſuam dignitatem, ac munus Adjutores Epiſcoporum, Eccleſiæ Senatus, & Cleri regula conſtituantur, & a Nobis honorifico *Venerabilium Fratrum* nomine nuncupentur; Unuſquiſque facile intelligit, quantus habendus illis ſit honor, quanta reverentia deferenda. Nos ſane, qui illos plurimi facimus, eorum opera, & conſilio, ubi opus erit, utemur: ipſi vero a Nobis requiſiti, mentem ſuam ea, qua utique decet, modeſtia, ſed pari animi ſinceritate patefaciant. Reliqui autem non modo de populo, verum etiam de Clero ubique illos debito excipiant honore, & in iis Eccleſiæ Tuſculanæ Senatum, Noſtroſque Conſiliarios, & Adjutores ſincero venerentur obſequio.

II. Verum Canonici quoque dignitatem agnoſcentes ſuam, quemadmodum præ reliquis ſunt honore præſtantiores, ita quoque alios ſcientia, zelo, religione, morumque integritate antecellere ſtudeant. Id autem præſtabunt, ſi non modo exterioris habitus decentia, ſed morum potiſſimum probitate, & gravitate præfulgeant, ſi nihil reprehenſibile, imo ne leve quidem, aut indecorum admittant, ſi nimiam cum Laicis familiaritatem vitent, ſi in locis publicis non otientur, ſi a vanis, ſcurrilibuſque ſermonibus abſtineant, ſi denique enixe curent, ut nulla ex parte eorum vituperetur miniſterium. Fraterno etiam ſeſe invicem amore proſe-

(1) Trid. ſeſſ.24. cap.12. de reform.

proſequantur, ſupportantes invicem, ſibi non invidentes, ſed meliora dumtaxat chariſmata æmulantes. Archipresbyterum, qui eos dignitate præcellit, revereantur, ejuſque dictis in iis, quæ ad ejus munus pertinent, ſint obſequentes: niſi enim membra conſentiant invicem, numquam diuturna corpus perfrui poterit valetudine. Diligant decorem domus Domini, divinumque cultum augere pro viribus ſtudeant. Quod ad reſidentiam attinet, præſentiam in choro, diurnam Pſalmodiam, divinorumque Officiorum celebrationem; noviſſimas Capitulares Conſtitutiones diligentiſſime obſervent. Cum de more cogetur Capitulum, omnes ſuo in loco ſedeant, & negotium, quod diſcutiendum proponitur, mature perpendentes, ſententiam ſuam libere aperiant, ſed ſive conſilium ſuum proponant, ſive alieno contradicant, ita modeſte ſemper ſe gerant, ut juxta Apoſtoli (1) monitum, *omnia in charitate fiant*, totumque ſtudium, privatis poſthabitis cupiditatibus, ad Eccleſiæ utilitatem, ac decorem omnes conferant. Summa ſit omnibus cura, ut Menſæ Capitularis bona diligentiſſime adminiſtrentur, credita exigantur, obortæque adverſus moroſos debitores, aut contentioſos homines lites, nulla interpoſita mora, coram Judice agitentur, ac celerrime, ſi fieri poſſit, expediantur.

III. Officiales Capituli omni ſolertia, diligentiaque munus obeant ſuum. Canonicus Theologus, niſi infirmitate detentus impediatur, ſtatis diebus, atque horis aliquam Sacræ Scripturæ partem Clero, Populoque explanet. In ea autem explananda non modo perſpicuo utatur ſermone, verum etiam ex eadem ſalutaria quædam monita, quæ æternæ Auditorum ſaluti prodeſſe poſſint, excerpat. Ne vero ſuo muneri umquam deſit, ad Capituli negotia pertractanda (2) procul a Civitate ablegari nequeat, quamquam cætera Capitularia officia (3), quæ eidem a Capitulo deman-

(1) 1. Cor. cap.16.

(2) Sac. Congreg. Concil. in Anagnina 12.Dec. 1676.

(3) Sac. Cong. Concil. in Vicen. Viſit. SS.Liminum 15.April. 1690.

demandentur, recuſare non poſſit. Hunc etiam ob finem tota ea die (1), qua Sacræ Scripturæ lectionem eſt habiturus, vacare a Choro poterit, quin diſtributiones quotidianas amittat. Canonicus Pœnitentiarius in Fidelium Confeſſionibus audiendis diligentiam ſuam deſiderari non ſinat, ſed patiens, & aſſiduus ſtatis temporibus, & horis in Pœnitentiæ Tribunali ſedeat, & ad ſe adventantes Fideles, præſertim rudes, perhumaniter excipiat, inſtruat, ac erudiat, ut rite confiteantur peccata ſua, & ſaluberrimo divini ſanguinis lavacro ab omnibus animæ ſordibus, & inquinamentis emundentur. Hinc quamdiu a Choro abſit (2), ut Fidelium confeſſiones excipiat, diſtributionibus gaudeat quotidianis; quas tamen amittet, ſi Divinorum Officiorum tempore in Sacro Pœnitentiæ Tribunali ſedebit (3) otioſus. Quod ſi tanta Fidelium multitudo ad Cathedrale Templum aliquando confluat, ut eorum confeſſionibus audiendis, aut Sacræ Euchariſtiæ iiſdem miniſtrandæ impares ſint Sacerdotes ad id deputati; & alius fortaſſe Canonicus ad tale opus a Nobis, vel a Vicario Noſtro Generali deſtinetur; volumus, ut is quoque diſtributiones quotidianas lucretur, non ſecus ac ſi divinis celebrandis Officiis intereſſet in Choro. Canonicus ille, cui Sacrarii cuſtodia in Officialium electione a Capitulo demandabitur, leges in Conſtitutionibus Capitularibus ſibi præſcriptas diligenter exequatur. Tria tamen potiſſimum ſedulitate ſua, ac vigilantia obtinere nitatur. 1. ut Sacra ſuppellex munda ſit, ac nitida, & in ſuis loculis recte diſpoſita, a ſitu, pulvere, aliiſque ſordibus ſervetur immunis. 2. ut Clerici, aliique Sacrarii ſervitio addicti in officio contineantur, nec male morati ſint, aut in ſuo explendo munere torpeant. 3. ut in Sacrario neque ſtrepitus fiat, neque de inutilibus, profaniſque rebus miſceantur ſermones, ſed debitum ſervetur ſilentium, prout Sacros Miniſtros decet divina Myſteria, vel Eccleſiaſtica officia celebraturos. Reliqui Officiales pari ſtudio, diligentiaque mune-

(1) Sac. Cong. Conc. in Limana 14 Junii 1622.

(2) Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. de reform.

(3) Benedictus XIV. notific. 107. n. 55.

munere fungantur ſuo, & Capitulares Conſtitutiones frequenter perlegant, ut quidquid eædem ſervandum iis præſcribunt, ea, qua par eſt, animi alacritate exequantur.

IV. Beneficiati, qui Cathedralis Eccleſiæ ſervitio ſunt adſcripti, quemadmodum ex hoc eodem ſervitio ſpecialem quamdam honoris hauriunt prærogativam, ita ſpeciali quoque diligentia, animique fervore Eccleſiæ famulatum præſtent ſuum. Cantum Gregorianum perfecte calleant, ſeſeque in eo diligenter exerceant, ut divinas in Choro laudes ſuavi concentu, atque Eccleſiaſtica gravitate modulentur. Eccleſiaſticos quoque Ritus, ſacraſque Cæremonias probe ſciant, atque in iis, ſi opus ſit, a Cæremoniarum Magiſtro erudiri curent, ut in ſacris obeundis functionibus nihil indecorum, aut inordinatum admittant. Ea demum omnia, quæ ſuo loco inferius de Clericorum vita, atque honeſtate dicemus, ſervare præ reliquis Clericis quam diligentiſſime ſtudeant. Reliqui vero Cathedralis Eccleſiæ Miniſtri, præter innocentis vitæ, ac bonorum operum exemplum, quo nitere debent, totius Templi, ſacræque ſupellectilis munditiem curent, neque ullam in iis, quæ ad divinum pertinent cultum, operam ſuam, diligentiamque deſiderari patiantur.

ARTICULUS III.

De Parochis.

I. PRæter Epiſcopos, quibus totius Diœceſeos cura commiſſa eſt, ac præter Cathedralium Eccleſiarum Canonicos, quos Epiſcoporum Conſiliarios, atque Adjutores ſcimus eſſe conſtitutos; peculiarem quoque Parochis reverentiam, obedientiam, ac benevolentiam a Fidelibus exhiberi virtus Religionis jubet. Quemadmodum enim ipſi, Apoſtolo (1) teſte, *pervigilant quaſi rationem pro animabus* plebium ſuarum *reddituri*, adeoque triplici erga illas fungi debent officio, vigilis nempe Paſto-

(1) Hebr. c.13. v.17.

Digitized by Google

ris, Præceptoris optimi, ac Parentis amantiſſimi; ita Fideles eorum curæ commiſſi adverſus Religionis, ac naturalis æquitatis jura peccarent, niſi ſuas pro tot ſuſceptis laboribus vices rependere conarentur. Quamobrem iis, ut Paſtoribus obedientiam, ut Præceptoribus reverentiam, ut Parentibus benevolentiam præſtare omnino non deſinant. Ne itaque eorum alterutri muneri deſint ſuo, pauca de utriſque innuamus.

II. Cum Parochi ſint animarum Paſtores, & *Rectorum* (1) *integritas ſalus ſit ſubditorum*; ita iidem mores, actuſque ſuos componant, ut *ſeſe* (2) *omnibus exhibeant exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in gravitate*. Nimiam proinde ſuorum Parochianorum frequentiam, ac familiaritatem evitent. In Templis frequenter, raro in foro, in comeſſationibus, ludicriſque congreſſibus numquam verſentur: neque enim diu gravitatem ſervabunt ſuam, ſi ſe ſubditorum cœtibus frequenter immiſceant. Avaritiæ non modo vitium, ſed ipſam quoque ſuſpicionem a ſe amoliri prorſus ſtudeant, itaut vere de iis S. Bernardi (3) dictum illud pronuncietur: *non paſcunt, ut comedant, ſed comedunt, ut paſcant*. Neque enim tradidit illis Deus regiones gentium, ac labores populorum, ut divitiis affluant, aut conſanguineos locupletent, ſed ut cuſtodiant juſtificationes ejus, & legem ejus populo tradant. Habentes ergo victum, & veſtitum, his contenti ſint, & ipſorum divitiæ, ac theſaurus lucra ſint animarum. Quoad emolumenta itaque omnia, nonniſi id Parochi exigant, quod in Taxa Innocentiana, & in hac Noſtra Synodo definitum reperitur. Ut autem oves Paſtoris ſui præſentia ab omnibus inviſibilium hoſtium cuſtodiantur incurſibus; primum volumus, ac mandamus, ut ædes Parochiales Parochi inhabitent; vel ſi hæ nullæ ſint, intra Parœciæ ſaltem ſuæ fines omnino commorentur: qui ſecus fecerint, pœnas ſubibunt arbitrio Noſtro infligendas. Meminerint deinde animarum Curatores, ſe ſpeculatores (4) datos

(1) S. Gregorius in Paſtorali.
(2) Trid. ſeſſ.24. de reform. cap. 1.
(3) S. Bernardus in Evangel. *Ecce nos*.
(4) Ezechiel. cap. 33.

datos eſſe domui Iſrael, adeoque interfectorum animas de manu eorum eſſe requirendas, ſi fuerint in Domini grege cuſtodiendo ſocordes. Cum itaque pro commiſſo ſibi grege ſpoponderint, *feſtinent*, (1) *diſcurrant, non dent ſomnum oculis ſuis, neque dormitent palpebræ eorum: ſecus enim tot occident, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videbunt, & morti, cui non contradicunt, ſe adjungent*. Præterea cum in populo conſtituti iidem ſint rerum divinarum Magiſtri; populum verbo Dei diligenter erudiant, & quidquid in hac Synodo de Doctrina Chriſtiana tradenda, de verbi Dei prædicatione, de Indulgentiarum, jejuniorum, feſtorumque dierum intra hebdomadam occurrentium denunciatione ſtatuitur, fideliter exequantur. Si quis autem in gerenda (2) animarum cura adjutorem a Nobis obtinuit, aut obtinebit; non ſe proinde ab omni ſolutum onere arbitretur, ſed quæcumque poterit, per ſe ipſe perficiat, niſi legitimo impedimento detineatur. Sciant tandem Parochi, ſe parentes amantiſſimos eſſe oportere eorum omnium, quos intra Parœciæ ſuæ fines commorari intelligent; imo etiam maternam charitatem induentes, tanta cura, vigilantiaque eos in ſinu ſuo portare, ac fovere debere, quanta *portare ſolet nutrix infantulum*. Quamobrem *ſi præoccupatus* (3) *fuerit homo in aliquo delicto*; non eum Phariſæorum inſtar ſuperbo ſupercilio arguant, & increpent, *ſed hujuſmodi inſtruant in ſpiritu lenitatis*, quemadmodum Chriſti ſervos decet. Quod ſi acrior aliquando animadverſio requiratur, *tunc foris* (4) *terribiliter perſonet increpatio, intus tamen charitatis teneatur dilectio*. Sint ergo Parochi ſolliciti errantium Paſtores, ignorantium Doctores aſſidui, pauperum, ac miſerabilium parentes, viduarum, ac pupillorum defenſores, mœrentium, ac puſillorum conſolatores; uno verbo ita omnibus omnià fiant, ut omnes Chriſto lucrifaciant.

(1) S.Gregor. homil.11. ſuper Ezechiel., can. *Epheſiis*. diſt.43., can. *Conſentire*. diſt.83.

(2) Cap. *Extirpanda*. §. *Qui vero*. de præbendis, Concil. Lateran. IV. can.32., & Sac. Congreg. Epiſcopor. in Tarentina 28.Februar. 1614.

(3) Ad Galat. c.6. v.1.

(4) S. Auguſtinus ſerm. 18. de verbis Domini.

III. Verum otioſa prorſus eſſet, ac inutilis tanta, ac tam gravis Parochorum ſollicitudo, niſi eidem par Subditorum reſponderet induſtria. Paſtorem itaque ſuum Fideles ea, qua par eſt, religione venerentur, ejus vocem diligenter audiant, ejus demum præceptis, & conſiliis reverenter obſequantur, optima vero exempla ſtudioſe imitentur. Cum ille Doctrinam Chriſtianam eſt explanaturus, aut Sacram Concionem habiturus ad Populum, in Templum confluant, ejus verba ſimplici corde, arrectiſque auribus audituri. Eumdem ad eos venientem omnibus reverentiæ, atque humanitatis officiis excipiant. Ut Paſtorem, quocumque illos ad ſalubria ducat paſcua, alacri, expeditoque greſſu ſequantur. Neminem de illo obloqui ſinant, ſed ejus famam, vitamque ſumma animi alacritate tueantur. Eumdem, ſi indiget, paſcant, eique, quacumque in re poſſint, opitulentur. Si mutuis hiſce utrinque decertetur officiis, futurum profecto erit, ut vera Dei religio augeatur in Populo, Parochi vero, *cum apparuerit* (1) *Princeps Paſtorum, immarceſcibilem percipiant gloriæ coronam*.

ARTICULUS IV.

De Presbyteris nullam animarum curam habentibus.

QUamquam peculiarem Parochis reverentiam eſſe exhibendam ex iis, quæ modo diximus, abunde conſtet; Non tamen ſuus honor, iſque ſummus Sacerdotibus illis eſt denegandus, quibus nullum fuerit Paſtorale officium demandatum. Tanta enim eſt Sacerdotalis, qua præfulgent, dignitas, ut ea honorem quemlibet ab ipſis terræ Regibus, ac Principibus jure ſuo ſibi vindicet, ac promereatur. Et ſane, ut inquit Chryſoſtomus (2), *Regi corpora commiſſa ſunt, Sacerdoti animæ: Rex maculas corporum remittit, Sacerdos maculas peccatorum: ille cogit, hic hortatur, ille neceſſitate, hic conſilio: ille arma habet ſenſibilia, hic ſpiri-*

(1) 1. Petri cap. 5. (2) S. Jo. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdot. cap. 5.

Digitized by Google

ſpiritualia; *ille bellum gerit cum barbaris*, *huic bellum eſt adverſus dæmones*: *Major itaque hic principatus*. *Propterea Rex manui Sacerdotis caput ſubmittit*, *& ubique in veteri ſcriptura Reges a Sacerdotibus inungebantur*. *Quanta eſt*, Sacerdotes alloquens S. Bernardus (1) exclamat, *quanta eſt prærogativa ordinis veſtri*! *prætulit vos Deus Regibus*, *& Imperatoribus*; *prætulit ordinem veſtrum omnibus ordinibus*; *imo*, *ut altius loquar*, *prætulit vos Angelis*, *& Archangelis*, *Thronis*, *& Dominationibus*. *Sicut enim non Angelos*, *ſed ſemen Abrahæ apprehendit ad faciendam redemptionem*; *ita non Angelis*, *ſed hominibus*, *ſoliſque Sacerdotibus Dominici Corporis*, *& Sanguinis commiſit conſecrationem*.

II. Videant ergo omnes, quanto Presbyteri digni ſint honore, & quanta cum reverentia a Laicis, ſi cum illis verſentur, ſint excipiendi. Nemo itaque illos deſpicere audeat, aut contumeliis, & probris laceſſere, niſi, præter divinæ ultionis atrocitatem, Noſtram quoque ſubire velit animadverſionem. Imo verius certent omnes, apertis honorificentiæ ſignis illos ubique proſequi, & ſe in illis Miniſtros Chriſti, ac diſpenſatores myſteriorum Dei revereri, ac venerari palam oſtendant. Preſbyteri vero ipſi virtutum omnium exercitio, morumque ſuorum integritate ſe tali honore, ac veneratione dignos probent, neque indecorum, aut turpe aliquid admittant, unde Laici ſcandalum patiantur. Meminerint, plerumque, (2) quod in Laicis culpa non eſt, crimen id eſſe viris in Sacro Ordine conſtitutis; eoſque, ſi quod crimen perpetrarint, non eadem (3) cum Laicis, ſed multo acerbiora eſſe paſſuros. Quamobrem ea omnia, quæ in hiſce Noſtris Synodalibus Conſtitutionibus de Clericorum vita, atque honeſtate præſcribemus, & quæ ſuperius ſparſim conſtituimus, ſumma cura, diligentiaque exequantur.

(1) S. Bernardus ſerm. ad Paſt. in Syn. cap. 1.

(2) S. Gregorius lib. 8. epiſt. 5.

(3) S. Jo. Chryſoſt. homil. 27. in Matth.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS V.

De Seminarii Tuſculani Alumnis.

I. CUM Adoleſcentium ætas, (1) niſi recte inſtituatur, prona ſit ad mundi voluptates ſequendas, & niſi a teneris annis ad pietatem, & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, numquam perfecte, ac ſine maximo, & ſingulari propemodum Dei Omnipotentis auxilio, in Eccleſiaſtica diſciplina ſit perſeveratura; Præcipua proinde Epiſcoporum cura debet ea eſſe, ut in ſuis Diœceſibus præſtanti ingenio adoleſcentes habeant, qui & ad pietatem, & ad ſtudia informati, vineam Domini aliquando excolere poſſint, animarumque ſalutem procurare. Unde Seminariis factum nomen eſt, quod in Contuberniis, in quibus adoleſcentes aluntur, prima veluti pietatis, ac doctrinarum ſemina jaciantur, ex quibus temporum progreſſu fructus ampliſſimus oriatur. Cum autem, quotquot in ejuſmodi Epiſcoporum Seminariis educantur, ad Sacerdotale vocentur munus; cumque in omnibus Sacerdotibus juxta Patrum, & Conciliorum mentem morum probitas, ut irreprehenſibiles ſint, & doctrina, ut traditum ſibi gregem inſtruere valeant, requiratur; Hæc certe duo ut in Noſtri Seminarii Alumnis inſint, modis omnibus procurandum a Nobis eſſe cenſemus, ejuſque rei gratia Synodales, quæ ſequuntur, edimus Conſtitutiones.

II. Nemo, etiamſi a Tuſculano Magiſtratu nominetur, inter Seminarii Noſtri Alumnos accenſeri poſſit, niſi aut Tuſculanus Civis ſit, aut ſaltem Diœceſanus, ac niſi primis latinæ linguæ elementis optime imbutus, idoneus cenſeatur, qui in media claſſe ſuam Grammaticæ navet operam. Præterea quicumque in hoc Seminario recipientur, duodennes ſaltem ſint, ex legitimis, honeſtiſque orti parentibus, ad Clericalem militiam exercendam habi-

(1) Trid. ſeſſ. 23. cap. 18. de ref.

Digitized by Google

habiles, ad pietatem proclives, iis denique prædìti moribus, ut ipſorum indoles, & (1) voluntas ſpem afferat, eos Eccleſiaſticis miniſteriis perpetuo, atque utiliter eſſe inſervituros. His autem ſe inſtructos dotibus ii, qui in Seminarium admitti poſtulant, ex teſtimonialibus Parochorum, Præceptorumque ſuorum litteris Nobis oſtendant, antequam examen ſubeant, in quo ingenii, doctrinæque periculum ſunt facturi. Volumus enim, ut, cum primum Alumnus aliquis e Noſtro Seminario non rediturus abierit, ad examen coram Nobis, aut Vicario Noſtro Generali, aliiſque Deputatis habendum invitentur ex tota Diœceſi, qui periculum ſubire velint præſtantioris ingenii, Adoleſcentes: Facto autem periculo, qui reliquis ingenio, ſtudio, ſcientiaque præſtiterit, is, cæteris paribus, in locum, qui vacat, admittatur. Pauperum filios (2) in hoc habendo delectu, cæteris paribus, reliquis præferemus: Non tamen a Seminario Noſtro ditiorum, aut etiam exterorum liberos excludimus, modo ſuo ſumptu alantur, & ſtudium præſeferant Deo, & Eccleſiæ inſerviendi.

III. Cum tenues admodum eſſent Seminarii Tuſculani reditus, neque Alumnis, licet paucis, ex integro ſuſtentandis ſufficerent; Sancitum fuit, ut Alumni ſinguli ſuam quotannis ſymbolam in aliquam propriæ ſuſtentationis partem conferrent, Romana videlicet ſcuta vigintiquinque, quæ annuo Seminarii cenſui adjuncta, quod ad integram omnium ſuſtentationem deerat, ſupplerent. Verum illud exinde incommodum derivari compertum fuit, ut plures egregiæ indolis, optimæque ſpei adoleſcentes præ ſumma, qua premebantur, egeſtate a Seminario omnino arcerentur; alii vero, cum annuæ huic expenſæ tolerandæ pares diu non eſſent, poſt unum, aut alterum contubernii annum a Seminario abire cogerentur. Quamobrem fructu illo carebamus, quem uberrimum aliæ Diœceſes hauriunt, & quem Noſtræ etiam obuenturum ipſi Nobis pollicebamur. Ut tantæ occurreremus calamitati, primo ipſo Noſtri Epiſcopatus anno conſilium cepimus,

(1) Trid. ſeſſ., & cap. cit. (2) Trid. ſeſſ., & cap. cit.

mus, quod, cum ſaluberrimum experti ſimus, Deo juvante curabimus, ut futuris quoque temporibus a Succeſſoribus Noſtris ineatur. Hoc autem conſilium eſt ejuſmodi.

IV. Duos Alumnos ex integro Noſtris ſumptibus ſuſtentamus: reliquos vero ſolvere jubemus primo contubernii ſui anno viginti dumtaxat Romana ſcuta, altero anno quindecim, decem tandem tertio, ac cæteris, quibus in Seminario commorabuntur, annis. Imminutis adeo, quas Alumni ſubire debent, expenſis, ſperamus fore, ut defuturi numquam ſint optimæ indolis, ac præſtantis ingenii Adoleſcentes, qui per annos plures pietate, ac litteris in Seminario diligenter exculti, univerſam mox Diœceſim Evangelicis Miniſteriis excolant, æternamque animarum Nobis commiſſarum ſalutem procurent. Verum ne, ſublato paupertatis obice, alias malus Dæmon Adoleſcentibus inſtruat inſidias, quibus iidem decepti diſciplinam oderint, ac declinent, per quam bonis moribus, ac ſcientiis informentur; decreta aliqua ſubdimus, quorum omnimodam executionem Vicario Noſtro Generali injungimus, ac demandamus.

V. Antequam Adoleſcentes inter Alumnos cooptati, in contubernium recipiantur; idoneam præſtent cautionem de reſtituendis alimentis in Seminario perceptis, ſi quando, Eccleſiaſtica deſerta militia, aut uxorem duxerint, aut ejuſmodi vitæ genus injerint, quæ Clericali ſtatui adverſetur. Quod ſi iidem tunc decimum ſextum ætatis ſuæ annum explerint; non modo ratam eamdem cautionem habeant, verum etiam & ipſi obligationem de ejuſmodi reſtitutione facienda in forma valida emittant, ac præterea polliceantur, ſe ad Presbyteratus Ordinem ſuo tempore eſſe aſcenſuros, neque ſine Antiſtitis ſui licentia in ſcriptis obtenta ab Eccleſiæ ſuæ, ac Diœceſis ſervitio eſſe diſceſſuros, ſub pœna reſtitutionis alimentorum a dicta promiſſionis die perceptorum, aliiſque Canonicis pœnis adverſus eos conſtitutis, qui in ſui ordinatione alicujus Eccleſiæ ſervitio adſcripti, locum, inconſulto Epiſcopo, deſerere audent. Ab Alumno autem,

autem, qui nondum decimum ſextum explevit ætatis annum, idonea dumtaxat parentum, aut conſanguineorum, aut aliorum cautio, de qua ſuperius diximus, exigatur. At cum is poſtea decimum ſeptimum ætatis annum attigerit; poſtquam ejus voluntas de vitæ ſtatu deligendo explorata ſolerter fuerit; Si Sacris Ordinibus inſigniri ſe velle conſtanter dicat; eamdem obligationem, ac promiſſionem emittat. Quod ſi caſus eveniat, in quo alimentorum reſtitutio facienda ſit; volumus, ut ea quoque pecuniæ quantitas reſtituatur, quam uſque ad annuam ſummam vigintiquinque Romanorum ſcutorum, cum ſolvere debuiſſent, beneficio Noſtro non perſolverunt, & de hac etiam reſtitutione facienda idoneam ab Alumno, antequam in Seminarium recipiatur, dari volumus cautionem. Binos Alumnos, qui Noſtris ſumptibus nutriuntur, iiſdem, quibus reliqui Alumni, teneri legibus, iiſdemque obligationis emittendæ, præſtandæque idoneæ cautionis oneribus ſuccumbere declaramus; ac præterea illud etiam iiſdem injungimus, ut, antequàm in contubernium admittantur, ſpondeant, idonea præſtitâ cautione, ſe vigintiquinque annua Romana ſcuta Seminario ſoluturos pro eo tempore, quo in eodem permanſerint, ſi ante decimum ſextum ætatis annum expletum ab eo non redituri diſceſſerint.

VI. Alumni nonniſi abſoluto ſtudiorum curriculo a Seminario abire poſſint. Integer autem ſtudiorum curſus octo omnino annorum ſpatio abſolvatur, itaut primum biennium Grammaticæ, alterum humaniorum litterarum, ac Rhetoricæ, tertium Philoſophiæ, quartum denique Theologiæ Scholaſticæ, ac Moralis ſtudio commodetur. Quod ſiquis labori non parcens, ingenioque ſuo bene utens, curſum hunc citius abſolvat, expleto Theologiæ biennio, abeundi facultatem a Nobis obtinebit. Nemini tamen liceat hunc ſtudiorum ordinem pervertere, neque ab una claſſe ad aliam, aut ab una ad aliam facultatem tranſitum facere, niſi in examine coram Nobis, aut Vicario Noſtro Generali,

nerali, aliiſque ad id Deputatis habendo fuerit repertus idoneus, ac tranſeundi facultatem in ſcriptis impetraverit.

VII. Ut Alumni juxta Apoſtoli (1) monitum in diſciplina, & correptione Domini educentur, eas leges, & Conſtitutiones fideliter ſervent, quas pro eorumdem inſtitutione Cardinalis Corſinus Epiſcopus olim Tuſculanus, deinde Pontifex Maximus ſtatuit, & quas a Cardinali Corradino Epiſcopo pariter Tuſculano auctas, Nos tota, qua pollemus, auctoritate confirmamus, & approbamus. Optimos vero Seminarii Moderatores enixe rogamus in Domino, ut, quemadmodum ab iis fieri jam vidimus, & gaviſi ſumus, exactæ earumdem legum obſervantiæ diu, noctuque invigilare pergant, ſcientes quod magnam a Domino accipient retributionem. Verum cum neceſſe ſit, uti dolens inquit S. Leo (2), de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere; Alumni quotannis octo dierum ſpatio, tota videlicet Dominicæ Paſſionis hebdomada, ſpiritualibus exercitiis excolantur, *ut reformentur (3) in novitate ſenſus ſui, & probent, quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.*

VIII. Præſcriptis diebus in Cathedrali Templo Choro, aliiſque ſacris functionibus interſint, angelicam præſeferentes modeſtiam, divinaſque laudes compoſitis vocibus rite, graviterque modulantes. Eam ob cauſam Gregoriano cantui ſuis temporibus ſtrenuam dent operam, & nemo ab eo addiſcendo ſe ſubtrahat. Ut Eccleſiaſticis functionibus utiliter inſerviant, Sacros Ritus, ac Cæremonias calleant. Quamobrem ſemel in hebdomada, cum vacant a Schola, hora vigeſimaprima in Cathedrale Templum conveniant, ubi per dimidiam horæ partem Sacros Ritus a ſecundo Cæremoniarum Magiſtro edoceantur; cui proinde in laboris præmium Seminarii Æconomus duo quotannis Romana ſcuta perſolvat. In iis autem, quæ ad Chori ſervitium, atque Eccleſiaſticas functiones pertinent, Canonicorum, Præfecti Chori, Cære-

(1) Ad Epheſ. c.6. v.4. (2) S. Leo ſerm.4. Quadrag. (3) Ad Rom. c.12. v.2.

Cæremoniarum Magiſtri, & Sacrarii Cuſtodis juſſa fideliter peragant. Canonicis quoque, dum ſacris ſe aut induunt, aut exuunt veſtibus, famulatrices manus Alumni porrigant. Quod ſi forte eorum aliquis, aut ejuſmodi juſſa facere detrectaverit, aut minus reverenter ſe geſſerit, res tota ad Vicarium Noſtrum Generalem deferatur, cujus erit promeritam delinquenti pœnam irrogare.

IX. Talaris, ejuſdemque cærulei coloris ſit Alumnorum veſtis, non lacera, non ſordida, non pulverulenta, ſed gravis, & compoſita, qualis decet Clericos. Cum per Urbem iidem gradientur, bini ſemper incedant, neque extraneum ullum ad ſuum admittant conſortium ſine Præfecti licentia, a cujus conſpectu numquam ſive in Urbe, ſive extra Urbem ſe ſubtrahere audeant: Qua quidem in re ſiquid umquam peccatum fuerit, Prefecto eidem præcipimus, ut rem ad Seminarii Moderatorem, quem Miniſtrum vocant, continuo deferat, cujus prudentiæ erit rem totam explorare, & reum, ſi opus ſit, opportuna animadverſione coercere. Perraro infra annum, & nonniſi obtenta a Seminarii Superioribus licentia, paternam, aliorumve conſanguineorum domum adeant, ea etiam adjecta conditione, ut numquam ſoli procedant, & ante noctem ad Seminarium revertantur. Nulli eorum liceat extra Seminarium, in propria licet parentum, aut conſanguineorum domo, pernoctare, niſi peculiarem ad id a Vicario Noſtro Generali petierit, atque obtinuerit facultatem. Qui ſecus fecerit, graviter punietur, & ſi res ita poſtulaverit, a Seminario extorris eſſe jubebitur. Bacchanalium tempore Alumnis omnibus reditum in patriam, ſeu conſanguineorum domum omnino interdicimus, niſi forte gravis aliqua neceſſitas a Vicario Noſtro Generali cognoſcenda, & approbanda id exigat; ne videlicet commixti (1) inter gentes diſcant opera earum, & fiant ipſis ſcandalum. Autumnalibus quoque feriis neminem, niſi gravi de cauſa, a Sodalium ſuorum contubernio abire patiemur. Neque enim in Seminario

 hone-

(1) Pſalm. 105. v. 35.

Digitized by Google

honeſta Alumnis deerit, jucundaque occupatio, qua relaxari animus poſſit, fractæque corporis vires refici, ac recreari.

X. Reliquum nunc eſt, ut Seminarii Noſtri Alumnos, qui nunc ſunt, & qui poſtmodum erunt, precibus, hortationibus, imperio urgeamus ad operam omnem ſuam in Eccleſiaſticorum morum, atque ſcientiarum acquiſitione collocandam, quo videlicet, cum opus erit, in hac Domini Vinea Nobis concredita excolenda eorumdem miniſterio uti valeamus. Quid enim iis proderit in Domo Dei adoleſcentiam ſuam traduxiſſe, niſi illapſus fuerit ſuper eos Spiritus Domini, & ætate profecerint, gratia, & ſapientia apud Deum, & apud homines? *Non Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis bene vixiſſe laudandum eſt*, uti ſapienter inquit S. Hieronymus (1). Non ignoramus quidem, nonnihil difficultatis ab iis eſſe ſubeundum, ut veterem hominem exuentes, novum in Chriſto induant, depulſiſque ignorantiæ tenebris, in penitiores ſcientiarum receſſus admittantur. Verum ut bono ſint animo, nullaque difficultate, aut labore deterreantur; in mentem ſibi frequenter revocent, attenteque meditentur illud Apoſtoli: (2) *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris: Poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ. Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite.*

CAPUT XXIV.

DE REGULARIBUS.

I. QUemadmodum ſupremus belli Dux ſelectas in exercitu habere turmas Militum ſolet bellicæ virtutis, rerumque geſtarum gloria ſpectabilium, quorum fidei ac dexteritati graviores committere fidentius poſſit expeditiones; Ita Chriſtus in Eccleſia ſua, quæ terribilis eſt ut caſtrorum acies ordinata, ſelectos habet milites, quos ſuis preſſius inhærentes veſtigiis, adjutores ſibi ad ſalvandas animas, & ad mali Dæmonis

(1) S. Hieron. epiſt. 13. ad Paulinum.

(2) Ad Hebr. cap. 12. v. 11., & 12.

nis jam fractas vires iterum, iterumque conterendas adſciſcit. Hæ Chriſti Militum turmæ illæ ſunt Religioſæ Familiæ, quas a ſanctiſſimis viris divino afflante ſpiritu inſtitutas, & mox Apoſtolica auctoritate confirmatas Romani Pontifices in Vinea Domini poſuerunt, ut operarentur, & cuſtodirent illam. Cum autem eædem de Catholica Eccleſia benemeritæ ſemper fuerint, & benemereri adhuc pergant; ab Apoſtolica quidem Sede plurimis auctæ ſunt, cumulatæque privilegiis; a reliquis vero Chriſtifidelibus peculiari veneratione, benevolentiaque excipiuntur. Harum Familiarum Alumnos, qui in hac Noſtra Civitate, ac Diœceſi commorantur, Nos hìc alloquimur. Et primum quidem illos paterna charitate complexi, ex animo iiſdem gratulamur, quod ad tantum opus, tantumque miniſterium divina liberalitate fuerint aſſumpti. Illos deinde peramanter hortamur, atque enixe rogamus in Domino, ut quilibet pro Inſtituti ſui ratione, facultatibus uti, quas illis largiti ſumus, Noſtrique eſſe adjutores velint in hac excolenda Dominicæ Vineæ parte, cujus culturæ, cuſtodiæque, prout Officii Noſtri ratio poſtulat, ſumma pro viribus vigilantia excubare Nos oportet. Tandem pauca quædam ex Pontificiis Conſtitutionibus decerpta in eorum mentem revocamus, quæ ſi exacte ab iis obſerventur, procul dubio fiet, ut eorum opera ſit ipſis quidem perhonorifica, Nobis vero perjucunda, Gregi tandem Nobis concredito utiliſſima.

II. Meminerint itaque Regulares, uti ſibi quidem, non vero abuti licere iis privilegiis, quibus Apoſtolica benignitate cumulati ſunt. Sciant adverſus eos, a Noſtra licet Ordinaria Juriſdictione exemptos, procedere Nos adhuc in plurimis poſſe tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatos; ut, cum iidem vel in Sacramentorum adminiſtratione, vel in celebratione Miſſarum, vel in verbi divini prædicatione deliquerint. Præterea quicumque animarum curam in ſæculares perſonas in iis Eccleſiis exercent, quæ virorum, aut mulierum Monaſteriis, ſeu domibus ſunt adnexæ,

ſive

ſive Regulares ii ſint, ſive Sæculares, ex Tridentini (1) decreto *ſubeſſe debent immediate in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi, in cujus Diœceſi prædicta Monaſteria ſunt ſita ...... exceptis dumtaxat iis Monaſteriis, ſeu locis, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores juriſdictionem Epiſcopalem, & temporalem in Parochos, & Parochianos exercent, ſalvo tamen eorum Epiſcoporum jure, qui majorem in prædicta loca, vel perſonas juriſdictionem exercent*. Plures ſuper hoc Tridentini decreto exortas controverſias Sacra Congregatio Concilii, Romanique Pontifices, peculiaribus editis Conſtitutionibus, ac decretis, diremerunt. Ne vero iterum reviviſcerent, ejuſmodi decreta in unum collegit Benedictus XIV., eaque peculiari ſua Conſtitutione (2) confirmans, ſervari in perpetuum juſſit. Conſtitutionis exemplar damus in Synodi Appendice num. 23., hic autem eamdem per ſumma capita delibamus.

III. Cum Sacerdotes nonnulli, qui neque Parochi erant, neque animarum curæ addicti, ſine prævia Epiſcopi, aut Parochi licentia aliquibus Chriſtifidelium matrimoniis interfuiſſent; dubitatum fuit, utrum, cum ab Epiſcopali juriſdictione eſſent exempti, eorum correctio ad Epiſcopum, an ad eorum Superiores privative ſpectaret? Ad Epiſcopum privative ſpectare declaravit Gregorius XV., qui illud etiam (3) *decrevit, ut deinceps tam Regulares, quam Sæculares quomodolibet exempti, ſive animarum curam perſonarum Sæcularium Monaſteriis, ſeu Domibus Regularibus, aut quibuſcumque aliis Eccleſiis, vel Beneficiis, ſive Regularibus, ſive Sæcularibus incumbentem exerceant, ſive alias Eccleſiaſtica Sacramenta, aut unum ex illis miniſtrent, prævia Epiſcopi licentia, & approbatione, ſive quoquo modo in dictæ curæ exercitio, aut in eo-*

rumdem

(1) Trid. ſeſſ. 25. cap. 11. de Regularib.

(2) Benedictus XIV. Conſtit. *Firmandis*. edita Idibus Novembr. 1744.

(3) Gregorius XV. Conſtit. *Inſcrutabili*. edita Nonis Februarii 1622.

Digitized by Google

rumdem Sacramentorum, vel alicujus ex illis adminiſtratione de facto abſque ulla auctoritate ſe ingerant; in his, quæ ejuſmodi curam, ſeu adminiſtrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, & correctioni Diæceſani Epiſcopi, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati, plene in omnibus ſubjiciantur.

IV. Cum Epiſcopi Paſtoralem Viſitationem aggrediuntur, in ſingula Diœceſis loca Miſſionarios præmittere ſolent, qui divini Verbi prædicatione, ac Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ adminiſtratione ſpiritualem populorum profectum, & animarum ſalutem ſtudeant promovere. Dubitatum fuit, an Regulares Parochi Miſſionarios hujuſmodi, ſive Sæculares ii ſint, ſive Regulares, ab Epiſcopo miſſos, tamquam Viſitationis ſuæ prænuncios, in propriis Eccleſiis, ac domibus ad exercenda munia iiſdem commiſſa admittere, ac recipere tenerentur? Libenter eos excipi debere reſpondit Sac.(1) Congregatio Epiſcoporum,ac Regularium, omnibuſque rebus juvari, quibus ad injunctum ſibi onus implendum opus illis eſſe contigerit. Quam quidem reſponſionem Benedictus XIV. (2) Apoſtolica auctoritate confirmavit, & in poſterum, quoties id opus eſſe prudenti Epiſcopi arbitrio judicatum fuerit, ab omnibus executioni demandari præcepit, illud etiam adjiciens, licere Epiſcopo tum in ipſa Viſitatione, tum extra illam, in Regularium Eccleſiis ſive Parochialibus, ſive non Parochialibus Sacramentum Confirmationis adminiſtare.

V. Dum Eccleſias Parochiales, quæ a Regularibus adminiſtrantur, Epiſcopus viſitat, tum Altare, in quo divina aſſervatur Euchariſtia, tum Sacrum Tabernaculum viſitare eidem licet; ac præterea baptiſmalem fontem, ſi adſit; Confeſſionale, in quo Parochus Confeſſiones excipit; Eccleſiæ pulpitum, e quo jus habet verbi divini annunciandi; locum in Eccleſiæ Sacrario, in quo Sacra ſupellex pro Sacramentis tam in Eccleſia, quam extra illam adminiſtrandis aſſervatur; Sepulchrum, & Cœmeterium humandis Parochianorum cadaveribus deſtinatum; Turrim

(1) Sac. Cong. Epiſcop. 31.Aug. 1668. (2) Benedictus XIV. cit.Conſt. *Firmandis*.

rim Campanariam, in qua ſint Campanæ ad Parochiam proprie ſpectantes; ac demum omnia ſacra vaſa, in quibus particulæ conſecratæ, Sacra olea, aqua baptiſterii, & alia aqua rite benedicta, quæ ad Eccleſiæ fores collocari ſolet, cuſtodiuntur.

VI. In perſonali Parochi Regularis Viſitatione, licet Epiſcopi non ſit inquirere, qua ratione ſe Parochus gerat in iis, quæ ad Inſtituti Regularis obſervantiam ſpectant, cum ad Regularem ipſius Superiorem id privative pertineat; Poteſt tamen is ejuſdem vitam, moreſque ſcrutari (1) quoad ea, quæ extra clauſtrum prodierint, cum Rectoris animarum exempla & plurimum conferre ad Populi ædificationem, & contra eidem obeſſe maxime pòſſint. Præterea ad Epiſcopi jus, & officium pertinet examinare, an Parochus titulo legitimo curam animarum exerceat; an reſidentiæ legem obſervet; an ad Synodum vocatus acceſſerit; an Congregationes ſuper conſcientiæ caſibus haberi ſolitas frequentet; an onera curæ animarum adnexa impleverit; an feſtis de præcepto diebus Miſſam pro Populo applicaverit, Verbum Dei prædicaverit, pueroſqne in Fidei rudimentis, Chriſtianæque doctrinæ præceptis inſtruxerit; an ſtatis diebus Fidelium confeſſiones excipiat; an ægrotantibus, & in extremo vitæ agone conſtitutis Sacramenta tempeſtive conferat, debitaque ſpiritualia ſubſidia ſedulo præſtet; an pueros, puellaſque ad primam Communionem, & ad Confirmationis Sacramentum ſuſcipiendum opportunis inſtructionibus erudierit; an priuſquam matrimonia contrahantur, conſuetis adhibitis inquiſitionibus, tuto deprehenderit, nullum inter contrahentes impedimentum exiſtere, libere eoſdem matrimonio conſentire, & in Doctrina Chriſtiana, ac in præcipuis potiſſimum noſtræ Religionis Myſteriis ſatis eſſe eruditos; ac demum an Parochiales libros apud ſe recte ordinatos retineat. Uno verbo: quidquid a Parocho ſæculari Epiſcopus exquirere, atque exigere ſolet, ac debet; id omne, Regulari dumtaxat excepta obſervantia, a Parocho Regulari exquirere,

(1) Benedictus XIV. cit. Conſtit. *Firmandis*.

rere, atque exigere poteſt. Quod ſi illum muneri ſuo defuiſſe compererit, opportuna condere decreta poteſt, imo etiam meritas in eumdem pœnas ſtatuere. Qua tamen in re Præſul Regularis cumulativum cum Epiſcopo habet jus, ſed ita, ut ſi aliter a Superiore Regulari, & aliter ab Epiſcopo decernatur, hujus, non vero illius ſtandum ſit decreto. Inquirere autem in Parochianorum mores, ad Epiſcopum privative ſpectat, obortaque inter eos ſcandala cognoſcere, atque opportunis remediis reſecare, cum nulla in hujuſmodi Parochianos Regularibus Superioribus competat juriſdictio. Tandem ſi Regularem Parochum ſive Epiſcopus, ſive Prælatus Regularis ab exercitio curæ removendum eſſe judicaverit, valida æquo jure erit remotio, quin alterius conſenſus requiratur, aut ejuſmodi judicii cauſæ alteri ſint aperiendæ, multoque minus probandæ, ac verificandæ. Hæc, aliaque plura in toties laudata Conſtitutione Benedictus XIV. ſtatuit, ac ſervari mandavit; quorum quidem omnium obſervantiam, cum ſeſe feret occaſio, modis omnibus urgere non deſinemus.

VII. Quamquam in Agro Dominico meſſis quidem multa ſit, Operarii autem pauci, inter quos proinde ſumma animorum conſenſio eſſe debere videretur; Numquam tamen inter eos humani generis hoſtis diſſidia, jurgia, & offenſiones ſerere deſtiſtit, ne videlicet, exculto ſolerter agro, meſſis fructu centeſimo cœleſte in horreum congregaretur. Eveniſſe id potiſſimum ſcimus exemptionum, ac privilegiorum occaſione, quibus Apolica Sedes Regulares viros auxit, ut eos ad Eccleſiæ agrum majori alacritate excolendum excitaret. Ut hæc diſſenſionum ſemina tollerentur; obortas controverſias Tridentina primum Synodus, mox Romani Pontifices decretis ſuis diremerunt. Verum cum nondum firma, ac ſtabilis inter Villicos haberetur pax; Clemens X. definitiones omnes Tridentini Concilii, Summorumque Pontificum in unum collectas ſua perpetuo valitura Conſtitutio-

ne (1), cujus exemplar in Appendice num. 24. damus, pro ſummo, quo fungebatur, Apoſtolatus officio muniit, ac roboravit. Pauca ex Conſtitutione quoad Verbi Divini prædicationem, ac Sacramentorum adminiſtrationem ſancita, in Regularium memoriam, ne umquam excidant, revocemus. Ac primum quidem Regulares in ſui Ordinis Eccleſiis, vel Oratoriis de Superiorum ſuorum licentia prædicaturi, benedictionem ab Epiſcopo Diœceſano petere debent, quam tamen licet non obtinuerint, prædicare tamen poſſunt, niſi Epiſcopus aperte contradixerit: tunc enim, ſi prædicare audeant, ab eo tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegato, ex Bulla Gregorii XV. (2), cenſuris, aliiſque Eccleſiaſticis pœnis coerceri, ac puniri poſſunt. Eamdem benedictionem petere debent, ſi ad Sanctimoniales eorum Ordini ſubjectas, licet clauſis januis, nulluſque Sæcularis interſit, concionem ſint habituri. In Eccleſiis autem, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, prædicare nullo modo poſſunt, niſi, præter ſuorum Superiorum licentiam, Epiſcopi quoque licentiam gratis dandam obtinuerint, qui illos poterit, licet ab Univerſitatibus, ac Magiſtratibus Laicis nominatos, ac licet ab Epiſcopis Anteceſſoribus licentiam ejuſmodi abſque examine per tempus immemorabile obtinuerint, poterit, inquam, quoad doctrinam examinare, ſi ejus arbitrio, quod moderatum eſſe debet, ac diſcretum, ita videatur. Tandem licet Epiſcopus prohibere generatim Regularibus nequeat, quin in ſuorum Ordinum Eccleſiis prædicent, prædicandi tamen licentiam ſingulis ſemel conceſſas, ob rationabiles cauſas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes, ſuſpendere valet.

VIII. Quoad Pœnitentiæ Sacramentum a Regularibus adminiſtrandum, in laudata Clementis X. Conſtitutione ſancita hæc ſunt. 1. Regulares neque Sæcularium, licet Sacerdotum, confeſſio-

(1) Clemens X. Conſtit. *Superna*. 11. Cal. Julii 1670.

(2) Gregorius XV. Conſtit. *Inſcrutabili Dei providentia*.

feſſiones audire, neque ad id idonei reputari poſſunt, niſi vel Parochiale beneficium obtineant, vel ab Epiſcopo per examen, aut alias judicentur idonei, & ad audiendas confeſſiones approbentur. 2. approbati ab uno Epiſcopo in ſua Diœceſi, non poſſunt in alia Diœceſi ſine Epiſcopi Diœceſani approbatione confeſſiones audire: approbati generaliter ad Sæcularium confeſſiones,non poſſunt ſine ſpeciali Epiſcopi approbatione Moniales etiam ſibi ſubjectas confitentes audire:approbati pro uno Monaſterio,non cenſentur approbati pro alio: ſemel deputati Confeſſores extraordinarii, & ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro una vice audiendas approbati, expleta deputatione, non poſſunt in vim ejuſmodi approbationis illarum confeſſiones audire, ſed toties approbandi ſunt ab Epiſcopo, quoties caſus deputationis advenerit. 3. Regulares prævio examine, ſimpliciter, & abſque ulla temporis præfinitione ab Epiſcopo (ſecus ſi ab ejus Vicario, aut ab Epiſcopis Anteceſſoribus) approbati, nequeunt ab eodem vel iterum examinari, vel ab audiendis confeſſionibus ſuſpendi, niſi nova ſuperveniat cauſa ad confeſſiones ipſas pertinens, quæ tamen neque probari in actis debet, neque Prælatis Regularibus ab Epiſcopo ſignificari, ſed Apoſtolicæ dumtaxat Sedi, quando eam ſibi aperiri poſtulaverit. 4.quamquam,inconſulta Apoſtolica Sede, facultatem audiendi confeſſiones adimere Epiſcopus nequeat omnibus ſimul unius Conventus Regularibus Confeſſoribus; ſi tamen Regulares aliqui cum ſcandalo, aut alias inhoneſte vivant, vel crimen aliquod admittant ſatis grave; cum præcipua Confeſſoris qualitas eſſe debeat vitæ integritas, ac morum honeſtas; eam ob cauſam Epiſcopus poterit Regulares a ſe approbatos a confeſſionibus audiendis ſuſpendere, aut repellere. Hæc omnia exacte ſervari volumus, ac mandamus.

IX. A vetuſtiſſimis temporibus in Monachorum Cœnobiis tam vigili cura cuſtoditam fuiſſe clauſuram ſcimus, ut non modo fœminis, verum etiam maſculis in eorum clauſtra, imo in Oratoria etiam, & in Eccleſias ſub graviſſimis pœnis aditus interdice-

Mm 2 retur,

Digitized by Google

retur, ne videlicet, ut ait S. Gregorius Magnus, *in Servorum Dei ſeceſſibus occaſio popularibus præberetur conventibus, & exinde ſimpliciores animæ in ſcandalum traherentur*. Diſciplina hæc varias pro temporum varietate ſubiit vices, donec tandem Romani Pontifices, cum viris, tum mulieribus ad publica Monachorum Templa acceſſum permittentes, illum mulieribus quibuſcumque in eorum Clauſuram ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ interdixerunt. Verum cum progreſſu temporis aliqui Apoſtolicas haſce leges parvi facerent, vel eas pro arbitrio interpretantes ingreſſum mulieribus in Monaſteria permitterent; alii privilegia, aut indulta ſibi a jure, vel ab homine conceſſa obtendentes, fœminas intra Monaſteriorum clauſtra, cubicula, aliaſque officinas, aut una ſecum ducerent, aut admitti, ac recipi mandarent; alii demum religionis obtentu, cum a ſupplicantium agmine Euchariſtia, ſive Sanctorum reliquiæ, aut imagines per Monaſteriorum clauſtra deferrentur, ſine ullo diſcrimine mares, ac fœminas ejuſmodi ſupplicationes per ea loca ſequi, & comitari licere, imo etiam ad Indulgentias lucrandas neceſſarium eſſe dictitarent; Ad hos eliminandos abuſus Benedictus XIV. Conſtitutionem edidit, cujus exemplar in Appendice num. 25. ſubnectimus. In ea autem Summus Pontifex primum Conſtitutiones omnes Romanorum Pontificum tum ante, tum poſt Concilium Tridentinum hac ſuper re editas renovat, & confirmat, eaſque in poſterum ſub iiſdem pœnis, quæ in iis continentur, ſervari omnino mandat, ac decernit. Deinde omnia indulta, privilegia, licentias, & conceſſiones quibuslibet perſonis, etiam Eccleſiaſticis, etiam Cardinalibus, eorumque Congregationibus, etiam de latere Legatis &c. quocumque tempore a quibuſvis Romanis Pontificibus, quacumque de cauſa, occcaſione, titulo, & colore ſuper hujuſmodi mulierum acceſſu, & ingreſſu factas, & impertitas, etiam per Apoſtolicas litteras ſive in forma Brevis, ſive ſub plumbo expeditas, revocat, annullat, atque irritat. Præterea decernit, ac declarat, antedictorum quemlibet,

Digitized by Google

libet, qui aliqua ejuſmodi facultate uti temere audeat, ipſo facto, & abſque ulla alia declaratione pœnas, & Eccleſiaſticas cenſuras, a quibus, excepto mortis articulo, nonniſi a Romano Pontifice abſolvi poſſit, incurrere, & incurriſſe: Ejuſmodi vero licentiam cuicunique conceſſam nullius momenti, perinde, ac ſi conceſſa non fuiſſet, ipſo facto haberi, ipſoque etiam facto contravenientem cenſuris, aliiſque Eccleſiaſticis pœnis innodari.

X. Regularibus etiam in memoriam revocamus, Religioſos quoslibet, cujuſvis Ordinis ſint, & Inſtituti, extra Clauſtra etiam cum Superiorum obedientia, vel licentia degentes, ſi deliquerint, Ordinario loci, uti Sedis Apoſtolicæ delegato, ſubjectos eſſe, qui proinde eos viſitare, punire, & corrigere poteſt, uti conceptis verbis Tridentina (1) Synodus ſtatuit. Siquis itaque eorum in Noſtra Diœceſi extra Clauſtra degens deliquerit, nullo obſtante exemptionis privilegio, pro modo culpæ a Nobis plectetur. Intra Monaſterii vero Clauſtra degentes, (2) ſi extra illa notorie deliquerint, ut populo ſcandalo ſint; Nobis inſtantibus, intra tempus a Nobis conſtituendum, a ſuis Superioribus ſevere puniantur, qui mox de irrogata pœna certiores Nos faciant. Quamobrem criminoſi, antequam pœnam ſubeant, extra Noſtram Diœceſim ne amandentur, vel ſi tranſmiſſi fuerint, revocentur: ſin minus, (3) Superior a ſuis Prælatis majoribus officio privetur; delinquens vero Regularis in foro Noſtro Epiſcopali pro delicti gravitate pœnas luat. Quia vero Regulares de uno ad alium Ordinem translati, facile a ſuo Superiore licentiam extra Monaſterium commorandi obtinere ſolent, ex quo vagandi, & apoſtatandi occaſio tribuitur; ex Tridentini Concilii (4) decreto nemo cujuſcumque Ordinis Prælatus, ſeu Superior vigore cujuſvis facultatis aliquem ad habitum, & profeſſionem admittere poſſit, niſi, ut in Ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui Superioris obe-

(1) Trid. ſeſſ.6. cap.3. de reform.

(2) Trid. ſeſſ.25. cap.14. de Regular. de ſtatu Monachorum; Clemens VIII. Conſtit.39. *Suſcepti muneris*.

(3) Trid. loc. cit., cap. finali §.*Si vero*.

(4) Trid. ſeſſ.14. cap.11. de reform.

obedientia in Clauſtro perpetuo maneat. Siquis igitur hujuſmodi translatorum extra Clauſtra commoretur, ac degat; Ordinarius loci Antiſtes (1) omnem ſuper eo habet juriſdictionem, illamque libere, ac licite exercere poteſt, ac valet; quam ſane, ſi ſeſe feret occaſio, atque ita rei gravitas poſtulabit, in Noſtra Diœceſi exercere non omittemus.

XI. Nulla nova Regularium Monaſteria in Tuſculana Diœceſi ſine Noſtra in ſcriptis facultate erigantur: Eam autem juxta Pontificias Conſtitutiones (2) numquam erimus conceſſuri, niſi duodecim ſaltem Religioſi Viri habitare in iis, ac ſuſtentari valeant, & niſi, cognita cauſa, Regulares, qui ad quatuor paſſuum millia alibi commorantur, aliique omnes, quorum intereſt, vocati, & auditi a Nobis fuerint. *Omnes vero, ac ſinguli Regularium* (3) *Conventus ab Innocentio X. non ſuppreſſi, in quibus ſex ſaltem non aluntur Religioſi probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor ſint Sacerdotes maturæ ætatis, annorum videlicet quadraginta completorum, Viſitationi, correctioni, omnimodæque Noſtræ Juriſdictioni delegatæ in omnibus ſubſint.* Conventus etiam poſt diem 21. Junii 1625. cum pauciore numero, quam duodecim Religioſorum, erecti, Noſtræ Juriſdictioni, ut in ſuo decreto Urbanus VIII. præſcribit, ſubjiciantur. Conventus tandem, (4) ſuppreſſi quidem per Innocentii X. Conſtitutionem *Inſtaurandæ*; at mox rationabilibus de cauſis reſtituti, Noſtræ viſitationi, correctioni, omnimodæquē Juriſdictioni ſubdantur, donec ita aucti eorum reditus fuerint, ut duodecim in iis Religioſi commode ſuſtentari valeant, ac de facto ſuſtententur. Interea tamen in eorum ſingulis ali debeant, & re ipſa alantur ſex ſaltem Religioſi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus ſint maturæ ætatis Sacerdotes: ſecus

(1) Benedictus XIV. in Decretali *Pontificia commendatione*. 27. Maii 1746.

(2) Clemens VIII. Conſt. *Quoniam ad inſtantiam*. anni 1603., Gregor. XV. Conſt. *Cum alias*. anni 1604., & Urbanus VIII. Conſt. *Romanus Pontifex*. anni 1625.

(3) Innocentius X. Conſtit. 32. *Ut in parvis*. edita 10. Febr. 1654.

(4) Innocentius X. Conſt. *Ut in parvis*., Benedictus XIV. de Synodo Diœceſana lib. 3. cap. 2. per totum.

Digitized by Google

ſecus nulla erit, atque invalida reſtitutionis gratia, & Noſtrum ſemper erit Jus, ac facultas in iis Conventibus ea omnia exequendi, quæ in aliis Conventibus itidem ſuppreſſis demandantur, perinde ac ſi reſtitutionis gratia non emanaſſet. Super his tamen ſervari omnino volumus, ac mandamus declarationes juſſu Alexandri VII. editas 27. Julii 1655.

XII. Regulares, quantumcumque exempti, ſi forte (1) in piorum teſtamentorum executione male ſe geſſerint, noverint, ſe ad rationem coram Nobis reddendam cogendos fore, compertoque (quod Deus avertat) dolo, a Nobis eſſe puniendos; quemadmodum a Nobis (2) etiam privative quoad Superiores ſuos Regulares, ſe judicandos, ac puniendos eſſe ſciant, ſi forte (quod numquam futurum arbitramur) monetas tondere, aut falſificare, aut adulterare, aut cedulas Montis Pietatis, & Menſæ Nummariæ Sancti Spiritus falſificare, alterare, ac expendere auſi fuerint. Præterea ſi Regulares ea Sacramenta adminiſtrare, aut eas exercere functiones præſumpſerint, quæ ad Parochorum jus privative ſpectant; facultate utemur a Sacris Canonibus, a Tridentina Synodo, & ab Apoſtolicis decretis Nobis tradita, eoſque, ſervatis ſervandis, cenſuris, aliiſque Canonicis plectemus pœnis: quod quidem a Nobis etiam præſtabitur, ſi iidem (3) abſque Noſtra facultate, & approbatione ſive in ſua, ſive in aliena Eccleſia exorcizandi munus exercuerint. Tandem Regulares generatim ſciant, ſe Noſtræ Juriſdictioni, & correctioni eſſe obnoxios in iis omnibus, quæ pertinent ad cauſas Fidei, ad verbi divini prædicationem, ad Sacramentorum adminiſtrationem, Pœnitentiæ præſertim, & Euchariſtiæ, ad Euchariſtici Sacramenti cuſtodiam, publicamque expoſitionem, ad celebrationem Miſſarum, aliaque hujuſmodi plura, uti ſuis locis ſuperius diximus,

(1) Clem. 1. de teſtamentis.

(2) Urbanus VIII. Conſt. *Superna*. edita 13. Nov. 1627., & Benedictus XIV. Conſt. *Ad curam noſtram*. edita pridie Calendas Novemb. 1756.

(3) Gregorius XV. Conſt. 18. *Inſcrutabili*, Sac. Cong. Epiſc. in Florentina 22. Febr. 1625., & Benedictus XIV. Conſtit. *Magno cum animi noſtri dolore*. §. 34. edita die 2. Junii 1751.

mus, ac dicemus inferius. Quamobrem Regulares in Noſtra Diœceſi commorantes exixe rogamus, atque hortamur in Domino, ut Noſtras haſce Synodales Conſtitutiones attente perlegere non dedignentur: ſic enim fiet, ut eorum, quæ facienda, & quæ vitanda ſibi ſunt, facilius reminiſcantur, ac nemini offenſionem, bonum autem omnibus exemplum præbeant.

XIII. Nemo ad Religioſam Profeſſionem, niſi poſt decimum ſextum (1) ætatis annum expletum, & poſt integrum annum ab habitus ſuſceptione in probatione traductum, admittatur: Secus Profeſſio nulla erit, nullamque obligationem inducet. Nulla quoque erit renunciatio, aut obligatio quæcumque, etiam jurata, vel in favorem cujuſcumque cauſæ piæ a Novitio facta, niſi cum Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis licentia intra duos menſes proximos ante Profeſſionem facta fuerit; neque, niſi profeſſione ſecuta, ſuum ſortiatur effectum. Sub anathematis pœna ante Profeſſionem (2) (excepto Novitii victu, & veſtitu pro Novitiatus tempore) quocumque prætextu neque quidquam ex Novitii bonis ab ejus parentibus, vel propinquis, aut curatoribus Monaſterio tribuatur, neque a Monaſterio quidquam recipiatur, ne ille hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam, vel majorem ſubſtantiæ ſuæ partem Monaſterium poſſideat, nec eam facile, ſi diſceſſerit, recuperare poſſit. Quare ante Profeſſionem abeuntibus omnia, quæ ſua erant, reſtituantur. Noſtri autem Epiſcopalis erit muneris etiam per Eccleſiaſticas cenſuras, ſi opus fuerit, curare, ut recte omnia fiant.

XIV. Si datam hominibus fidem frangere, conventioneſque eas, quæ ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere, ac violare non licet; Multo magis neceſſe eſt obligatum Deo mentis propoſitum immutabiliter ſervari, earumque pactionum, quæ divino, & Eccleſiaſtico jure indiſſolubiles ſunt, perpetuam firmita-

(1) Trident. ſeſſ.25. cap.15., & 16. de Regularibus.

(2) Trid. loc. cit. cap.16., & Concil. Lateranen. ſub Innoc.III. relatum in cap. *Quoniam*. de Simonia.

mitatem, obſervantiamque curari. Eam ob cauſam Benedictus XIV, quemadmodum peculiari ſua Conſtitutione (1) certum præſcripſit ordinem in Eccleſiaſticis ſervandum Tribunalibus, quando diſcutienda in iis eſſet cauſa ſuper alicujus contracti matrimonii nullitate, ut videlicet non ſine certiſſima cognitione eorum, quæ ad rem maxime conducerent, connubiale vinculum ex tot rationibus inſolubile a Judicibus, tamquam ab initio irritum, per ſententiam diſſolveretur; ita alia ſua Conſtitutione (2) certam normam, methodumque tradidit in Eccleſiaſtico Foro adhibendam, quoties ſuper Religioſæ Profeſſionis nullitate controverſia agitetur, ut nimirum Judices, rei veritate accuratius perſpecta, neminem, niſi indubiis fundamentis innixi, ſacro Profeſſionis vinculo ſolutum decernant, neque anxia, aut male tuta conſcientia deinceps vivant ii, qui obtenta in Foro externo nullitatis Profeſſionis declaratione, a Religione diſcedunt. Non erit abs re laudatæ Conſtitutionis ſummam hic referre, ut Regulares ejuſmodi judicii difficultate deterriti, non ſe ad illud facile intentandum vel animi ſui levitate, vel cupiditatis alicujus æſtu abripi patiantur.

XV. Ac primum quidem laudatus Pontifex ad Moniales Profeſſas extendi affirmat hoc Tridentini Concilii decretum: *Quicumque Regularis prætendat, ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacumque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum, non audiatur, niſi intra quinquennium tantum a die Profeſſionis, & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario*. Cum autem aliquando Religio ipſa Alumni ſui Profeſſionem irritam declarare velit, quia is occultum impedimentum interrogatus non aperuit, propter quod rata non habenda foret a Religione Profeſſio; juxta decretum Sacræ Congregationis Con-

(1) Benedictus XIV. Conſt. *Dei miſeratione*. in ejus Bullario tom. 1. n. 33.

(2) Benedictus XIV. Conſtitut. *Si datam*. edita 4. Nonas Martii 1748.

cilii (1) ſtatuit Pontifex, ejuſmodi cauſam intra quinquennium in judicium deductam, a Regulari Superiore ſimul, & a loci Ordinario eſſe cognoſcendam: Declarat præterea ex eadem Sacra Congregatione 1. Quinquennium, intra quod admittitur adverſus Profeſſionem reclamatio (etiam quando metus pro cauſa nullitatis Profeſſionis adducitur) a die emiſſæ Profeſſionis eſſe computandum: 2. Si intra quinquennium Religioſus reclamaverit; judicium tamen proſequi deinde neglexerit, aut nequiverit; etiam poſt elapſum quinquennium coram Prælato Regulari, atque loci Ordinario cauſam nullitatis eſſe diſcutiendam; dummodo ſatis conſtet, eam intra quinquennium a reclamante ſerio fuiſſe intentatam. 3. Superioris Regularis nomine intelligi quoad Religioſos Superiorem illum, qui eo tempore, quo nullitatis cauſa diſcutitur, illius domus, ſeu Cœnobii regimen exercet, in quo reclamans Profeſſionem emiſit: Quoad Moniales vero Regularibus ſubjectas illum intelligi, cui univerſum Monaſterii regimen eſt concreditum, non vero Confeſſarium illarum Regularem. 4. Superiorem Regularem cedere non poſſe jus ſuum Ordinario loci, itaut is ſolus procedat, ac judicet: poſſe tamen alium vel Regularem, vel Eccleſiaſticum Sæcularem Canonici Juris peritum ſubrogare, qui una cum Ordinario Judicis partes exerceat. 5. Si Superioris Regularis, atque Ordinarii judicia inter ſe diſcrepent, ad Apoſtolicæ Sedis judicium cauſam cenſendam eſſe devolutam. 6. Si vel Religioſus, vel Religio intra quinquennium Profeſſionem ex eo capite impugnet, quod emiſſa fuerit in Cœnobio ad Novitiorum inſtitutionem non deſtinato, & in iis locis, in quibus Clemens VIII decreta de Regularibus a ſe edita vim habere mandavit, ejuſmodi cauſam ex decreto Urbani VIII. (2) ad Sacram Congregationem Concilii privative pertinere. His præmiſſis, & Apoſtolica auctoritate roboratis, ordinem præſcribit Pontifex in his ſervandum judiciis, qui eſt ejuſmodi.

XVI. 1. Jux-

(1) Sac. Congr. Concil. in Burgen. 13. Aprilis 1720.

(2) Urbanus VIII. in decreto *Ad occurrendum*. edito 5. Januarii 1636.

Digitized by Google

XVI. 1. Juxta Tridentini decretum (1) Regularis pro ſuæ Profeſſionis nullitate agens, ab ipſo Judicii limine repellendus eſt, niſi eum in Religionis ſuæ clauſtris morari, habitumque Regularem, quem forte depoſuerit, reſumpſiſſe conſtet. 2. quilibet loci Ordinarius perſonam ſeligere debet probitate, ac doctrina commendabilem, cui *Defenſoris Profeſſionum* munus injungat, ut in judicio ſemper ſtet pro validitate Profeſſionis, eaque omnia præſtet, quæ a defenſore matrimoniorum præſtanda eſſe ſtatuit idem Benedictus XIV. in Conſtitutione: *Dei miſeratione*. Huic autem Profeſſionum Defenſori quidquid præſtandum eſſe, ſive pro ejus mercede, ſive pro expenſis in cauſæ defenſione occurrentibus Judex prudenter arbitretur; id omne ab iis exſolvendum eſt, quibus a Profeſſo renunciata fuerint bona, quæ in Religionis ingreſſu dimiſit: ſi hi non adſint, aut nihil Profeſſus, quod renunciaret, habuerit; Religio ipſa, ſi temporalia bona poſſidendi ſit capax, & poſſideat, ad ejuſmodi ſolutionem tenebitur; ſi vero nihil poſſideat, Profeſſionum Defenſori ſatisfiet ex pecuniis multarum, ſeu Tribunalis, in quo agitatur cauſa, ſeu alterius Tribunalis, prout de Matrimonii defenſore idem Pontifex ſtatuit. 3. ad adſtruendas probationes in hujuſmodi cauſis neceſſarias, verus, ac judicialis omnino conficiendus eſt proceſſus, in quo & articuli exhibendi ſunt ex parte illius, qui adverſus Profeſſionem agit, & interrogatoria danda ſunt ab ea parte, quæ ſtat pro validitate Profeſſionis, ac potiſſimum a Profeſſionis Defenſore, & Teſtes tam ſuper articulis, quam juxta interrogatoria ſunt examinandi, itaut niſi hæc ſervetur forma, proceſſus, & ſententia inſanabili nullitatis vitio laborent, præter alia nullitatis capita, quæ de jure communi in ipſa proceſſus compilatione intervenire poſſunt. 4. ſi pro validitate Profeſſionis feratur ſententia, & Profeſſus appellationem non interponat, cauſa finita eſt. At ſi pro nullitate pronuncietur, Profeſſionis Defenſor appellare debet, & in ſecunda, atque ulteriori inſtantia judicio ſemper adeſſe.

Nn 2 Sive

(1) Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. de Regular.

Digitized by Google

Sive autem Profeſſus, ſive Defenſor appellet; in ulterioribus hiſce inſtantiis ea forma proſequendi judicium ſervanda eſt, quam idem Pontifex in ſua Conſtitutione pro cauſis matrimonialibus præſcripſit. Cæterum ad eos Judices hæ cauſæ in ſecunda, & ulteriori inſtantia devolvuntur, ad quos de jure aliæ cauſæ Eccleſiaſticæ poſt Ordinarii ſententiam in gradu appellationis reſpective devolvi ſolent, & hi etiam procedere, ac judicare debent una cum Superiore Regulari, non quidem illius Monaſterii, in quo reclamans profeſſus eſt, ſed alterius ejuſdem Ordinis, quod in Civitate, ac Diœceſi Judicis ſecundæ, aut ulterioris inſtantiæ ſitum ſit, eoque non extante, cum Superiore vicinioris Monaſterii ejuſdem Ordinis, aut cum alia Eccleſiaſtica perſona ad hunc effectum ab eo delegata. Excipiendus tamen caſus eſt, quo cauſæ hujuſmodi ad Apoſtolicam Sedem devolvantur: tunc enim ſive eædem a Congregatione Concilii, ſive a Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, ſive ab Auditorio Rotæ ſint diſcutiendæ, nullus Superiori Regulari locus ad judicandum relinquitur. 5. in hiſce cauſis liberum Profeſſo non eſt a Religione diſcedere, niſi duas ſaltem conformes ſententias obtinuerit, quibus nulla, & irrita declarata fuerit Profeſſio. Quamobrem ſi is poſt unicam ſententiam pro nullitate pronunciatam, ſive pendente, ſive omiſſa culpabiliter appellatione, a Religione diſcedere, habitumque Regularem abjicere præſumpſerit; pœnas omnes, ac cenſuras incurrit adverſus Apoſtatas a Sacris Canonibus, ac Pontificiis Conſtitutionibus ſancitas. Hactenus de cauſis, quæ intra quinquennium a die Profeſſionis agitantur.

XVII. Quamquam ex Tridentini decreto audiendus non ſit Regularis ille, qui intra quinquennium a die editæ Profeſſionis adverſus illam non reclamaverit; Progreſſu tamen temporis juſtis, gravibuſque de cauſis inductum eſt, *ut inſtantiæ admitterentur pro reſtitutione in integrum adverſus lapſum quinquennii*. Verum cum remedium reſtitutionis in integrum extraordinarium in jure vocetur, adeoque non obſtante quacumque contraria etiam immemo-

memorabili conſuetudine, aut aſſerto quolibet privilegio, concedi a Judicibus inferioribus nequeat, uti ſæpe declaravit Sacra Congregatio Concilii, ac præſertim decreto edito 24. Septembris 1740. in cauſa *Sicula reſtitutionis in integrum*, quod a Benedicto XIV. approbatum, & confirmatum fuit primum die 28. ejuſdem menſis, & anni, deinde in ea Conſtitutione, cujus ſummam hìc damus; Proinde quacumque de cauſa, & quacumque ex parte hujuſmodi inſtantiæ proponantur, judicium ſuper iis facere ad Apoſtolicam Sedem privative pertinet; quæ tamen in peculiaribus quibuſdam caſibus facultatem concedit Ordinariis, ac Superioribus localibus examinandi cauſas hujuſmodi reſtitutionis in integrum, ac ſuper ipſis pronunciandi, antequam ſuper Profeſſionis valore, aut nullitate ſententiam ferant. Hic autem ordo pro concedenda reſtitutione in integrum adverſus lapſum quinquennii in Tribunalibus Urbis obſervatur, & ex juſſu Benedicti XIV. obſervandus in poſterum eſt.

XVII. Primum committitur Ordinario loci, ac Superiori Regulari, ut proceſſum conficiant, iiſdemque ſub pœna nullitatis actuum injungitur, ut in omnibus cum interventu Defenſoris Profeſſionis procedant, qui & interrogatoria dabit, juxta quæ examinandi ſunt Teſtes, & alia, quæ ad munus ſuum pertinent, diligentiſſime exequetur. Tranſmiſſo proceſſu, non minus accurate, ac ſevere dubium ſuper conceſſione reſtitutionis in integrum perpenditur, ac ſi dubium ſuper ipſo valore, aut nullitate Profeſſionis perpenderetur. In ejus autem dubii diſcuſſione, in quacumque Congregatione, aut Tribunali Urbis diſcutiatur, ſub ſimili nullitatis pœna ſemper, & in ſingulis actibus ſtare debet in judicio Defenſor Profeſſionis ab eo, qui Tribunalis caput eſt, deputatus, idque non modo in prima, verum etiam in ulterioribus dubii propoſitionibus eſt obſervandum. Non una, ſed duplex conformis favorabilis reſolutio, quæ audito ſemper Profeſſionis defenſore prodierit, neceſſaria omnino eſt, ut Regularis reclamans

mans beneficio fruatur reſtitutionis in integrum. Tum ſententia ſuper nullitate profeſſionis a Superiore Regulari, & ab Ordinario ferenda eſt, unicaque ſufficit, ut abſolutum cenſeatur judicium, ac Religioſus e clauſtris migrare, habitumque Regularem deponere impune poſſit: ſecus enim Apoſtata cenſebitur, ac pœnis adverſus Apoſtatas ſancitis erit obnoxius.

XIX. Ut tandem Regulares omnes, quotquot in hac Noſtra Diœceſi commorantur, ſolliciti ſint in omnibus Nobiſcum ſpiritus unitatem, & ſinceræ dilectionis ſervare concordiam, *meminerint* (Benedicti XIV. (1) verbis utimur) *quo loco Spiritus Sanctus poſuerit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei: quod ipſis a Sacroſancta Œcumenica Lateranenſi Synodo ſub Leone X. habita* (2) *inculcatum fuit per hæc verba: Eoſdem inſuper Fratres in virtute Sanctæ Obedientiæ monemus, ut eoſdem Epiſcopos loco Sanctorum Apoſtolorum ſubrogatos, pro debita & Noſtra, & Apoſtolicæ Sedis reverentia, congruo honore, & convenienti obſervantia venerentur*. Nos ſane ejuſdem Lateranenſis Concilii monita, conſiliaque ſecuti, *eoſdem Religioſos Viros benevolo proſequentes affectu, charitative tractabimus, benigne fovebimus, tamquam in agro Dominico Cooperatores, noſtrumque laborum participes prompta benignitate recipiemus, eorumque Jura omni cum charitate cuſtodiemus, ac tuebimur. Cum enim una ſit Regularium, & Sæcularium*, uti habemus in Clem. Unica. de exceſſibus Prælatorum, *Prælatorum, & Subditorum, exemptorum, & non exemptorum univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur, quorum omnium unus eſt Dominus, una Fides, & unum baptiſma, decet, ut omnes, qui ejuſdem ſunt corporis, unius etiam ſint voluntatis*.

(1) Benedictus XIV. Conſtit. *Impoſiti*. edita 3. Cal. Martii 1747.

(2) Leo X. Conſtitut. 26. *Dum intra*. §. 24.

CA-

CAPUT XXV.

DE MONIALIBUS.

I. DE Sacris hìc Virginibus loquimur, quas candor lucis æternæ, Unigenitus Dei Filius, arcto ſibi nuptiali fœdere conſecravit, deſponſavitque in Fide, & in juſtitia, ac judicio, & in miſericordia, ac miſerationibus. Cum hæ tabernaculum ſint Dei, quod ſanctificavit Altiſſimus; cum hortus ſint concluſus, fons ſignatus, Paradiſus deliciarum cœleſtis Sponſi, ac illuſtrior Chriſti gregis portio, in quibus largiter floret Eccleſiæ Matris glorioſa fœcunditas; Nos, quibus earum cuſtodiam cœleſtis ipſe Sponſus demandavit, & credidit, omnem in eo curam, diligentiamque collocemus neceſſe eſt, ut in pace ſit tabernaculum earum, nulliſque ad eas aditus hoſtibus pateat, qui poſſint aut puros turbare latices cœleſtium deliciarum, quibus affluunt, aut venenoſo halitu ſaluberrimum inficere aerem, quem reſpirant. Lætandum autem Nobis eſt, meritoque gratulandum, quod licet unum dumtaxat hujuſmodi Sacrarum Virginum Aſceterium in Urbe Tuſculana habeamus; quæ tamen in eo Chriſti Sponſæ commorantur, eæ tam ſancte, religioſeque vitam ducunt ſuam, ut bonus virtutum omnium odor inde diffuſus, non modo univerſam Diœceſim, verum etiam finitimas Urbes longe, lateque pervaſerit. Quamobrem Synodales haſce leges, quas ſubdimus, non inſtaurandæ, ſed conſervandæ, augendæque Regularis diſciplinæ gratia a Nobis edi, ac promulgari declaramus.

II. Ea eſſe Sanctimonialibus debet cura potiſſima, ut tria Religioſa Vota, quæ nuncuparunt, ſuique, quod profitentur, Inſtituti regulas quam diligentiſſime exequantur; cum ſuis vero contubernalibus ita verſentur, ut, quæ bona in iis videant exempla virtutum, imitari; quæ autem occurrant a recto virtutis tramite devia, omni ope vitare, ac fugere ſtudeant. Earum proinde caſtitas Angelicam æmuletur caſtitatem, ut divino placeant Spon-

Sponſo, qui paſcitur inter lilia, & qui nonniſi Virgines ſibi adſcivit in Matrem, in Præcurſorem, in Nutricium, in Diſcipulum tandem, quem diligeret, & cui ſecreta cœleſtia revelaret. Paupertatem maxime colant, ac diligant, ut ſuum imitentur Sponſum, qui domum naſcens non habuit, in qua exciperetur, lectulum moriens, in quo caput ſuum reclinaret, vita tandem functus ſepulchrum, in quo tumularetur. Cum denique *obedientia*, teſte S. Gregorio, *illa virtus ſit, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit*; Sacræ proinde Virgines tanti hanc facere virtutem debent, & in ea ſe tam frequenter exercere, ut Chriſti obedientiam, qui factus fuit obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis, ſibi jugiter imitandam propoſuiſſe videantur. Ut autem ſui Præſidis, aut conſcientiæ ſuæ Moderatoris juſſa alacrius faciant, ſibi firmiter perſuadeant, ſe, cum alterutri obediunt, non homini obedire, ſed Deo, dummodo Deo contraria non præcipiat homo. Vox enim Superioris, ſeu conſcientiæ Moderatoris juſta, licitaque præcipientis vox Dei eſt juxta illud Chriſti Domini ad Diſcipulos ſuos, eorumque Succeſſores: *qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*.

III. Cum ſemel, iterumque ſub *horti* (1) *concluſi, & fontis ſignati* ſpecie Sacrarum Virginum Monaſteria in Sacris Litteris deſignari videamus; Noſtra proinde cura, & vigilantia in eo potiſſimum collocanda eſt, ut eorum Clauſura religioſiſſime inviolata ſervetur, cum ejus cuſtodia (2) ſub interminatione divini Judicii, & maledictionis æternæ Nobis enixe commendetur. Quamobrem ſub pœna (3) excommunicationis ipſo facto incurrendæ, Romanoque Pontifici reſervatæ, aliiſque pœnis arbitrio Noſtro infligendis diſtricte præcipimus, nequis, cujuſcumque ſit gene-

(1) Cantic. c.5. v.1.

(2) Concil. Arelaten. IV. can. 7., & cap. *Periculoſo*. de ſtatu Regular. in 6.

(3) Trid. ſeſſ. 25. cap. 5. de Regularib., S. Pius V. Conſtit. *Circa Paſtoralis*. 29. Maii 1566., & Conſtit. *Decori*. 1. Febr. 1570., Gregorius XIII. Conſt. *Deo ſacris*. 21. Januar. 1573., & Conſt. *Dubiis*. 23. Decembr. 1581., Gregorius XV. Conſtitut. *Inſcrutabili*. 5. Februar. 1622., & Alexander VII. Conſt. *Felici ſacrarum Virginum*. 9. Decemb. 1664.

generis, conditionis, ſexus, ætatis, ſine Noſtra in ſcriptis, & nonniſi in caſibus neceſſariis concedenda licentia, intra Monaſterii ſepta pedem audeat inferre. Sub iiſdem etiam pœnis omnino mandamus, ut nulli Sanctimoniali poſt Profeſſionem liceat, etiam ad breve tempus, & ſub quocumque prætextu, extra Monaſterii clauſtra (exceptis caſibus a Jure permiſſis, & ſervatis de jure ſervandis) pedem efferre. Iiſdem cenſuris, aliiſque arbitrio Noſtro pœnis eſſe obnoxios volumus, tum eos, qui Moniales ſacrilego auſu egredientes excipiant, tum Moniales, quæ perſonas ſine debita licentia ingredientes in Monaſterium admittant, aut iis aditum, vel exitum reſpective indulgeant, aut conſulant, aut permittant. Ii autem, quibus, neceſſitate cogente, in Monaſterium ingredi permittemus, cujuſmodi ſunt Medici, Chirurgi, Cæmentarii, Fabri lignarii, & id genus alii, nonniſi poſt ortum Solis, & a duabus ſemper aſſociati Monialibus, quas altera præeat tintinabulum pulſans, ut ejus ſonitu Moniales reliquæ parumper ſecedere moneantur, recto tramite ad locum pergant, in quo eorum opera eſt adhibenda, eodemque prorſus modo, poſt expletum opus, omnino ante Solis occaſum revertantur, neque per Monialium cellas, aut Monaſterii officinas divagari, neque cibum in Monaſterio, aut potum ſumere audeant: Si ſecus egerint, gravibus a Nobis plectentur pœnis, quibus etiam Moniales, quæ cibum, aut potum præbuerint, ſubjiciemus. Confeſſario autem, Medico, & Chirurgo, ſi ſumma neceſſitas urgeat, licentiam impertimur, ut nocte etiam intempeſta ingredi in Clauſuram poſſint: at tunc ab Abbatiſſa, ſeu Vicaria, aliiſque duabus gravis ætatis Monialibus cum accenſis facibus in Monaſterii foribus recipiantur.

IV. Sapientiſſimo conſilio decreverat Tridentina Synodus (1), ut Epiſcopus tantum, vel Superior in caſibus neceſſariis licentiam daret intra Monaſterii ſepta ingrediendi, *neque alius ullo modo dare eam poſſet, etiam vigore cujuſcumque facul-*

(1) Trid. ſeſſ. 25. cap. 5. de Regular.

tatis, vel indulti hactenus conceſſi, vel in poſterum concedendi. Verum plures adhuc progreſſu temporis non defuere, qui aut conceſſam ſibi a jure, vel ab homine, aut demandatorum munerum ratione debitam ſibi eſſe obtenderent eam facultatem, ut ſive ipſi, ſive de eorum licentia alii ingredi Clauſuram Monialium, Moniales vero e Clauſura ob quaſcumque cauſas egredi, & extra eam commorari poſſent. Unde factum eſt, ut abuſus plurimi in non leve Regularis Sacrarum Virginum obſervantiæ detrimentum inveherentur. Ut pro ſuprema omnium Chriſtifidelium procuratione opportunum abuſibus hujuſmodi remedium Benedictus XIV. adhiberet, Conſtitutionem (1) edidit, cujus exemplar in Appendice damus num. 26. In ea autem primum omnes, & ſingulas Conſtitutiones a Romanis Pontificibus tam ante, quam poſt Tridentinum ſuper Clauſura Monialium editas renovat, & confirmat, ac ſub iiſdem pœnis, quæ in eorumdem Pontificum Conſtitutionibus, ac in Tridentini decretis continentur, ab omnibus inviolabiliter obſervari mandat, ac præcipit. Deinde omnia, & ſingula indulta, privilegia, prærogativas, facultates, licentias, conceſſiones &c. ſuper hujuſmodi in Monialium Clauſuram ingreſſu omnibus, & ſingulis quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis, etiam Nunciis ſive ordinariis, ſive extraordinariis, etiam Cardinalibus ſive ſingulis, ſive eorumdem Congregationibus, etiam de latere Legatis, etiam iis, qui ſtatus Eccleſiaſtici Legationibus, & Provinciis præſunt &c. (*exceptis dumtaxat locorum Ordinariis, iiſque omnibus Superioribus, quibus tamquam Ordinariis, & ordinaria juriſdictione utentibus Monialium Monaſteria ſubjecta, & addicta ſunt, in caſibus tamen neceſſariis, & ſervatis aliis de jure ſervandis, & non aliter omnino*) quocumque tempore, etiam a Romanis Pontificibus, quacumque de cauſa, per quaſcumque Apoſtolicas ſive in forma Brevis, ſive ſub plumbo expeditas Litteras, quibuſcumque verborum formis factas, datas, & impertitas revocat, annullat, atque irritat, nulliuſque vigoris eſſe, ac fore, nemi-

(1) Benedictus XIV. Conſtit. *Salutare*. edita 3. Januarii 1742.

neminique quocumque tempore ſuffragari poſſe declarat. Statuit præterea, ut quilibet antedictorum, licet ſpeciali mentione dignus ſit, ſi aliqua hujuſmodi facultate ſive pro ſe, ſive pro aliis temere uti audeat, ipſo facto abſque ulla declaratione pœnas, & Eccleſiaſticas cenſuras contra violantes Monialium Clauſuram inflictas incurrat, a quibus per ſolum Romanum Pontificem, excepto mortis articulo, abſolvi poſſit.

V. Cum Tridentina Synodus (1) ſtatuerit, ut ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda nemini, *cujuſcumque ætatis fuerit*, ſine Epiſcopi, vel Superioris licentia intra Monaſterii ſepta ingredi liceat; Nos (2) ſub violatæ clauſuræ pœnis diſtricte omnibus, & ſingulis in Monaſterio degentibus prohibemus, ne pueros, vel puellas etiam ſeptennio minores in Monaſterium ſub quovis prætextu introducant, aut introduci ſinant, etiamſi in Rota, quam vocant, collocati, ex ea non educantur, ſed in illa verſus Clauſuram converſa conſiſtant. Confeſſarius ægrotantibus Sanctimonialibus Sacramenta adminiſtraturus, (3) non aliter Monaſterii ſepta ingrediatur, quam ſuperpelliceo, ac ſtola indutus, ac duæ illum comitentur Moniales, quas altera tintinnabulum pulſans præcedat. Is autem recto, ac breviori tramite ad ægrotantis cellam ſe conferat, ubi Sacramentalem ejus Confeſſionem excipiat, cellæ tamen foribus omnino patentibus, atque ita adſtantibus Monialibus, ut illum quidem videre, non tamen audire poſſint. Reliqua vero Sacramenta, videntibus, & audientibus Sanctimonialibus, adminiſtret. Quod ſi intra Clauſtra illum commorari diutius oporteat, ut Moniali alicui præſto ſit in extremo vitæ articulo conſtitutæ; caveat, ne ibidem quidquam cibi, aut refectionis ſumat. Si quamlibet hujus decreti partem violare Confeſſarius auſus fuerit; ab audiendis Monialium Confeſſio-

(1) Trid. ſeſſ.25. cap.5. de Regular.

(2) Sac. Cong. Epiſcop. in Cremonen. 12.Febr. 1585., & in Neapol. 22. Martii 1580., Innocentius XI. in decr. pro Monial. Urbis 19. Nov. 1676., confirmato ab Innoc.XII. 10.Martii 1692.

(3) Alexander VII. Conſtit. *Felici ſacrarum Virginum*; & Litteræ Eucyclicæ Sac. Cong. Epiſc. de mandato Innoc.XI. 21.Martii 1682.

ſeſſionibus ſuſpendetur, aliiſque gravioribus a Nobis plectetur pœnis.

VI. Cum alicubi non leves invaluiſſent abuſus quoad famulas, quæ aliquando in Monaſterium, ut Sanctimonialibus inſerviant, admittuntur; ut eos evelleret Benedictus XIV., Conſtitutionem, (1) edidit, cujus ſummam hìc damus. Primum omnes, & ſingulas Conſtitutiones ſuper clauſura Monialium a Romanis Pontificibus editas, omniaque, & ſingula decreta tam a Tridentino, quam a Sacris Urbis Congregationibus ſuper eadem clauſura, & ſuper admiſſione, ac receptione educandarum puellarum, & famularum, ſive quarumcumque fœminarum promulgata confirmat, & ſub pœnis per eaſdem Conſtitutiones, ac decreta contra inobedientes inflictis ſervari mandat, ac præcipit. Statuit deinde, ac declarat, admiſſionem, receptionemque quarumcumque fœminarum, ſive puellarum educandarum, ſive Famularum in Monaſteria quacumque ex cauſa fieri non debere ſine legitima, authenticaque Sedis Apoſtolicæ licentia toties, quoties opus fuerit, impetranda, & ſine prævio examine ſuper ipſarum educandarum puellarum, vel famularum moribus, fama, habilitate, ac neceſſitate per Antiſtites locorum Ordinarios, & non per alios quoſcumque Superiores, toties itidem, quoties neceſſitas poſtulaverit, habendo, non obſtante quacumque etiam longi temporis conſuetudine. Si ſecus fiat, ſtatuit, ac declarat, ut tam Moniales, aliæque in Monaſteriis degentes, quæ fœminas quaſcumque in eadem Monaſteria quomodocumque admiſerint, ac receperint, quam ipſæ fœminæ admiſſæ, ac receptæ, canonicis cenſuris, & pœnis obſtrictæ intelligantur, ac ſint. Nos itaque Apoſtolicæ Sedis decretis obſequentes, omnimodam Pontificiæ hujus Conſtitutionis obſervantiam, quoties caſus occurret, in Noſtra Diœceſi pro viribus urgere non omittemus.

VII. Clauſuræ fores firmis ſint commiſſæ cardinibus, validiſque munitæ peſſulis, & clavibus diligentiſſime obſerentur. Earum

(1) Benedictus XIV. Conſt. *Per binas*. edita 24. Januarii 1747.

Digitized by Google

Earum claves nocturno tempore apud Monaſterii Præfectam, aut Superioriſſam, diurno vero ſint apud Janitrices, & numquam ipſis foribus appendantur. Cum, urgente neceſſitate, ejuſmodi fores erunt reſerandæ, ſemper vel Superioriſſa, vel Vicaria, vel iis impeditis, aliqua ex antiquioribus Sanctimonialibus adſit: nec deſint tamen Janitrices, quarum fidei, vigilantiæque Clauſuræ cuſtodiam enixo ſtudio commendamus. Exceptis urgentis neceſſitatis caſibus, in quibus ingredi quis, & egredi e Monaſterio debeat, aut intra clauſtra intromittendum aliquid ſit, cui per rotas ſufficiens non patet aditus; ſine ſpeciali, (1) aut Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis licentia clauſuræ fores ne pateant ſub eo etiam titulo, ut Moniales cum Mulieribus ſibi ſanguine junctis colloquantur.

VIII. Quamquam Sacræ Virgines de ſæculo egreſſæ, ex illius periculis emerſiſſe videantur; Cum tamen adverſarius noſter Diabolus loca òmnia circumire ſoleat, quærens, quem devoret, neque locus ullus ab ejus inſidiis ſatis tutus eſſe poſſit, niſi rimæ omnes vigili cuſtodia muniantur; Aſſidue proinde vigilare eas oportet, rimaſque omnes obſtruere, per quas aditus diabolico pateat incurſui. *Nihil enim*, S. Bernardo (2) teſte, *ſi cuſtodia deſit, cultura confert diſciplinæ*. Cum itaque crebræ ſive Regularium, ſive Sæcularium cum Monialibus allocutiones perfectæ clauſuræ quodammodo adverſentur, cujus præcipuus ſcopus eſt Moniales ab hominum conſortio ſegregare, ut liberius orationi vacent, Deoque unice intendant animum; Idcirco viſum Nobis eſt, eas, quæ ſequuntur, leges condere, quibus Sanctimoniales curæ noſtræ commiſſas ab iis, quæ ſubire poſſent, periculis tueamur.

IX. Sancimus igitur 1. Ne Moniales ſine Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis facultate, quæ, niſi aliter Nobis viſum fuerit, ſcriptis litteris contineatur, cum quopiam, cujuſcumque ſtatus

(1) Sacræ Congregat. Epiſcop. in Neapolitana 21. April. 1593., & in Bononien. 20. Januarii 1603., & Sacræ Congregationis Concilii in Cæſenaten. Synodi 26. Martii 1595.

(2) S. Bernardus in Cantica ſerm. 35.

tus ſit, gradus, & conditionis, in cratibus colloquantur. Quæ quidem lex Pontificiis ſanctionibus, ipſique rationi maxime congruit. Ut enim Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione, (1) cujus exemplar in Appendice num. 27. exhibemus, affirmat, Romani Pontifices ipſis etiam Gubernatoribus, Præſulibus, atque Epiſcopis, qui aut in Civitates, aut in Oppida alterius Epiſcopi juri ſubjecta veniunt, aut inibi commorantur, vetuerunt, ne quis, inſcio Ordinario, Monaſteria adiret, aut Moniales alloqueretur. Ipſa etiam ratio ſuffragatur. Cum enim Canonicis ſanctionibus (2) Monialium cuſtodia juri ordinario Epiſcopi, ſi Monaſteria ejus poteſtati ſubjecta fuerint; delegato, ſi exempta, committatur; Inde fit, ut Monaſteria adire, Monialeſque inviſere ſine Cuſtodis juſſu liceat nemini, ac propterea omnes hujuſce rei veniam ab Epiſcopo impetrare, omnes ſubeſſe directivæ ejuſdem auctoritati debeant. *Quæ quidem*, in laudata ſua Conſtitutione idem Pontifex ſubdit, *confirmata omnino volumus, ac, ſi opus ſit, quod non putamus, nova lege ſancimus, imperamuſque, ne Epiſcopi alienæ Diæceſis Monaſteria conveniant, atque cum Monialibus colloquantur, inſcio Ordinario loci; eademque omnia firma, rataque eſſe jubemus, etiam quoad Vicelegatos, & Gubernatores, licet Præſules, quibus ad Monaſteria acceſſum ſine debita venia in iis quoque Civitatibus, in quibus cum imperio fuerint, interdicimus*. Ab hac autem Noſtra univerſali lege parentes, fratres, ſorores, atque affines in primo affinitatis gradu, dummodo Regulares non ſint, excipimus. Hi enim Moniales alloqui ſine facultate poterunt, præterquam Adventus, & Quadrageſimæ temporibus, ac diebus præterea, quibus Moniales ipſæ ad Sacram Synaxim accedunt, vel iis diebus, ac temporibus, quibus Monialium Conſtitutiones id vetant.

X. Sancimus 2., ut Moniales, impetrata jam a Nobis, aut a Vicario Noſtro Generali facultate, nequeant adhuc ad Crates deſcendere, niſi prius facultatem eamdem illi, quæ reliquis præeſt,

(1) Benedictus XIV. Conſtit. *Graviſſimo*. edita 1. Octobr. 1749.

(2) Cap. *Periculoſo*. de ſtatu Monachorum in 6., Trid. ſeſſ. 25. cap. 5. de Regul.

præeſt, exhibeant, ab eaque loquendi facultatem obtineant. Numquam tamen in iis cratibus colloquantur, quæ Eccleſiæ reſpondent (1), multoque minus in Feneſtella, in qua Sanctiſſimo Chriſti Corpore reficiuntur. Abſtineant ſe ab omni otioſo colloquio; de iis, quæ ad domeſticam Monaſterii diſciplinam pertinent, ac potiſſimum de Monialium defectibus, & erratis, numquam ſermones miſceant; Sæcularium mundana negotia, vanaſque pompas curioſius non inveſtigent; Religioſam demum in loquendo moderationem ſervent; cujus rei cauſa adſint, quæ ſermones, qui miſcentur, auſcultent, eæque quotannis inter Moniales provectioris ætatis, virtutis, prudentiæque ſeligantur, ut præſentia ſua loquentes continere in officio valeant. Numquam præterea Sanctimonialibus, quando Nundinæ fiunt, Mercatores, mercium venditores. ac præſertim Judæos, advocare liceat ſine Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis facultate; quæ tamen facultas ſine rationabili, juſtaque cauſa numquam fiet.

XI. Sancimus 3., ut juxta Sacrarum Urbis Congregationum decreta (2), ac Pontificias Conſtitutiones nullus Regularis cujuſcumque Ordinis, Societatis, & Inſtituti ſine Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis licentia cum Monialibus, aliiſque in Monaſterio degentibus colloqui audeat, etiam per quodcumque modicum temporis ſpatium, & quamquam honeſtam, & rationabilem cauſam obtendat, aut id agat prætextu ſpiritualis inſtructionis iiſdem dandæ, poſt habitam potiſſimum ad illas concionem. Qui ſecus egerit, præter peccati mortalis reatum, excommunicationem majorem, & privationem vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrat: eum præterea aliis contra Regulares ſine licentia ad Monaſteria Monialium accedentes ſtatutis pœnis, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, puniemus.

XII. Gu-

(1) Conſt. Alexandri VII. pro Monialibus Urbis *Sacroſancti.* 10.Febr.1657., Sac. Cong. Epiſc. 10.Dec.1617., Edictum Cardinalis Vicarii de mandato Clementis XI. 30.Decemb.1706.

(2) Sac. Cong. Concil. in Neapolitana, approbante Clemente IX., 11. Maii, & 16.Nov.1669., in Spoletana 26.Maii 1672., & in Bergomen. 21.Maii 1678., Sixtus V., Urbanus VIII., Gregorius XV., *aliique*.

XII. Cubicula, ſeu loca Monialium colloquio cum exteris deſtinata, quæ *collocutoria* vulgo nuncupantur, mane nonniſi poſt ortum Solis reſerentur: veſpere autem ante Angelicæ Salutationis ſignum occludantur, eorumque claves ad Monaſterii Miniſtrum, probatæ fidei, & integritatis virum delatæ apud ipſum diligenter aſſerventur. Exterior eorum porta interdiu pateat, neque audeat quiſquam, clauſis foribus, cum Monialibus colloqui. In iiſdem quaſcumque exterorum, etiam conſanguineorum, comeſſationes, ac refectiones penitus interdicimus, niſi in raro aliquo caſu ſpecialis Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis accedat licentia. Nemo ad eadem, cujuſcumque ætatis ſit, ſexus, & conditionis, perſonatus accedat. Arceantur quoque ludiones, Mimi, Hiſtriones, Joculatores, aliique hujus furfuris homines, quos nec audire, nec ſpectare Moniales decet. Procul imo abſint quocumque tempore a Monaſterii ſeptis, ambituque luſus, clamores, ſpectacula, cantus, præſertim obſceni, aliæque inanes, ac profanæ actiones, ſub pœna pecuniaria adverſus tranſgreſſores, aliiſque gravioribus, ſi opus ſit, arbitrio Noſtro infligendis pœnis. Ædificia (1) Monaſterio proxima, neque ita attollantur, ut ex illis intra Clauſuram proſpectus pateat, neque adeo contigua conſtruantur, ut inde colloquentes Moniales audiri poſſint.

XIII. Cum autem non modo per colloquia, ſed per epiſtolas etiam in Sacros Monialium receſſus irrepere adverſarius poſſit, viruſque ſuum evomere; Ut huic quoque occurramus periculo; Volumus, ut Monialibus neque mittere, neque recipere epiſtolas liceat, niſi prius Monaſterii Præfectæ legendas exhibuerint, exceptis tamen iis, quas eædem ad Epiſcopum ſuum, vel ad Confeſſarium, ſeu conſcientiæ ſuæ moderatorem, vel ad conſanguineos, & affines in primo ſibi conſanguinitatis, aut affinitatis gradu conjunctos mittant, aut quas ab iiſdem recipiant: in his enim caſibus earum, quæ mittuntur, inſcriptionem, earum vero,

(1) Sac. Cong. Epiſc. in una S. Benedicti 15. Jan. 1602., & in Mediolanen. 5. Martii ejuſdem anni, & ſæpe alibi.

vero, quæ recipiuntur, ſubſcriptionem ſatis erit oſtendere, ut Monaſterii Præfecta ab iis legendis abſtineat. Reliquas vero Præfecta legat, lectaſque vel mittat, aut tradat, vel apud ſe retineat, prout, circumſtantiis omnibus mature perpenſis, in Domino expedire judicaverit. Quod ſiquis eo temeritatis, inſaniæque devenerit, ut amatorias litteras Monialibus mittere, aut eaſdem Sacras Virgines peſtifero inficere affatu non vereatur, æquum profecto eſt, ut ab eo ſeveriores tanti criminis pœnas repoſcamus. Volumus itaque, ut excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant omnes, & ſinguli, cujuſcumque ſint gradus, conditionis, & ſtatus, qui cum Sanctimonialibus, aut coram ipſis de rebus obſcenis, ſeu præſentes per verba, actuſve impudicos, ſeu abſentes per litteras, aut internuncios agere, aut ad obſcena audeant provocare. Eidem quoque ſubjicimus cenſuræ mulieres, ac viros ſive intra, ſive extra Monaſterii clauſtra degentes, qui hujuſmodi litteras, aut mandata ſcienter detulerint. Si quid autem ejuſmodi Monaſterii Præfecta deprehenderit; quod tamen numquam in hoc Noſtro Monaſterio eventurum ſperamus, imo etiam Nobis pollicemur; rem totam ad Nos deferat, ut graves adverſus ſontes arbitrio Noſtro pœnas infligamus.

XIV. Vitæ communis uſum, quem poſt divini ſpiritus illapſum Chriſtifideles illico Hieroſolymis amplexi fuere juxta illud Actorum (1): *Omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia*; quem ſectatoribus ſuis Regularium Ordinum Inſtitutores, tamquam Religioſæ vitæ fundamentum, præſcripſerunt; quem denique Eccleſia (2) Religioſis omnibus familiis præcepit, dum, proſcripta a virorum, mulierumque Monaſteriis proprietate, omnia ipſis voluit eſſe communia, in Noſtro Sacrarum Virginum Monaſterio exacte obſervari vehementer gaudemus, & plurimum etiam in Domino gloriamur. Quamobrem ut cœleſtis hæc vivendi forma, earumque Patriarchæ S. Auguſtino

Pp appri-

(1) Actorum cap. 2.

(2) Trid. ſeſſ. 21. cap. 1., & 2. de Regularibus; & Benedictus XIV. de Synodo lib. 13. cap. 13. §. 18.

apprime chara, conſtantius apud ipſas, ac inviolabilis perſeveret; *Volumus* (1), *ut quemadmodum earum Regulæ præcipiunt, quas voto ſolemni ſe obſervaturas promiſerunt, & ſecundum vitam Apoſtolicam, quæ vitæ Religioſæ, & Monachalis ſubſtantia eſt, in communi ab iis vivatur de omnibus tam veſtimentis, & calceamentis, quam cibo, & potu, omnique alia re; & ut earumdem Præfecta, juxta Monaſterii facultates diligenter commenſuratas, conſulat neceſſitatibus Sororum diſcrete, & benigne quoad victum, & veſtitum, aliaque pro cellis neceſſaria, gerens ſe veluti provida Materfilias in domo recte moderata, cui nonniſi unum eſt marſupium; prævidendo ſcilicet initio anni occurrentes ſuarum filiarum neceſſitates, ſimulque reditus, & ſolitas eleemoſynas, ut omnibus providere poſſit*. Hoc enim pacto fiet, ut eædem Religioſæ Mulieres, terrenis omnibus abjectis curis, uni Deo vacent, eique tantum placere ſtudeant, neque ullam iis moleſtiam inferat *meum* (2), *ac tuum, frigidum illud verbum, quod tamen, quidquid malorum eſt, in vitam noſtram invehit, innumeraque gignit bella*.

XV. Neque vero communi vitæ repugnant, (3) aut incerta ſubſidia, aut præſtationes annuæ (*Livellum* dicunt) quæ Monialibus a conſanguineis exhibentur. Communis enim vitæ ratio id ſolum expoſcit, ut omnia in Præpoſitæ manus coaleſcant, quæ, ubi exacta (4) non viget vitæ communis diſciplina, conſulere prius debet indigentiis illius Monialis, cui annua præſtatio a conſanguineis penditur, & quidquid reliquum fuerit, in cæterarum inopiæ levamen erogare; ubi vero ſeverius obſervatur (5) vitæ communis inſtitutum, non aliam in expenſis regulam debet agnoſcere, quam ſingularum indigentiam, nulla habita ratione illius Monialis,

(1) Gibertus Epiſcopus Veronenſis in Monialium Conſtitutionibus cap.5., Cardinalis Navagerius, & S. Carolus Borromæus apud Benedictum XIV. de Synodo lib.13. cap 1 3. §.19.

(2) S. Jo. Chryſoſtomus in oratione de S. Philogono.

(3) Benedictus XIV. loc. cit. §.20.

(4) Sac. Congreg. Concil. anno 1586. lib.4. decretor. pag.114., & in Valliſoletana ann.1601. lib.10. decret. pag.11., Clemens XI. decreto edito 28.Julii 1708.

(5) Benedictus XIV. loc. cit.

lis, cujus gratia munera, ſeu præſtationes in communes loculos pervenerunt. Sanctimoniales itaque Noſtræ, quiquid aut ex annuis conſanguineorum præſtationibus, aut aliunde ſibi obvenerit, in commune conferant ærarium a Monaſterii Prefecta adminiſtrandum, quæ depoſita hujuſmodi in libello deſcribet, & in communem Monialium utilitatem, & commodum, prout neceſſitas poſtulabit, expendet. Pium enim, quod profitentur, & quod numquam ſatis laudare poſſumus, Inſtitutum exigit, ut eædem nihil quippiam peculiare habeant, ſed omnia iis ſint communia. Caveant proinde, ne ſine expreſſa Superiorum ſuorum licentia, vel penes ſe in Monaſterio, vel penes alios extra Monaſterium pecuniam, aut aliud quidpiam retineant, ne videlicet contra Sanctæ paupertatis votum delinquant, adverſus quod nulla conſuetudo, aut uſus, ſeu verius abuſus honeſtam præbet excuſationem. Caveant etiam, ne ſine Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis, aut, ſi de modica agatur quantitate, ſine Monaſterii Præfectæ licentia quidquam expendant, aut commodent, aut donent. Proprietas omnis (1) ab earum cordibus exulet, illaque inter ipſas rerum omnium ſervetur communio, quæ nihil habet, & cui nihil deeſt.

XVI. Omnes, cujuſcumque generis ſint, Monaſterii proventus ad communem ejuſdem utilitatem conferantur. Legata quoque, bona mobilia, & immobilia, jura, actiones, cæteraque hujuſmodi, quæ ſive ex donatione, ſive ex teſtamento, aliave de cauſa ſingulis Monialibus relicta fuerint, ad communia Monaſterii jura (2) ſpectare volumus, ac declaramus, neque Monialis ulla dominii jure, cujus per Profeſſionem incapax effecta eſt, minimum quid poſſidere præſumat, & ſi peculiare aliquid, urgente neceſſitate, conceſſum ei fuerit, ita animo ſit parata, ut, ſi a Superioribus repetatur, relictura ſtatim ſit, ac Monaſterio, a quo accepit, omnino reddítura. Scimus quidem

(1) Concil. Rom. ſub Benedicto XIII. tit.21. cap.3.

(2) Can. *Ne dicatis*. cauſ.12. qu.1., cap. *Cum ad Monaſterii*. de ſtatu Monach., Trid. ſeſſ.25. cap.2. de Regularibus; Clemens VIII. in decretis de Regular.reform.

uſuvenire aliquando poſſe, ut, cum Monaſterium propter non leves præteritorum temporum calamitates rerum inopia nonnihil prematur, atque ære etiam gravetur alieno, Sacris Virginibus aliquid fortaſſe deſit, quod ad honeſtum earum victum, ac veſtitum, congruamque ſuſtentationem requireretur. Verum illas primum peramanter hortamur, & in Domino obſecramus, ut in memoriam parumper revocent, ſe paupertatis votum emiſiſſe, ac pauperes proinde eſſe oportere, ut Chriſtum pauperem, quocum Sacras Nuptias contraxerunt, imitentur: pauperem vero non eſſe illam, cui, quæ victui, veſtitui, honeſtæque ſuſtentationi ſunt neceſſaria, minime deſint, juxta illud Salomonis, *neque paupertatem, neque divitias dederis mihi, ſed tribue tantum victui meo neceſſaria*. Monemus deinde, ut animum non deſpondeant, neque Religioſæ aſſequendæ perfectionis ſtudio tepeſcant. Divina enim freti Providentia, quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, futurum ſperamus, ut, quemadmodum hactenus ſubſidii nonnihil ad earum egeſtatem ſublevandam contulimus, ita etiam in poſterum firmiorem, validioremque opem ſimus allaturi.

XVII. Summorum Pontificum Clementis XI. (1), Benedicti XIV. (2), & Clementis XIII. (3) mandatis obſequentes, in virtute obedientiæ, ſub pœna privationis officii, vociſque activæ, & paſſivæ, aliiſque arbitrio Noſtro infligendis pœnis præcipimus Monaſterii Noſtri Tuſculani Præfectæ, ſeu Superioriſſæ, Vicariæ, Camerariis, aliiſque Sacrario, vel Rotæ præpoſitis Monialibus, & reliquis Monaſterii Adminiſtris, ut nullas in ſuſcipiendis, aut exercendis Officiis expenſas faciant, neque ab aliis fieri permittant, etiamſi conſanguinei Monialium, ſive alii benevolentiæ gratia ad ſubeundas eaſdem expenſas ſe paratos exhibeant, neque Eccleſiæ, aut Sacrario aliquid præſtent, pro quo ſolvenda ſit pecunia, etiam ſub ſpecie, & cauſa celebrandæ Feſti-

(1) Clemens XI. in Epiſt. Encyclic. ad omnes Epiſc. Italiæ 28. Julii 1708.

(2) Benedictus XIV. in epiſt. ad Archiepiſc. Mediolanenſem 26. Januarii 1742.

(3) Clemens XIII. in Chirographo ad Urbis Viceſgerentem 30. Julii 1759.

Feſtivitatis, aut muneris, aut alia qualibet ratione, quæ cum Officiis Monaſterii quocumque modo jungatur. Quævis autem expenſa pro obeundis ejuſmodi officiis neceſſaria, ex reditibus Monaſterii deſumatur, eaque modum numquam excedat, nec æs alienum ob hanc cauſam contrahatur. Quoad munerum etiam largitiones decreta Moniales ſervent, quæ in ſuis Conſtitutionibus Clemens VIII. (1), & Urbanus VIII. (2) edidere; & ſi qua in eo deliquerit, pœnas ſubibit in iiſdem Conſtitutionibus ſancitas. Præterea ne iis quidem liceat, ſine opportuna Superiorum ſuorum licentia, eleemoſynam pauperibus elargiri, etiam ex pane, aliiſque eduliis, quæ ex communi menſa ſuperſint, aut quomodocumque de rebus aliis, quarum uſus iiſdem conceditur, diſponere.

XVIII. Quemadmodum is, qui nocturnas inter tenebras periculoſum, & abruptum ingreſſurus eſt iter, vigili, expertoque ductore eget, quem cum face præeuntem ſequatur; Ita Sacratæ Deo Virgines, quæ inter mortalis hujus vitæ tentationum tenebras arduum, ac perdifficile ad cœleſtem patriam ingreſſæ ſunt iter, perito, prudentique Moderatore indigent, cujus conſilio, quæ vitare pericula, & quam tenere viam debeant, edoceantur. Quamobrem audiendis Noſtrarum Sanctimonialium confeſſionibus, earumque conſcientiis moderandis doctus, pius, ac ſolers ſpecialiter a Nobis deputari ſolet Confeſſarius, qui licet ad triennium eligatur, ſemper tamen amoveri a Nobis poſſit, nec ultra triennium (3) ſine Sacræ Congregationis Epiſcoporum, ac Regularium facultate in commiſſo ſibi munere perſeveret. Is itaque Monialium conſcientias vigili cura, ſolerti prudentia, ac paterna charitate moderetur. Benigne omnes excipiat, nemini ſe peculiariter addictum oſtendat, patiens ſit in audiendis ſingulis, & æquale in iis ad Religioſam perfectionem, rerumque cœleſtium amo-

(1) Clemens VIII. in Bulla 28. *Religioſa*.

(2) Urbanus VIII. in Bulla 267. *Nuper*.

(3) Sac.Cong. Epiſc. in Comen. 4. Martii 1591., in Raguſina 2. Octobr. 1626., & 27. Martii 1647., & ſæpe alibi.

amorem promovendis deſiderium exhibeat. Aquam, Cineres, Palmas, & Candelas Monialibus diſtribuendas ſacris præſcriptis ritibus benedicat, ac diſtribuat; Miſſam, cui intereſſe quotidie Moniales oportet, celebret; Eccleſiaſticas ſtatis diebus functiones in earum Templo peragat; iiſdem Pœnitentiæ Euchariſtiæ, atque Extremæ Unctionis Sacramenta miniſtret; in extremo vitæ agone conſtitutis ſpiritualem ferat opem; vita functis exequias, & anniverſaria perſolvat. Confeſſiones nonniſi in loco ad id deſtinato excipiat: in iis autem excipiendis cautus ſit, & prudens. Non tempus in colloquiis inutilibus terat, ſed eas ad veram erratorum ſuorum pœnitentiam, & ad Religioſæ perfectionis ſtudium excitet. Mœrentes ſoletur, abjectas erigat, trepidantes confirmet. Nullius Monialis temporalibus negotiis ſe immiſceat; nulla a Monialibus excipiat munera; neque viciſſim ipſe quidquam Monialibus largiatur. Volumus tamen, ut annuum ſtipendium, quod ad vitæ ſuſtentationem ſufficiat, non in diurno victu, ſed in certa numerata pecunia ſtatis temporibus exigat, exacteque recipiat.

XIX. Cum non raro contingeret, ut Religioſæ aliquæ Mulieres in Clauſtris degentes, præ pudore, vel alia quapiam de cauſa non omnes conſcientiæ ſuæ receſſus Confeſſario ordinario aperire auderent; adeoque cum Confeſſionis integritati detrahere inciperent, in barathrum perditionis æternæ ſeipſas miſere coniicerent; Tridentini Concilii Patres, ut opportunum tanto malo remedium afferrent, hanc ſanxerunt legem, ut Epiſcopi, aliique Monaſteriorum Prælati ſubjectis ſibi Monialibus Confeſſarium extraordinarium duabus, aut tribus vicibus quotannis offerant. *Præter ordinarium autem Confeſſorem* (verba ſunt Tridentini (1)) *alius extraordinarius ab Epiſcopo, aut aliis ſuperioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium Confeſſiones audire debeat*. Per ea autem verba *jubetur Confeſſarius extraordinarius earum omnium Monialium Confeſſiones audire, quotquot eidem confiteri velint*, inquit Benedictus

(1) Trid. ſeſſ. 25. cap. 10. de Regul.

ctus XIV., (1) *non tamen omnibus, & ſingulis Monialibus præcipitur, ut peccata ſua extraordinario Sacerdoti confiteantur. Nihil enim aliud requiritur ab omnibus in Monaſterio degentibus, tam ſcilicet a Superioriſſa, cæteriſque Monialibus Profeſſis, atque Novitiis, quam a Sæcularibus, quæ vel educationis cauſa, vel alio titulo in eodem Monaſterio cum debitis facultatibus commorantur, niſi ut extraordinario Confeſſario ſingulæ ſe ſiſtant, ſive ad Sacramentalem Confeſſionem apud ipſum, ſi placuerit, peragendam, ſive ad ſalutaria monita, etiam extra Sacramentalem Confeſſionem, ab ipſo accipienda. Atque ita prudentiſſime conſultum eſt, ne, ſi Moniales aliquæ extraordinarium Confeſſarium adirent, aliæ autem coram ipſo non comparerent, ſuſpiciones, atque oblocutiones excitarentur; & illæ quidem cenſerentur neceſſarias habuiſſe cauſas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactæ eſſent; aliæ vero ab hujuſmodi neceſſitatibus, & cauſis immunes judicarentur.*

XX. Nos Tridentini Concilii mandata exequentes, bis, aut ter in anno, quemadmodum a Nobis hactenus factum eſt, extraordinarium Confeſſarium deputabimus, coram quo volumus, ut Moniales omnes ſe ſiſtant, ſive Profeſſæ, ſive Novitiæ, cæteræque Mulieres etiam Sæculares, quæ in Monaſterio Noſtro commorantur, vel Sacramentalem, ſi voluerint, Confeſſionem peracturæ, vel ab eo ſaltem monita ſalutaria audituræ. Curabimus autem, ut is, quem ad hujuſmodi munus adhibebimus, iis ſit instructus dotibus, quæ requiruntur, videlicet ut in eo ætatis maturitas, morum integritas, ac prudentiæ lumen minime deſiderentur. Quo vero tempore extraordinarius Confeſſor miniſterio ſuo fungitur, volumus, ut juxta Conſtitut. Bened. XIV. (2) ordinarius Confeſſor nullum ipſi impedimentum afferre audeat, multoque minus per id temporis alicujus Monialis, ſive Profeſſæ, ſive Novitiæ, ſive Converſæ, aut demum alterius cujuſcumquæ perſonæ intra ſepta Monaſterii commorantis Sacramentalem Confeſſionem audire præſumat. Si ſecus egerit, meritis illum pœnis

(1) Benedictus XIV. Conſt. *Paſtoralis curæ*. Nonis Auguſti 1748.

(2) Benedictus XIV. Conſt. cit. *Paſtoralis curæ*.

pœnis coercebimus. Cuicumque demum Confeſſario extraordinario, qui a Nobis vel toti Monialium Communitati generaliter, vel peculiariter alicui perſonæ in Monaſterio degenti conceſſus, ac deputatus fuerit, diſtricte inhibemus (quemadmodum ipſe etiam Benedictus XIV. in laudata Conſtitutione diſtricte inhibet) ſub pœnis adverſus accedentes ad Monaſteria Monialium, & cum ipſis converſantes, præſertim Regulares, ab Apoſtolica Sede quandocumque ſtatutis, ne poſtquam ſuum officium impleverit, ad idem Monaſterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipſum quomodocumque continuare, & fovere, etiam ſub ſpiritualis cauſæ, aut neceſſitatis obtentu, & colore audeat, ac præſumat.

XXI. Chriſtus Dominus, qui oblatus eſt, quia ipſe voluit, invitas Sponſas non recipit, ſed averſatur. Quamobrem ſub excommunicationis pœna ipſo facto(1) incurrenda nemo invitas Virgines, aut viduas, aliaſve Mulieres, præterquam in caſibus in jure expreſſis, Monaſterium ingredi, aut habitum Religionis ſuſcipere, aut profeſſionem cogat emittere; aut favorem præbeat; aut ſciens eas non ſponte ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, adhuc quoquo modo eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interponat. Pari quoque anathemati ſubjicimus eos, qui ſanctam virginum, aliarumve mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo ſine juſta cauſa impediat. Præterea ut coactionis ejuſmodi periculum ab iis Virginibus, quæ in Noſtrum Monaſterium recipi poſtulant, ſecurius arceatur; Synodales haſce ſancimus leges, quas exacte in poſterum ſervari præcipimus, ac mandamus.

XXII. Siqua puella Religioſæ vitæ tyrocinium ponere, ac Sacris Virginibus in Noſtro Monaſterio adnumerari velit; non prius voti compos fiat, quam & Nos deſiderii ſui conſcios fecerit, & nul-

(1) Can. *Puellæ*, can. *Sicut*. cauſ. 20. qu. 1., & can. finali cauſ. 32. qu. 2., Trid. ſeſſ. 25. cap. 18. de Regular.

& nullam ſibi ex neceſſariis conditionibus deeſſe authenticis documentis oſtenderit, & ejus tandem voluntas quoad Religioſam vitam amplectendam a Nobis, vel a Vicario Noſtro Generali diligenter fuerit explorata. Cum his omnibus ab ea factum fuerit ſatis, nullumque ſuper ejus in Religionem ingreſſu impedimentum, aut obicem deprehenderimus, tunc Monialibus facultatem cogendi Capitulum in ſcriptis faciemus, in quo de ejus acceptatione per ſecreta ſuffragia deliberetur. Et ſiquidem pro ejus acceptatione major ſuffragiorum pars interceſſerit, & ad Tirocinium capeſſendum cenſeatur idonea; tunc juxta decretum Innocentii XI. (1) per decem dies Exercitiis ſpiritualibus vacet, in quibus ſtatum Regularem ſerio perpendat, videatque, an ejus ferendis oneribus ſe parem ſentiat. Si, expletis exercitiis, in ſuſcepto amplectendæ Religionis conſilio perſeveret; de illius inter Moniales receptione decretum a Nobis fiet. Non tamen adhuc ad Tirocinium admittetur, niſi reali facto depoſito dotis conventæ juxta conſuetudinem Monaſterii, & niſi idonea præſtita fidejuſſione de alimentis toto Novitiatus tempore ſolvendis. Dotis autem nomine bona ſtabilia, (2) mobilia, annui nummorum cenſus, privatæque apocæ ſine expreſſa Sedis Apoſtolicæ facultate minime recipiantur, ſed numerata tantum admittatur pecunia, quæ in Noſtro Epiſcopali Pietatis Monte loco depoſiti collocetur, ut poſt Novitiæ Profeſſionem Monaſterio ſtatim tradatur. De his vero omnibus authenticum inſtrumentum a Noſtro Cancellario fiat in Epiſcopali Noſtra Cancellaria aſſervandum. Quoad expenſas, quæ, præter dotem, tum in Religioſi habitus aſſumptione, tum in ſolemni Profeſſione fieri conſueverunt, ſervari omnino volumus, quidquid peculiari Noſtro decreto, quod in Appendice damus num. 28., opportune præſcripſimus.

(1) Innocentius XI. in decreto edito 8. Octobr. 1632.

(2) Sac. Congreg. Epiſcop. in Camerinen. 28. Martii 1588., in Interamnen. 2. Maii 1614.

XXIII. Poſt expletum decimum ſextun ætatis, & integrum a ſuſcepti habitus die probationis annum, antequam Novitia ad Profeſſionem admittatur, per decem dies ſpiritualibus iterum excolenda eſt exercitiis, ejuſque voluntas a Nobis iterum, aut a Vicario Noſtro Generali exploranda, ut innoteſcat, utrum eadem animum ad vota Sæcularia, mutata voluntate, converterit, an propoſiti tenax libere, & ſerio profiteri velit? qua de cauſa, ne Profeſſionis tempus ignoremus, (1) teneatur Præfecta Monaſterii Nos ante menſem facere certiores: ni fecerit, quamdiu Nobis videbitur, ſit ab Officio ſuſpenſa. Si Novitia in profitendi voluntate perſtet, ac de dote, de educationis alimentis, aliiſque rebus, quæ ex conſuetudine præſtandæ ſunt, integre perſolutis conſtet; Monialium Præfecta, accepta a Nobis in ſcriptis facultate, Religioſas capitulariter convocabit, ut per ſecreta ſuffragia de puella ad Profeſſionem admittenda ab iiſdem deliberetur, habitoque opportuno majoris partis conſenſu, Religioſum Inſtitutum Novitia e ritu profiteatur. Profeſſionis autem formula proprio profitentis charactere conſcripta, & ſubſcriptione confirmata, addito anno, & die, Cancellario Noſtro tradatur, ut in Epiſcopali ſervetur Archivio. Præterea peculiaris in Monaſterio liber habeatur, in quo annus, menſis, ac dies adnotentur, quibus Virgines recipiuntur, tyrocinium ponunt, ſolemnia vota Deo nuncupant, ac e vita tandem decedunt, Parentum etiam, Patriæque nominibus in eo non prætermiſſis. Quod ſi Tirocinii tempore Novitia aliqua in mortis articulo conſtituta, ex ſuæ pietatis ſenſu, & ut ſacras lucretur Indulgentias, etiam annuentibus Monaſterii Superioribus, profeſſionem emiſerit; eadem tamen, ſi convaleſcat, complere debet integrum probationis annum, & ſolemnia iterum vota nuncupare, cum nulla ſit ex Tridentino (2) quæcumque Religioſa Profeſſio, quæ ante expletum decimum ſextum

(1) Trid. ſeſſ. 25. cap. 17. de Regul., Sac. Cong. Epiſcop. in Neapol. 21. Martii 1621.

(2) Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. de Regular.

ſextum ætatis, & continuum, ac integrum Novitiatus annum emittatur. Quamobrem ſi infra hoc tempus e vita deceſſerit, non proinde dos (1) Monaſterio acquiſita intelligatur.

XXIV. Ut novellæ ejuſmodi plantationes feliciter adoleſcant, poſitæque ſecus decurſus aquarum fructum ſuum dent in tempore ſuo; eas inſtitutionibus ſuis Cònfeſſarius, conſiliis, hortationibus, ac præceptis Superioriſſa, aſſiduis exactæ Regularum obſervantiæ exemplis Sanctimoniales reliquæ irrigare non deſinant. Aſſueſcant juniores Virgines Regularis obſervantiæ portare jugum ab adoleſcentia ſua; cum enim ſenuerint, non recedent ab ea. In capitis, corporiſque cultu non vanitatem ament, ac faſtum, ſed munditiem, ac ſimplicitatem, & cum juxta Davidicum (2) illud, *omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*, omni cura, induſtriaque pulcherrimis animum ſuum ornare virtutum monilibus ſtudeant. Deo itaque placere maxime cupientes, Pœnitentiæ Sacramento animi ſordes expient, & Euchariſtico pane reficiantur, quoties id, vel Regula, ſeu laudabilis Monaſterii conſuetudo poſtulet, vel iis a prudenti Confeſſarii conſilio ſuggeratur. Statis temporibus quotidie divino Sacrificio interſint, Horas Canonicas in Choro ſtudioſe, devoteque recitent, orationi vocali, rerumque cœleſtium meditationi vacent, eaque omnia fideliter præſtent, quæ, ut ſanctæ ſint corpore, & ſpiritu, laudabile earum Inſtitutum facienda præſcribit. Per decem dies quotannis ſpiritualibus Exercitiis ſedulam navent operam, & tunc potiſſimum ſeceſſum, ac ſolitudinem ament, quo pacatius divina cogitent, & annos vitæ ſuæ Deo recogitent in amaritudine animæ ſuæ. Ut autem debitum ſuum noſcant, ac religioſæ vitæ rationem, quam ſuſceperunt, exacte impleant, ſæpenumero ordinis ſui regulas, ac Monaſterii ſtatuta perlegant, ac meditentur. Cum concordia res parvæ creſcant, diſcordia maximæ

Qq 2 dila-

(1) L. *Pro oneribus*. cod. *De jure dotium*. Sac. Cong. Concil. in Narnien. Profeſſionis, propoſita 22. Junii 1743., & reſoluta 25. Januarii 1744. (2) Pſalm. 44. v. 11.

dilabantur; mutuo ſe diligant, ſupportantes ſe invicem in charitate, & mutuo ſeſe honore prævenientes.

XXV. Triennio quolibet Monaſterii Præfecta, atque Officiales reliquæ coram Nobis, aut Vicario Noſtro Generali abſque ullo partium ſtudio ſeligantur. Præfecta, ſeu Superioriſſa (1) eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Quod ſi his qualitatibus inſtructa, & ad munus recte exercendum idonea in Monaſterio non reperiatur; ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum ætatis trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt profeſſionem recte vixerint, Nobis conſentientibus, eligatur. Ea, quæ Superioriſſæ munus geſſit, eligi iterum nequit, niſi per triennium ab ejuſmodi vacaverit officio, aut niſi pro ejuſdem confirmatione Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſitæ facultas accedat. Per menſem, (2) antequam Superioriſſa ſuum expleat officium, Nos de proxima electione celebranda certiores efficiat. In ejuſmodi autem electione nullæ a Monialibus pro captandis ſuffragiis induſtriæ adhibeantur, nullaque ſive per ſe, ſive per alias, ſive directe, ſive indirecte, ſibi, aut aliis ſuffragia procuret, multoque minus ad id propinquorum, aut exterorum utatur patrocinio. Ea electa cenſeatur, in quam major pars ſecretorum ſuffragiorum conſenſerit. Quod ſi ita diſcors (3) fuerit ſuffragantium voluntas, ut poſt duplex ſcrutinium canonica non obvenerit electio; Nos Monialem illam, quam ad Monaſterii regimen recte obeundum aptiorem in Domino judicabimus, in Superioriſſam eligemus. Nullum ſibi officium Moniales expetant, aut procurent, ſed ſibi collatum obedienter recipiant, ac fideliter exequantur.

XXVI. Monaſterii Præſes, ſeu Superioriſſa veræ Matris ſpiritum

(1) Trid. ſeſſ.25. cap.7. de Regular.

(2) Gregorius XIII. in Conſt. *Expoſcit debitum*. 4. Januat. 1582.

(3) Sac.Cong.Epiſc. in Aveniana 8. Novemb. 1583., & in Cremonen. 22. Octobris 1592.

ritum induat, & materna charitate Moniales omnes complexa, omnibus earum cum animæ, tum corporis calamitatibus conſulat. Tamquam pro omnibus rationem Deo redditura, diſciplinam regularem promoveat, omneſque qua voce, qua exemplo ad Religioſæ perfectionis ſtudium excitet, atque inflammet. Regularum tranſgreſſiones, ſi præſertim publicæ ſint, impunes abire non ſinat, ſed in ſpiritu lenitatis errantes corripiat, erroremque admiſſum levi aliqua ex conſuetis pœnis expiari jubeat. Mutuam potiſſimum Subditarum ſuarum charitatem omni dexteritate foveat, ut, quemadmodum in una ſpe vocationis ſunt vocatæ, ita unum quoque ſpiritum, unumque animum in Deo habeant. Quid enim iis prodeſſet, una contineri Domo, diverſa tamen dividi voluntate, & Sorores quidem nomine, non vero factis nuncupari? Curet itaque totis viribus, ne diſſidia inter eas oriantur, exortaque ſtatim, ſuaviterque componens, omnem diſſidii cauſam procul amoveat. Religioſarum quidem omnium, ſed ægrotantium præſertim, Reparatoris Noſtri amantiſſimi exemplum imitata, ſollicitam gerat curam. Eas quotidie inviſat, amicis ſoletur verbis, bonam earum valetudinem ſibi plurimum cordi eſſe oſtendat. Quamobrem invigilet, ne quid iis vel ad animi, vel ad corporis medelam deſit. Nullis impenſis parcat, ut medicamenta, aliæque res ad earum morbos curandos, priſtinamque recuperandam valetudinem neceſſariæ iis in tempore ſuppeditentur. Moniales Profeſſas, & adjutrices Converſas ægrotantium curæ præpoſitas numquam hortari amicis ſuaſionibus deſinat, ut infirmis omni ſtudio, benevolentiaque inſerviant, & opitulentur: æternam enim exinde, ampliſſimamque mercedem erunt omnino a Chriſto Domino conſecuturæ. Omnes Monaſterii reditus per deputatos ad id Miniſtros exigat, & in neceſſariam Monialium, ac Monaſterii ſuſtentationem impendat, ita tamen, ut & reditus, & expenſas in peculiari libro fideliter, accurateque deſcribat, omnem accepti, expenſique rationem coram Nobis, aliiſque ad œconomicam Monaſterii adminiſtratio-

nem

nem deputatis quotannis redditura. Volumus tamen, ut majores quaſdam expenſas ſine ejuſmodi Deputatorum conſenſu præſtare nequeat, eamque ob cauſam diſtricte præcipimus, ac mandamus Vicario Noſtro Generali, ut ſemel in menſe coram ſe ad Monaſterii crates Superioriſſam, & Camerariam, atque ſupradictos Deputatos convocet, ut de gravioribus ſubeundis expenſis communi conſilio mature deliberetur. Illud autem potiſſimum iiſdem injungimus, ut frumentum, vinum, oleum, legumina, aliaque ejuſmodi ad annonam pertinentia, & ad Monialium victum omnino neceſſaria, minori cum Monaſterii diſpendio comparentur in tempore. Quidquid vero in ejuſmodi menſtruris Congregationibus ſtatuetur, in libro ad id deſtinato ab uno ex Deputatis deſcribatur, ut facilius Nobis œconomica Monaſterii adminiſtratio innoteſcat, & ſiquid detrimenti fortaſſe patiatur, id a Nobis præcaveri in poſterum ſecurius poſſit.

XXVII. Quamquam Chriſtianæ Religioni utiliſſimum ſit puellas in Monaſterio educandas recipere, ut Chriſtiana pietate, moribuſque politioribus imbuantur; Eas tamen in Noſtro Monaſterio recipi nolumus, niſi Sedis Apoſtolicæ, ac Noſtra facultas acceſſerit, eaque omnia ſerventur, quæ in Sacræ Congregationis decretis præſcribuntur. Puellæ ejuſmodi neque ſint ſeptennio minores, neque vigeſimum quintum ætatis annum exceſſerint. Earum in Monaſterium ingreſſum Capitularis Monialium conſenſus præcedat: ſemel autem egreſſæ non iterum recipiantur, niſi nova Sedis Apoſtolicæ, ac Noſtra obtineatur facultas, aut niſi in eodem Monaſterio Religioſam, Nobis conſentientibus, amplecti velint vitam. Singulis ſex menſibus juxta Monaſterii taxam anticipata ſolvant alimenta, pro quorum ſolutione niſi idoneum dederint fidejuſſiorem, qui in Noſtra Diœceſi domicilium habeat, ac ſolvendo ſit, non recipiantur. Sint ſub obedientia, ac vigili cura Superioriſſæ, alteriuſque Monialis, quæ earum Magiſtra ſit, & cuſtos, & quæ ſollicita eas induſtria, benevolentiaque ad pietatem, modeſtiam, comitatem, cæteraſque

Digitized by Google

que virtutes informet. Neque ſericis veſtibus (1), neque alio, quam nigro, aut fuſco, vel albo, aut violaceo colore, neque exquiſito ullo, quod ſacris non conveniat Aſceteriis, ornamenti genere utantur. Numquam ſolæ ad crates accedant, ſed eas vel Superioriſſa, vel Magiſtra, vel alia ſenior Monialis deputata comitetur. In loco a Monialium cellulis ſejuncto habitent; Clauſuræ leges non ſecus, ac Moniales, obſervent; numquam in eodem lecto cum alia puella, multoque minus cum Moniali cubent.

XXVIII. Paſtoralis tandem officii Noſtri ratio poſtulat, ut ſollicitudinem noſtram in eo etiam collocemus, ut Novitiæ, Converſæ, Puellæ Educandæ, famulæque Doctrinæ Chriſtianæ pabulo nutriantur, neque cibus ille in Monaſterio iis deſit, quem tam facile in ſæculo invenirent. Volumus itaque, & Superioriſſæ mandamus, ut puellæ educandæ quotidie per Magiſtram in Fidei rudimentis inſtruantur juxta Libellum Ven. Cardinalis Bellarmini, quem etiam præcipimus, ut ſingulæ memoriter diſcant: Iiſdem vero puellis, Novitiis, Converſis, & famulabus certa aliqua die per hebdomadam congregatis eadem Fidei rudimenta per Magiſtram, aut aliam Monialem ad id muneris maxime idoneam & repetantur, & clarius, uberiuſque explicentur juxta alterum libellum ejuſdem Ven. Cardinalis Bellarmini, cui titulus: *Spiegazione più diffuſa della Dottrina Criſtiana*. Qua etiam occaſione, quæcumque ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta rite, recteque ſuſcipienda requiruntur, facili, diſtinctoque ſermone explanentur.

XXIX. Ut autem Synodales hæ Noſtræ Conſtitutiones Monialibus innoteſcant, eas in vernaculam linguam traduci jubebimus, Noſtraque ſubſcriptione firmatas Monaſterii Superioriſſæ trademus, ut ad menſam quotannis lente, diſtincteque legantur.

(1) Concil. Rom. ſub Benedicto XIII. tit. 21. cap. 4.

CA-

CAPUT XXVI.

DE EREMITIS, DE OBLATIS, DE TERTIARIIS, SEU BIZOCHIS, DE QUÆSTORIBUS, ET COLLECTORIBUS ELEEMOSYNARUM, ET DE PUELLARUM CONSERVATORIO.

ARTICULUS I.

De Eremitis, & de Oblatis.

EREmitæ olim, cum ſolemnem in manu Epiſcopi profeſſionem emitterent, uti de Sanctis Machario, Alexio, aliiſque antiquis Eremi incolis Eccleſiaſtica perhibet Hiſtoria, vere Religioſi erant (1). At nunc in illorum numero non ſunt habendi, cum ſolemnem illam profeſſionem non edant, neque ſub obedientiæ voto vitam ducant ſuam. Nemo tamen illorum vivendi rationem contemnendam putet, cum laudanda eadem potius ſit, *ſi Eremitorium iiſdem ſit Paradiſus, & jugis eorum cum Deo converſatio*, ut inquit S. Hieronymus, *& ſi ii, quod ſunt profeſſione, actione potius, quam nomine demonſtrent*. Nos, ut Eremitæ, qui in Noſtra Diœceſi commorantur, laudabiliter vivant, morumque ſuorum exemplo aliis proſint, regulas in Concilio Romano (2) præſcriptas obſervari ab iis jubemus, eaſque Italico ſermone exaratas in propria cujuslibet Eremo haberi mandamus. Hæ autem regulæ ſunt fere ejuſmodi.

II. 1. Nullum in Noſtra Diœceſi Eremitorium ſine Noſtra expreſſa licentia erigatur, quam non erimus conceſſuri, niſi ab aliis ejuſmodi manſionibus unius ſaltem milliaris intervallo diſtet. 2. Nemo Eremiticam vitam ſine Ordinarii ſui facultate profiteatur, a quo proinde patentes ea ſuper re expediendæ erunt litte-

(1) S. Ambroſius de Sacerdot. dignit. cap. 3., Synodus Conſtantinopolit. can. 42. tom. 3. Concil. pag.242., S.Th. 2.2. quæſt. 186., & in 4. ſent. diſt. 27.

(2) Concil. Rom. ſub Benedicto XIII. in Appendice num.21.

litteræ, atque Eremitorium præterea deſtinandum una cum rurali Eccleſia, cujus ſervitio Eremita ſit addictus. Nemo quoque ullum Noſtræ Diœceſis Eremitorium incolat, niſi per Noſtras patentes litteras illi incolendo deputatus fuerit; quas quidem non dabimus, niſi poſtquam ejus nomen, patriam, vitam, mores, converſationem, ſtatum liberum, aliaque hujuſmodi diligenti inveſtigatione ſcrutati erimus. Quod ſi pium propoſitum jam amplexus, ex alia Diœceſi in Noſtram migraverit, teſtimoniales litteras prioris Epiſcopi Nobis exhibebit, quibus palam fiat, ipſum Eremitica vita, ſuoque munere probe functum, inde nulla turpi laborantem nota, & ab omni crimine liberum diſceſſiſſe. Eremitæ pluſquam duo in eadem domo contubernales eſſe nequeant, niſi peculiarem aliquam ob cauſam expreſſus in ſcriptis conſenſus Noſter acceſſerit. 3. Eremitæ cælibem, ſanctamque ducant vitam. Antiquos Eremi cultores imitati, orationi, pſalmorum recitationi, rerum divinarum meditationi, aliiſque piis ſolitariæ vitæ exercitationibus vacent. Sacrificio Miſſæ, ſi fieri poſſit, quotidie interſint. Semel ſaltem in menſe, & Feſtis anni diebus principalioribus in Eccleſia ſua ParœcialiSacramenta Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ religioſe ſuſcipiant; atque in eadem ſingulis Dominicis diebus Doctrinæ Chriſtianæ, Eccleſiaſticis functionibus, Miſſæ Parochiali, publicis ſupplicationibus, & Sacris Concionibus interſint. Quotidie tertiam Roſarii partem recitent; antequam cubitum eant, conſcientiam ſuam diſcutiant, actumque veræ contritionis eliciant; ac tandem pro acceptis ea die beneficiis debitas Deo gratias perſolvant, Deiparæque Virginis opem implorantes, Litanias recitent Lauretanas. 4. Tuguriolum, quod incolunt, munditie niteat, ac paupertatem ſimul redoleat: Eccleſia vero, cui inſerviunt, nitida ſit, ac munda, ſacraque inſtructa ſupellectile. 5. piæ ſtipis, quam conquiſierint, rationem Nobis, aut alteri a Nobis deputato quotannis reddant, ut quidquid de quotidiano eorum victu ſuperſit, in Eccleſiæ reparationem, aut ornamentum, ſeu in

Digitized by Google

ſacram ejuſdem ſupellectilem convertatur. *6.* nullum, niſi per unicam diem, ſine Vicarii Noſtri Generalis, aut Vicarii Foranei licentia, in ſuo tugurio admittant hoſpitem; Et ſi forte facinoroſi homines ſe in eorum intrudant hoſpitium, Nobis, aut Vicario Noſtro Generali notitiam deferant, ut opportunum pro loci, temporis, ac perſonarum circumſtantiis conſilium capiamus. 7. quæcumque honeſta obtendatur cauſa, numquam mulieres hoſpitio excipiant, multoque minus eas apud ſe pernoctare patiantur, ne hac videlicet occaſione humani generis inimicus ſua eos calliditate decipiat. Qui ſecus fecerit, abſque ulla ſpe veniæ ex Eremitorio dimittetur, aliiſque arbitrio Noſtro infligendis plectetur pœnis. 8. habitum Religioſum, quo induuntur, ſub excommunicationis pœna in Apoſtolicis Pauli III., Pii V., & Gregorii XIII. Conſtitutionibus lata, diſſimilem eſſe volumus ab eo, quo Regulares, ac præſertim Cappuccini, uti conſueverunt. At vitam ab exemplari Regularium vita diſſimilem ne ducant umquam. Quare Sæcularium, multoque magis mulierum familiaritatem oderint; choreis, & profanis hujuſmodi ſpectaculis numquam interſint; ludis, præſertim vetitis, ne vacent; tabernas vinarias evitent; vino tandem, in quo luxuria eſt, & mentis alienatio, ne indulgeant.

III. *Oblati*, qui ſe, ac bona ſua Eccleſiis, aut Monaſteriis per donationem obtulerunt, & quodammodo conſecrarunt, unde Oblatorum nomen derivatum eſt, ſiqui forte in Noſtra Diœceſi exiſtant, aut ſint extituri, volumus (1), ut juxta Lateranenſis Concilii ſanctionem fori privilegio, atque exemptione a vectigalibus gaudeant, dummodo ea omnia ſimul in iis requiſita concurrant, quæ a Lateranenſi Concilio recenſentur, ut ii videlicet in forma juris valida perpetuo, atque irrevocabiliter, plene, & cum effectu ſeipſos, ſuaque bona cum præſentia, tum futura, cum acquiſita, tum acquirenda (nulla prorſus quamvis minima eorum

(1) Sac.Cong.Immunit.in Nicateranen. 10.April.1628., in Oppiden.6.Martii 1635., & in Bojacen. 29. April. 1704.

eorum parte vel in uſumfructum, vel in proprietatem ſibi reſervata) Religioni alicui, aut etiam Sæculari Eccleſiæ obtulerint, ac donaverint, habitu etiam, quo induuntur, aliquantulum immutato. Qui vero matrimonio juncti non omnes deſignatas conditiones habent, vel quod bonorum ſuorum uſumfructum ſibi reſervaverint, vel quod bona ſua Eccleſiis, Cœnobiis, aliiſque locis piis, non tamen inter vivos, ſed ſolum cauſa mortis donaverint, eos Oblatorum privilegiis perfrui non poſſe declaramus.

ARTICULUS II.

De Tertiariis, ſeu Bizochis.

I. Regulares aliqui Ordines, cujuſmodi ſunt Ordines S. Franciſci, S. Dominici, S. Auguſtini, item Carmelitæ, aliique, Tertiarias juxta Romanorum Pontificum diplomata poſſunt adſcribere. Verum cum in earum adſcriptione plurimum habere locum debeat Epiſcoporum auctoritas; Ne ulla umquam hac ſuper re in Noſtra Diœceſi oriantur diſſidia; Aliqua de Tertiariis hoc loco juxta Pontificias Conſtitutiones, & Sacrarum Urbis Congregationum decreta ſancienda eſſe putavimus. Ac primum quidem Tertiarios viros a Tertiariis mulieribus diſtinguendos eſſe Leo X. (1) decrevit. Illi enim nullo gaudent privilegio, niſi conjunctim vivant, & cum ipſis Clauſtralibus commorentur; Tertiariis vero mulieribus, quamvis ſuas non dimittant domos, eadem tamen Ordinis privilegia conferuntur. Nos hìc de Tertiariis Mulieribus dumtaxat loquimur, quæ pluribus olim controverſiis occaſionem dedere; & quemadmodum earum aliquæ communem ſub eodem tecto vitam degunt, licet nullis Clauſtri legibus adſtringantur; aliæ vero ædes paternas ſeparatim incolunt, licet Monialium indumenta præſeferant; de utriſque ſeorſim pauca dicenda eſſent.

II. Verum cum nullæ ſint in Noſtra Diœceſi Tertiariæ, quæ in

Rr 2

(1) Leo X. Conſt. 22. Bullarii tom. 1.

Digitized by Google

in uno domicilio ſimul conjungantur communem agentes vitam, illud dumtaxat dicemus, videlicet quod has Tertiarias in Congregatione viventes, quæ neque ſolemne Profeſſionis votum emittant, neque Clauſuræ legibus obligentur, extinguere omnino voluit S. Pius V., uti ex ejuſdem Conſtitutionis (1) verbis liquido conſtat. At progreſſu temporis Apoſtolica Sedes ita ſe geſſit, ut eaſdem Tertiarias, (2) non quidem ſua auctoritate probaret, ſed illas toleraret, & Epiſcopis ſubjectas declararet. Sane cum in Sacra Congregatione Concilii Epiſcopus Sarzanenſis petiiſſet, an ſuæ poteſtati ſubjectæ eſſent Mulieres, quæ in ſua Diœceſi ſimul congregatæ Tertium Ordinem S. Franciſci profitebantur, ita tamen, ut vota tantum ſimplicia nuncuparent, nulliſque Clauſtri legibus tenerentur? Sacra Congr. reſpondit, (3) earum Monaſterium *omnimodæ Epiſcopi juriſdictioni eſſe ſubjectum, citra tamen approbationem Sacræ Congregationis quoad illud*.

III. De aliis nunc Tertiariis verba faciamus, quæ Monialium indumenta præſeferunt, licet disjunctim in privatis ædibus ſingulæ immorentur. Ut inter eas adſcribi, & privilegiis ab Apoſtolica Sede conceſſis perfrui Mulieres poſſint, eæ juxta Pontificias Conſtitutiones, Sacrarumque Congregationum decreta his conditionibus eſſe debent inſtructæ. 1. Eſſe debent probatæ vitæ, boniſque moribus præditæ. 2. Annum ætatis ſuæ quadrageſimum agere. 3. Tot annuos reditus ex propriis bonis percipere, quot ſunt ad earum ſuſtentationem neceſſarii. 4. Non cum aliis, quam cum perſonis in primo tantum conſanguinitatis, vel affinitatis gradu ſibi conjunctis cohabitare. Cum autem ad Nos pertineat harum conditionum examen inſtituere, &, quatenus omnes adſint, licentiam Regularium Præſidibus impertiri, ut Mulieres illæ, quibus nulla ex iis conditionibus deſit, ad habitum recipiantur; Volumus, ac præcipimus, (4) ut nulla mulier, ſive Virgo, ſive

(1) S. Pius V. Conſtit.8. in Bullar. Roman. tom.2.

(2) Benedictus XIV. Inſtitutione 105. §.76.

(3) Sac. Congreg. Concil. in Sarzanen. 30.Jan.1723.

(4) Leo X. Conſt. *Dum intra*; & Sac. Cong. Epiſc. 20.Dec. 1616.

Digitized by Google

ve Vidua a Regularibus ad tertii Ordinis habitum admittatur, niſi Noſtra in ſcriptis expreſſa præceſſerit licentia gratis danda, quam iis tantum concedemus, quæ nullam ex recenſitis conditionibus ſibi deeſſe coram Nobis oſtenderint. Si ergo vel hujuſmodi licentia careant, vel aliquo requiſito deſtituantur; ſancimus, & declaramus, (1) ad habitum invalide eas admitti, nulloque Tertiariis conceſſo privilegio frui poſſe, ſed Noſtræ Juriſdictioni penitus eſſe ſubjectas.

IV. Multis quidem privilegiis ejuſmodi Tertiarias ad habitum legitime admiſſas Leo X. cumulaverat, iiſdem videlicet, quibus Fratres Ordinis, cujus Tertiæ Regulæ habitum geſtant, gaudere conſueverant. At Leonis Conſtitutionem intra certos quoſdam limites Summi Pontifices Succeſſores coercuerunt. Paucis rem totam complectamur. Cum hæ Mulieres (2) tribus votis ſolemnibus non adſtringantur, adeoque non ſint vere Regulares; ab Epiſcoporum proinde, ac Parochorum juriſdictione non ſunt immunes. Gaudent quidem privilegio fori: At Sacerdotes Regulares (3) neque earum Confeſſiones Sacramentales audire, niſi ad Sæcularium Confeſſiones audiendas ab Ordinario fuerint approbati, neque iiſdem Euchariſtiam die Paſchatis Reſurrectionis adminiſtrare poſſunt; quemadmodum neque Viaticum, (4) atque Extremam Unctionem iis conferre, neque earum cadavera, indicta funebri pompa, e domo efferre valent ſine Parocho, aut ejus licentia: *Nam hæc revera* (uti habemus in decreto (5) Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium) *ad Parochos pertinent, qui debent aſſidue, ſed eo præſertim tempore, cognoſcere, juvare, accuratoque ſtudio fideles ſibi traditos inſtituere. Præterea ſi contingat* (in eodem ſubditur decreto) *aliquas ex prædictis Tertiariis*

ſine

(1) Benedictus XIV. Conſt. *Emanavit nuper*. 17. Sept. 1749., Sac. Cong. Concil. in Mazarien. 10. Maii 1727., & in Januen. 22. Martii 1749.

(2) Benedictus XIV. Inſtit. 105. n. 67., & 68.

(3) Sac. Cong. Epiſc. 20. Dec. 1616., & in Hidruntina 4. Aug. 1625.

(4) Sac. Congreg. Epiſc. in Mutinen. 17. Junii 1639.

(5) Sac. Cong. Epiſc. 20. Dec. 1616.

ſine Sepulturæ electione decedere, eas ſic decedentes ita demum in Eccleſiis Ordinis, cujus habitum aſſumpſerunt, ſi in ipſis earum communis Sepultura reperiatur; ſin minus, in Eccleſiis Parochialibus ſepeliendas eſſe Sacra Congregatio decernit: Tandem in eodem Sac. Congr. decreto ſtatuitur, in *habitu* Tertiariis *concedendo, & reſpective deferendo, omnino a velo ſupra caput, quod ſuprictum vocant, & a pectorali, quod vulgo dicitur* ſottogola, *& a patientia abſtinendum eſſe, quin imo eas, quæ ſupradicta tria, vel aliquod ipſorum deferre deprehenſæ fuerint, illa dimittere etiam per cenſuras Eccleſiaſticas ab Ordinariis locorum compellendas eſſe*. Nos itaque volumus, ut ejuſmodi decreta exactiſſime ſerventur, & iſtarum Mulierum Confeſſarios, ſeu Moderatores ſerio monemus, ut eas neque vagari per plateas, neque circuire domos, neque choreis, profaniſque ſpectaculis intereſſe, aut aliis Sæcularibus curis ſe immiſcere patiantur, ſed potius ad amorem ſolitudinis, ſanctumque humilitatis, obedientiæ, atque aliarum virtutum exercitium acuant, atque inflamment: neque enim eas in uno Sanctarum Pœnitentium habitu, ſed in vera earumdem imitatione gloriari oportet.

ARTICULUS III.

De Quæſtoribus, & Collectoribus eleemoſynarum.

QUamquam pium, ac laudabile ſit in pauperum, locorumve piorum uſum eleemoſynas corrogare; Cum tamen innumeri exinde oriantur abuſus, ſi libera cuilibet id exequendi facultas relinquatur; Provido ſane conſilio Catholica decrevit Eccleſia, ut nonniſi penes Apoſtolicam Sedem, ac penes Epiſcopos jus eſſet certos deſignandi Quæſtores, qui ſtatis temporibus Fidelium eleemoſynas in pios uſus erogandas colligerent. Qua quidem in re illam Apoſtoli exemplum eſſe imitatam ſcimus, qui ad Corinthios ſcribens (1) inquit: *De collectis autem, quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinavi Eccleſiis, ita & vos facite*. Cum igitur

(1) 1. ad Cor. cap. 16. v. 1.

igitur a Tridentina Synodo demandata Nobis fuerit invigilandi cura, ut ejuſmodi charitatis officia rite exerceantur; Leges, quæ ſequuntur, in Noſtra Diœceſi ſervandas indicimus, quibus duo potiſſimum, ad Fidelium charitatem excitandam, fovendamque maxime neceſſaria, obtinere facilius valeamus. Primum eſt, ut quemadmodum eleemoſynæ fideliter, ac modeſte colligendæ ſunt, ita etiam integre, ac ſine dolo in pios uſus ab earum largitoribus intentos erogentur. Alterum eſt, ut, cum Fidelium charitas omnium indigentiis ſublevandis par eſſe non poſſit, Quæſtorum turba in immenſum non augeatur, neque gravis Fidelibus inferatur moleſtia, aut pauperibus in graviori neceſſitate conſtiſtutis, piiſve operibus majoris in Eccleſia momenti, atque utilitatis, opportuna ſubſidia adimantur.

II. Ne igitur illi rurſus ſuboriantur abuſus, ad quos evellendos Tridentina Synodus (1) *Quæſtorum eleemoſynarum* & nomen, & munus penitus extinxit; Laicis omnibus, Clericiſque tum exteris, tum Diœceſanis diſtricte prohibemus, ne quis eorum ſub quovis prætextu, & colore ſive pro vivis, ſive pro defunctis, ſive pro quolibet pio opere in Noſtra Diœceſi ſine Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis licentia in ſcriptis tradita eleemoſynas conquirere, & colligere audeat: ſecus & carcerem, aliaſque arbitrio Noſtro ſubibit pœnas, & collectas ab eo eleemoſynas in pauperes, alioſve pios uſus erogari continuo jubebimus, quin eidem Magiſtratuum (2) Sæcularium, aut alterius perſonæ cujuſcumque ordinis, & conditionis licentia, ac patentes litteræ ſuffragari quidquam valeant. Quod ſiquis ſpeciale (3) aliquod Apoſtolicæ Sedis indultum, ac facultatem obtendat, eo non prius utatur, quam a Nobis, aut a Vicario Noſtro Generali inſpectum diligenter fuerit, ac genuinum repertum (ne quis fraudi,

ac

(1) Trid. ſeſſ. 21. cap. 9. de ref.

(2) Trid. ſeſſ. 21. cap. 9. de ref.

(3) Cap. *Abuſionibus*. de pœnit., & remiſſ., Sac. Congreg. Epiſc. in Averſana 22. Febr. 1620., Sac. Cong. Concil. 11. Feb., & 21. Aug. 1642., & 20. Jan. 1643.

ac dolo eſſe poſſit locus) peculiari Noſtro, aut Vicarii Noſtri Generalis mandato, ac ſubſcriptione muniatur.

III. Ii autem omnes, quibus facultatem, ac licentiam concedimus nummorum ſubſidia, aliaſve eleemoſynas colligendi pro Eccleſiis, Religioſis familiis, piiſve locis, aut operibus, ſciant 1. Noſtram hanc licentiam nonniſi ad tempus concedi, adeoque revocari a Nobis, aut coerceri quandocumque poſſe. 2. ejuſmodi Noſtra facultate uti eos in Noſtra Diœceſi non debere, niſi illam prius Vicariis Foraneis, & in eorum abſentia Parochis oſtenderint, quorum partes erunt diligenter explorare, utrum germana, an ſuppoſititia eadem ſit, ac ſubinde diligenter inquirere, an quæ in eadem præſcribimus, executioni fideliter demandentur, ut, re ab iis ad Nos delata, in fraudulentos, fallaces, ac inobedientes pœna etiam carceris animadvertamus. 3. ab iis, qui pro locis Sacris, aliove pio opere, Nobis annuentibus, eleemoſynas collegerint, pecuniam ex iis conflatam in Epiſcopali Pietatis Monte, aut alio tuto in loco a Nobis deſignando eſſe deponendam, ut peractæ operæ, ſeu geſtæ adminiſtrationis ratio ſuo tempore Nobis reddi facilius, atque expeditius poſſit. 4. nemini, etiam in Eccleſiarum foribus, velata facie eleemoſynas petere licere, niſi id urgente admodum ex cauſa fieri aliquando permittamus. 5. nullam collectarum eleemoſynarum partem Quæſtoribus eſſe concedendam, & illicitam, vetitamque a Nobis declarari quamcumque de iiſdem participandis pactionem; ſed iis potius, ſi ejuſmodi charitatis officium explere gratis nolint, honeſtum aliquod ſtipendium eſſe conſtituendum. 6. ad hujuſmodi pia ſubſidia corroganda, non alios, quam viros probitate, modeſtiaque notos, & a turpi lucro prorſus alienos eſſe deligendos.

IV. Caveant præterea iidem 1. ne *Quæſtorum eleemoſynarum* nomen, quod Tridentina Synodus abolevit, uſurpare ſibi audeant. 2. ne Indulgentias evulgent; aut conciones habeant ad populum; aut Sanctorum hominum reliquias, ſeu ſacras imagines

gines circumferant; aut ſacra numiſmata, ſeu armillas, annulos, ſericas vittas, aliaque his ſimilia diſtribuant. 3. ne miracula, viſa, divina promiſſa, aut futurorum prænotiones venditent. 4. ne tamquam debitam, aut tamquam ſolitam, aut titulo alicujus recitandæ orationis in Deiparæ, aut Sanctorum honorem eleemoſynam petant. 5. ne animalia benedicant, pias imagines deoſculandas præbeant, campanulas, aut alia quævis inſtrumenta ad homines excitandos pulſent, ſcurrilibus verbis, aut minis, aut imprecationibus utantur. 6. demum ne quidpiam cujuſvis generis agant, quod fallaciam, ſuperſtitionem, rei ſacræ abuſum, aut animi levitatem redoleat; ſed in eleemoſynis quæritandis modeſti ſint, ac diſcreti, & pie, ſimpliciterque ſe gerant.

V. Confraternitates, aliæque piæ Fidelium Congregationes ſine Noſtra, aut ſine Vicarii Generalis licentia (1) neque ſibi vindicent, neque exercere audeant jus eleemoſynas in Noſtra Diœceſi conquirendi; & ſiquæ ſint in quaſi poſſeſſione juris ejuſmodi, ad Nos confugiant, ut pro arbitrio, ac paſtorali Noſtra ſollicitudine conſenſum, & auctoritatem Noſtram quaſi poſſeſſioni adjungamus. Siquæ autem ſint ad ejuſmodi pietatis officium exercendum inſtitutæ; volumus, ut eæ in eleemoſynis colligendis, ac diſtribuendis illum ſervent modum, quem iiſdem præſcribemus. Ut mulierum, ac puellarum pudori, prout officii Noſtri ratio poſtulat, conſulamus; eaſdem a pia ſtipe pro aliis publice, atque promiſcue conquirenda penitus excludimus.

VI. Regulares Mendicantes, quibus ab Apoſtolica Sede permiſſum eſt eleemoſynas quærere, ſi Conventum habeant (2), aut Monaſterium in Noſtra ſitum Diœceſi, Noſtra ad eas conquirendas licentia non egent, dummodo non per alios, ſed per ſui Ordinis Religioſos, aut Oblatos quærant. In Monaſterii enim, ſeu Conventus erectione conceſſa iis hæc cenſetur licentia, niſi expreſſe fuerit inhibita. At ſi nullum habeant in Noſtra Diœ-

Ss ceſi

(1) Clemens VIII. Conſt. 115. §.8. Concil. in Polignanen. 1621., & in Poſnanien. 24. Sept. 1622.

(2) Cap. *Tuarum*. de privilegiis, Sac.

ceſi Monaſterium, aut Conventum, non iis licet ſtipem quærere, niſi licentiam a Nobis petierint, & obtinuerint. Collectores elemoſynarum (1) pro Eccleſiis, Oratoriis, Sacris locis, ac piis operibus, earum Nobis rationem reddant, quoties illam requiremus. Eleemoſynæ, quæ occaſione vel Concionum, vel Indulgentiarum colliguntur, Noſtra accedente licentia, Tuſculanæ Diœceſis pauperibus a propriis Parochis erogentur. Nemini liceat (2) ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis Corporalium burſas, quas vocant, ad eleemoſynas colligendas adhibere.

ARTICULUS IV.

De Puellarum Frondiſterio, ſeu, ut ajunt, Conſervatorio.

SApientiſſime factum eſt, ut in omnibus fere Urbibus tum puerorum, tum etiam puellarum frondiſteria, ſeu, ut ajunt, Conſervatoria erecta ſint, in quibus tenella juventus ad liberaliores artes, atque ad domeſtica munia informata, Patriæ ornamento, Civibus vero, ac præſertim domeſticis, commodo eſſe poſſit. Cum itaque Deceſſorum Noſtrorum cura in Tuſculana Urbe, ac Diœceſi ad puellarum inſtitutionem loca fuerint deſignata; ex iis autem, uti diuturna experientia compertum eſt, non exiguum adjumentum in univerſam Civitatem, ac Diœceſim redundarit; officii Noſtri ratio, ac Noſter in gregem Nobis concreditum amor poſtulat, ut in iis conſervandis, augendiſque ſtudium omne, totamque induſtriam collocemus. Aliquas igitur perpetuo valituras leges ad locorum hujuſmodi conſervationem, atque incrementum opportunas ſtatuamus.

II. Quoniam vero ex Apoſtoli præcepto exoptandum vehementer eſt, ut omnes unum ſapiant; hanc unitatem in tota Diœceſi teneri ab iis omnibus volumus, quibus erudiendæ juventutis cura mandata eſt, ut ex vitæ, doctrinæ, habituſque conformatione

(1) Sac. Congreg. Concil. in Nucerina 19. Aug. 1579.

(2) Epiſt. Encycl. Sac. Cong. Epiſc. de mandato Clementis XI. ann. 1701.

Digitized by Google

tione ſenſuum quoque, animorumque unitas oriatur. Quamobrem Synodali hac perpetuo valitura lege ſtatuimus, ut in tota Diœceſi omnes Puellarum Magiſtræ eamdem vivendi, docendi, veſtiendique rationem teneant, quemadmodum audito plurium Canonicorum, Parochorum, aliorumque peritorum hominum conſilio decretum jam alias a Nobis fuit, cum univerſam Diœceſim Paſtorali Viſitatione luſtraremus. Cum enim comperiſſemus, puellarum Magiſtras in Noſtra Diœceſi commorantes neque eodem habitu, neque iiſdem regulis, neque eadem uti vivendi norma; omnium, quos in conſilium adhibuimus, ſententiis, ſuffragiiſque decrevimus, ut Magiſtræ omnes in poſterum eumdem habitum, eaſdem regulas, eamdemque vivendi rationem tenerent, ac illæ, quæ in Tuſculana Urbe diverſabantur, quarum videlicet regulas, vivendique rationem Apoſtolica Sedes, Epiſcopi plurimi, ac rerum omnium Magiſtra experientia comprobaverant. Quod quidem ſumma cum puellarum utilitate, publicique boni incremento factum jam fuiſſe gratulamur. Volumus itaque, ut firmum, ac perpetuum ſit, quod cum tanto Noſtræ Diœceſis commodo conjunctum eſſe intuemur.

III. Has omnes puellarum Magiſtras, quotquot ſunt, & futuræ deinceps erunt, enixe hortamur, & obſecramus in Domino, ut in exacta legum ſuarum obſervantia conſtanter perſeverent, ac puellarum educationem ſibi commiſſam, cujus gratia in tot Italiæ loca advocantur, atque ubique expetuntur, nulla ratione negligant, aut contemnant; ſed in ea ſolertius in dies promovenda totis viribus adlaborent. Illas quoque leges, quas, cum Frondiſteria viſitaremus, edidimus, omni, quo decet, ſtudio, diligentiaque exequi ſtudeant. Puellas potiſſimum timere Deum ab infantia ſua edoceant, Chriſtianæ Religionis Myſteriis, ac præceptis imbuant, ad otium demum vitandum, domeſticaque munia, ac muliebria opificia recte, alacriterque exercenda informent. Illud intelligant, ac memoria frequenter recolant, puellarum,

larum, quas ipſis educandas parentes tradunt, ſe Deo rationem eſſe reddituras.

IV. Orphanotrophium erat a Deceſſoribus Noſtris in Urbe Tuſculana conſtitutum, in quo orphanæ quædam puellæ tamdiu enutriebantur, quamdiu vel nuberent, vel in aliquo Monaſterio Religioſa Vota nuncuparent. Has Tuſculanus Epiſcopus Cardinalis Marcellus Corradinus provido ſane conſilio in ejuſdem Tuſculanæ Urbis Frondiſterium tranſtulit, ac piis puellarum Magiſtris tradidit educandas. Harum quoque curam, & inſtitutionem iiſdem Magiſtris enixe commendamus, ut bonis videlicet moribus informentur, ut muliebribus aſſueſcant laboribus, ut denique idoneæ fiant, quæ utrumlibet ſive Sæcularis, ſive Regularis vitæ genus utiliter amplectantur. Cum autem eæ peculiares habeant ſibi a Fundatore præſcriptas leges, curent Magiſtræ, ut ab iiſdem diligentiſſime obſerventur. Ea tandem ſit præcipua Magiſtris cura, is præcipuus labor, ut Chriſtianam Doctrinam cum quotidie in Scholis, tum Dominicis diebus in Templo puellas aſſidue, ac patienter edoceant. Summum enim ex eo labore in puellas emolumentum, in Magiſtras vero meritum, ac præmium eſt redundaturum.

CAPUT XXVII.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS; AC PRIMUM DE SUPERSTITIONE.

I. HActenus de Religionis virtute diſſeruimus. De vitiis nunc eidem oppoſitis ſumma cura, diligentiaque vitandis pauca dicamus. Verum ne in immenſum Synodales Noſtræ Conſtitutiones excreſcant; tria ex ipſis dumtaxat atrociora, & perniculoſiora ſeligamus, ſuperſtitionem videlicet, ſimoniam, & blaſphemiam, ac de eorum ſingulis peculiares leges Pontificiis Conſtitutionibus conformes ſtatuamus. In hoc capite de ſuperſtitio-

ſtitione, in aliis duobus, quæ conſequentur, de Simonia, & Blaſphemia diſſeremus.

II. Supeſtitio eſt vitium Religioni oppoſitum, quo quis vel cultum Deo exhibet, quem non debet, vel cultum illi exhibet, cui non debet. Primo modo peccare tripliciter quis poteſt, exhibendo videlicet Deo cultum vel falſum, vel ſuperfluum, vel indecentem. Falſum Deo cultum exhibet, qui Deum Judaicis, aut Mahometicis ritibus colit; qui falſas reliquias adorandas proponit; qui falſa fingit miracula, falſaſque revelationes venditat &c. Superfluum exhibet cultum, qui vel præter, vel contra Eccleſiæ præſcriptum, aut conſuetudinem in Miſſæ Sacrificio ſeu celebrando, ſeu audiendo, in Sacramentis ſeu ſuſcipiendis, ſeu adminiſtrandis, in aliis demum ſacris functionibus obeundis inutiles, ac vanas adhibet cæremonias. Indecentem tandem exhibet cultum, qui Deum aut verbis, aut factis, aut rebus colit, quæ ad ejus potius offenſam, quam laudem, & gloriam, conducere merito poſſunt. Secundo ſuperſtitionis genere peccari quinque modis poteſt, videlicet per idololatriam, magiam, divinationem, vanam obſervantiam, & maleficium. *Idololatria* eſt, qua cultus uni debitus Creatori tribuitur creaturæ, juxta illud Apoſtoli (1): *ſervierunt creaturæ potius*, *quam Creatori*; eaque perfecta eſt, quando externo cultui internus conjungitur, videlicet, cum quis creaturæ divinitatem ineſſe credit, eamque colere intendit, ac vult; & tunc duplex grave crimen admittit, infidelitatis contra Fidem, & ſuperſtitionis contra Religionem, nec abſolvi a Confeſſario poteſt, niſi is ſpecialem habeat abſolvendi ab hæreſi facultatem. *Magia* ſuperſtitioſa, ſeu diabolica in eo ſita eſt, ut quis Dæmonum ope, ac miniſterio per ſigna ab ipſis inſtituta mira quædam operetur. Hæc ex genere ſuo graviſſimum eſt crimen: expreſſam enim, aut tacitam ſemper continet Dæmonis invocationem, & benevolam cum eodem ſocietatem: maxime autem injurioſum Deo eſt, a creatura, Creatore

(1) Ad Rom. cap. 1.

tore relicto, Dæmonis opem implorari, & cum eo ſocietatem iniri. *Divinatio* eſt ſuperſtitioſa rei alicujus occultæ inquiſitio per Dæmonis invocationem, quæ ſemper vel expreſſa, vel tacita in ejuſmodi divinationibus intereſſe ſolet; uti faciunt ii, qui ex unguium, manuum, aliarumque corporis partium inſpectione, ex aere, aqua, igne, ſortibus, ſomniis, arreptitiis, mortuis, aliiſque futura prædicunt, furtaque, abditoſque theſauros indicant; aut qui ex Solis, & Lunæ, aliorumque aſtrorum occurſu, motu, poſituque de cujuſque ingenio, natura, & actionibus judicant, & quæ cuique eventura ſint, divinant, ac definiunt, quæque a libero noſtræ voluntatis arbitrio proficiſcuntur, ad fati revocant neceſſitatem. *Vana obſervantia* eſt illa, qua quis ad finem aliquem aſſequendum ea adhibet media, quæ neque ad illum ab Eccleſia ordinantur, neque a Deo, aut a natura ullam ad id habent vim, neque cum tali fine ulla ratione connectuntur. Hæc eſt eorum ſuperſtitio, qui ex quadrupedum vocibus, avium garritu, volatuque, hominum, pecudumve occurſu, aliiſque hujuſmodi inanibus obſervationibus de ſe, ſuiſque, aut aliorum rebus ſtatuunt, eaſque ſibi, ſeu aliis aut adverſas, aut ſecundas augurantur; & eorum, qui certa quædam ignota carmina, certa determinata verba, certos characteres, ſigna, notas, involucra, ligaturas, certum Crucum, atque orationum numerum, aliaque hujuſmodi inutilia adhibent ad ſanandas infirmitates, ad curanda vulnera, ad mitigandos dolores, ad ſanguinis fluxum cohibendum, ad ſe, aut alios invulnerabiles ab omni hoſtium incurſu, & a qualibet infirmitate, atque infortunio reddendos immunes. *Maleficium* denique eſt ſuperſtitio, qua Dæmonis opera, ac poteſtate, certis quibuſdam adhibitis ſignis, aut dictis, proximorum corporibus, aut ſubſtantiis detrimentum infertur.

III. Ut peſtiferum hoc mortalium genus Diabolum invocantium, cum eaque expreſſum, vel tacitum ineuntium pactum ſeu ad magiam, ut mira faciant; ſeu ad divinationem, ut occulta, ac futura ſciant; ſeu ad maleficium, ac veneficium, ut noceant,

ſeu

ſeu ad amorem, vel odium, vel alios inflamment, ſeu ad vanas obſervationes, ut proſpera, vel adverſa augurentur, a Noſtra Diœceſi exterminemus, ac nefarii ſceleris contagionem a Grege Noſtro arceamus; Hæc majori, qua pollemus, auctoritate ſtatuimus, decernimus, ac promulgamus.

IV. 1. Excommunicatos ipſo facto denunciamus magos, divinos, maleficos, veneficos, utriuſque ſexus ſtriges, qui malis ſuis artibus utuntur, ut homines, & pecudes aut perdant, aut in morbum conjiciant; ut tempeſtates excitent, theſauros inveniant, affectum concilient, aut demereantur; ut ſancta nuptiarum fœdera aut frangant, aut impediant &c., licet effectu non ſecuto; eoſque etiam omnes, qui hiſce operibus aut conſenſum, aut conſilium, aut auxilium ſeu ſcripto, ſeu lingua, ſeu manu præſtent. 2. in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac ſub cenſurarum pœna præcipimus (1) ut quicumque ejuſmodi delinquentium notitiam habeant, intra triginta ab habita notitia dies juxta Conſtitutiones Apoſtolicas, ac ſupremæ Inquiſitionis edictum, Nobis, qui Noſtra in Diœceſi ordinario jure adverſus hæreticam pravitatem Inquiſitoris munere fungimur, ejuſmodi delinquentes denuncient ſtatutis in Jure pœnis coercendos. 3. ſub eadem excommunicationis majoris pœna, aliiſque contentis in Apoſtolicis Conſtitutionibus (2) præcipimus, ut intra unius menſis ſpatium a die habitæ notitiæ Nobis denuncientur ii omnes, qui Aſtrologiam judiciariam, geomantiam, hydromantiam, chiromantiam, necromantiam exercent, & qui ſcripta, vel libros de malis hujuſmodi artibus pertractantes legunt, aut retinent. 4. ſub gravibus pœnis diſtricte prohibemus, ne quis Aſtrologos judiciarios, augures, hariolos, genethliacos, cæteroſque id genus divinatores conſulat, ut ſibi futura contingentia prænuncient, quæ potiſſimum a libera hominis voluntate proficiſci debent; aut occulta prorſus inquirant, quæ ſcire nequit, aut perſpicere hominis

(1) Leo X. Conſt. 43. *Honeſtis*, Gregorius XV. Conſtitut. 86. *Omnipotentis*, Extravag. Joannis XXII. *Super illius*.

(2) Sixtus V. Conſt. *Cœli, & terræ*.

nis mens, 5. qui forte, occulto Dei judicio, affectum ſe aliquo maleficio ſentit, caveat, ne ad magos, aut ſtriges confugiat, ut maleficium novo maleficio diſſolvatur: *qui enim talia agunt*, ut inquit Apoſtolus (1), *digni ſunt morte*, *non ſolum qui ea faciunt*, *ſed etiam qui conſentiunt facientibus*. Qui ergo talia patiuntur, eum curationis modum adhibeant, qui in Sacris Canonibus (2), & in Rituali Romano (3) præſcribitur. 6. tandem in omni ſuperſtitione tollenda, abolendaque, ſive eam probitas, & ſimplicitas, ſive fraus, ac dolus invexerit, magnopere excubare Parochorum curam volumus. Iis itaque mandamus, ut animum advertant, & ſiquem cultum, moremque ſuperſtitione aliqua imbutum, aut omnino ullum ſuperſtitionis genus in ſuorum mentibus inſediſſe intelligant, rem ad Nos deferant, ut malis ejuſmodi occurrere opportune valeamus. Confeſſarii quoque eamdem cogitationem ſuſcipiant, & ſi quos ſuperſtitionibus hiſce teneri intellexerint, graviter monitos, objurgatoſque ab ea pravitate, atque errore avertere, ac deterrere conentur. Illud præſertim mulieribus, rudibuſque perſonis inſinuent, ut ad pellendas febres, alioſque curandos morbos, non anilibus, ac ſuperſtitioſis remediis, ſed piis ad Deum, & Sanctos ejus precibus, Sacramentali animæ expiatione, ac Medicorum conſiliis, remediiſque utantur.

CAPUT XXVIII.

DE SIMONIA.

HOrrendum, & deteſtabile Simoniæ crimen eſt ſacrilegium (4), quo per emptionem, & venditionem, ſimilemve contractum res ſpiritualis pro temporali commutatur. Crimen hoc a Simone Mago nomen deſumpſit ſuum. *Hic enim Apoſtolis* (5) *obtulit pecuniam dicens*: *date & mihi hanc poteſtatem*, *ut cuicum-*

(1) Ad Rom. cap.1.

(2) Can. *Si per ſortiarias*. cauſ.33. qu.1.

(3) Ritual. Rom. tit. de exorcizandis.

(4) Suarez tom.1. de Religione tract.3. lib.4. cap.1.

(5) Actorum cap.8.

cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum; cui ſtatim Apoſtolorum Princeps reſpondit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*. Quibus ſane verbis hujus criminis malitiam explicavit, quæ tota in eo ſita eſt, ut res ſpiritualis, cujus pretium longe rerum omnium terrenarum valorem excedit, rei terrenæ, pro qua commutatur, æquiparetur, cum in permutationis contractu juſtitia commutativa ſervari omnino jubeat æqualitatem; & ut donum Dei, quod a ſola divina liberalitate pendet, hominum arbitrio, & æſtimationi ſubjiciatur, cum in contractum oneroſum non cadat, niſi id, quod contrahentium ſubeſt arbitrio, & æſtimationi; Et ſiquidem hanc vere intercedere æqualitatem, ac ſubjectionem Simoniacus credat, jam in hæreſim deteſtabilem prolapſus eſt, de qua Paſchalis Papa (1) inquit: *omnia crimina, ad comparationem ſimoniacæ hæreſis, quaſi pro nihilo reputantur*. Sin autem id credat, hæreticus quidem non erit, ſed maximum adhuc admittet ſcelus: dum enim rem tanti pretii cum re adeo vili commutat, ſuoque ſubjicit arbitrio, quod a divina liberalitate pendet; jam facto ipſo maxima cum injuria & rem, & liberalem rei largitorem Deum deſpicit, & contemnit.

II. Simonia alia eſt juris divini, ac naturalis, alia juris humani, & Eccleſiaſtici. Prior, quia mala eſt, ac juri naturali, divinoque repugnat, prohibetur: poſterior, quia jure humano, atque Eccleſiaſtico prohibetur, mala eſt. Prior admittitur, cum quis rem vere ſpiritualem, aut rei ſpirituali adnexam, cujuſmodi ſunt Hoſtia conſecrata, Sacramenta, Sanctorum Reliquiæ, Calix conſecratus, ut conſecratus, aliaque hujuſmodi, pro re temporali dat, aut promittit. Poſterior habetur, cum quis ſpirituale quidem dat pro ſpirituali, vel temporale pro temporali, ſed contra legem Eccleſiaſticam, quæ ex motivo Religionis propter periculum, & ſpeciem quamdam Simoniæ ſub pœnis adverſus Simoniacos in Jure Canonico conſtitutis id vetat. Hoc pacto Si-

 monia-

(1) Can. *Patet*. cauſ.1. qu.7.

moniaca eſt Beneficiorum permutatio, quæ ſine Superioris auctoritate fiat, quia tamquam Simoniaca, & ſub pœnis Simoniæ a jure Eccleſiaſtico (1) prohibetur, ne ſine auctoritate Superioris fiat. Idem dicendum de venditione Sacri Olei, aut Chriſmatis (2), quamquam ſolius materiæ pretium detur; aut Officiorum quorumdam temporalium Eccleſiaſticorum (3), quæ videlicet ad temporalium Eccleſiæ rerum adminiſtrationem ordinantur; aut rerum aliarum hujuſmodi.

III. Utraque Simonia alia eſt mentalis, alia conventionalis, alia realis. Mentalis eſt internus voluntatis actus, quo quis, dum alteri rem ſpiritualem confert, obligare illum intendit ad reddendum aliquid temporale, aut viceverſa. Ad mentalem itaque Simoniam actus quoque externus requiritur, puta rei ſpiritualis collatio pro re temporali intenta, aut viceverſa: ſed mentalis adhuc nuncupatur, quia Simoniacæ intentionis malitia non ſe prodit exterius, ſed in ſolo animo continetur. Cum autem Eccleſia non de internis, ſed de externis ſolum actibus judicet (4), nulla proinde pœna adverſus mentalem Simoniam eſt a jure Eccleſiaſtico conſtituta. Conventionalis eſt externa conventio, ſeu expreſſa, ſeu tacita, dandi, vel recipiendi aliquid ſpirituale pro temporali, & viceverſa, quæ nondum (ex utraque ſaltem parte) opere completa eſt; & ſiquidem ex neutra parte tradita ſit res conventa, *Simonia pure conventionalis*; ſi vero ex alterutra parte per traditionem rei conſummata fuerit conventio, *Simonia conventionalis mixta* nuncupatur. Adverſus Simoniam ſive pure conventionalem, ſive conventionalem mixtam nulla in jure Canonico pœna clare expreſſa reperitur: cum autem *in pœnis (5) benignior ſit interpretatio facienda*, nullam dicimus eſſe conſtitutam, ſed arbitrio Judicis eſſe relictam. Realis tandem eſt conventio de danda re ſpirituali pro temporali, aut viceverſa, utrinque opere

(1) Can. *Quæſitum*. 5., cap. *Cum olim*. 7. de rerum permutat.

(2) Cap. *Non ſatis*. 8. de Simonia.

(3) Cap. *Conſulere*. de Simonia.

(4) Cap. *Tua nos*. 34., & cap. *Mandato noſtro*. 46. de Simonia.

(5) Cap. *In pœnis*. 49. de regul. juris in 6.

Digitized by Google

opere completa ſaltem inchoative, quatenus ex. gr. ab una parte datum fuerit ſpirituale, ab alia vero pars ſaltem pretii conventi ſoluta fuerit. Adverſus Simoniam realem graviſſimæ ſunt a Sacris Canonibus inflictæ pœnæ.

IV. Tribus hiſce Simoniæ ſpeciebus alia addenda eſt, quæ *Simonia confidentialis* nuncupatur, & quæ tunc habetur, cum quis Eccleſiaſticum Beneficium alicui confert, aut reſignat, vel ad illud præſentat, aut eligit, vel electum, aut præſentatum confirmat, aut inſtituit cum certa confidentia, & obligatione, ideſt cum expreſſò, vel tacito pacto, ſeu conditione, ut tamquam ex debito, illud ſibi, aut alteri, puta fratri, nepoti, amico &c. intra certum temporis ſpatium iterum cedat, ſeu reſignet, aut ex eo penſionem, vel certam fructuum partem tribuat. Adverſus hanc Simoniam plura ſtatuerunt Sanctiſſimi Pontifices Pius IV. (1), & S. Pius V. (2) in ſuis Conſtitutionibus, quas ea ſuper re ediderunt, diligenter, attenteque conſulendi.

V. Nomine *rei ſpiritualis*, quæ pro re temporali traditur in Simonia juris divini, ac naturalis, omne, & ſolum id intelligitur, quod ad bonorum ſupernaturalium ordinem pertinet, & quod ad ſpiritualem animæ ſalutem ex divina, vel humana inſtitutione ſcimus eſſe ordinatum, cujuſmodi ſunt gratiæ gratum facientes, & gratis datæ, Sacramenta, & Sacramentalia, divina officia, & orationes ſeu publicæ, ſeu privatæ, omnes Eccleſiaſticæ Juriſdictionis actus, videlicet abſolutio a peccatis, & cenſuris, collatio Indulgentiarum, diſpenſatio in votis, & juramentis, electio, poſtulatio, præſentatio, nominatio, inſtitutio, collatio &c. cujuſvis beneficii, officii, atque Eccleſiaſticæ dignitatis, aliaque hujuſmodi, uti patet ex toto titulo Juris Canonici *de Simonia*. Nomine autem *rei adnexæ ſpirituali* ea intelliguntur, quæ intrinſece quidem ſpiritualia non ſunt, ſibi tamen adnexam habent, conjunctamque rem ſpiritualem, cujuſmodi ſunt Juſpatronatus, bene-

(1) Pius IV. Conſt. 85. *Romanum Pontificem.*

(2) S. Pius V. Conſtitutione 85. *Intolerabilis.*

Digitized by Google

beneficiorum reditus, penſiones, primitiæ, decimæ, oblationes, ſeu potius Jura has percipiendi, labor actualis in Sacramentorum adminiſtratione, & celebratione Miſſarum, Templa, Altaria, Calices, Vaſa, & Indumenta Sacra, Agnus Dei, aliæque res omnes conſecratæ, ſeu benedictæ, quæ utpote connexæ cum benedictione, ſeu conſecratione, ſeu cum beneficio, vel officio, aut miniſterio ſpirituali, *res adnexæ ſpirituali* dicuntur.

VI. Res temporalis, quæ pro re ſpirituali promittitur, aut datur in Simonia, munus dicitur, quatenus hæc vox onus ſignificat, & debitum ex obligatione, ac triplex eſt. *Aliud enim*, ut inquit S. Gregorius Papa (1), *eſt munus ab obſequio, aliud munus a manu, aliud munus a lingua. Munus quippe ab obſequio eſt ſubjectio indebite impenſa, munus a manu pecunia eſt, munus a lingua favor.* Pecunia, quæ munus a manu eſt, res omnes temporales pretio æſtimabiles, ſeu mobiles, ſeu immobiles, mutationem pecuniæ, debiti remiſſionem, aut dilationem, aut anticipatam ſolutionem, aliaque hujuſmodi complectitur. *Totum enim* (2) *quidquid homines habent in terra, omnia, quorum Domini ſunt, pecunia vocatur: ſervus, vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum eſt, pecunia dicitur. Ideo autem pecunia vocata eſt, quia antiquitus, quod habebant, in pecoribus habebant.* Munus ab obſequio quodcumque temporale miniſterium complectitur, ſeu ſervitium, aut obſequium, quod expreſſo, ſeu tacito pacto pro re ſpirituali promittitur, aut præſtatur ex. gr. ſi Eccleſiaſticum Beneficium (3) detur, & acceptetur loco temporalis mercedis, quæ pro miniſterio, aut ſervitio ſolvenda eſſet. Munus a lingua omnem complectitur laudem, commendationem, patrocinium, interceſſionem, aliaque hujuſmodi apud alium ex. gr. Epiſcopum, quæ ex pacto, tamquam res ex juſtitia debitæ pro re ſpirituali, puta beneficio, dentur, & acceptentur.

VII. Ad Simoniam neceſſario requiritur pactum aliquod, non

(1) Can. *Sicut nonnulli*. cauſ.1. qu.1.
(2) Can. *Totum*. cauſ.1. qu.3.
(3) Cap. *Cum eſſent*. de Simonia.

non tamen ſemper expreſſum. Sufficit enim (1) implicitum, ſaltem ex una parte inchoatum, aut intentum, quo quis temporale det animo alterum obligandi, aut movendi ad dandum ſpirituale, vel viceverſa. Hinc Innocentius XI. (2) duas haſce merito propoſitiones damnavit, quarum una hæc eſt: *Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tamquam pretium, ſed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi ſpirituale, vel etiam quando temporale ſit ſolum gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut e contra*: Altera vero hæc eſt: *Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motivum dandi ſpirituale: imo etiamſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis ſic, ut illud pluris æſtimetur, quam res ſpiritualis*. In his autem propoſitionibus manifeſte ſupponitur, temporale pro ſpirituali dari cum pacto aliquo ſaltem implicito, ac interpretativo, quod ad ſimoniam ſufficit.

VIII. Ut nefarium, atque execrabile hoc Simoniæ crimen in Noſtra Diœceſi ab omni Eccleſiaſticarum rerum tractatione arceatur, graviſſimas adverſus Simoniacos ſtatutas pœnas, quarum rigidiſſimos futuros Nos eſſe exactores pollicemur, in medium proferre ſtatuimus. Sic enim fiet, ut ſive Clerici, ſive Laici, ſin minus virtutis amore, formidine ſaltem pœnæ ab hujus labis contagione reddantur immunes. Cum autem in Ordinum potiſſimum, ac Beneficiorum collatione, & ſuſceptione, Simoniæ crimen admitti conſueverit; pœnas dumtaxat adverſus Simoniacam ejuſmodi collationem, ac ſuſceptionem præſcriptas recenſebimus.

IX. Primum itaque pœnæ adverſus Simoniam realem in Ordinum ſuſceptione, & collatione perpetratam, ſunt hæ, quæ ſequuntur. 1. tum conferens (3), quam ſuſcipiens Ordines ipſo facto excommunicationem incurrit. 2. Ordinans, quamquam occulta ſit Simonia, a quorumcumque Ordinum, ac primæ etiam Ton-

(1) Cap. *Tua nos*; & cap. *Et ſi quæſtiones*. de Simonia.

(2) Innocentius XI. in damnat. propoſitione 45., & 46. edita 2. Martii 1679.

(3) Extravag. *Cum deteſtabile*. de Simonia.

Digitized by Google

Tonſuræ collatione, & a munerum omnium Pontificalium executione eſt ipſo facto ſuſpenſus, & ab ingreſſu Eccleſiæ interdictus, neque ab his cenſuris, niſi a Romano Pontifice, abſolvi poteſt. Quod ſi interdictum violet, non modo irregularitatem (1), verum etiam ſuſpenſionem incurrit ab Eccleſiæ ſuæ regimine, & adminiſtratione, & ab omnium perceptione fructuum beneficiorum ſuorum. Has pœnas ſtatuit Sixtus V. Conſtitutione (2), quæ incipit: *Sanctum, & ſalutare*; easque in ſuo robore permanere voluit Clemens VIII. (3), licet quoad aliqua præfatam Sixti V. Conſtitutionem ad terminos juris revocaverit. Si vero manifeſtum ſit Simoniæ crimen, non minus Ordinans, quam Ordinatus a ſuo gradu, & ab Eccleſiaſtico officio eſt deponendus. *Qui enim per pecuniam*, uti habemus in Jure Canonico (4), *quemque conſecraverit, vel ab alio conſecratus eſt, alienus a Sacerdotio fiat*. 3. qui Simoniace ſcienter ſuſcepit Ordines, non modo excommunicationem, verum etiam ſuſpenſionem (5) ipſo facto incurrit ab omnium ſuorum Ordinum tam ſimoniace, quam non ſimoniace ſuſceptorum executione, etiamſi occulta ſit ſimonia. Quod ſi ita ſuſpenſus aliquem Ordinis actum exerceat, non modo irregularitatem, verum etiam privationem (6) incurrit beneficiorum omnium, atque officiorum, & ad ea obtinenda inhabilitatem, ſi ſæcularis ſit, ſi vero ſit Regularis, privationem vocis activæ, & paſſivæ, & inhabilitatem ad dictam vocem habendam, quin ab his cenſuris, niſi per Romanum Pontificem, abſolvi poſſit: & hæ quidem pœnæ, etiamſi occulta ſit ſimonia, locum habent.

X. Pœnæ adverſus ſimoniam realem in beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum collatione, & ſuſceptione admiſſam ſunt

(1) Cap. *Cum medicinalis*, & cap. *Is cui*. de ſent. excomm.

(2) Sixtus V. Conſt.91. *Sanctum*, & *ſalutare*.

(3) Clemens VIII.Conſt.40. *Romanum Pontificem*.

(4) Can. *Qui per pecuniam*. cauſ. 1. quæſt. 1.

(5) Extravag. *Cum deteſtabile*. de Simonia.

(6) Sixtus V. Conſt. cit. *Sanctum*, & *ſalutare*.

Digitized by Google

ſunt hæ. 1. quicumque Eccleſiaſticum officium, aut beneficium ſive ſæculare, ſive Regulare ſimoniace (1) conferunt, aut directe, vel indirecte procurant eligendo, poſtulando, præſentando, commendando &c., & quicumque ſimoniace acquirunt, ipſo jure, & ipſo facto excommunicationem Papæ reſervatam incurrunt. 2. ejuſmodi collatio, proviſio, & acquiſitio ſimoniaca eſt ipſo jure (2) nulla, ita ut Beneficiatus ſub gravis culpæ reatu beneficium dimittere, fructuſque omnes, ſiquos inde percepit, reſtituere teneatur. 3. Beneficiatus fit (3) perpetuo inhabilis ad ejuſmodi beneficium, aut officium obtinendum, niſi ſuper hoc a Papa cum eo diſpenſetur. 4. fit etiam (4) inhabilis ad quæcumque alia beneficia obtinenda. 5. per ſententiam Judicis aliis (5) etiam beneficiis antea Canonice obtentis privandus eſt,& ab altaris miniſterio (6) perpetuo deponendus. Has pœnas inducit etiam realis ſimonia Juris Eccleſiaſtici in reſignatione, & permutatione beneficiorum admiſſa.

XI. Uſque eo ſimoniæ ſcelus deteſtatur Eccleſia, ut ſi illud in beneficii collatione, non quidem ab eo, cui beneficium confertur, ſed illo prorſus inſcio, ab alio fuerit admiſſum, Beneficiatus adhuc, cum primum ſimoniam eſſe commiſſam agnoſcit, etiam ante ſententiam Judicis beneficium dimittere jubeatur. Nam (7) *ſecundum Sacrorum Canonum inſtituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Eccleſias per pecuniam ſunt adepti, eas dimittere tenentur*. Duo tamen caſus ab hac generali regula ſunt excipiendi. Primus eſt, cum quis in odium illius, cui beneficium conferendum eſt, ipſo prorſus inſcio, ſimoniam committit. Expreſſam in Jure Canonico (8) hanc exceptionem habemus his verbis: *Niſi*

(1) Extrav. *Cum deteſtabile*. de Simonia, & S. Pius V. Conſtitut. 5. *Cum primum*.

(2) Cap. *Matthaus*. de Simonia, cit. Extrav. *Cum deteſtabile*, & cit. Conſtit. *Cum primum*.

(3) Cap. *Si alicujus*. de elect., & cap. *Nobis fuit*. de Simonia, & cit. Conſtit. *Cum primum*.

(4) Cit. Conſt. *Cum primnm*.

(5) Cap. *Cum ſuper*. de confeſſis.

(6) Cap. *De hoc*. de Simonia.

(7) Cap. *Sicut tuis*. 33. de Simonia.

(8) Cap. *Nobis fuit*. de Simonia.

Niſi conſtaret, illos, qui promiſſum tale (nempe ſimoniacum) *fecerunt, per fraudem in diſpendium illius, qui eligendus erat, id malitioſe feciſſe*. Alter caſus eſt, cum quis ſciens ab alio ſimoniam committi, adverſum illam expreſſe proteſtatur, & adhuc, proteſtante prorſus inſcio, ſimonia completur, & beneficium ſimoniace confertur. Hanc quoque exceptionem Sacri Canones (1) nobis exhibent per hæc verba: *Quoniam ex eo, quod contra prohibitionem, & voluntatem tuam aliquis, te penitus ignorante, promiſit pecuniam, & exſolvit, nihil tibi debet ad pœnam, vel ad culpam imputari*. At ſi quis ſciret, pro ſe ſimoniam ab alio committi, & ipſe non contradiceret, neque proteſtaretur; aut ſi contradiceret, ſciret tamen illum in ſimonia pergere, adeoque beneficium ſimoniace obtineri, & adhuc illud acceptaret; is ſane facto ipſo ſimoniam approbare, & in illam conſentire cenſeretur; adeoque ante quamcumque Judicis ſententiam ejuſmodi beneficium a ſe abdicare teneretur.

XII. Simoniæ tandem confidentialis pœnæ hæ (2) ſunt. 1. qui illam committit, ipſo facto non modo excommunicationem incurrit, verum etiam privatur & beneficio per ſimoniam confidentialem acquiſito, & aliis omnibus beneficiis, ac penſionibus canonice prius obtentis. 2. fit inhabilis tum ad idem, tum ad alia quæcumque beneficia obtinenda. 3. collatio beneficii ſimoniace obtenti ſoli Romano Pontifici reſervatur. 4. fructus ex beneficio per ſimoniam confidentialem obtento male percepti, Apoſtolicæ Cameræ ſunt applicandi. 5. hæ omnes pœnæ contra ſimoniam confidentialem ſtatutæ non modo ſubeundæ ſunt, quando ea eſt realis, ſed etiam quando eſt conventionalis mixta.

XIII. Qui in ſimoniæ crimine perpetrando temporale aliquid accepit, illud ante quamlibet Judicis ſententiam, etiamſi occultiſſima fuerit ſimonia, ſub gravi reſtituere debet, & quando circa beneficia ſimonia commiſſa eſt, non quidem illi, qui dedit,

(1) Cap. *Sicut tuis*. de Simonia.

(2) Pius IV. Conſt. 85. *Romanum Pontificem*, & S. Pius V. Conſt. 85. *Intolerabilis*.

dedit, ſed pauperibus, aut Eccleſiæ reſtituere jubetur. Quæ quidem obligatio oritur etiam ex ſimonia mentali, licet adverſus illam nulla ſit in jure pœna præſcripta. Onus enim reſtituendi temporalia ſimoniace accepta non eſt pœna juris, ſed eſt obligatio juſtitiæ, ac juris divini orta ex injuſta acceptione, adeoque occultiſſimis etiam adnexa delictis, propter quæ mentales ſimoniaci *apud diſtrictum* (1) *Judicem, qui ſcrutator eſt cordium, & cognitor ſecretorum, culpabiles judicantur*.

XIV. *Tanta eſt* (2) *hujus criminis labes, ut etiam ſervi adverſus dominos, & quilibet criminoſi ad accuſationem admittantur*. In cauſis autem ſimoniæ, etiamſi reus ſit laicus, ſolus Eccleſiaſticus Judex cognoſcere, ac definitive pronunciare poteſt. Cum enim ſimonia circa ſpiritualia objecta verſetur, jam eſt cauſa ſpiritualis, atque Eccleſiaſtica, quæ proinde ad ſolos Eccleſiaſticos Judices privative pertinet, juxta illum Canonici juris (3) textum: *decernimus, ut laici eccleſiaſtica tractare negotia non præſumant*. Si qua ergo ejuſmodi cauſa (quod tamen Deus avertat) in Noſtra Diœceſi occurrat, ad Noſtrum Forum cognoſcenda, ac dijudicanda deferatur Simoniaci autem, ut diſpenſationem obtineant pro foro externo, quando ſimonia eſt publica, ad Datariam; pro foro vero interno, quando eſt occulta, ad Sacram Pœnitentiariam recurrant. Hîc tamen duo monemus. Primum eſt, quod cum agitur de Simonia reali (4) ſcienter contracta, & de beneficiis, ſuper quibus eadem contracta fuit, Sacra Pœnitentiaria diſpenſare non poteſt, neque convalidare eorum beneficiorum titulos, etiam in foro conſcientiæ tantum, etiam in caſibus occultis, niſi forte prædicta ſimonia contracta fuerit ignoranter ignorantia facti, vel juris, & Orator de illa certior factus, quamprimum commode potuerit, diſpenſationem petierit; quod quidem procedit etiam de penſionibus, ſuper quibus ſimonia realis

Vv ſcien-

(1) Cap. *Tua nos*. de Simonia.
(2) Cap. *Tanta*. de Simonia.
(3) Cap. *Decernimus*. de judiciis.
(4) Benedictus XIV. Conſt. *Paſtor bonus*. §.22. edita Idibus Aprilis 1744.

Digitized by Google

ſcienter contracta, & commiſſa fuerit. Alterum eſt, quod eadem Sacra Pœnitentiaria condonare (1) nequit pretium ſimoniacum, quando in Eccleſiam læſam, vel pauperes erogari debet, præterquam ſi delinquentium paupertas, & qualitas ſuadeant, aliquam ejus partem ipſis remitti, aut condonari poſſe, reſiduam ſemper in Eccleſiam, vel alios pauperes erogando.

XV. Cum autem in præſentatione, vel electione ad Eccleſiaſticum beneficium, aut officium aliquando ex malitia, aliquando, & fortaſſe crebrius, ex ignorantia ſimonia perpetretur; nequid ejuſmodi in Noſtra Diœceſi contingat; plura hic tum Laicos, tum Clericos monendos arbitramur, a quibus abſtineant, ne ſimoniaca labe polluantur. 1. Patroni a præſentatis ad Beneficium ſive ſimplex, ſive curatum nihil temporale (2) poſſunt exigere, niſi id, quod in ipſa fundatione impoſitum fuiſſe conſtat. Quare ſimoniaca eſt præſentatio, ſi fiat cum pacto novi oneris circa res temporales Patrono ſolvendas. 2. Simoniaca etiam eſt præſentatio (3), ſiquid temporale detur, aut promittatur ad habenda Patronorum ſuffragia, aut præſentationes, etiamſi id fiat (4), ipſo præſentato ignorante. 3. beneficii reſignatio cum reſervatione regreſſus, ingreſſus, vel acceſſus nonniſi in Summi Pontificis manibus fieri abſque Eccleſiaſtici Juris ſimonia poteſt. 4. nonniſi etiam accedente Romani Pontificis facultate, atque approbatione fieri ſine Eccleſiaſtici Juris ſimonia poteſt beneficii reſignatio cum pacto, ut reſignatarius ſolvat expenſas factas olim a reſignante, dum beneficium illud obtinuit; vel ut ſolvat expenſas omnes in admiſſione reſignationis, & in Bullarum expeditione factas, quæ cæteroquin ab utraque parte eſſent faciendæ. 5. Simoniacum eſt (5), ad habendum ſuffragium in electione, vel præſentatione promittere Eccleſiaſticum beneficium, aut officium, multoque magis ſimoniaca eſt ejuſmodi promiſſio, ſi ſit

(1) Benedictus XIV. cit. Conſt. §.23.

(2) Cap. *Sicut*. de ſuppl. neglig. Prælat., & cap. *Præterea*. de Jurepatronat us.

(3) Arg. cap. *Veniens*. de Simonia.

(4) Cap. *Nobis*. de Simonia.

(5) Cap. *De hoc*. de Simonia.

ſit reciproca. 6. Simoniacum eſt (1) vendere Juſpatronatus, etiamſi Laicale ſit, & Patroni illud vendentes in pœnas adverſus ſimoniacos latas incurrunt.

XVI. Invectus a quibuſdam Clericis abuſus fuerat, ut Beneficiati annuos beneficiorum ſuorum reditus, quos, donec viverent, percipere potuiſſent, unico actu alienarent ſub nomine cedendi commodum, ſeu utilitatem percipiendi eorumdem beneficiorum fructus, quos videlicet alteri, quoad viverent, vendebant, recepta pecunia ad eam ſummam, & quantitatem, quam ipſi, habita ratione eorum ætatis, & corporis valetudinis, durante vita, veriſimiliter conſequi potuiſſent. Cum autem ſic collectam pecuniam improvidi hujuſmodi Clerici non ſine aliorum Fidelium ſcandalo inconſulta prodigalitate diſperderent, plurimaque inde, & gravia mala orirentur; Benedictus XIV., ut improbam hanc conſuetudinem, ac non ferendam pravitatem penitus aboleret, Conſtitutionem (2) edidit, cujus exemplar in Appendice num. 29. exhibemus. Per eam primum Clericis omnibus quacumque dignitate, præeminentia, honore, & privilegio inſignitis interdicit, & prohibet, ne in poſterum audeant ſub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, & colore vendere, ac diſtrahere ſuorum reſpective beneficiorum reditus, & proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam, vel plures ſolutiones pecuniarum quantitate, quam ipſi Beneficiati per ejuſdem temporis, vel vitæ ſpatium probabiliter conſequi potuiſſent. Id autem prohibet ſub pœna excommunicationis, & nullitatis actus, ſeu contractus, & omnium inde conſecutorum, aliiſque pœnis inflictis, præſcriptis, & ſtatutis, quas renovare, ac decernere intendit. Deinde omnes hujuſmodi contractus, quos in futurum fieri contigerit, damnat, caſſat, irritat, & annullat, eoſque decernit ſuis Auctoribus tamquam invalidos, irri-

(1) Cap. 1., & cap. *Præterea*. de jurepatronatus.

(2) Benedictus XIV. Conſt. *Univerſalis Eccleſiæ*. edita 4. Cal. Septemb. 1741.

irritos, & inanes, viribuſque, & effectu ab initio vacuos neque in judicio, neque extra, ad ullum effectum ſuffragari debere, neminemque ad eorum obſervantiam obligari, etiamſi pluries juramento firmati, & vallati ſint, ac nullum inde jus cuicumque, aut actionem, vel titulum etiam coloratum poſſidendi, aut præſcribendi per quodvis longiſſimum temporis ſpatium acquiri unquam poſſe.

XVII. Alius quoque non minus execrabilis inoleverat abuſus. Clerici quidam beneficia, quæ poſſidebant, aliis reſignabant, annua ſibi ſub Apoſtolico beneplacito penſione reſervata: ſed pactum eodem tempore cum Reſignatario inibant, ut is dictam penſionem repræſentata pecunia caſſaret, & aboleret, factis videlicet quibuſdam anticipatis pecuniarum ſolutionibus ad eam ſummam, quæ ſtabilita inter ipſos fuerat ad penſionis extinctionem, ſeu potius ad palliatam ipſius beneficii venditionem nefarie perficiendam. Ut autem Apoſtolicæ Datariæ Officialium vigilantiam fallerent, hoc utebantur conſilio. Inito inter ipſos clandeſtino pacto, conventaque, imo etiam aliquando apud publicum mercatorem, ſeu menſam argentariam depoſita ad penſionem extinguendam pecuniæ quantitate, una ſimul expediri curabant & Bullam reſignationis beneficii, & Bullam penſionis reſervatæ ſuper eodem beneficio favore reſignantis, ita tamen ut vel eodem, vel non multo poſt tempore, quo ſupplicationi pro reſervatione penſionis ſolita data apponebatur, alia ſupplicatio ſubſcriberetur pro extinctione penſionis per anticipatas, ſeu anticipandas ſolutiones facienda, nulla tamen facta mentione de abominanda conventione, ac ſimoniacam labem redolente pacto. Ut execrabile hoc malum, quo non leve Eccleſiaſtico Ordini dedecus, & infamiæ nota inurebatur, Benedictus XIV. coerceret in poſterum, & longe a Sanctuario Dei profanam hujuſmodi abominationem removeret; Conſtitutionem (1) edidit, quam damus in Appendice num. 30. In ea ſtatuit, ac declarat 1. omnia hujuſ-

(1) Benedictus XIV. Conſt. *In ſublimi.* edita 4. Cal. Sept. 1741.

hujuſmodi pacta, per quaſcumque perſonas quavis dignitate, honore, ac præeminentia inſignitas ineantur, tamquam a Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus improbata, & ſimoniacam labem redolentia, nulla eſſe, caſſa, atque irrita. 2. omnes penſionum caſſationes, quæ in poſterum intra ſex menſes a die poſſeſſionis beneficii per reſignatarium captæ fierent; irritas eſſe, nullas, viribuſque, & effectu vacuas, etiamſi probari poſſit nullum præcedens inter partes pactum interceſſiſſe, & licet ſupplicatio pro caſſatione manu Romani Pontificis ſignata fuerit. 3. tam reſignantem, quam reſignatarium ab omni beneficii jure decidiſſe, eoſque ipſo facto, abſque alia declaratione, vel Judicis ſententia privatos, & ad alia obtinenda inhabiles eſſe, ac fore, & a quocumque beneficium hujuſmodi, tamquam de jure, & de facto vacans, impetrari poſſe. 4. reſignantem ſub peccato gravi teneri ad reſtituendas pecunias pro caſſatione penſionis indebite, & ſimoniace perceptas, quæ arbitrio Ordinarii piis locis applicandæ erunt, aut pauperibus diſtribuendæ; & ſi renuat, ipſó jure, abſque alia ſententia, & declaratione, Eccleſiaſticis remediis, ac pœnis cogi poſſe. 5. nullas item eſſe, & irritas ceſſiones omnes, ſeu translationes in ipſum reſignatarium, aut in aliam perſonam commodi, ſeu utilitatis percipiendi fructus penſionum hujuſmodi, & alias quaſcumque ceſſiones, translationes, reſignationes, extinctiones &c. per anticipatas ſolutiones, ſeu repræſentata pecunia factas intra dictum ſex menſium tempus, & etiam ultra id temporis ſpatium, dummodo reprobum illud, ac deteſtabile pactum interceſſiſſe conſtiterit.

XVIII. Adeo execrandum, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ univerſæ corrumpendæ, ſolvendæque accommodatum eſt ſimoniæ crimen, ut non ſatis ſit ſevere ex Sacrorum Canonum jure in eos animadvertere, qui ſe eo ſcelere devinxerunt, niſi ſceleris quoque Miniſtri pari ſeveritate coerceantur. Non minus itaque Notarios, qui nefariæ fraudis, pactioniſque conſcii tabulas confecerint, quam pactorum internuncios, conciliatores, interpre-
teſque

teſque omnes, ſi forte umquam in Noſtr
ſeveriſſimis ad Sacrorum Canonum nor
Ne tamen umquam Grex Noſter hac ex
rochos omnes, Confeſſarios, & Concic
mino, ut quoties ſeſe opportuna præbe
diligentiaque Fideles admoneant, quam
deteſtabile, quam gravibus ab Eccleſia
demum, etiam quoad terrenas opes, nulli
menti, cum qui hujus criminis reus eſt,
reſtituere, & beneficium ſimoniace a
& fructus omnes ex eo perceptos in p
cris Canonibus jubeatur.

CAPUT X

DE BLASPHEMI.

AD extremum Iniquitatis, ac impie
videntur ii, qui bonorum omni
num Deum ſuum, quem laudum præcor
contumeliis, conviciis, ac maledictis i
enim, ac tam execrandum blaſphemiæ cr
teſte (1), ſi cum eo reliqua crimina comp
poſſint. Nam *qui peccant*, uti explicat S.
tranſgrediuntur; *qui vero blaſphemant*, *co*
linquunt. Imo etiàm blaſphemos Judæis
rito poſſumus: nam hi, *ſi cognoviſſent*,
numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent: bla
num gloriæ cognoſcunt, & eodem tempo
ficiis cumulantur, adverſus ipſum nefaria L
ſari non erubeſcunt. Accedit huc, quod
fere omnes aut cupiditate, aut voluptate
furari, aut fœnerari vellet, niſi utilitatis

(1) Hugo in Iſaiam cap.18. (2) Athanaſius in cap.12.M

Digitized by Google

gendæ rei ab honeſti, rectique tramite abduceretur? Quis libidinum luto inquinari ſe pateretur, niſi eum ſenſus delectatio pelliceret, ac deliniret? At quæ utilitas, quæ voluptas blaſphemantem, Deoque maledicentem ſequitur? Profecto nulla: unde fit, ut qui blaſphemant, non ſcelerate ſolum, atque impie, ſed nequiter etiam, & crudeliter, &, ſi fas eſt ita loqui, quodammodo gratis delinquant.

II. Verum divinam ultricem iram nefarii id genus homines expaveſcant, & ſe, niſi confeſtim reſipuerint, maledictos jam a Deo, & condemnatos eſſe ſciant, juxta illud Tobiæ (1): *Maledicti erunt, qui contempſerint te, & condemnati omnes, qui blaſphemaverint te.* Imo humanæ quoque poteſtatis vindictam reformident, cum adverſus horrendum hoc, ac deteſtabile ſcelus jura omnia clament, promeritaſque illi pœnas decernant. In Moſaica (2) Lege præceperat Deus, ut blaſphemi extra caſtra, tamquam infames ejecti, ab univerſo populo lapidibus obruerentur. In Jure Canonico novæ ſemper, gravioreſque pœnæ adverſus blaſphemos ſunt conſtitutæ. Pelagius Papa decrevit, ut Satanæ traderentur blaſphemi, quemadmodum Hymenæum, & Alexandrum, qui blaſphemaverant, Satanæ ſe tradidiſſe ſcribit Apoſtolus (3). Pius Pontifex (4) deponi Clericos, laicos vero excommunicari juſſit, ſi blaſphemaſſent. Gregorius IX. (5) hanc inuri blaſphemis pœnam voluit, ut iis in Eccleſiam aditus non pateret, niſi prius per ſeptem ferias ſextas jejunium in pane, & aqua toleraſſent, & per ſeptem Dominicos dies præ foribus Eccleſiæ in eo ſtetiſſent loco, qui erat olim ſolemniter pœnitentibus deſtinatus, & eorum quidem poſtremo die pallio, & caligis nudati, circumductam collo funem, aut corrigiam geſtarent (6). Graviores mox ſtatuerunt pœnas Leo X. (7), Julius III. (8), S.Pius V.

(1) Tobiæ cap.13.
(2) Levitici cap. 14.
(3) Can. *Apoſtolicæ*. cauſ. 24. qu. 3.
(4) 1. Ad Timoth. cap. 1.
(5) Can. *Si quis* cauſ. 24. qu. 1.
(6) Cap. *Statuimus*. de Cleric. Maled.
(7) Leo X. Conſt. 7. *Supernæ*. §.33.
(8) Julius III. Conſt.25. *In multis* §.2.

S. Pius V. (1), aliique Romani Pont
homines, ſi fieri poſſet, tam graviu
ſario crimine perpetrando deterreantu
ne abire voluit tantum nefas. Juſtir
blaſphemos divina indignos miſericor
damnavit ſupplicio. Alias aliæ Natio
tuerunt pœnas. Quid plura? Mah
ſane Vir, Chriſtianique nominis hoſ
clis ſuis turpitudinis genus omne in A
tamen ſceleris immanitatem diſſimula
qui Deum, aut Chriſtum, Deiparan
rent, hanc ſubire voluit pœnam, ut

III. Ut grave adeo, ac deteſtab
ceſis finibus procul exulet; omnes,
Dei cultores, ac filios obſecramus in
miſericordiæ Dei noſtri obteſtamur,
viribus a tabernis, a plateis, a domib
ſculanæ Diœceſis angulo ſcelus hoc p
nent. Concionatores, Quadrageſim
habendis ad Populum concionibus ſu
invehantur, ſuorumque Auditorum ar
horrorem ingerant. Id etiam Parochi
gelio, tum in habenda Catecheſi D
Iidem vero Parochi, & Confeſſarii or
nitentiæ Sacramento ſeveros ſe Judices
beant, neque recidivos, pravoque bla
abſolvant, niſi, ſublata quacumque
ſit, præviam emendationem exhibean
nitentias ſe ſubituros ex animo pollice
forte blaſphemantes audierint, ſever.

(1) S. Pius V. Conſt. 5. *Cum primum Apoſtolatus*. §. 10.

(2) ... §. *Et* ...

gent, ne veniat ira Dei ſuper eos, & propter peccata filiorum tota ſubvertatur, ac diſpereat familia. Domini famulos, Artifices vero operarios, atque alumnos ſuos, ſi hoc laborare vitio ſciant, acri correptione reprehendant, & ſemel, aut iterum admonitos, niſi reſipuerint, e domo pellant, ne una cum fontibus, quos ſecum alunt, divini furoris animadverſione corripiantur. Fideles demum omnes, ac ſinguli, ſi quem blaſphemantem audiant, eum aperte objurgent, niſi aut grave ſibi ciere periculum, aut blaſphemanti graviorum criminum occaſionem præbere prudenter vereantur.

IV. *Ut autem blaſphemi* (1) *ſentiant punientis zelum*, (S.Cypriani verbis utimur) *qui negligunt corrigentis charitatem*, Nos obſequentes Sanctiſſimi Pontificis Pii V. Conſtitutioni (2), cujus ſummam prima Dominica cujuslibet menſis die a Parochis Populo legendam, in Appendice damus num.31., ſtatuimus 1. ut in hujuſmodi crimine perſequendo non ſolum per accuſationem, & inquiſitionem, ſed etiam ad ſimplicem, & ſecretam denunciationem procedi poſſit. 2. ut in blaſphemo condemnando, vel corrigendo, non modo ex duobus teſtibus plena probatio conſurgat, ſed etiam denuncians, ſi interpoſito jurejurando denunciet, unius teſtis vices, ac locum ſupplere poſſit: in eo autem caſu inſpectionem, ac judicium quoad denunciantis, alteriuſque Teſtis qualitatem, integritatem, ac fidem Nobis reſervamus. 3. ut blaſphemi eas nequitiæ ſuæ ſubeant pœnas, quas adverſus illos Leo X. (3), Julius III. (4), ac potiſſimum S. Pius V. (5) ſuis Apoſtolicis Conſtitutionibus ſtatuerunt.

V. Quicumque igitur ſacrilego, atque inceſto ore maledicere Deo auſus fuerit, vel impuris, obſceniſque verbis Jeſu Chriſti Domini Noſtri, aut Deiparæ ſemper Virginis Mariæ nomen uſurpare, ac palam, expreſſeque blaſphemare; primo quidem ſcuta romana vigintiquinque, ſecundo quinquaginta, tertio centum

(1) S. Cyprianus Epiſt. 51.

(2) S. Pius V. Conſtitut. 5. *Cum primum* §. 13.

(3) Leo X. Conſt. 7. *Supernæ*. §. 35.

(4) Julius III. Conſt. 23. *In multis*. §. 2

(5) S. Pius V. Conſt. *Cum primum*.

tum perſolvere jubeatur; & ſi opus ſi
poralibus, afficiatur pœnis. Harum
locis piis arbitrio noſtro applicetur; a
accuſator, aut qui ſecreto delinquente
ſiquis humili loco natus ob inopiam,
dæ huic multæ impar ſit; primo rev
frænoque ori impoſito, ad temporis
dum, ante Cathedralis, ſeu Parœcialis
ſecundo virgis per Urbem, aut pag
cædatur: tertio demum publica notat
netur. Si vero Clericus ſit is, qui ſe
xit; primo quidem fructibus unius an
quæ obtinet, multetur; ſecundo ben
dignitatibus omnibus eidem ademptis
lium ejiciatur. Quod ſi nullo prædit
crimen primum vel pecunia, vel co
bus mancipetur; poſtremo degradat
catur. Siquis autem in cœleſtes Spirit
animis improba jactare verba, ſancto
liofe appellare non dubitaverit; ſev
inadvertetur, & pro modo culpæ, a
cuniaria multa, vel aliis arbitrio Noſ

VI. Quoniam vero frequentius,
tabernisque vinariis, ſeu inter pocula
dendum evomi blaſphemiæ ſolent; v
Caupones, ac tabernarum conducto
blaſphemos, in Civitate quidem N
Generali, in Oppidis vero Vicariis F
mul Teſtes indicent, qui blaſphema
audierint: niſi fecerint, multam ſibib
vigintiquinque, & gravioribus etiam,
pœnis. Volumus etiam, ut, præter
conductores, alii quoque blaſphemos
inobedientiam, neglectumque Dei

ultionem, iiſdem, quibus blaſphemi, pœnis eſſe malint obnoxii, quemadmodum Julius III. ſua Conſtitutione ſancivit. Ne quis vero ab hoc obeundo officio ulla ratione deterreatur, perſpectum, notumque omnibus ſit, occultos fore ſemper eos, qui denunciaverint, imo facultatem iiſdem a Nobis fieri, ut per epiſtolam ad Nos, ſeu ad Vicarium Noſtrum Generalem datam delinquentes, ac Teſtes revelare poſſint. Ne autem impune umquam ſit tantum ſcelus; Vicariis Foraneis facultatem facimus recipiendi ejuſmodi denunciationes, examinandi Teſtes, Reos capiendi, & conſtituendi, & proceſſum conſtruendi; quem ubi confecerint, ad Vicarium Noſtrum Generalem una cum delinquente tranſmittent, ut ab eo promerita reus condemnari poſſit pœna, quam nemo ſibi eo nomine condonandam blandiatur, quod ſive ex ira (1), ſive ex ebrietate, ſive ex joco, animique levitate blaſphemaverit: numquam enim in Noſtro externo Foro haſce ob cauſas tota remittetur pœna, ſed graviter adhuc a Nobis in Reum animadvertetur. Verum cum illud potiſſimum in his ferendis legibus ſit Nobis propoſitum, ut blaſphemi reſipiſcant, neque deinceps in tantum ſcelus ſe præcipites rapi patiantur; Volumus, ut, ſi iidem, antequam accuſentur, aut denuncientur ab iis, qui blaſphemantes illos audierint, ſe ipſos ſponte ſua coram Nobis, aut Vicario Noſtro Generali, ſeu coram Vicariis Foraneis ſiſtant, prolatamque a ſe blaſphemiam accuſent, ejuſque veniam humili, & contrito corde precentur, juxta laudabiles Julii III., & S. Pii V. Conſtitutiones ſalutarem dumtaxat pœnitentiam accipiant, a Canonicis vero pœnis dimittantur immunes.

VII. Cæterum cum blaſphemiæ crimen a Noſtra Diœceſi modis omnibus propulſatum velimus; Sæcularium quoque Judicum Zelum excitamus, ut blaſphemiam ſimplicem (eam enim, quæ cum hæreſi conjuncta eſt, & quam proinde *hæreticalem* dicunt, ad Eccleſiaſticum Forum privative pertinere Sacri Canones (2) declararunt) diligenti inquiſitione, ac pœnarum præſcri-

(1) Can. *Inebriaverunt*. cauſ. 15. quæſtione 5.

(2) Cap. *Ut inquiſitionis*. §. *Prohibemus*. de Hæreticis in 6.

Digitized by Google

ſcriptarum ſeveritate perſequantur: Cujus rei & non parva eos a Deo merces manebit, & ſingulis vicibus decem annorum Indulgentiam conſequentur, quam Leo X. tam Judicibus crimen ulciſcentibus, quam illud ad Judices deferentibus elargitus eſt. Nequis vero legum Noſtrarum ignorantiam obtendat; Edictum, quo Deceſſor Noſter Cardinalis Petrus Marcellinus Corradinus eadem fere, quæ Nos ſtatuimus, adverſus blaſphemos provido conſilio decrevit, majori, qua fungimur, auctoritate confirmamus, ac vim Conſtitutionis Synodalis habere decernimus. Parochis autem præcipimus, ac mandamus, ut illud prima Dominica die cujuslibet menſis, poſt Summarium Conſtitutionis S. Pii V., populo legant, eumque in finem in Appendice ſubjicimus num. 33.

VIII. Inter cætera ad eliminandam blaſphemiam a Summis Pontificibus ſanctiſſime ſtatuta, illud quoque decretum fuit, ut Sodalitates ſub invocatione Nominis Dei ex viris piis, divinique cultus ſtudioſiſſimis conflarentur, qui ſervantes regulas a Pio IV., & S. Pio V. inſtitutas, Indulgentias quoque ab iiſdem Pontificibus per Apoſtolica ſua Diplomata impertitas lucrifacerent. Horum Pontificum exempla ſecutus Benedictus XIV., omnibus Eccleſiaſtici ſtatus Epiſcopis inſinuavit, ut in ſua quiſque Civitate, ac Diœceſi alicui Confraternitati canonice erectæ nonnullas regulas a S. Carolo Borromæo pro Confraternitate, ſeu Congregatione Correctorum blaſphemiarum ſancitas, atque præſcriptas uniret. Ut autem ad eas regulas obſervandas Confratres excitarentur, plurimas iiſdem Indulgentias lucrandas propoſuit, uti ex ejuſdem Pontificis Conſtitutione conſtat, quam damus in Appendice num. 32. ſaluberrimum hoc conſilium libentiſſime amplectimur, & cum iterum Noſtram Diœceſim Sacra Viſitatione luſtrabimus, Noſtra erit non ultima cura, ut executioni fideliter demandetur; quem in finem regulas a Confratribus obſervandas trademus, ac promulgabimus.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

CON-

Digitized by Google



CONSTITUTIONUM SYNODALIUM
PARS II.

DE CHRISTIANI HOMINIS OFFICIO ERGA SEMETIPSUM.

HOminem (1) rectum fecerat Deus, ita ut nullis animi perturbationibus eſſet obnoxius, & ita appetitui recta ratio dominaretur, ut voluntas nonniſi id, quod deliberate vellet, appeteret, & nonniſi id, quod deliberate nollet, averſaretur. Verum tanta repente propter ejus inobedientiam in eo immutatio facta eſt, ut ex illo eodem temporis momento, quo per ſummam injuriam Deo imperanti non obtemperavit, caro (2) concupiſcere cœperit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Hinc illæ inteſtinæ lites, atque diſcordiæ; hinc illæ periculi plenæ carnis illecebræ; hinc rebel-

(1) Eccleſiaſtæ cap. 7.

(2) Ad Galatas cap. 5.

Digitized by Google

rebelles illi concupiſcentiæ motus, quibus abſtracti, atque illecti, quod volumus, non operamur bonum (1), & quod nolumus, operamur malum. Quamobrem ſi divina ſervare mandata, & vitam aſſequi velimus æternam, in eo curam omnem, diligentiamque collocemus oportet, ut noſmetipſos jugiter abnegemus, perpetuoque ſtudio rebelles noſtras concupiſcentias cohibeamus. Id earum virtutum ope facile obtinebimus, quas Cardinales ideo nuncupamus, quia, ſicuti oſtium in cardine, ita in illis omnis honeſtæ vitæ ratio verſatur. Quatuor autem ſunt virtutes hujuſmodi, prudentia videlicet, juſtitia, temperantia, & fortitudo. *Virtutes agendæ vitæ noſtræ*, inquit S. Auguſtinus (2); *quatuor deſcribuntur a multis, & in ſcriptura inveniuntur; quarum Prudentia dicitur, qua dignoſcimus inter bonum, & malum; Juſtitia, qua ſua cuique tribuimus, nemini quidquam debentes, ſed omnes diligentes; Temperantia, qua libidines refrænamus; Fortitudo, qua omnia moleſta toleramus*. De his igitur in hac ſecunda Conſtitutionum Synodalium parte agendum nobis eſt, ut Fideles, ac præſertim ii, qui Eccleſiaſticam ſequuntur Militiam, earum grande pretium agnoſcant, ſummam utilitatem intelligant, & ad eas aſſequendas incredibili animi ardore rapiantur. Verum cum ex iis juſtitia in proximorum bona feratur, quæ ſervari jubet illæſa, &, ſi forte violata fuerint, reparari; idcirco de ea in tertia iſtarum Conſtitutionum parte differemus, de reliquis tribus, ac de vitiis oppoſitis hìc dumtaxat acturi.

CAPUT I.

DE PRUDENTIA, ET VITIIS OPPOSITIS.

PRudentia, quam S. Bernardus (3) *affectionum ordinatricem, morum ducem, ac virtutum aurigam* nuncupavit, principem inter Cardinales Virtutes ſibi vindicat locum. At cum Prudentiam

(1) Ad Rom. cap. 7.
(2) S. Auguſtinus in Pſalm. 83. v. 8.
(3) S. Bernardus Serm. 40. in Cantica.

tiam dicimus, cavendum eſt, ne hoc Prudentiæ nomine decepti, vitium pro virtute amplectamur. Duplex enim eſt prudentia, alia carnis, & alia ſpiritus, quarum prior vitium, poſterior virtus eſt, uti nos docet Apoſtolus (1), ubi inquit: *Prudentia carnis mors eſt: Prudentia autem ſpiritus vita, & pax; Quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubjecta*. Utramque autem ſic explicat S. Baſilius (2): *Una eſt Prudentia, proprii commodi cuſtos, & alieni doli obſervatrix, qualem ſerpens habet. Ille, ſi quid periculi imminere viderit, caput ſuper omnia cuſtodit. Ea videtur eſſe verſutia illa, quæ prona eſt ad proprium commodum, & ſimpliciores defraudandos; quali prudentia fuit ille ſæculi prudens, & injuſtitiæ Œconomus apud Evangelium. Vera autem prudentia eorum, quæ agenda ſunt, & non agenda, cognitio eſt; quam ſiquis recte ſectatus fuerit, numquam de officio, virtuteque diſcedet. De Prudentia* ſpiritus hìc loquimur, quæ cum recta ſit eorum, quæ agenda ſunt, & non agenda, cognitio, tuto proinde nos docet, ac dirigit (3), ut honeſti rationem amplectentes, juxta divinæ legis præcepta conſtanter operemur. Ad hanc nobis virtutem comparandam propoſitis plurimis, quæ ex ea promanant, bonis, iterum, atque (4) iterum hortatur nos Deus in ſcripturis, ubi ait: *Poſſide ſapientiam, poſſide prudentiam; ne obliviſcaris, neque declines a verbis oris mei. Ne dimittas eam, & cuſtodiet te: dilige eam, & conſervabit te. Principium ſapientiæ, poſſide ſapientiam, in omni poſſeſſione tua acquire Prudentiam. Arripe illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus: dabit capiti tuo augmenta gratiarum, & corona inclyta proteget te.*

II. Octo Prudentiæ Partes integrantes, ut ajunt, Angelicus Doctor (5) recenſet; Memoriam videlicet, Intelligentiam, Providentiam, Rationem, Docilitatem, ſolertiam, circumſpectionem, & cautionem. Singulas paucis explicemus, ut iiſdem

(1) Ad Romanos cap. 8. v. 6.

(2) S. Baſilius homil. 11. in principium Proverbiorum.

(3) S. Ambroſius lib. 1. de officiis c. 27. & lib. de Virgin. cap. 14., S. Auguſtinus lib. 1. de morib. Eccleſiæ cap. 24., & 25.

(4) Proverb. cap. 4. v. 5.

(5) S. Th. 2. 2. qu. 48. art. unica.

iiſdem comparandis omni ope, ſtudioque vacare valeamus. *Memoria eſt* præteritorum recordatio, ex qua optima rerum Magiſtra naſcitur experientia. *Intelligentia* eſt præſentium notitia, primorumque principiorum, quæ practica ſunt, certa cognitio. *Providentia* eſt futurorum præſcientia, qua vir prudens ea, quæ attentis omnibus circumſtantiis futura ſunt, ſedulo prævidet, ac mature conſiderat, & ad finem, quem intendit, obtinendum ea, quæ opportuna eſſe arbitratur, ordinat, ac diſponit. *Rationis* nomine promptitudo quædam intelligitur, qua vir prudens, ne in operando erret, ad ratiocinandum ſuper iis ipſis, quæ agenda ſunt, antequam agat, adducitur. *Docilitas* eſt facilitas illa, qua in rebus dubiis ad æternam animæ ſalutem pertinentibus prudentes viri aliorum peritorum, atque prudentum conſilia exquirere, atque inire conſueverunt, juxta illud Proverbiorum (1): *Qui ſapiens eſt, audit conſilia*. *Solertia* eſt ſagacitas quædam, atque alacritas in iis excogitandis, adhibendiſque, quæ ad finem, quem intendimus, aſſequendum conducunt. *Circumſpectio* eſt attenta, ac ſedula conſideratio omnium circumſtantiarum, quæ moralem actionem a nobis faciendam comitantur, ne quid in ea a recti norma devium reperiatur. *Cautio* tandem eſt diligens cura, qua vir prudens maxime curat, ut impedimentum omne removeat, quo a recte agendo retardari poſſit, & cavet, ne ſub ſpecie boni decepta voluntas malum aliquod amplectatur.

III. Cum Prudentia virtus ſit moralis, peccari adverſus illam poteſt cum per defectum, tum per exceſſum; ex utroque autem hoc fonte vitia prudentiæ oppoſita promanant, quæ cavere diligenter debemus, ſi prudentes eſſe velimus. Horum quatuor (2) ex defectu oriuntur, eaque ſunt Præcipitatio, Inconſideratio, Inconſtantia, & Negligentia. *Præcipitatio* vitium eſt, quo quis, non præmiſſa ſufficienti conſultatione, ac deliberatione, opus aliquod præcipitanter aggreditur. *Inconſideratio* vitium

(1) Proverb. cap. 12. (2) S. Thom. 2. 2. qu. 53., & 54.

Digitized by Google

vitium eſt, quo ſine prævia debita attentione, diligentique rerum, ac circumſtantiarum inſpectione, temere judicatur, ac ſtatuitur, opus aliquod eſſe faciendum. *Inconſtantia* in eo peccat, quod cum deliberatum jam ſemel, & mature fuerit de re aliqua facienda, aut non facienda, ſine ulla, aut ſaltem ſine prudenti ratione judicium, ac ſententia mutatur, juxta illud (1): *Stultus, ut Luna, mutatur*. *Negligentia* tandem vitium eſt, quo quis debitam curam, ac diligentiam omittit in opere illo opportune, recteque exequendo, quod poſt maturam deliberationem ſibi faciendum omnino eſſe judicavit.

IV. Vitia vero prudentiæ per exceſſum oppoſita quinque communiter numerantur, videlicet prudentia carnis, aſtutia, dolus, fraus, ac nimia rerum terrenarum ſollicitudo. *Prudentia carnis*, quæ juxta Apoſtolum, uti diximus (2), *mors eſt, & inimica Deo*, illa dicitur, qua quis ad carnis, naturæque corruptæ deſideria explenda induſtriam omnem ſuam acuit, totaſque vires ſuas non minus agendo, quam cogitando exerit, ac depromit. *Aſtutia*, quam *calliditatem* etiam, ſeu *verſutiam* nuncupant, eſt ſedula perverſarum rationum ad fallendum proximum excogitatio; in qua ne ambulemus, ſerio nos hortatur Apoſtolus, ubi ait (3): *Non ambulantes in aſtutia*. *Dolus* eſt machinatio, quæ ad proximum ſive verbis, ſive factis circumveniendum, fallendumque adhibetur. *Fraus* vero eſt, cum quis factis proximum aut decipere curat, aut decipit; ut cum adulterinam ei tradit monetam, aut menſuram in venditione adhibet juſto minorem; quibus tamen doloſis, ac fraudulentis hominibus iratus Deus, ultionem ſuam apud Jeremiam (4) his verbis minitatur: *Inventi ſunt in populo meo impii inſidiantes, quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. Magnificati ſunt, & ditati, incraſſati ſunt, & impinguati. Numquid ſuper his non viſitabo? dicit Dominus; aut ſuper gentem hujuſmodi non ulciſcetur anima mea? Nimia*

Yy tandem

(1) Eccli. cap. 27.
(2) Ad Rom. cap. 8.
(3) 2. Ad Cor. cap. 4.
(4) Jeremiæ cap. 5. v. 26.

tandem *rerum terrenarum ſollicitudo* eſt immoderata mentis occupatio in opibus, honoribus, aliiſque terrenis rebus conquirendis, conſervandiſque, ex inſano eas habendi amore, nimioque amittendi metu progenita, a qua tamen Chriſtus Dominus (1) in Evangelio tam ſerio, ac tam frequenter Diſcipulos ſuos monuit, ut diligentiſſime abſtinerent.

V. Vitia hæc Chriſtianæ prudentiæ oppoſita Parochi Populo explicent, eorumque fugam diligenter inſinuent. Ut autem efficax ſit eorum ſermo, exemplo præeant, & cum verbis, tum operibus, juxta Chriſti Domini monitum, in ſe ipſis ſerpentis prudentiam columbæ ſimplicitati adjunctam præſeferant. Simplicitas enim (2) ſine prudentia facile decipi poteſt; periculoſa autem eſt prudentia, niſi ſimplicitate temperetur. Clericos etiam omnes enixe hortamur, & obſecramus, ut id ipſum præſtent, ſuoque Laicos exemplo doceant, fluxas haſce, ac perituras Mundi delicias, ſecundum Chriſtianæ prudentiæ leges, divino famulatui, æternæque ſaluti omnino eſſe poſthabendas. *Inveniſti plane ſapientiam*, inquit S. Bernardus, *ſi prioris vitæ peccata defleas; ſi hujus ſæculi deſiderabilia parvipendas; ſi æternam beatitudinem toto deſiderio concupiſcas*. Cum autem Chriſtianæ prudentiæ virtus ad tam varios hujus noſtræ vitæ curſus feliciter dirigendos ſit apprime neceſſaria, tria potiſſimum populum Parochus edoceat, ſine quibus aſſequi nemo poteſt prudentiam. Primum quidem illud eſt, ad hanc virtutem aſſequendam, omni ope, ac vi adnitendum eſſe, ut animus ab omni culpa ſit vacuus. Quemadmodum enim in animam (3) malevolam non intrat ſapientia, neque in corpore ſubdito peccatis habitat, ita neque ejuſdem comes prudentia: *Impoſſibile enim eſt*, teſte S. Thoma (4), *eſſe prudentem, non autem bonum: nullus autem peccator bonus eſt*: quare optime inquit Ambroſius (5): *Prudentia non in foro, non in plateis, ſed in Eccleſia poſſidetur*. Alterum eſt, ut qui prudentiæ theſauro ditefcere

(1) Matthæi cap. 6., Lucæ cap. 12., & 1. ad Timoth. cap. 6.
(2) S. Remigius.
(3) Sapientiæ cap. 1.
(4) S. Th. 2. 2. qu. 47. art. 13.
(5) S. Ambroſius.

Digitized by Google

ſcere cupit, illam cum Sapiente frequenter a Deo poſtulet, & expoſcat: *Dominus* (1) *enim dat ſapientiam, & ex ore ejus prudentia*. Quod ſi poſtulet in fide nihil hæſitans, exaudietur, & gratanter dicet (2): *optavi, & datus eſt mihi ſenſus: invocavi, & venit in me ſpiritus ſapientiæ*. Tertium tandem eſt, ut qui fieri prudens velit, cum prudentibus viris multa aſſiduitate, ac familiaritate verſetur, juxta illud Eccleſiaſtici (3) conſilium. *Doctrina in verbo ſenſati. Cum ſapientibus, & prudentibus tracta. In multitudine Presbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum conjungere, ut omnem narrationem Dei poſſis audire*.

VI. Cum autem Chriſtianæ Prudentiæ Evangelica ſit adjungenda ſimplicitas, de ea quoque pauca dicamus, neceſſe eſt. Et primum quidem nemo hanc in eo ſitam eſſe virtutem arbitretur, ut facile cuicumque loquenti credamus: *Qui enim* (4) *credit cito, levis corde eſt; & ſimplicitas* (5) *abſque ratione ſtultitia nominatur*; Neque in eo, ut, quidquid audivimus, aut ſcimus, nulla habita loci, temporis, rerum, ac perſonarum ratione, ſincere loquamur: *In ore* (6) *enim fatuorum cor illorum: Vir* (7) *autem prudens tacebit*. Porro in eo Evangelica conſtituta eſt ſimplicitas, ut vir ſimplex ſit ſine noxa, nemini invideat, neminem lædat, prodeſſe etiam aliis cupiat, *& expers* (8) *falſitatis, ac ſimulationis habeat in verbis, & moribus veritatem*. Nam *ſimplicitas*, ut optime ait S. Thomas (9), *dicitur per oppoſitum duplicitati, qua ſcilicet aliquis aliud habet in corde, & aliud oſtendit exterius*. Evangelicam hanc ſimplicitatem Chriſtianæ prudentiæ conjunctam ſic nobis deſcribit S. Gregorius (10): *At contra ſapientia juſtorum eſt, nil per oſtenſionem fingere, ſenſum verbis aperire, vera, ut ſunt, diligere, falſa devitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc Ju-*

Yy 2 *ſtorum*

(1) Eccli. cap. 1. v. 1.
(2) Sap. cap. 7.
(3) Eccli. cap. 4. v. 29., & cap. 6. v. 35.
(4) Eccli. cap. 19. v. 14.
(5) S. Hieronymus.
(6) Eccli. cap. 21.
(7) Prov. cap. 11. v. 12.
(8) S. Hieronymus.
(9) S. Th. 2. 2. qu. 109. art. 2. ad 4.
(10) S. Greg. Magnus lib. 10. in Job c. 29.

ſtorum ſimplicitas deridetur, quia ab hujus Muudi ſapientibus puritatis virtus fatuitas creditur.

VII. Hanc ſimplicitatem magnopere nobis in Scripturis Sanctis commendat Deus, eamque ſibi gratiſſimam, nobis vero utiliſſimam futuram eſſe pollicetur. *Deus non projiciet ſimplicem*: ſic apud (1) Job. *Simplicitas Juſtorum diriget eos*: ſic Proverbiorum cap. 11. *Abominatio Domini eſt omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio ejus*: ſic Proverbiorum cap. 3. Hæ autem ſunt perfectæ ſimplicitatis proprietates, quibus vir ſimplex inſtructus cum ſit, Dei, hominumque ſibi conciliat benevolentiam. Prima eſt, ut vir ſimplex, æquali modo ſe omnibus, & coram omnibus præbeat juxta illud Proverbiorum (2). *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter*. 2. ut eadem alacritate tam plebeiis, quam nobilibus, tam pauperibus, quam divitibus, prodeſſe cum poſſit, per opera charitatis profit, ita ut nulla apud ipſum ſit acceptio perſonarum. 3. ut in quocumque loco ſive publico, ſive privato, eodem modo ſe conſtanter gerat. 4. *ut omnibus (3) ſit dulcis, & nulli gravis, utens amico ad gratiam, inimico ad patientiam, cunctis ad benevolentiam, & quibus poteſt, ad beneficentiam*. Fideles itaque curæ ſuæ commiſſos hortetur Parochus, ut prudentes ſint, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ: a mendacio vero, & fraude, ac dolo procul avertantur, & fugiant. *Væ enim (4) duplici corde, & labiis ſceleſtis, & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis*.

CAPUT II.

DE FORTITUDINE, AC VITIIS OPPOSITIS.

ANimi fortitudo (5) ea debet intelligi, quæ non ſolum diverſis pulſata moleſtiis inconcuſſa permaneat, ſed etiam nullis voluptatum illecebris reſoluta ſuccumbat. Fortitudo itaque, ſicuti

(1) Job. cap. 8. v. 20.

(2) Prov. cap. 10.

(3) Hugo lib. 3. de anima cap. 9. t. 2. operum.

(4) Eccli. cap. 2. v. 14.

(5) S. Proſper lib. 3. de Vita contemplativa cap. 20.

ſicuti & reliquæ morales virtutes, in mediocritate ſita eſt, atque inter audaciam, ac timorem conſtituta: In adeundis enim periculis, & in adverſis rebus perferendis audaciam, metumque moderatur. Verum alia Juſtorum, & alia Reproborum eſt fortitudo, ut ait S. Gregorius (1) *Juſtorum quippe fortitudo eſt carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, hujus mundi aſpera pro æternis præmiis amare, proſperitatis blandimenta contemnere, adverſitatis metum in corde ſuperare. Reproborum vero fortitudo eſt tranſitoria ſine ceſſatione diligere, contra flagella Conditoris inſenſibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium ne ex adverſitate quidem quieſcere, ad inanem gloriam etiam cum vitæ detrimento pervenire, malitiæ augumenta exquirere, bonorum vitam non ſolum verbis, ac moribus, ſed etiam gladiis impugnare, in ſemetipſis ſpem ponere, iniquitatem quotidie ſine ullo deſiderii defectu perpetrare.* Non de reproborum fortitudine, quæ vitium eſt, ſed de fortitudine Juſtorum, quæ virtus eſt, ac donum Dei, pauca hìc diſſerimus. Hac autem virtute, ut inquit S. Thomas (2), *vir fortis ſeipſum vincit, iram continet, nullis emollitur illecebris, rebus nec extollitur ſecundis, nec perturbatur adverſis.* Fortitudini huic duo opponuntur vitia, per exceſſum videlicet temeritas, ſeu audacia, per defectum vero timiditas, ſeu ignavia. Prior habetur, cum quis audacter, ac temere ea aggreditur pericula, quæ juxta rectæ rationis normam vel declinanda omnino eſſent, vel ſaltem non eo tempore, aut eo in loco ſubeunda. Poſterior eſt, cum quis nimio fractus metu, arduum aliquid aggredi non audet, aut adverſum aliquid tolerare, cum & difficilia quæque aggredi, & adverſa quæque tolerare deberet, ac poſſet. Utrumque hoc vitium declinare virum fortem oportet, ut intra Chriſtianæ fortitudinis limites ſive agendo, ſive patiendo contineatur.

II. Hanc fortitudinis virtutem eſſe Chriſtiano homini, ac præſertim Clericis in ſortem Domini vocatis, non modo utilem, verum etiam apprime neceſſariam, nemo eſt, qui non intelligat, ſi car-

(1) S. Gregorius lib. 7. Moralium c. 21. (2) S. Th. 2. 2. qu. 123. & ſeq.

ſi carnis illecebras, ſi Dæmonum inſic
ritamenta, quibus quotidie impetimu
tur. Fideles ergo curæ ſuæ concredit
virtutem hanc totis viribus comparare
ſibi ob oculos mentis exemplo tot nobil
tot caſtarum Virginum, tot fortiſſim
quos multiplici decoros palma Cœlo fe
Quamquam autem Tyrannis careat,
Eccleſia, & pace ſibi per Conſtantinu
perfruatur; Chriſtiana tamen adhuc
Fideles indigent: *Tota enim Chriſtian*
mur verbis, *ſi ſecundum Evangelium vi*
rium. Quamobrem acuat Parochus,
animos ad fortiter pro Chriſti lege di
rum mandatorum viam alacriter percur
inſinuans, atque explicans illa Apoſto
Adverſarius veſter Diabolus circuit quær
ſiſtite fortes in fide, ſcientes eamdem paſſi
veſtræ fraternitati fieri. Deus autem omn
æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu,
confirmabit, ſolidabitque.

III. Cum duo ſint fortitudinis act
ricula, ubi, & quando ratio poſtula
quaslibet adverſas, ubi, & quando h
ſtanter tolerare; Hinc duæ etiam ſu
ajunt, ſubjectivæ, nempe magnanimit
virtus, quæ animum ad arduum quodli
fine propriæ honeſtatis inclinat. Poſ
cundum rectam rationem in rebus adv
perat, præſentiaque mala tolerare æ
autem fortitudinis, ut ajunt, integr
gnificentia, & Perſeverantia. *Fiducia*

(1) 1. Petri cap. 5.

qua quis ex rectæ rationis conſilio difficillima quæque, ubi, & quando decet, ſeu aggredi, ſeu tolerare ſe poſſe confidit. *Magnificentia* virtus eſt, quæ pecuniam nihili faciens hominem expeditum reddit, & alacrem ad ſumptus magnos ſubeundos, quoties, & ubicumque illos recta ratio ſuadeat, aut præſcribat. *Perſeverantia* tandem, ſeu *Conſtantia* virtus eſt, qua homo in aliquo opere peragendo tamdiu perſtat, quamdiu in eo recta ratio docet eſſe perſtandum, quamquam & temporis diuturnitas, & rerum, atque circumſtantiarum moleſtia, ac difficultas ejuſdem operis ſuadeant ceſſationem.

IV. Magnanimitati, & Patientiæ ſua opponuntur vitia, quibus Virum fortem obſiſtere, & quæ a ſe propulſare longius oportet. Magnanimitati igitur per exceſſum opponitur *Ambitio*, quæ honorem ſupra modum appetit, & *Præſumptio*, qua quis ex nimia virium ſuarum fiducia id, quod ſupra ſuas eſt vires, aggreditur. Per defectum vero *puſillanimitas* opponitur, propter quam arduum aliquod opus homo non aggreditur, ſupra ſuas vires illud eſſe ratus, cum tamen hæ eidem operi perficiendo ſint pares. Patientiæ opponitur per defectum *Impatientia*, qua quis juſtum dolendi modum a Patientia præſcriptum excedit; Per exceſſum vero opponitur *Inſenſibilitas*, qua quis neque ſuis, neque proximorum tangitur malis. Cum autem duo ex his vitiis, pro humana fragilitate, communiora ſint, ac periculoſiora, ambitio videlicet, atque impatientia, de utroque pauca ſeorſim dicamus.

V. Ambitio eſt honoris indebiti appetitus, quo cum quis abripi cœperit, tantam ſui concipit exiſtimationem, ut ſe honore quolibet, & gradu digniſſimum arbitretur; nullumque proinde non moveat lapidem, ut novis quotidie titulis, ac dignitatibus augeatur, in quibus etiam comparandis modum omnem honeſtatis excedit, & non infrequenter etiam ſanctiſſimas juſtitiæ, & charitatis leges violare non reformidat. Vel enim munus aliquod, cui gerendo eſt impar, ſibi aucupatur; vel dolis, fraudibus, calumniis, obtrectationibus, aut iniquis largitionibus,

aliiſve

Digitized by Google

aliiſve criminibus dignitatem aliquam expiſcari ſtudet. Qua quidem in re optime monet S. Ambroſius (1), *hoc ipſo ambitionem eſſe periculoſiorem, quod blanda eſt conſultrix dignitatum, & ſæpe, quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos*. Verum quid ambitioſo infelicius, cum nullus ei ſit honoris gradus, in quo tandem pacifice conquieſcat? Neque enim ambitio (2) patitur, quemquam in ea menſura beatorum conquieſcere, quæ fuit quondam impudens ejus votum. Cupiditas, non unde venerit, ſed quo tendit, intuetur. Ut novos itaque honores, ac dignitates ambitioſus aſſequatur, quid non patitur? quid non molitur? Utinam ea omnia, quæ pro aſſequendis honoribus ſuſtinet, pro Dei famulatu, ac proximorum utilitate pateretur! *Ambitio enim*, uti ſapienter notat S. Joannes Chryſoſtomus (3), *eſt quædam ſimia charitatis. Charitas enim patiens eſt pro æternis; ambitio patitur omnia pro caducis. Charitas benigna eſt pauperibus; ambitio divitibus. Charitas omnia ſuffert pro veritate; ambitio pro vanitate. Utraque omnia credit, omnia ſperat, omnia, ſed longe diſſimili ratione, ſuſtinet.* Accedit huc, quod, uti ſacræ teſtantur litteræ (4), *qui poteſtatem ſibi ſumit injuſte, odietur*. Cum itaque ambitioſus tantum animæ, & corporis ex ambitione detrimentum patiatur, quanta cura, ſolertiaque eam deteſtari, ac fugere Fideles oportet, quos Chriſtus Dominus exemplo, doctrinaque ſua non inanes hujus ſæculi honores, ac pompas, ſed præſtantiſſimam, ac fere divinam Filiorum Dei dignitatem quærere docuit!

VI. Quod ſi adeo Laicos ipſos ambitio dedecet, qui tamen mundanos inter honores, tituloſque verſari quotidie coguntur; Quid de Eccleſiaſticis viris dicendum eſſe arbitrabimur, quos ſegregatos a populo, & in ſortem Domini vocatos jubet Deus magis, quam Laicos conformes fieri imagini Filii ſui? Turpiſſimum ſane eſſet, ac prorſus indignum, Clericum intueri honoribus, ac

(1) S. Ambroſius in Lucam L. 3.
(2) Seneca.
(3) S.Joa.Chryſoſt.ſermon.de ambition.
(4) Eccli. cap. 20. v. 8.

Digitized by Google

ac dignitatibus inhiantem, qui omnia circumcurſat, omnibus in latebris perreptat, nulliſque parcit laboribus, muneribuſque, ut potentiorem aliquem ſibi Patronum conciliet, cujus ope, & gratia pingue aliquod Sacerdotium obtineat, per quod tandem aliquando dominari poſſit in Clero. Is ſane ſe prorſus ignorare, aut non ſatis intelligere oſtenderet, quanta cum ſeveritate judicandi a Deo ſint ii, qui aliis regendis præficiuntur. Ut enim ſcite docet Origenes (1), *omnis adeundi honoris Eccleſiaſtici abſcinderetur ambitio, ſi ſe judicandos potius, quam judicaturos, hi, qui præeſſe volunt populis, cogitarent*. Scriptum eſt enim; *Judicium duriſſimum iis, qui præſunt, fiet*. Neque mirum id cuiquam videatur: cum enim *ærugo mentis*, teſte S. Ambroſio (2), *ſit appetentia dignitatum*; inde fit, ut hebetata mentis acies, dignitatum, ac prælationis neque onus, neque pœnam, ſed gloriam dumtaxat attendat. *Multi*, ut ſapienter inquit S. Bernardus (3), *non tanta fiducia, & alacritate ad honores currerent, ſi eo ſe ſentirent onere gravari. Metuerent ſane, nec tanto cum labore, & periculo quarumlibet dignitatum inſulas affectarent. Nunc vero, quia ſola attenditur gloria, & non pœna, purum eſſe Clericum erubeſcitur in Eccleſia: ſeſe viles æſtimant, & inquilinos, qui quocumque in eminentiori loco non fuerint ſublimati*. Quamobrem Clericos omnes enixe in Domino hortamur, & obſecramus, ut ambitionem omnem, ac dominandi cupiditatem deponentes, in Eccleſiaſticis dignitatibus, ad proximorum tamen dumtaxat utilitatem, conquirendis optimum S. Gregorii (4) præceptum fideliter exequantur. *Quiſquis Sacerdotium non ad elationis culpam, ſed ad utilitatem adipiſci deſiderat, prius vires ſuas cum eo, quod ſubiturus eſt, onere metiatur, ut & impar abſtineat, & ad id, cui ſe ſufficere exiſtimat, cum metu accedat*.

VII. Alterum Fortitudini oppoſitum, de quo locuturi hic ſumus, vitium eſt impatientia, qua quis ferre patienter renuit, quidquid ei moleſtum accidit, atque illud proinde, undecumque

(1) Origenes ſuper Epiſtola ad Rom.
(2) S. Ambroſius in caput 3. Lucæ.
(3) S. Bernardus epiſt. ad Henr. Sen.
(4) S. Gregorius in Paſtorali.

oriatur, cæco quodam impetu, perturbatoque animo a ſe amoliri, ſed fruſtra, ſtudet. Hæc, niſi in ipſo primo ſui exortu alacriter coerceatur, iram excitare ſolet, qua excæcatus impatiens plurimam meritorum, quæ ſibi per patientiam comparare poſſet, jacturam facit, & ad gravia, quæ alias non perpetraret, admittenda crimina provocatur, impellitur, adducitur. *Impatiens*, uti recte in ſacris monemur Litteris (1), *operabitur ſtultitiam: qui patiens eſt, multa gubernatur prudentia; qui autem impatiens eſt, exaltat ſtultitiam ſuam*. Et ſane quid imprudentius, rectæque rationi magis adverſum, quam quod, cum moleſtias, quibus afficimur, removere non valeamus, eas tamen in maximum animæ, & quandoque etiam corporis detrimentum impatienter ferre malumus, quam magno cum virtutis incremento patienter tolerare? Prudenter quidem, magnifice, ſummaque cum laude Vir patiens operatur, cum ſubjectus (2) contumeliis judicium Dei laudat, vexatus ægritudine judicio Dei deputat, preſſus egeſtate Dei commendat juſtitiam, quacumque demum tentatus ærumna divinæ ſe patienter ſubjicit voluntati, vel illud Job (3) ingeminans: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſit nomen Domini benedictum*; vel illa Davidis (4) ad Deum verba uſurpans: *obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu feciſti*. Contra vero *impatientes*, teſte S. Gregorio (5), *dum perturbationi ſuæ minime obſiſtunt, etiam ſiqua a ſe tranquilla mente fuerant bene geſta, confundunt, & improviſo deſtruunt impulſu, quidquid forſitan diu labore provido conſtruxerunt*. Præterea exoſi fiunt domeſticis, amicis moleſti, hoſtibus contemptibiles, omnibus demum ſeſe, ut inſipientes, deridendos exhibent, dum inconditis vocibus, motibuſque corporis incompoſitis, modo rebus inanimis, modo viliſſimis animalculis, modo amicis, aut aliis nihil tale merentibus iraſcuntur. Tandem (quod rudibus, ac male moratis hominibus uſuvenire potiſſimum

(1) Prov. cap. 13.
(2) S. Ambroſius in Pſalm. Beati immaculati.
(3) Job. cap. 1.
(4) Pſalm. 38.
(5) S. Gregorius in Moralibus.

Digitized by Google

mum ſolet) eo inſaniæ deveniunt, ut inſontibus filiolis male precari, uxores amantiſſimas maledictis appetere, bene de ſe merentes amicos conviciis proſequi, contumelias denique, injurias, ac blaſphemias in Deum ipſum, ac Sanctos ejus ſacrilego ore evomere non vereantur.

VIII. Cavendum itaque omnibus, ſed potiſſimum Clericis, quam maxime eſt, ne umquam impatientiæ fræna relaxent: immo vero omni etiam ope, ac vi adnitendum, ut primos ejuſdem motus ſumma animi alacritate compeſcant. Sic enim facili negotio & multiplex peccandi periculum evitabunt, & pulcherrimam ſibi cœleſtis gloriæ coronam promerebuntur. Siqui vero ad impatientiam proclives, indulgere eidem conſueverint, hæc iiſdem, aptiſſima huic ſanando morbo, remedia proponimus, & ut iis utantur, iterum, iterumque rogamus. Primum eſt, ut Chriſti Domini, qui, ut S. Auguſtini verbis utamur, *venit mira facere, & mala pati*, & Sanctorum, *qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni*, mira patientiæ exempla ſibi ob oculos mentis frequenter revocent, quibus excitati ad incommoda longe leviora patienter toleranda erigantur. Neque enim decet, ut ait S. Bernardus, ſub capite ſpinoſo membra eſſe delicata. Alterum eſt, ut divinorum ſint præceptorum memores, quibus tamquam neceſſaria Chriſtianis patientia indicitur, ut divinæ obtemperantes voluntati, exacto hujus vitæ curſu, ad promiſſum Cœlorum regnum tandem evehantur. *Patientia enim*, uti ſcribit Apoſtolus (1), *vobis neceſſaria eſt, ut voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem*. Tertium eſt, ut mane, & ſæpe etiam interdiu, quæ moleſta Nobis occurrent, Deo offerentes, per eadem a Nobis patienter tolerata noſtrorum criminum pœnas in hac vita luamus, *cum (2) tanta ſit divinæ Munificentiæ largitas, ut etiam (quod maximum amoris argumentum eſt) temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Jeſum ſatisfacere valeamus.*

(1) Hebr. cap. 10. v. 36. (2) Trid. ſeſſ. 14. cap. 9.

CAPUT III.

DE TEMPERANTIA, AC VITIIS OPPOSITIS.

CUM primum homo per Adæ peccatum juſtitiam originalem amiſit, aliam legem ſenſit in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuæ, & captivantem illum ſub lege peccati. Senſus enim, qui rationis imperio pleniſſime ſuberant, detrectare jam tunc illud cœperunt, quidquid ipſis jucundum eſſet, ac delectabile, nulla habita honeſti ratione, appetentes. Inter hos tamen duo præ reliquis eſſe ſolent moleſtiores, guſtus videlicet, & tactus, quibuſcum, teſte S. Auguſtino, *continua nobis pugna eſt, & rara victoria*. Inordinatas horum ſenſuum appetitiones Temperantia coercet, & moderatur (1), *itaut homo eorum, quæ guſtu, vel tactu turpiter appetuntur, nihil diligat, nihil per ſe appetendum putet, ſed ad vitæ hujus, atque officiorum neceſſitatem, quantum ſat eſt, uſurpet, utentis modeſtia, non amantis affectu*. De utriuſque ſenſus appetitionibus coercendis, & ad temperantiæ normam duntaxat explendis agendum hìc diligentius Nobis eſt, cum ex utriuſque ſenſus inordinatione fere omnia populorum peccata, extremamque perniciem oriri quotidie dolentes videamus.

ARTICULUS I.

De Temperantia quoad Guſtus ſenſum.

CUM ſenſus, quem Guſtum dicimus, cibum, & potum appetat; ne inordinata ſit ejuſmodi appetitio, Temperantiæ virtus abſtinentiam ab immodico cibo præcipit, & in potu præſcribit ſobrietatem. Abſtinentiæ autem intemperantia, ſeu gula opponitur, ebrietas vero ſobrietati. Utrumque hoc vitium non modo Chriſtianis, verum etiam Ethnicis ipſis ita probroſum viſum ſemper eſt, ut, qui alterutro laboraret, brutis animantibus

(1) S. Auguſt. lib. de moribus Eccleſ. cap. 21., & lib. de Doctrina Chriſtiana.

tibus merito compararetur. *Quoſdam ventri* (1) *obedientes*, inquit Seneca, *loco animalium numeremus, non hominum*; Siquidem ipſorum eſt non rationis ductu, ſed ſolius appetitus impulſu ad cibum, potumque capiendum moveri. Et ſane ſi ſacras Litteras conſulamus, quid homini vitio gulæ nocentius? exitialis humani generis ruina, de qua numquam conqueri ſatis poſſumus, ex gulæ vitio repetenda eſt: niſi enim Adam vetitum comediſſet pomum, non his, quibus premimur, animæ, corporiſque calamitatibus obrueremur. Divitis illius, quem poſt obitum ſepultum fuiſſe in Inferno Chriſtus ipſe teſtatur, hæc in Evangelio (2) recenſetur iniquitas: *epulabatur quotidie ſplendide*. Paucis rem totam abſolvamus: innumeræ ex gulæ vitio prodeunt iniquitates, juxta Davidicum illud (3): *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum*. Accedit huc, quod, qui gulæ indulgent, nimio ſe aut cibo, aut vino ingurgitantes, ſubſtantiam ſuam celerrime diſſipant, ſuamque miſerandum in modum evertunt valetudinem. *Multi* (4) *enim propter crapulam perierunt; & multo plures* (5) *gula occidit, quam gladius*. Quotidiano etiam experimento probari ait S.Leo; *potus* (6) *ſatietate aciem mentis obtundi, & ciborum nimietate vigorem cordis hebetari, itaut delectatio edendi etiam corporum contraria ſit ſaluti, niſi ratio temperantiæ obſiſtat illecebræ, & quod futurum eſt oneri, ſubtrahat voluptati*. Quamobrem Chriſtus Dominus Diſcipulos ſuos ſerio monuit, ut a crapula, & ebrietate abſtinerent: *Attendite* (7) *vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate*. Hæc, aliaque hujuſmodi populo Parochus frequenter exponat, dilucideque explicet, ut illum ab intemperantia abſterreat, ſtudioque abſtinentiæ, ac ſobrietatis addicat.

II. Quinque autem modis, ut optime docet S. Gregorius, *gulæ*

(1) Seneca Epiſt. 61.
(2) Lucæ cap. 16.
(3) Pſalm. 72.
(4) Eccli. cap. 37.
(5) Card. Bona in manud. ad Cœlum cap. 4. §. 1. in fine.
(6) S. Leo ſer. 8. de jejun. decimi menſis.
(7) Lucæ cap. 21.

Digitized by Google

gulæ (1) *vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit; aliquando lautiores cibos quærit; aliquando, quæ ſumenda ſunt, accuratius præparari appetit; aliquando in ipſa quantitate ſumendi menſuram neceſſitatis excedit; aliquando in ipſo æſtu immenſi deſiderii peccat.* Quos ſane modos S. Thomas (2) hoc verſu complexus eſt: *Præpropere, laute, nimis, ardenter, ſtudioſe.* Singulos paucis explicemus, ut a ſingulis abſtineamus.

III. *Præpropere* vitio gulæ peccare quis dicitur, quando in cibo, potuve ſumendo indigentiæ tempora prævenit, aut ſæpius, quam recta ratio poſtulet, bibit, aut comedit. *In eo* (3) *enim, quod præoccupat tempus, propter moræ impatientiam deordinatur concupiſcentia.* *Laute* peccare quis dicitur, cum non ex honeſto aliquo fine, ſed ex ſola gulæ aviditate ſollicite ſibi pretioſiorem, ac delicatiorem cibum, potumve conquirit. *In omnibus enim talibus,* uti ſapienter monet S. Auguſtinus (4), *non uſus rerum, ſed libido utentis in culpa eſt. Fieri enim poteſt, ut ſine aliquo vitio cupiditatis, vel voracitatis pretioſiſſimo cibo ſapiens utatur; inſipiens autem fœdiſſima gulæ flamma ardeſcat in viliſſimum.* Cui conſonat S. Gregorius, inquiens (5): *Non cibus, ſed appetitus in vitio eſt: unde & lautiores cibos plerumque ſine culpa ſumimus, & abjectiores non ſine reatu conſcientiæ deguſtamus.* Hinc optimo ſane jure proſcripſit hanc propoſitionem Innocentius XI. *Comedere, & bibere ad ſatietatem ob ſolam voluptatem, non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalibus ſuis actibus frui.* *Nimis* gulæ vitio peccat, qui cibo, ac potu utitur immoderato, cum tamen S. Hieronymus (6) moneat, ex ipſis viliſſimis cibis vitandam eſſe ſatietatem. *Ardenter* vero, qui nimis avide bibit, & comedit, licet vilioribus cibis, nulliuſque pretii potionibus utatur; quod quidem

(1) S. Gregorius Magnus lib. 30. moral. cap. 27., & S. Iſidorus cap. 22. de ſummo Bono.

(2) S. Th. 2. 2. qu. 148. art. 4.

(3) S. Th. loc. cit. ad 1.

(4) S. Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſtiana cap. 12.

(5) S. Gregorius lib. 30. Moralium c. 14.

(6) S. Hieronymus contra Jovinianum.

quidem S. Auguſtinus exemplo Eſau confirmat, qui cum lenticula fratris ſui Jacob, quam nimis avide appetebat, primogenita ſua ſtulte commutavit. *Non ego immunditiam obſonii timeo*, inquit S. Doctor (1), *ſed immunditiam cupiditatis*. . : . . . . *Scio Eſau lenticulæ concupiſcentia deceptum*. Quare ſic in ſacris Litteris (2) monemur: *Noli avidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam*. *Studioſe* tandem peccare dicitur, qui accuratiorem, exquiſitioremque in ciborum condimentis præparationem exquirit. *Guloſis*, inquit Innocentius III. (3), *non ſufficiunt fructus arborum, non genera leguminum, non radices herbarum, non piſces maris, non beſtiæ terræ, non aves cœli; ſed quæruntur pigmenta, parantur aromata, & nutriuntur altilia, & capiuntur obeſa, quæ ſtudioſe coquuntur, laute parantur officio Miniſtrorum, non ad ſuſtentandam naturam, non ad neceſſitatem ſupplendam, ſed ad explendam aviditatem*. Hos omnes in cibo, potuque capiendo temperantiæ defectus populo Parochus explicet, ut illos, quamquam leves eſſe (4) ſoleant noxæ, nec ita facile gravioris culpæ reatum induant, diligenter tamen, uti Chriſtianos decet, evitet, atque exercendæ Temperantiæ virtuti aſſueſcat.

IV. Verum cum & frequentior, & pernicioſior in plebe ſit potus, quam ciborum abuſus, in hoc proinde eliminando neceſſe eſt, ut ſtudioſius Parochorum deſudet induſtria. Experientia compertum ſatis eſt, diebus potiſſimum feſtis, quibus a labore vacant, agricolas, opifices, alioſque vulgares homines, qui manuum ſuarum labore victum ſibi comparant, ſummo cum animæ, corporiſque detrimento ſolere vino large, ac intemperanter obrui. Ut aliquod huic malo remedium efficax adhibeatur; volumus, ut Parochi, & Concionatores adverſus hoc vitium ſæpe, & acerrime invehantur. Ejus fœditatem oſtendant, quæ tanta eſt, ut qui propter ebrietatem uſu rationis deſtituitur, jumentis

(1) S. Auguſtinus lib. 10. Confeſſionum cap. 31.

(2) Eccli. cap. 27.

(3) Innoc. III. lib. de vilit. condit. hum.

(4) S. Auguſt. ſerm. de Purgatorio, & S. Th. 2. 2. qu. 148. art. 2. ad 3.

mentis inſipientibus comparetur, & ſimilis factus ſit illis. Peccata recenſeant turpiſſima, quæ ex nimio vini uſu oriri ſolent, rixas ſcilicet, jurgia, blaſphemias, obſcena verba, libidines, homicidia, aliaque hujuſmodi, quæ familias ſubruunt, publicamque evertunt tranquillitatem. *Ebrietas enim*, teſte S.Auguſtino, *eſt* (1) *flagitiorum omnium mater, culparumque materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubverſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, animæ corruptela. Ebrietas in utroque ſexu cuncta mala appetit, & nefanda committit.* Sacrarum Litterarum recitent teſtimonia, quibus æquiſſimus ſcelerum vindex Deus multiplicem, acerbiſſimamque ebrioſis ultionem minitatur. *Væ qui conſurgitis mane*, inquit Iſaias (2) *ad ebrietatem ſectandam .... Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Cui væ? cujus Patri væ?* (ſic legimus in (3) Proverbiis) *cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* Ebrioſos a Regno Dei eſſe penitus excludendos, diſertis verbis pronuntiavit Apoſtolus (4). Hæc, aliaque plura divina teſtimonia perpendat Parochus, populoque perſpicuis verbis exponat. Sic enim fiet, ut Fidelium animi divinæ ultionis metu perculſi, ebrietatem execrentur, debitamque in vino epotando ſervent temperantiam.

V. Cum autem non pauci rudis, hebetiſque ingenii homines ex craſſa quadam, & inexcuſabili ignorantia parvi, aut nihili faciant immodicum vini uſum, cui jamdiu aſſueverunt; ad hanc depellendam ignorantiam aliquas hìc ex communiſſima Doctorum ſententia propoſitiones recenſebimus, quas a Parochis in habendis concionibus, & a Confeſſariis in Pœnitentiæ Sacramento miniſtrando, opportuna arrepta occaſione, Fidelibus crebro inſinuari jubemus. 1. gravi ſe peccato alligat, qui voluntarie, ac deliberate ita intemperans in bibendo eſt, ut temulentus fiat, ac

(1) S. Auguſt. ad Sacras Virgines.
(2) Iſaiæ cap. 5.
(3) Proverb. cap. 23.
(4) Ad Galatas cap. 5.

ac rationis uſu deſtituatur. 2. qui propria edoctus experientia novit, ſe alias in certa aliqua vini potandà menſura in ebrietatem incidiſſe; gravis fit culpæ reus, ſi eamdem iterum potus hauriat menſuram, cum & potuerit, & debuerit ſecuturam temulentiam prævidere. 3. graviter etiam peccat, qui inter bibendum probabile ebrietatis periculum prævidet, & adhuc a bibendo non ceſſat, ac ſe proinde gravi ebrietatis committit periculo. 4. qui ſua didicit experientia, ſe in ebrietate, aut blaſphema, aut obſcena verba proferre, ac domeſticos ſuos injuriis, verberibuſque laceſſere, aut alia gravia crimina perpetrare; præter gravem ebrietatis culpam, aliorum quoque criminum reatum incurrit, quæ in ebrietate admittit, cum ea ſe admiſſurum eſſe prævider it, aut ſaltem potuerit, ac debuerit prævidere. 5. qui expertus jam olim eſt, ſe cum aut cauponas adit, aut ſaltem illas cum certis quibuſdam perſonis frequentat, fieri plerumque ſolere temulentum, proximam peccandi occaſionem ſub gravi culpa declinare, adeoque aut a Cauponis omnino abſtinere, aut illas ſine talibus perſonis adire tenetur. Is vero Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcepturus, niſi verum, firmumque eam declinandi occaſionem habeat propoſitum, a Confeſſario nequit abſolvi: irrita enim eſſet abſolutio, & novo ſe, ſacrilegii videlicet, crimine commacularet. 6. quicumque ex frequenti ebrietate temulentiæ habitum contraxit, niſi ad eum radicitus evellendum opportuna adhibeat remedia, novo ſe gravi crimine alligat ab ipſa ebrietate diverſo, quod perpetuum quodammodo eſſe cenſendum eſt. 7. lethalis etiam culpæ fit reus, qui alios ad bibendum provocat, quos inde prævidet eſſe inebriandos. Imo Caupones etiam, qui vinum iis ſubminiſtrare pergunt, quos vel alias temulentos viderunt, vel temulentos fore prudenter putant, cum proximis ſuis ruinæ ſpiritualis occaſionem præbeant, gravi ſe ſcelere inquinant. 8. tandem, qui intemperanter bibit, licet ebrius non fiat, ſi tamen in potando pecuniam illam profundat, qua familiam ſuam enutrire, aut æs alienum ſolvere deberet, itaut illa grave patiatur

 incom-

incommodum, æs vero alienum ſolvi non poſſit; is ſane non leviter contra pietatis, ac juſtitiæ virtutem delinquit.

VI. Si hæc, quæ veriſſima ſunt, Fidelibus perſpicue exponantur, miſerrimam ſane conditionem ſuam agnoſcent ii, qui fœdiſſimo ebrietatis vitio ſunt addicti, divinaque juvante gratia, ac ſaluberrimis Confeſſariorum monitis inſtructi, ex tot iniquitatum barathro, quæ in una ebrietate continentur, emergent. Confeſſarios autem cum Seculares, tum Regulares ſerio, graviterque monemus, & enixe in Domino obſecramus, ut, cum ebrioſos homines peccata ſua confitentes audient, illos paterna charitate objurgent, propoſita ſceleris turpitudine perterreant, opportuna ad ſurgendum ex hoc vitio remedia præſcribant, & gravem, ac ſalutarem pœnitentiam injungant, ſi eos abſolvendos putent. Caveant tamen, ne illos facile ſacramentali donent abſolutione, quos aut recidivos eſſe, aut pravo irretitos habitu cognoverint; ſed illam tamdiu differant, aut ſuſpendant, quamdiu iidem facto ipſo, ſeriaque vitæ emendatione certa dederint ſigna pœnitentiæ. Caupones autem, Tabernarios, alioſque vini venditores ſedulo moneant, ne aliorum criminum participes fiant, vinum ebrioſis hujuſmodi hominibus largius propinando, aut, quod pejus eſt, ad frequentiorem, uberioremque potum eos provocando.

VII. Quia vero homines corporalibus magis, quam ſpiritualibus pœnis commoveri ſolent; Curiæ Noſtræ ſatellitibus præcipimus, ut ſi quem forte in taberna vinaria commorantem, aut ex ea prodeuntem, qui temulentus ſit, invenerint, in Carceres detrudant ad dies aliquot ſolo pane, & aqua pro arbitrio Noſtro nutriendum; quam quidem pœnam longius protrahi jubebimus, quoties quis ebrietate captus aliquem ex familia ſua percuſſerit, aut uxorem gravi, acerbaque affecerit injuria. Parochi vero, aliique animarum Paſtores, poſtquam viros, aut mulieres vitio huic addictos pro officii ſui ratione frequenter monuerint, ac reprehenderint, ſi nullum, aut fere nullum in iis ſignum emendationis

tionis advertant, Nobis denuncient; gravibus, pro modo culpæ, pœnis corripiendos. Ut autem hæc neminem lateant, præcipimus, ut bis in anno a Parochis legatur ad Populum Edictum, quod hac ſuper re damus in Appendice *part.* 2. *num.* 1.

ARTICULUS II.

De ſacris jejuniis ab Eccleſia præſcriptis.

S*Icut arte medicinæ* (1) *calida frigidis, frigida calidis curantur; Ita Chriſtus Dominus contraria oppoſuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis manſuetudinem, elatis præciperet humilitatem*, ut optime inquit S. Gregorius. Hinc factum eſt, ut, cum caro concupiſcens adverſus ſpiritum, cibum, & potum quam maxime appetat, & ad immoderatum eorum uſum impellat; hanc carnis intemperantiam Chriſtus nos jubeat ſacro mitigare jejunio: *Ipſum* (2) *enim jejunium divini eſſe præcepti, tempora vero jejunandi, prout ſalubritati corporum, & animarum expedire viſum eſt, ab Eccleſia eſſe ordinata*, Concilii Moguntini IV. Patres nos docent. De ſacris itaque jejuniis, quæ certis anni temporibus, ac diebus ſervari jubet Eccleſia, agendum hic Nobis eſt, ut exactiorem eorumdem in Noſtra Diœceſi obſervantiam urgeamus, & quo pacto eadem ſervanda ſint, Populus Noſter edoceatur. Pluribus enim ſuis Encyclicis Litteris (3) Epiſcopos omnes noviſſimis hiſce temporibus hortati ſunt Sanctiſſimi Pontifices Benedictus XIV., & Clemens XIII., ut Eccleſiaſtici jejunii diſciplinam a majoribus noſtris religioſiſſime cuſtoditam, ſed ætate noſtra non parum labefactatam, reparare conentur.

§. II. Ne qua in intelligentia hujus vocabuli *jejunium* ſuboriatur æquivocatio, ſciendum eſt, quadruplex eſſe jejunium, ſpirituale

(1) S. Gregorius Magn. Hom. 32. in Evang.

(2) Concil. Moguntinum IV. cap. 47.

(3) Benedictus XIV. 30. Maii 1741., & 22. Auguſti 1741., & Clemens XIII. 20. Decemb. 1759.

Digitized by Google

rituale videlicet, naturale, morale, & Eccleſiaſticum. Jejunium ſpirituale in eo ſitum eſt, ut quis ab omnibus vitiis, illicitiſque voluptatibus abſtineat. *Jejunium magnum, & generale eſt*, inquit S. Auguſtinus (1), *abſtinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus ſæculi, quod eſt perfectum jejunium*. Jejunium naturale eſt ab omni prorſus cibo, ac potu vel minimo, etiam per modum medicinæ in ſtomachum tranſmiſſo, abſtinere, cujuſmodi eſt jejunium illud, quod præmitti a nobis oportet, antequam ad Euchariſticam menſam accedamus. Jejunium morale eſt actus temperantiæ, quo ſecundum rectæ rationis regulam appetitum, ac cibi, potuſque uſum moderamur. Jejunium tandem Eccleſiaſticum illud eſt, quod certis anni temporibus, ac diebus ſervari a ſuis Fidelibus jubet Eccleſia, & de quo ſermonem hìc inſtituimus.

III. Sacra jejunia, quæ filiis ſuis Eccleſia præcipit, his ſervanda ſunt diebus, videlicet in Vigilia Nativitatis Jeſu Chriſti Domini Noſtri, Pentecoſtes, Aſſumptionis in Cœlum Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorumque Joannis Baptiſtæ, Laurentii Martyris, & SS. Apoſtolorum, exceptis dumtaxat S. Joanne Evangeliſta, & Sanctis Philippo, & Jacobo, *quoniam* (2) *iſtorum ſolemnitas infra ſolemnitatem Paſchalem, illius autem infra Natalem Domini celebratur*. Jejunandum item eſt in Pervigilio Feſti Sanctorum omnium, & feria quarta, & ſexta, & Sabbato quatuor anni Temporum, videlicet Hyemali tempore menſe Decembri poſt Feſtum diem S. Luciæ Virginis, & Martyris, Verno poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, Æſtivo poſt Dominicam Pentecoſtes, & Autumnali menſe Septembri poſt diem Feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis. Tandem omnibus Quadrageſimæ diebus, Dominicis dumtaxat exceptis, ex Apoſtolica traditione, & Sacrorum Canonum præſcripto jejunare jubentur Fideles.

IV. Ut omnes, & ſinguli, qui jejunii lege obligantur, illam

(1) Can. *Jejunium* diſt. 5. de conſecratione.

(2) Cap. *Conſilium*. de obſervatione jejuniorum.

lam exacte impleant, Parochi, cæterique animarum Paſtores Vigilias, & quatuor anni Tempora, quæ qualibet occurrunt Hebdomada, præcedenti die Dominico inter Miſſarum ſolemnia populo diligenter prænuncient, ac pridie ejus diei, quo jejunandum eſt, veſpere hora a nobis præſcripta per conſuetum nolæ pulſum Fidelibus futurum jejunium in memoriam revocari jubeant, uti faciendum indiximus in Noſtro Edicto, cujus exemplar in Appendice num. 2. exhibemus. Volumus præterea, ut populum Parochi accurate doceant, quid ad perfectum ſervandum jejunium neceſſario requiratur? quinam jejunandi lege obligentur, & quas ob cauſas ab eadem eximantur? quinam tandem ſit tam ſalutaris inſtituti finis, & fructus? Qua quidem in re, ne ulla ſit inter animarum Paſtores opinionum varietas, ſaluberrimas Conſtitutiones edidit Benedictus XIV., quas a Clemente XIII. confirmatas in Appendice num. 3. damus, & hic ad Parochorum commodum paucis complectimur.

V. Quadrageſimale jejunium, quod olim in Lege, & Prophetis primitus adumbratum, ipſius Domini Noſtri Jeſu Chriſti exemplo veluti conſecratum, ab Apoſtolis traditum, a Sacris Canonibus ubique præſcriptum, & ab univerſali Eccleſia ab ipſo ſui primordio retentum, & obſervatum eſt, variis ita labefactatum fuerat corruptelis, ut ea de re Orthodoxi plurimum conquererentur, Eterodoxi vero Catholicam Eccleſiam imprudenter irriderent. Ut tanto malo opportunum adhiberetur remedium, Benedictus XIV. tribus editis Encyclicis Litteris, has præſcripſit leges, quas congruere exiſtimavit introductis abuſibus penitus extirpandis. Edixit itaque primo, nemini quidem ſine legitima cauſa, & ſine utriuſque Medici conſilio; multitudini vero, veluti Populo, aut Civitati, aut Genti indiſcriminatim integræ, nonniſi graviſſima, & urgente neceſſitate, & in caſibus per Sacrorum Canonum ſtatuta præſcriptis cum debita Sedis Apoſtolicæ reverentia, a Quadrageſimali jejunio diſpenſationem eſſe concedendam, nec eam audacter, fidenterque uſurpandam, aut ſuper-

ſuperbe, & arroganter ab Eccleſia eſſe poſtulandam. Secundo quibuſcumque, & quacumque occaſione, ſive multitudini indiſcriminatim, ſive ſingulis ob legitimam cauſam, & de utriuſque Medici conſilio (dummodo nulla certa, & periculoſa valetudinis affectæ ratio intercedat, & aliter fieri neceſſario exigat) in Quadrageſima, aliiſque temporibus anni, & diebus, quibus carnium, ovorum, & lacticiniorum eſus eſt prohibitus, diſpenſari contigerit; ab omnibus omnino, nemine excepto, unicam comeſtionem eſſe ſervandam, & licitas, atque interdictas epulas minime eſſe apponendas. Tertio, concedentes facultatem veſcendi carnibus tempore vetito, ſub gravi teneri eaſdem facultates non aliter dare, quam geminis hiſce adjectis conditionibus, videlicet unicæ in diem comeſtionis, & non permiſcendarum epularum: Eos vero, qui hujuſmodi facultatibus utuntur, ſub gravi ad binas ipſas conditiones implendas obligari. Quarto, utrumque grave præceptum unicæ comeſtionis, & non permiſcendi epulas licitas cum interdictis, etiam extra Quadrageſimam urgere iis diebus, quibus ſervandum eſt jejunium de præcepto. Quinto, epulas licitas, quæ vetantur cum interdictis conjungi, pro iis, quibus permiſſum eſt carnes comedere, eſſe carnes ipſas: epulas vero interdictas eſſe piſces, adeoque utrumque ſimul adhiberi non poſſe. Piſcibus tamen edendis non interdici eos, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia. Sexto, iis, quibus conceſſum eſt veſci carnibus, non licere in veſpertina refectiuncula ea quantitate carnis veſci, quæ jejunantibus permittitur; ſed opus habere eo cibo, eaque uti potione, quibus utuntur homines jejunantes recte meticuloſæ conſcientiæ. Septimo, præceptum de utroque epularum genere non miſcendo dies quoque Dominicas Quadrageſimales complecti; ab iis vero, quibus jejunii tempore veſci carnibus permittitur, non modo unicam comeſtionem, verum etiam horam jejunantibus præſcriptam obſervandam eſſe.

VI. Hæ ſunt leges a Benedicto XIV. ad ſaluberrimam Eccleſia-

cleſiaſtici jejunii diſciplinam inſtaurandam, conſervandamque præſcriptæ: quibus illam etiam adjunxit Sanctiſſimus D. N. Clemens Papa XIII. in ſuis Encyclicis Litteris (1) ad omnes univerſæ Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos datis, videlicet *non licere iis, quibus ob juſtas, & legitimas cauſas ab abſtinentia carnium diſpenſatum fuerit, extra unicam comeſtionem potiones lacte permixtas ſumere, ſed illos, unica excepta comeſtione, in omnibus æquiparandos iis eſſe, quibuſcum nulla eſt diſpenſatio, ac proptereaa eos tantummodo ad unicam comeſtionem poſſe carnem, vel quæ ex carne trahunt originem, adhibere.*

VII. Jam vero ut in tota Noſtra Diœceſi Sanctiſſimæ hæ leges accurate ſerventur, illas aliquando per annum, ac potiſſimum Quadrageſimali appetente tempore, Parochi Populo explicent, earumque obſervantiam enixe commendent. Illud autem inſinuabunt potiſſimum, veram, legitimamque cauſam ab utroque Medico, corporis videlicet, & animæ, approbatam omnino requiri, ut quis a jejunio, quoad eſum carnium, aut ovorum, ac lacticiniorum, valide, liciteque diſpenſationem obtineat. Qua quidem in re, ut omne errandi periculum evitetur, hanc omnino praxim ſervari jubemus. Medicus primum corporis ſub gravi conſcientiæ ſuæ onere ſcriptis teſtetur, legitimam adeſſe cauſam, ob quam eſus tantum ovorum, ac lacticiniorum, ſi hæc ſufficiant, ſin minus, eſus etiam carnium poſtulanti indulgeri poſſit. Hoc Medici teſtimonium ſubſcribat Parochus; pro Monaſteriis vero, aliiſque mulierum cœtibus Confeſſarius; quorum etiam conſcientiam ſuper diſpicienda cauſæ veritate oneratam volumus. Tandem in Tuſculana Civitate Vicarii Noſtri Generalis, aut aliorum, ſi qui ad id a Nobis deputabuntur; in aliis vero Noſtræ Diœceſeos locis Vicarii Foranei diſpenſatio, aut licentia accedat, ſcripto pariter exarata. Qui ſecus fecerint, ſciant inquirendum per Nos adverſus illos eſſe, ac procedendum, tamquam in Eccleſiaſticæ legis contemptores.

VIII. Quadrageſimali tempore, aliiſque jejuniorum diebus, carnes,

(1) Clemens XIII. in Encycl. Litteris datis 20. Dec. 1759.

carnes, aliique vetiti cibi non niſi iis veneant, qui eos comedendi licentiam exhibuerint. Secreto etiam veneant, non publice, emptoreſque dapes ejuſmodi aut pallio contectas, aut in ſportula domum deferant incluſas; quod quidem etiam de Venaticis carnibus intelligi volumus. Caupones quoque, ac Tabernarii, nonniſi infirmis, aut prædicta facultate munitis, vetitas epulas aut apponant, aut coquant. Qui ſecus fecerint, pecuniaria pœna pro arbitrio Noſtro multabuntur.

IX. Quamquam, attenta rei natura (1), die etiam Dominico jejunare liceret; cum tamen propter varias hæreſes (2), ſuperſtitiones, erroreſque, ac præſertim propter Manichæorum hæreſim, qui in Dominicæ Reſurrectionis contemptum jejunium die Dominico eſſe neceſſarium docebant, vetitum ab Eccleſia ſit diebus Dominicis jejunare; propterea ſi alicujus Feſti vigilia in diem Dominicum incidat, ad præcedens Sabbatum transferri eadem debet cum jejunio. Præterea cum Feſtum ſolemnitatis Corporis Chriſti, qua tanti Sacramenti inſtitutio ſumma cum totius Chriſtiani Populi lætitia colitur, ſit ex principalioribus anni ſolemnitatibus; Propterea ſi in dictum diem vigilia S. Joannis Baptiſtæ inciderit, Parochi Fidelibus denuncient, eo die neque jejunandum, neque abſtinendum a carnibus eſſe, ſed in præcedentem diem, videlicet in quartam feriam, jejunium eſſe transferendum, uti ab Urbano VIII. (3) præſcriptum eſt.

X. Per duodecim priora Eccleſiæ ſæcula, Quadrageſimali tempore unica (4), quæ permittebatur, refectio, nonniſi Veſpere, ideſt tribus poſt nonam horis poterat ſumi; reliquis vero per annum diebus, quibus erat jejunandum, nonniſi poſt nonæ officium, ſcilicet tribus, & amplius poſt meridiem horis, cibo refici licebat. Sæculo decimotertio feriis omnibus eſurialibus cibus

(1) Can. *Utinam*. 11. diſt. 76.

(2) Can. 67. Apoſtolorum, can. *Jejunium*, & can. *Nequis jejunat*. de conſecr. diſt. 3., can. *Placuit*. de conſecr. diſt. 3., & can. *Quadrageſima*. de conſecr. diſt. 5.

(3) Urbanus VIII. in ſuo Brevi *Cum venire* 13. Octob. 1638.

(4) Benedict. XIV. Inſtit. 13. num. 7., & Micrologus de rebus Eccleſiaſtic. c. 49

bus ad horam nonam adhiberi cœpit, ut ex S. Thoma, & Alexandro de Ales ſatis aperte colligitur (1). At ſæculo tandem decimoquarto conſuetudo invecta eſt ſumendi cibi ad meridiem, hoc eſt hora ſexta, quæ quidem conſuetudo communi Religioſorum, ac proborum virorum uſu comprobata, ac retenta ſemper eſt. Ut autem aliquod veteris diſciplinæ veſtigium conſervaretur (2), Eccleſiaſticis legibus cautum eſt, ut in Templis Quadrageſimali tempore Veſperæ ſub meridiem celebrentur; apud Religioſas vero, atque Eccleſiaſticas Familias ea menſæ Benedictio unicæ comeſtioni præmittatur, quæ cœnæ præmitti ſolet.

XI. Eccleſiaſtica jejuniorum lege Chriſtiani omnes obligantur. *Adeſt maximum*, inquit S. Leo (3), *ſacratiſſimumque jejunium, quod obſervantiam ſui univerſis Fidelibus ſine exceptione denuntiat*: Ita tamen ea lege obligantur, ut ad ſervandam a ciborum vetitorum uſu abſtinentiam non, niſi poſt ſeptimum, ad eamdem vero abſtinentiam, & ad unicam etiam comeſtionem nonniſi poſt vigeſimum primum ætatis annum teneantur. Ab hac jejunandi lege ii potiſſimum eximuntur, quos aut ætas excuſat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat, aut labor exhaurit. In his autem Populo explicandis nequis error obrepat, Claſſicos, probatoſque Auctores Parochus conſulat, caveatque diligentiſſime, ne aliquam doceat ex his opinionibus, quas ſubdimus, cum eas omnes, & ſingulas Apoſtolica Sedes proſcripſerit, meritoque damnaverit. Inter propoſitiones ab Alexandro VII. proſcriptas die 24. Septembris 1665. vigeſima tertia hæc eſt. *Frangens jejunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult ſe ſubjicere præcepto*. Inter propoſitiones vero ab eodem Alexandro VII. proſcriptas die 18. Martii 1666. hæ quatuor circa jejunium verſantur. 29. *In die jejunii qui ſæpius quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium*. 30. *omnes Officiales*,

(1) Par. 4. Summ. Theolog. quæſt. 28. membr. 7. art. 2.

(2) Benedictus XIV. Inſt. 15. n. 5.

(3) S. Leo Magnus Serm. 11. de Quadrag.

qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligàtione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio. 31. *Excuſantur abſolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.* 32. *Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.*

XII. Ut autem Populus ad Eccleſiaſtica ſervanda jejunia alacrior fiat, plurima, quæ ex iis in animum redundant, bona pro loco, & tempore Parochus familiari ſermone recenſeat. Fideles itaque edoceat jejunium a Sanctis Patribus *virtutis cibum appellari*. Et merito. Nam jejunium, ut ait S. Auguſtinus (1) *purgat mentem, ſublevat ſenſum, carnem ſpiritui ſubjicit, cor facit contritum, & humiliatum, concupiſcentiæ nebulas diſpergit, libidinum ardores extinguit, caſtitatis vero lumen accendit.* Iejunium, ut ſubdit S. Ambroſius, *eſt mors culpæ, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, fundamentum caſtitatis.* Jejunium, teſte S. Bernardo (2), *orationem, devotionem, & fiduciam donat. Efficaciſſima pro peccatis deprecatio eſt in eleemoſyna, atque jejuniis, & velociter divinas aſcendit aures talibus Oratio elevata ſuffragiis*; uti nos docet S. Leo (3). At cavere etiam quam maxime Fideles idem Parochus jubeat, *ne jejunii* (4) *utilitatem ſola ciborum abſtinentia metiantur: verum enim jejunium eſt ab omnibus eſſe vitiis alienum*; juxta illud Iſaiæ (5): *Hoc eſt magis jejunium, quod elegi: diſſolve colligationes iniquitatis, ſolve faſciculos deprimentes, & frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam.* Et ſane quid iis jejunia proderunt, ſi dum corpori lautiora ſubtrahuntur edulia, mens non jejunet a vitiis? *Qui jejunat* (6) *in peccatis ſuis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando ſe?* ut optime monemur in Sacris Litteris. Quare ut peccandi occaſionibus, atque periculis aditus omnis intercludatur, utque ad veram pœnitentiam Chri-

(1) S. Auguſtinus Serm. de jejunio.
(2) S. Bernardus Serm. 38.
(3) S. Leo Serm. 15. cap. 2. de jejunio decimi menſis.
(4) S. Baſilius homilia 1. de jejunio.
(5) Iſaiæ c.58. v.6., & 7.
(6) Eccl. 34. v.31.

Chriſtianorum ſpiritus comparetur; quidquid inconditam lætitiam, ac voluptatem præſefert, toto Quadrageſimali tempore in Noſtra Diœceſi interdictum volumus, atque exulare jubemus. Choreas itaque, & Comœdias tam publicas, quàm privatas, inania ſpectacula, publicos ludos, nuptialia convivia, ſcurrarum, & circulatorum geſticulationes, aliaque hujuſmodi omnino prohibemus. Tandem Fideles illos, quibus juſtas ob cauſas ſuper carnium, aut ovorum, & lacticiniorum eſu conceſſa eſt diſpenſatio, commonere Parochus ſatagat, ne per alia pietatis opera, quæ ſua cuique Religio ſuggeret, peccata ſua expiare, & Deo ſatisfacere negligant: quin imo ſanandis vulneribus, quibus humana infirmitas ſauciatur, diligentem adhibere ſtudeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum caſta jejunia decoquere non poſſunt, per pia opera, orationum ſuffragia, & eleemoſinæ munera diligenter redimant.

ARTICULUS III.

De caſtitate, eique oppoſita luxuria.

AD temperantiam quoque pertinet præclariſſima caſtitatis virtus, quæ tactus ſenſum toto diffuſum corpore, & reliquis ſenſibus periculoſiorem cohibet, atque inordinatas ejuſdem appetitiones ad rectæ rationis, divinæque legis normam moderatur. Triplex autem eſt caſtitas; virginalis ſcilicet, conjugalis, & vidualis. Virginalis caſtitas, ſeu virginitas illa eſt præſtantiſſima virtus, quæ, teſte S. Joanne Chryſoſtomo (1), *tanto nuptiis præſtat, quanto Cœlum terræ, quanto hominibus Angeli antecellunt, &, ſi quid præterea audendum eſt, etiam magis*. Illa eſt, quæ, ut ait S. Bernardus (2), *mundum de immundo, de hoſte domeſticum, Angelum de homine facit; quæ ſola in hoc mortalitatis loco, & tempore ſtatum quemdam immortalis gloriæ repræſentat, moremque beatæ illius vendicat regionis, in qua neque nubent, neque nubentur.*

Bbb 2 Illa

(1) S. Joan. Chryſoſt. lib. de Virginit. (2) S. Bernardus Epiſt. 24.

Illa tandem eſt, quæ, ut inquit S. Ambroſius (1), *de cælo fluxit; & quam non facile invenimus in terris, niſi poſtquam Deus in hæc terreni Corporis membra deſcendit. Tunc enim in utero Virgo concepit, & Verbum Caro factum eſt, ut quod Caro factum eſt, Caro fieret Dei: tunc toto orbe diffuſus corporibus humanis vitæ cæleſtis uſus inolevit.* Cœleſtem hanc virtutem, & verbo, & exemplo Chriſtus Dominus ita commendavit, ut ejus amplectendæ conſilium Fidelibus omnibus dederit; Eccleſia vero Latina (2) ſalutaribus ejuſdem monitis erudita neminem ad ſacros ordines promoveat, niſi illum ſervandi Cœlibatus voto alliget, ac præcepto. Caſtitas conjugalis illa eſt, quæ poſt matrimonium valide contractum Conjugibus ad prolis generationem, & in remedium concupiſcentiæ permittit, ut mutuo conjugale debitum petant, ac reddant, ita tamen ut datam mutuo fidem numquam fallant, & ab omni carnis immunditia, illicitiſque voluptatibus abſtineant. Vidualis tandem caſtitas, quam conjugali præferendam teſtatur Apoſtolus(3), illa eſt, qua vir, ſeu mulier poſt alterius Conjugis mortem non aliud contrahit connubium, ſed in ipſa ſua viduitate perfectam ſervat continentiam.

II. Pulcherrimæ caſtitatis virtuti teterrimum luxuriæ opponitur vitium, quod exitiale eſt animæ flagitium, omnium lues virtutum, reliquorum vitiorum radix, iniquitas peſſima, & Idololatriæ affinis, manifeſtum denique reprobationis indicium. *Nolite errare*, inquit Apoſtolus (4), *neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores Regnum Dei poſſidebunt*. Et ſane cum vitium hoc, teſte S. Thoma (5), comitari ſemper ſoleant *cæcitas mentis, amor ſui, odium Dei, præſentis affectus ſæculi, deſperatio futuri*; perardua proinde res eſt, ac perdifficilis, ut qui ſe in hujus vitii barathrum præcipites dederint, ex eodem emergant, ac ad veram virtutis ſemitam revocentur. Quam-

(1) S. Ambroſius lib. 1. de Virginibus.

(2) Cap. unico. de voto in 6., & Benedictus XIV. de Synodo lib. 13. cap. 12. num. 13.

(3) 1. Ad Corint. cap. 7.

(4) Ad Cor. cap. 6. v. 9.

(5) S. Th. 2. 2. qu. 153. art. 5.

Quamobrem merito a divinis litteris illorum numero accenſentur, quorum (1), *pars erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda*.

III. Nos, quibus plurimum cordi eſt animarum Nobis concreditarum ſalus, caſtitatem in Noſtra Diœceſi florere, luxuriam vero ab eadem exulare vehementer optantes, nullum intentatum relinquemus conſilium, quo voti compotes fieri valeamus. Et primum quidem volumus, ut Parochi, & Confeſſarii, ubi ſeſe opportuna obtulerit occaſio, in caſtitatis laudes excurrant, impudicitiæ vero fœditatem gravibus verbis oſtendant. Ex Sacris paginis exempla depromant, quibus Deus hominibus ſignificavit, caſtitatem a ſe plurimum diligi, ampliſſimiſque præmiis honeſtari; luxuriam contra execrabilem ſibi eſſe, graviſſimiſque multari pœnis. Pentapolis igne conſumpta, univerſum hominum genus aquarum diluvio ſubmerſum, Urbes, Provinciæ, ac Regna, aut peſte, aut fame, aut hoſtili gladio devaſtata, exempla ſunt divinæ adverſus impudicos ultionis, de quibus Sacræ Litteræ, atque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumenta teſtantur. His ſeveriſſimas adjungant pœnas, a Sacris Canonibus, & ab ipſo Civili Jure adverſus hujus criminis reos conſtitutas, quas certe Nos ab iiſdem, niſi moniti reſipuerint, conſtanter repetemus, & de quibus proinde nunc paucis verba facienda eſſe arbitramur.

IV. Ut a Concubinariis incipiamus; Parochis omnibus, aliiſque curam animarum habentibus diſtricte præcipimus (2), ut, ſi quos in Concubinatu verſari cognoverint, ſalutaribus hortationibus, monitiſque ad purioris vitæ ſtudium revocare paterna charitate conentur. Iidem præterea, aliique Confeſſarii omnes meminerint, ſe Concubinariis hujuſmodi Sacramentalem abſolutionem impertiri non poſſe, ſub quocumque utilitatis prætextu, niſi, penitus ejecta, relictaque ſerio Concubina, non ambi-

(1) Apoc. cap. 21. v. 18.

(2) Leo X. Conſtitut. 20., quæ incipit *Primitiva* §. 21. & ſeq.

ambiguum ſinceræ pœnitentiæ dederint ſignum. Hanc enim (1) Alexander VII. propoſitionem damnavit: *Non eſt obligandus Concubinarius ad ejiciendam Concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet &c.*, & hanc aliam proſcripſit Innocentius XI. (2) *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit*. Monitum audiant S. Thomæ de Villanova (3): *Vadat, & Concubinam de domo pellat; & tunc ad Confeſſarium redeat, & abſolvatur. Hic rectus eſt ordo: hunc ordinem non tranſgrediaris*. Imo etiam poſt abſolutionem, Concubinarios, ſi manifeſti fuerint, ac notorii, ad publicam Euchariſtiæ ſuſceptionem non admittant, niſi de Concubinæ ſeparatione, omnique ſcandali remotione jam palam, publiceque conſtiterit. Eos vero, qui in concubinatu obſtinate, notorieque perſtabunt, ad Nos Parochi deferant, Chriſtiana charitate, ac paterna ſeveritate corripiendos. Quod ſi adhuc non reſipuerint, poſt trinam ſpecialem monitionem Eccleſiarum valvis publice affigendam, ad excommunicationis ſententiam deveniemus, uti Tridentina Synodus decrevit (4), & uti faciendum Nobis præcepit S.Pius V. (5) per ea verba: *Monemus præterea omnes Laicorum Ordinarios, & in virtute ſanctæ obedientiæ eis præcipimus, ut ſtatuta Tridentini Concilii contra Concubinarios tam Clericos, quam Laicos edita, diſtricte faciant obſervari, reddituri Deo, ac nobis, ſi id omiſerint, rationem*. Mulieres quoque (6) ſive conjugatæ, ſive ſolutæ, quæ concubinatum publice exercent, & cum Concubinariis publice vivunt, ſi ter monitæ non paruerint, ſciant, ſe, præter excommunicatio-
nis

(1) Alexand.VII. 18.Martii 1666. propoſit. 41.

(2) Innocentius XI. 2. Martii 1679. propoſit. 41.

(3) S. Thom. de Villanova Concion., in feria 6. poſt Domin. 4. Quadrageſimæ.

(4) Trid. cap. 8. ſeſſ. 24. de reform. Matrimonii.

(5) S. Pius V. Conſt. 5., quæ incipit *Cum primum* §. 12. edita 1. April. 1766.

(6) Can. *Audite*, can. *Concubinæ* cauſ. 32. qu. 2., can. *Nemo blandiatur*. cauſ. 32. qu. 4., Conc. Lateran. II. ſub Innocentio II. can.22., Trid. cit. ſeſſ., & cap.

Digitized by Google

nis pœnam, publica fuſtigatione correptas, a tota Diœceſi exilio eſſe pellendas, &, ſi opus ſit, gravioribus etiam pœnis eſſe coercendas.

V. Parochis, & Foraneis Oppidorum Vicariis diſtricte mandamus, ut ſi quas Mulieres meretricia labe inquinatas in Noſtra Diœceſi verſantes deprehenderint, eas continuo Vicario Noſtro Generali, aut Nobis denuncient, ut vel adhibita ſanctiore qualibet cura ad vitæ emendationem revocentur, vel ne commiſſas Nobis Oves turpitudinis contagione inficiant, a Diœceſi eliminentur. Nemo autem iis domum locare audeat ſub pœna pecuniaria arbitrio Noſtro infligenda, & majori illius loci Templo applicanda; quam quidem pœnam duplo majorem a locatoribus exigemus, ſi iidem a Parochis, aut a Vicariis Foraneis moniti, illas e locatis domibus non expulerint. Quod ſi Mulieres hujuſmodi turpem ſui corporis quæſtum exercentes, cryptas, aut locorum ſuburbia, aut campeſtres caſulas frequentaverint, aut incoluerint, a Noſtri Tribunalis ſatellitibus, etiam ſine Curiæ Noſtræ mandato, detrudantur in carceres, quoties vel de meretricia earum arte conſtet, vel in flagranti crimine deprehendantur.

VI. Siqui exteri una cum Mulieribus, quas ſibi aut Matrimonii fœdere copulatas, aut conſanguinitatis vinculo junctas dictitant, ſive artifices ſint, qui artem aliquam exerceant, ſive circulatores, qui medicamenta venditent, ſive pauperes, qui victum emendicent, ſive alii; eos cum dictis mulieribus cohabitare Parochi, & Vicarii non patiantur, niſi vel de contracto matrimonio, vel de non ficta conſanguinitate legitimum exhibeant teſtimonium. Qua quidem in re Parochorum conſcientiam oneramus; quibus etiam committimus, ut diligenter invigilent, Nobiſque denuncient, ſi quæ publica ſcandala in eorum Parochiis habeantur. Si quis tamen adſit impudicitiæ reus, ſed occultus, qui cum Muliere bonæ famæ verſetur; cautiſſime tunc procedat Parochus, & juxta Evangelicam legem ſecretiſſima fraterna correctione utatur, ne videlicet ex imprudenti zelo famam

lædat

Digitized by Google

lædat honeſtiſſimarum familiarum, & inde mala plurima oriantur, & ſcandala, unde peccatoris emendatio petebatur.

VII. Adulterium, ſicuti graviſſimum eſt peccatum, (1) ita graviſſimis quoque ſemper multatum fuit pœnis. In Veteri Teſtamento (2) Jure divino Adulter, & Adultera lapidibus viventes obruebantur. Jure Civili (3) ex lege Julia ultimo plectebantur ſupplicio. Jure Canonico (4) Clerico adultero pœnitentia decem annorum, Laico vero ſeptem annorum publice injungi ſolebat. Adulter Clericus deponebatur, (5) Laicus vero excommunicabatur. Imo etiam de Jure tam Civili (6) quam Canonico (7) Adulter, & Adultera in Monaſterium ad agendam perpetuo pœnitentiam detrudebantur. Alias deinde adverſus Adulteros Romani Pontifices (8) ſtatuerunt pœnas, quibus adulterium a quocumque, & cum quacumque commiſſum acerrime a Nobis vindicatum iri edicimus. At viget etiam nunc pœna illa a Chriſto Domino in Evangelio inſinuata, & in Jure Canonicò (9) conſtituta, ut Adultero jus exigendi debitum conjugale auferatur, parti vero innocenti facultas concedatur perpetuum inſtituendi divortium, tum quoad thorum, tum quoad cohabitationem, dummodo auctoritate Judicis Eccleſiaſtici fiat. Illa præterea etiam viget pœna, (10) ut Uxor adultera privetur dote, adulter vero Maritus dotalitio, ſive donatione propter nuptias. His accedit, quod Adulteri ſive mares, ſive fœminæ, ſi publicum ſit crimen, & cum populi ſcandalo admittatur, niſi moniti reſipuerint, ſunt

juxta

(1) Can. *Nemo blandiatur*. cauſ. 32. qu. 4.

(2) Levit. cap. 20. v. 10., Deuteron. c. 22., Daniel. cap. 13. v. 42., & Joan. cap. 8. v. 5.

(3) L. *Quamvis*. 30. §. fin., cod. ad L. Juliam de adulter.

(4) Can. *Presbyter*. diſt. 83. & can. *Devotam*. cauſ. 27. qu. 1.

(5) Can. *Si quis Epiſcopus*. cauſ. 27. quæſt. 1.

(6) Novella 134. Juſtinian. Imper.

(7) Cap. *Intelleximus*. de adulteris; cap. *Gaudemus*. de converſ. conjug., & cap. *Conſuluit*. de appellationibus.

(8) Sixtus V. Conſt. 46. quæ incipit *Ad Compeſcendam*.

(9) Cap. *Porro*. 3., & cap. *Ex litteris*. 5. de divortiis.

(10) Cap. *Plerumque* 4. de donatione inter virum, & uxorem.

juxta Sacros Canones excommunicandi. His expoſitis pœnis a tanto perpetrando crimine Parochi Populum ſtudeant abſterrere.

VIII. Graviores etiam dabunt pœnas jamdiu a Sacris Canonibus inflictas, quas hìc pro expreſſis haberi volumus, ii, qui inceſtum (1) in primo, & ſecundo conſanguinitatis, & in primo affinitatis gradu committunt; ii etiam, qui beſtialitatem, & ſodomiam, etiam cum fœminis, tam active, quam paſſive admittunt; & Confeſſarii copulam habentes cum filiabus confeſſionis: quorum omnium criminum abſolutionem Nobis reſervamus. De nefando crimine ea audiantur, quæ in ſua Conſtitutione S. Pius V. decrevit (2): *Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ, perpetraverit, Curiæ ſæculari puniendus tradatur*; & inferius ſubdit: *Ut præmiſſorum delictorum ſimoniæ, blaſphemiæ, ac ſtupri nefandi notitiá facilius habeatur, volumus, ut in ſingulis caſibus, non ſolum per accuſationem, & inquiſitionem, ſed etiam ad ſimplicem, & ſecretam denunciationem procedatur per quoſcumque Judices, alias tamen de jure competentes tam ratione delicti, quam perſonarum, ita ut inter eos locus ſit præventioni*.

IX. Mulierum raptores (3), ſive libidinis explendæ, ſive Matrimonii contrahendi cauſa, cujuſcumque ſint conditionis, atque ii omnes, qui illis auxilium, conſilium, aut favorem præbent, ſint, uti Tridentina Synodus ſtatuit, ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & hanc excommunicationis pœnam incurrant, licet mulier (ſi tamen ſui juris non ſit) conſentiat. Adverſus Lenones (4), (ſive

Ccc viri

(1) Can. *Conſanguineorum* cauſ. 3. q.4. can. *De inceſtis*, & can. *De his*, cauſ. 35. qu. 2. & 3., Clement. unica de conſanguinit. & affinit.

(2) S.Pius V. Conſt.5., quæ incip. *Cum primum* §.11. 1. Aprilis 1566.

(3) Trid. ſeſſ. 24. de reform. matrim. cap. 6., Concilium Calcedonen. can.27., can. *Puellis* cauſ. 32. qu. 2., cap. fin. de raptoribus.

(4) Cap. *Diſcretionem*, de eo, qui cognovit conſanguineam, cap. *Archiepiſcopat.* de raptoribus, cap. *Præterea* de Cleric. percuſ., Concilium Mediolanenſe I. ſub S. Carolo par. 2. de meretricibus, & lenonibus.

viri ſint, ſive mulieres) qui dictis, factis, blanditiis, munerum, ac litterarum delatione, conſilio, ſuaſionibus, aut aliis quibuſcumque malis artibus ad fœdos amores ſive viros, ſive mulieres pelliciunt, hortantur, aut quomodolibet cooperantur, ad normam Bullæ Pauli IV., quæ incipit *Sanctiſſimus*, ſervatis juris regulis, procedemus; & ſi crimen ſit publicum, etiamſi a nemine accuſentur, eos, ſi opus fuerit, excommunicatione majori plectemus. Hujuſmodi autem caſtitatis vaſtatores, ac mulierum, juvenumque ſeductores Parochi, ſi eos noverint, Nobis denuncient, ut illos male multatos e noſtra Diœceſi extorres eſſe cogamus.

X. Cum non raro contingat ad Eccleſiaſticum Tribunal deferri Judicium deflorationis, ſeu ſtupri, quod cum Matrimonii promiſſione perpetratum eſt; cumque non levis apud prudentes viros ſuſpicio ſit, puellas hujuſmodi deceptioni facile conſentire, tum quia nullas ipſæ dant pœnas, tum quia juxta Sacros Canones dotem exinde, aut conjugium conſequuntur; earum vero parentes, fratres, alioſque familiares aut manus crimini adjutrices porrigere, aut ſaltem per conniventiam cooperari; Nos, ut non modo puellæ, verum etiam earum parentes, & familiares, ſi quo modo aut Lenocinii, aut conniventiæ fuerint rei, debitas luant pœnas, decernimus, ac ſtatuimus, ut in Noſtra Diœceſi ſervetur edictum juſſu Clementis XII. in Alma Urbe editum die 13. Septembris 1736., cujus Synopſim in Appendice num. 4. damus.

XI. Parentes, (1) Conſanguinei, Affines, atque alii, ſub quorum cuſtodia manent Puellæ Sponſæ per verba de futuro, qui connivendo, permittunt frequentiam Sponſi in domo Sponſæ ante Matrimonii celebrationem, itaut ex tali frequentia ſecuta ſit copula, ipſo facto majorem excommunicationem incurrant, cujus abſolutionem Nobis reſervamus: a qua tamen excommunicatione, quam etiam Sponſi incurrent, abſolvi tantum ipſi Sponſi pote-

(1) Synodus Tuſculana anni 1688., & anni 1703.

poterunt a Parocho eo die, quo Matrimonium in facie Eccleſiæ contrahetur. Eamdem excommunicationem (1) Nobis reſervatam ipſo facto incurrant etiam parentes dormientes cum filia adulta, & Patres, ac Matres familias, aliique curam habentes adultorum, qui eos cum ſororibus jam grandiuſculis, & in ſeptimo ætatis anno completo conſtitutis, dormire permittunt, quin ulla ſe, aut paupertatis, aut domus anguſtiæ excuſatione tueri poſſint: Satius enim eſt, aut parentes, aut filios ſuper nuda humo, aut ſuper ſtramine cubare, quam filios evidenti periculo diſcendæ, exercendæque iniquitatis exponi.

XII. Cum Clericos angelica puritate præcellere oporteat, exemploque ſuo ad hanc amplectendam virtutem laicos excitare; enixe proinde iidem curent (2), ne, non modo cum concubinis conſuetudinem, ſed ne cum alia quidem quacumque ſuſpecta fœmina ullam omnino habeant familiaritatem: ſecus (3) in ipſos ex Sacrorum Canonum præſcripto ſevere animadvertemus, & niſi correcti reſipuerint, ad formam Concilii Tridentini (4) eos Beneficiorum fructibus, adminiſtratione, ipſoque demum titulo, præmiſſa ad ſingula canonica monitione, gradatim privabimus, eoſque etiam declarabimus quocumque alio beneficio, officio, atque Eccleſiaſtico honore indignos. Quod ſi ulterius contumacia proceſſerit, eoſdem majoris excommunicationis ſententia feriemus. Clerici autem, qui nullum Eccleſiaſticum obtinent Beneficium, pro delicti, ac pertinaciæ qualitate, carceris, ſuſpenſionis ab ordine, atque inhabilitationis ad beneficia, aliiſque graviſſimis pœnis punientur. Mulieres vero cum ipſis ſacrilege delinquentes, fuſtigationis, perpetuique exilii plectentur pœna.

XIII. Parochi, Concionatores, & Confeſſarii omnes, non modo Fideles comminationibus, pœniſque propoſitis ab impudicitiæ crimine abſterrere, verum etiam qua ratione immunditiam

 omnem

(1) Synodus Tuſculana anni 1688., & anni 1703.

(2) Can. *Clericus ſolus*. diſt. 81.

(3) Can. *Sacerdos*. diſt. 50., can. *Presbyteri*. diſt. 82., can. *Preter* §. *Ad hec* diſt. 32., can. *Siquiſunt* diſt. 61.

(4) Trid. ſeſſ. 25. de reform. cap. 14.

omnem cavere poſſint, edocere curent. *Ut itaque mundentur* (1) *ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, quietam, & tranquillam vitam agentes in omni pietate, & caſtitate, fugientes fornicationem, ac omnem immunditiam*, hæc iis adhibenda proponant remedia. Primo: *in medio* (2) *mulierum non commorentur, & cum fornicariis non ſe jungant: qui enim amat periculum, peribit in illo*. Secundo: *carnem crucifigant* (3) *cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis*; aſſiduiſque precibus a Deo poſtulent continentiam. *Hoc enim genus Dæmoniorum*, ut nos monet Chriſtus Dominus (4), *non ejicitur, niſi in oratione, & jejunio*. *Scivi*, inquit Sapiens (5), *quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det; & hoc ipſum erat ſapientiæ ſcire, cujus eſſet hoc donum: adii Dominum, & deprecatus ſum illum ex totis præcordiis meis*. Deus autem donum caſtitatis recte petentibus non denegat, uti Tridentina Synodus (6) definivit. Tertio: Humilitati, Temperantiæ, ac ſobrietati diligenter ſtudeant. *Nam hæc* (7) *fuit iniquitas Sodomæ; ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius*. Quarto: Sanctiſſimi viri Job imitentur exemplum (8), *& fœdus ineant cum oculis ſuis, ut ne cogitent quidem de virgine*. *Averte faciem tuam*, inquit Spiritus Sanctus (9), *a muliere compta: nam ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit*. *Virginem* (10) *ne conſpicias, ne ſcandalizeris in decore illius*. Quinto: naſcentes cupiditates, antequam robur accipiant, & adoleſcant, *tamquam* (11) *parvulos ſuos ſtatim allidant ad petram*. Qui enim dominari neſcit cupiditatibus, is quaſi equis raptatur indomitis, volvitur, obteritur, laniatur, affligitur. Sexto: Euchariſtiæ Sacramento, quod eſt *frumentum* (12) *electum, & vinum germinans Virgines*, frequenter, ſummaque cum Religione, ac pietate reficiantur. Septimo: cum carnis illecebræ naviculam concuſſerint men-

(1) 2. ad Cor. cap. 6., & ad Timot. cap. 2.
(2) Eccleſiaſtici cap. 42. & Eccl. c. 19.
(3) Ad Galat. cap. 5.
(4) Marci cap. 7.
(5) Sapientiæ cap. 8.
(6) Trid. ſeſſ. 24. can. 9.
(7) Ezechielis cap. 16.
(8) Job. cap. 31.
(9) Eccl. cap. 9.
(10) Eccl. cap. 9.
(11) Pſalm. 136.
(12) Zachariæ cap. 9.

Digitized by Google

mentis, ſtatim (1) *in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ*, in vulneribus nimirum Chriſti Domini, pia eorum meditatione ſeſe abſcondant, ac polarem ſtellam, puriſſimam videlicet Deiparam, intimo animi ſenſu reſpiciant, filiali amore invocent, certaque precentur fiducia, ut eos inter furentes carnis procellas ſervet incolumes, præſidioque ſuo illæſos protegat, ac tueatur.

CAPUT IV.

DE INTERNIS ANIMI AFFECTIBUS TEMPERANDIS.

INternæ humani cordis affectiones, quotquot ſunt, ad duo potiſſimum genera revocantur, ad iram videlicet, qua malum a nobis ſtudemus avertere, & ad concupiſcentiam, qua bonum nobis concupiſcimus, nobiſque pro viribus comparare ſtudemus. Affectionum hujuſmodi ante Adæ peccatum nulli erant, ut diximus, inordinati motus, qui rectæ rationi adverſarentur: At poſtquam prævaricatus ille eſt; cum eædem ad propria ſenſibilia objecta ferantur, nulla habita liciti, illicitive ratione; mens noſtra vigilet, neceſſe eſt, ne ab iis ad inhoneſta, illicitaque rapiamur. Cum autem bona, quæ concupiſci a nobis poſſunt, in triplici ſint genere, videlicet voluptates, opes, & honores; Hinc etiam triplex a nobis eſt moderanda concupiſcentia, nimirum *concupiſcentia carnis*, *concupiſcentia oculorum*, *ſuperbia vitæ*. De cohibenda carnis concupiſcentia capite ſuperiori locuti ſumus. Agemus hic paucis de ira, de concupiſcentia oculorum, ac de ſuperbia vitæ Chriſtiana moderatione temperandis.

II. Utque ab ira ordiamur; *alia eſt ira*, uti monet S. Gregorius (2), *quam impatientia excitat*, *alia*, *quam zelus juſtitiæ format*. *Illa ex vitio*, *hæc ex virtute generatur*. Siquis igitur appetat (3), ut ad rectæ rationis normam ultio ſumatur de crimine, laudabilis eſt ejuſmodi iræ appetitus, & vocatur *ira per zelum*: At

(1) Cantic. S. Bernardus ſerm. 61. in Cantic.

(2) S. Gregorius moral. lib. 5. cap. 31.

(3) S. Th. 2. 2. qu. 158. art. 2.

Digitized by Google

At ſi appetat, ut contra rectæ rationis regulam vindicta qualitercumque fiat, vitioſus erit appetitus, *& ira per vitium* nuncupatur. Laudabile quidem eſt ultionem appetere, ut vitia corripiantur, & juſtitiæ bonum ſervetur illæſum: at illicitum eſt, ac reprehenſione dignum velle vindictam propter malum illius, qui puniendus eſt. *Iraſcimini*, inquit S. Ambroſius (1), *ubi culpa eſt, cui iraſci debeatis: non poteſt enim fieri, ut non rerum indignitate moveamur: alioqui non virtus, ſed remiſſio judicatur. Quis non iraſcitur*, exclamat S. Auguſtinus (2), *videns homines confitentes ore Deum, & negantes moribus*? At quamquam juſta nobis ſit iraſcendi cauſa, non tamen celeres ad iram ſimus, aut in iraſcendo ferventiores. *Sit omnis homo*, ita nos Jacobus Apoſtolus (3) monet, *velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram: ira enim viri juſtitiam Dei non operatur.* Ubi (4) autem fervida eſt vindicta, non eſt temperata juſtitia: plus enim ſæpe ira in vindicta exigit, quam injuria mereatur. Hinc ira, cum delinquentium culpas inſequitur, menti non debet quaſi domina præire, ſed poſt rationis tergum quaſi ancilla famulari.

III. At iram, quæ per vitium eſt, *januam vitiorum omnium* S. Hieronymus nuncupavit, & merito (5): *qui enim ad indignandum facilis eſt, erit ad peccandum proclivis.* Hinc, qui iræ dominari neſcit, ſed ab ea ſe rapi ſinit, eum ad blaſphemias, ad detractiones, ad calumnias, ad rixas, ad homicidia, aliaque graviſſima ſcelera præcipitem ferri non raro videmus. *Effrænes linguæ*, ait S. Baſilius (6), *ora incuſtodita, incontinentes manus, contumeliæ, probra, verbera, & alia ejuſmodi, quæcumque quis enumerare poterit, iræ ſunt, ac furoris fructus. Ob iram enſis acuitur, mors homini ex homine venit. Fratres inter ſe ignorantur, parentes, ac liberi naturæ obliviſcuntur.* Quamobrem ita monemur in Scripturis ſanctis: *Cum iracundo* (7) *ne facias rixam, quoniam quaſi nihil eſt ante illum*

(1) S. Ambroſius offic. lib. 1. cap. 21.
(2) S. Auguſt. in Pſalm. 30. concione 2.
(3) Jacobi cap. 1.
(4) S. Gregorius moral. loc. cit.
(5) Prov. cap. 29.
(6) S. Baſilius homil. de Ira 10. ex variis.
(7) Eccli. cap. 8. v. 19.

Digitized by Google

illum ſanguis. Hinc etiam iracundus in Sacris Paginis, & a Sanctis Patribus, modo ſtulto, modo ebrio, modo dæmoniaco comparatur. *Ira in ſinu ſtulti requieſcit* (1), ita Eccleſiaſtes: *Ebrius eſt, quem tenet ira*; Ita S. Joannes Chryſoſtomus. Iracundus *non magis cohibetur, quam a Dæmonibus detenti, a quibus irati nihil nec forma, nec affectu differunt*; ita S. Baſilius (2). Iram autem manſuetudinis virtus moderatur, quam Chriſtus ipſe, ut ab eo diſceremus, præcepit: *Diſcite* (3) *a me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Si ergo Chriſti ſumus Diſcipuli, ejuſque Magiſterio gloriamur, ejus quoque manſuetudinem imitemur, oportet. *Omnis itaque* (4) *amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor tollatur a nobis*; ut inquit Apoſtolus. Si quis autem proximo ſuo juſte ſe iraſci putet (nulli enim iraſcenti (5) ira ſua eſſe videtur injuſta) illud primum cogitet, mendaces eſſe filios hominum in ſtateris, ac dum de rebus ſuis judicium proferunt, ſæpiſſime decipi, nimio ſui ipſorum amore excæcatos. Meminerint deinde ſapientiſſimi illius Senecæ dicti; *Non injuriam pati, ſed injuriam facere, vel neſcire pati, malum eſt*. Tertio veriſſimum illud S. Gregorii (6) monitum parumper cogitent: *Si ſic proximos, ut nos, amare jubemur, reſtat, ut ſic eorum erroribus, ſicut noſtris vitiis iraſcamur*. Tandem ſibi ob oculos mentis divina Chriſti Domini exempla proponant, *qui cum percuteretur, non repercutiebat* (7), *cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur*. Quod ſi iratus quis fuerit adverſus Fratrem ſuum; is neque loquatur, neque quidquam agat, antequam ira parumper deferbuerit: quidquid enim in illo iracundiæ æſtu aut agat, aut dicat, ad rectam rationis lancem librare nequit. *Si non potueris mitigare mentem*, prudentiſſimum eſt S. Ambroſii (8) conſilium, *reprime linguam tuam. Vincite ratione iracundiam. Ita iraſcimini, ut tamen a culpa abſtineatis*. Conetur deinde precibus ad Deum fuſis, divinarum-

(1) Eccleſ. cap. 7. v. 10.
(2) S. Baſilius homilia 10. de Ira.
(3) Matth. cap. 11.
(4) Ad Epheſ. cap. 4.
(5) S. Auguſtinus ad Dioſcor.
(6) S. Gregorius moral. loc. cit.
(7) 2. Petri cap. 2.
(8) S. Ambroſius offic. lib. 1. cap. 21.

narumque rerum meditatione motum omnem comprimere, ita ut juxta Apoſtoli monitum (1): *Sol non occidat ſuper iracundiam ſuam, neque locus detur diabolo*. Sic enim fiet, ut cuilibet inteſtino erga proximum odio, quod Divinæ maxime diſplicet Majeſtati, omnis aditus intercludatur.

IV. Cum, Apoſtolo teſte, *radix* (2) *omnium malorum ſit Cupiditas*, immoderata videlicet terrenas opes habendi cupido; eadem eſt modis omnibus a Fidelibus cohibenda, ne æternam animarum ſuarum jacturam patiantur. *Qui enim volunt* (3) *divites fieri*, ut idem inquit Apoſtolus, *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem; itaut pecuniam quidam appetentes erraverint a Fide, & inſeruerint ſe doloribus multis*. Ex hac diteſcendi cupiditate avaritia oritur, *quæ ſimulacrorum ſervitus* (4) ab Apoſtolo nuncupatur. *Sicut enim Idololatria*, ut optime Innocentius III. (5) interpretatur, *ſervit Simulacro, ſic Avarus ſervit theſauro: nam ille cultum Idololatriæ diligenter ampliat, & iſte cumulum pecuniæ libenter augumentat; ille cum diligentia colit ſimulacrum, & iſte cum omni cura cuſtodit theſaurum; ille ſpem ponit in idololatria, & idolo, & iſte ſpem ponit in pecunia, & nummo; ille timet mutilare ſimulacrum, & iſte timet minuere theſaurum. At avaro* (6) *nihil eſt ſceleſtius: hic enim & animam ſuam venalem habet*. Et ſane quam facile eſt, ut avarus, dum opibus colligendis ſtudet, cum Deo, tum proximo graviſſimas irroget injurias! Deo quidem, cum tanta aviditate divitias appetat, ut in iiſdem ultimum ſibi finem, ac veluti ſummum conſtituat bonum, paratus divinam potius violare legem, Deique amicitiam, curamque ſalutis abjicere, quam opes non acquirere, aut deſerere acquiſitas: Proximo vero, cum rem alienam aut injuſte auferat, aut ablatam retineat, aut extremæ, vel gravi proximi neceſſitati, cum poſſit, ac debeat, non ſuccurrat.

V. Con-

(1) Ad Epheſ. cap. 4.
(2) 1. ad Timoth. cap. 6.
(3) 1. ad Timoth. cap. 6.
(4) Ad Coloſſen. cap. 3.
(5) Innocentius III. lib. de utilit. conditionis humanæ.
(6) Eccleſiaſtici cap. 10.

Digitized by Google

V. Contra immoderatam hanc pecuniæ, atque opum cupiditatem Parochi, & Concionatores verba non infrequenter faciant, & ſalutaria Fidelibus monita ſubminiſtrent, quibus inſtructi tot, tantaque mala præcavere facile poſſint. Et illud quidem primum inſinuent, moriendum iis eſſe, ac divitias omnes, quibus viventes tam avide inhiarunt, irreparabili jactura eſſe amittendas. *Ditiſſimus es*: ſic avaros S. Baſilius (1) alloquitur: *quid igitur poſtea? Nonne tres in univerſum cubiti ad ſepulturam te expectant? Nonne paucorum lapidum onus ad infelicis corporis ſufficit cuſtodiam?* Addant deinde, incaſſum fortaſſe eos laborare in opibus tanto cum labore, periculoque congregandis: neſciunt enim, cui congregant pecuniam ſuam. *Deteſtatus (2) ſum omnem induſtriam meam .... habiturus hæredem poſt me, quem ignoro, utrum ſapiens, an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis, quibus deſudavi, & ſollicitus fui; & eſt quidquam tam vanum?* ita Sapiens in Eccleſiaſtici libro. In memoriam præterea iis revocent ea, quæ ad Epheſios ſcribit Apoſtolus (3): *Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis avarus non habet hæreditatem in regno Chriſti, & Dei*. Tandem illos paterna charitate hortentur ad theſauros ſibi in Cœlo comparandos, ac verbis utantur Chriſti Domini (4), quæ non raro diligenter iiſdem explanare curent: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo, & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt, & furantur: theſaurizate autem vobis theſauros in Cœlo, ubi nec ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.*

VI. Inter plura, eaque ſapientiſſima conſilia, quæ filio ſuo peramanter dedit, cum ſe moriturum crederet Tobias, illud eſt homini cuilibet apprime neceſſarium, omnique commendatione digniſſimum (5): *ſuperbiam numquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas*. Qui enim de ſe ſuperbe ſentit, ſuamque

Ddd glo-

(1) S. Baſilius.
(2) Eccleſiaſt. cap. 2.
(3) Ad Epheſ. cap. 5.
(4) Matth. cap. 6.
(5) Tobiæ cap. 4.

Digitized by Google

gloriam, & honorem in omnibus quæritans, reliquos deſpicit, ſeſeque unum honore dignum arbitratur; Is profecto odibilis Deo eſt, hominibus vero deſpicabilis. Quatuor autem ſunt (1) ſuperbiæ ſpecies, quibus omnis arrogantium tumor demonſtratur; nempe 1. cum bonum a ſemetipſis habere exiſtimant; 2. ſi quod ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis id ſe accepiſſe meritis putant; 3. cum jactant ſe habere, quod non habent; 4. tandem cum deſpectis cæteris, ſingulares videri in eo appetunt, quod habent. Primo ſuperbiæ genere peccaſſe Nicanorem (2) accepimus, qui cum audiſſet eſſe potentem in Cœlo Deum, qui imperavit agi diem ſabbatorum, quo die pugnare nolebant Hebræi, ſuperbe reſpondit: *Et ego potens ſum ſuper terram, qui impero ſumi arma*. Hujus generis ſuperbos ſapienter arguit his verbis Apoſtolus (3): *quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Secundo ſuperbiæ genere peccant ii, qui ſupernum aliquod donum ſe ſuis accepiſſe meritis putant; quos idem Apoſtolus (4) reprehendit dicens: *gratia eſtis ſalvati per fidem; & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ut ne quis glorietur*. Superbia tertii generis infectum fuiſſe ſcimus Epiſcopum Laodicææ, ad quem Joannes ſcribens in Apocalypſi (5), ſic illum increpat: *Quia dicis, quod dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo; & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*. Quarti tandem generis ſuperbia intumuit Phariſæus ille, qui in Templo ſtans oravit, & Publicano ſe prætulit. De eo autem ſic inquit S. Gregorius (6): *Phariſæus idcirco de Templo abſque juſtificatione deſcendit, quia bonorum operum meritum quaſi ſibi ſingulariter tribuens oranti Phariſæo ſe prætulit*. Cum autem ingenitus nobis ſit noſtræ excellentiæ, ac dignitatis amor; caute vigilemus oportet, ne præſcriptos honeſti, rectique fines prætergrediamur. Curam quidem de bono nomine habeamus,

(1) S. Gregorius moral. lib. 23. cap. 4.
(2) 2. Machab. cap. 5.
(3) 1. Ad Cor. cap. 4. v. 7.
(4) Epheſ. cap. 2. 4. 8.
(5) Apocal. cap. 3.
(6) S. Gregorius moral. lib. 23. cap. 4.

Digitized by Google

mus, neceſſe eſt: at cavendum maxime, ne cum aliorum deſpectu, atque injuria honorem, & gloriam ſupra meritum, & ſupra modum appetamus, quemadmodum Phariſæos feciſſe accepimus, quorum ſuperbos mores ita Chriſtus Dominus (1) ſumma cum deteſtatione deſcribit. *Omnia opera faciunt, ut videantur ab hominibus. Dilatant enim philacteria ſua, & magnificant fimbrias. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas Cathedras in Synagogis, & ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* At non ita exemplo ſuo Chriſtus nos docuit, *qui cum* (2) *in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; & tamen exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, & habitu inventus ut homo.* Ejus itaque exempla imitemur, quæ ipſe nobis ſæpius imitanda propoſuit (3): *Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Exemplum dedi vobis* (4), *ut ſicut ego feci, ita & vos faciatis.*

VII. Ut autem Fideles ſuperbiam oderint, diligant vero humilitatem; illud primum iis inſinuent Parochi, ut ſeipſos cognoſcere penitus curent. Unuſquiſque igitur ſe tacitus interroget; *quid fuiſti? quid es? quid eris?* Nihil profecto inveniet, de quo gloriari poſſit, ac ſuperbire; ſed ubique plurima occurrent ſive ad corpus, ſive ad animam ſpectantia, propter quæ faſtus omnis detumeſcet, ac demiſſe de ſe ſentire cogetur. Deinde eos edoceant, tam malæ indolis eſſe ſuperbiam, ut ſi bonis ipſis operibus ſeſe immiſceat, eadem prorſus corrumpat, ac perdat. *Alia quæcumque iniquitas*, inquit S. Auguſtinus (5), *in malis operibus exercetur, ut fiant; ſuperbia vero in bonis operibus inſidiatur, ut pereant.* Tertio eos moneant, ita ſuperbis Deum iraſci, ut ad eorum retundendam ſuperbiam, in viliſſima quæque, ſordidaque crimina eos non infrequenter labi permittat. *Evanuerunt in cogitationibus ſuis*, ita teſtatur Apoſtolus (6), *propterea dedit illos Deus in paſſiones ignominiæ.* Tandem, ut chriſtianæ humilitatis donum conſe-

Ddd 2

(1) Math. cap. 23.
(2) Ad Philipp. cap. 2.
(3) Matth. cap. 11.
(4) Joa. cap. 13.
(5) S. Auguſtinus in regul.
(6) Ad Rom. cap. 1.

Digitized by Google

conſequantur, eos hortetur, ut illud a Deo frequenter poſtulent (1), *qui ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Ad hoc namque*, ut ait S. Gregorius (2), *Dei Filius formam infirmitatis noſtræ ſuſcepit, ad hoc viſibilis, immo & deſpectus apparuit, paſſionumque tormenta toleravit, ut ſuperbum non eſſe hominem doceret humilis Deus*.

CAPUT V.

DE SENSUUM EXTERIORUM CUSTODIA.

CUM militia (3) ſit vita hominis ſuper terram, & perpetua nobis ſit colluctatio (4) adverſus carnem, & ſanguinem, & adverſus Mundi rectores, ac poteſtates tenebrarum harum; inſtructos nos eſſe ſemper oportet ad prælium, & vigilantiſſimi inſtar Ducis, cui arcem, aut urbem Princeps tradiderit cuſtodiendam, omnes ſive domeſticorum, ſive externorum hoſtium inſidias, atque aggreſſiones præcavere. Quemadmodum igitur ille domeſticos hoſtes vinculis irretitos in carcere detinet, ne cum externis hoſtibus colloquantur, atque iter iis ad arcem, aut urbem capiendam aperiant; Externas vero hoſtiles acies per aſſiduam, ſedulamque munimentorum, murorum, ac portarum cuſtodiam ab omni incurſione repellit; Ita nos domeſticos hoſtes, noſtras videlicet concupiſcentias, ne rebelles tumultuentur, moralium virtutum exercitio cohibeamus; Hoſtes vero externos, ſenſibilia videlicet objecta, quæ noſtram deprædari poſſunt animam, ſenſuum externorum cuſtodia ab omni repentina incurſione prohibeamus, neceſſe eſt. De concupiſcentiis frænandis jam ſatis diximus. Nunc de ſenſuum externorum cuſtodia, quorum moderatrix, & cuſtos eſt Modeſtiæ virtus, pauca dicamus, quæ ad omnes quidem, [*nam modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus*, ad Philippenſes ſcribens (5) inquit Apoſtolus] ſed ad Clericos potiſſimum

(1) 1. Petri cap. 5.
(2) S. Gregorius moral. lib. 34. c. 18.
(3) Job. cap. 7.
(4) Ad Epheſ. cap. 6.
(5) Ad Philipp. cap. 24.

Digitized by Google

tiſſimum pertinent; *Clerici enim*, juxta Tridentinam (1) Synodum, *in ſortem Domini vocati, vitam, moreſque ſuos omnes ſic componere debent, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus, nil, niſi grave, moderatum, ac Religione plenum, præſeferant: levia quoque delicta ita effugere, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.*

II. Utque a lingua exordiamur; *Si quis* (2) *putat, ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio*: Contra vero, *ſi quis in verbo non offendit* (3), *hic perfectus eſt vir*. Præterea quamquam quis vitam (4) fide muniat, ſcientia regat, charitate, & ſobrietate componat; nihil tamen eſt, quod in homine placeat, ſi in toto corpore lingua diſpliceat. Curam itaque omnem in lingua cohibenda exercere nos oportet; & primum quidem, ut a multiloquio abſtineamus: *In multiloquio enim non deerit peccatum, & qui* (5) *multis utitur verbis, lædet animam ſuam*. Quis autem peccata recenſeat, quæ ex multiloquio proficiſci ſolent? *Sicut Urbs* (6) *patens, & abſque murorum ambitu; ita vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum*. *Lingua ignis eſt*, teſte Jacobo (7), *& univerſitas iniquitatis*. *Modicum quidem* (8) *membrum eſt, & magna exaltat: ecce quantus ignis quam magnam ſylvam incendit!* Tria autem potiſſimum ſunt peccatorum genera, quæ ex neglecta linguæ cuſtodia oriri, ac foveri conſueverunt; impudicitia videlicet, detractio, & mendacium.

III. Quod ad impudicitiam attinet; quamquam Apoſtolus, ipſum luxuriæ vitium, ipſamque immunditiam inter Fideles familiari colloquio nominari vetet; *Fornicatio* (9) *autem, & omnis immunditia, aut turpitudo, aut ſtultiloquium nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos*; eo tamen impudentiæ noſtra hac ætate deven-

(1) Trid. ſeſſ. 22. de reform.
(2) Jacobi cap. 1.
(3) Jacobi cap. 3.
(4) S. Valerius in Bibliotheca Patrum.
(5) Proverb. cap. 10.
(6) Proverb. cap. 25.
(7) Jacob. cap. 3.
(8) Jacobi cap. 5.
(9) Ad Epheſ. cap. 5.

Digitized by Google

deventum eſſe dolemus, ut Fideles plurimi nonniſi obſcena, ac turpia ſcire loqui videantur. Nullus jam ſive in compitis, ſive in viis, ſive in officinis inter loquendum ſervatur pudor, verecundia nulla. Quamquam pueri adſint, honeſtæ matronæ, innuptæ puellæ, ipſique Sacri Altaris Miniſtri, a turpibus tamen verbis, atque inverecundis ſermonibus temperare ſibi neſciunt, & tamquam (1) *ſepulchrum patens eſt guttur eorum*. Cantiunculæ etiam quædam publice cantantur in viis, quibus plurimum libido fovetur, turpiaque in audientium mentibus phantaſmata excitantur. Contra has linguas (2) *a gehenna inflammatas* Parochorum in Noſtra Diœceſi zelus exardeſcat, ut qua publicis hortationibus, qua privatis correptionibus obſtruatur os loquentium obſcena. Quod ſi parum, aut nihil ſe proficere videant, iniquos hujuſmodi homines Nobis denuncient, ut eos pœna ſive pecuniaria, ſive corporis afflictiva coerceamus. Reliquos vero Fideles ab hujuſmodi prava conſuetudine contrahenda abſterreant, iis grave peccandi periculum oſtendentes, cui & ſe, & alios committerent, ſi turpes hujuſmodi ſermones miſcerent: *corrumpunt enim, bonos (3) mores colloquia prava, & os (4) lubricum operatur ruinas*. Qua quidem in re cautos potiſſimum eſſe moneant Patresfamilias, quorum loquendi licentiam facile ii omnes, qui ſubſunt, ac præſertim pueri, imitantur. *Puer (5) enim ea lingua loquitur, qua homines, inter quos natus, educatuſque eſt*.

IY. Quod autem ad detractionem pertinet, Jacòbi monitum audiatur (6): *Nolite detrahere alter alterutrum, Fratres*. At quam facile eſt, ut quis, niſi linguam ſuam caute cuſtodiat, proximorum famæ non unum, nec leve vulnus infligat! Quam difficile tamen eſt inflicto vulneri opportunam adhibere medicinam, læſamque proximi famam reparare! Non paucos ſane alienæ famæ detrahentes; nullos, vel fere nullos illatam reparantes inju-

(1) Pſal. 5. v. 11.
(2) Jacobi cap. 3.
(3) 1. Ad Cor. cap. 15.
(4) Prov. cap. 26.
(5) S.Aug. lib. de quantit. animæ c.18.
(6) Jacobi cap. 4.

injuriam audimus, cum tamen charitas, & juſtitia poſtulent, ut reparetur. Duo autem hominum genera in hoc vitium labuntur facilius, ac proinde in loquendo cavere ſibi debent diligentius. Primum eſt eorum, qui cum ſint hilarioris ingenii, & ex propria indole loquaciores, ſæpe aliena dicta, & facta non inficetis modis irrident, modo proximorum virtutes, ac bene facta deprimentes, modo vitia, erroreſque elevantes, ita ut bonæ eorum famæ, atque exiſtimationi non parum detrahatur. Alterum eorum eſt, qui cum ignea conſtent natura, ſunt ad iram procliviores, qua dum adverſus aliquem corripiuntur, quidquid in buccam venit, in illum evomunt, & dicenda, tacendaque proferre in medium non verentur. Hos monitos ſerio volumus, ut procacitati ſuæ, & garrulitati temperent, niſi Deo, hominibuſque velint eſſe odibiles. *Detractores enim Deo odibiles eſſe* affirmat Apoſtolus (1); &, ut a Sapiente in Proverbiis monemur (2); *abominatio hominum detractor. Attendant itaque, ne forte labantur* (3) *in lingua, & cadant in conſpectu inimicorum inſidiantium eis, & ſit caſus eorum inſanabilis in mortem.*

V. Tandem qui multiloquio utitur, facillime, niſi caveat, mentitur: *Os autem* (4), *quod mentitur, occidit animam*. Quamobrem ſic Fideles hortamur cum S. Ambroſio: *Fratres, cavete mendacium, quia omnes, qui amant mendacium, filii ſunt diaboli*. In Sacris enim Litteris (5) mendacii pater Dæmon nuncupatur. Fas quidem eſt, uti docet Angelicus, veritatem aliquando prudenti diſſimulatione celare: numquam autem mentiri licet, *cum* (6) *Scriptura Sacra prohibeat etiam pro alterius vita mentiri*. Ut enim inquit S. Auguſtinus (7): *verba propterea inſtituta ſunt, non per quæ ſe invicem homines fallant, ſed per quæ quiſque in alterius notitiam cogitationes ſuas proferat. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod*

(1) Ad Roman. cap. 1.
(2) Proverb. cap. 24.
(3) Eccli. cap. 28.
(4) Sapientiæ cap. 1.
(5) Joa. cap. 8.
(6) Alexander III. in cap. *Super eo* 4. de Uſuris.
(7) S. Auguſtinus in Enchiridio c. 22. relatus in can. *Is autem* cauſ. 22. qu. 2.

quod ſunt inſtituta , peccatum eſt . Ad hæc evitanda peccata , quæ ex neglecta linguæ cuſtodia tam facile oriuntur , tria Fidelibus Parochi inſinuent ſequenda conſilia . Primum illud eſt , quod Sacræ proponunt Litteræ (1) : *Sit omnis homo velox ad audiendum , tardus autem ad loquendum* ; videlicet , ut ait S. Bernardus , *ante quam verba proferas* (2) , *bis ad limam veniant , quam ſemel ad linguam* . Alterum eſt , ut , antequam loqui incipiamus , Davidicis illis utamur ad Deum precibus (3) : *Pone , Domine , cuſtodiam ori meo , & oſtium circumſtantiæ labiis meis* . Tertium tandem eſt , ut ſi forte lingua noſtra labamur , in admiſſi criminis vindictam pœnam aliquam a nobiſmetipſis ultro exigamus .

VI. *Non ſolum nihil ipſi indecorum loqui* (verba ſunt S. Bernardi) *ſed ne aurem quidem debemus hujuſmodi præbere dictis , quia quem delectat audire , alterum loqui provocat: audire quoque, quod turpe ſit , pudori maximo eſt* . Nefas ergo eſt , ac præſertim Eccleſiaſtico Viro , ſive laſcivis , ſive maledicis libenter aurem præbere ſermonibus ; tum quia ſi auditis gaudeat , ac delectetur , lethali culpa ſe alligat ; tum quia ſi libenter audiat , multoque magis ſi plaudat , alterum ad loquendum provocat , eique peccandi occaſionem præbet ; tum demum quia turpia illa ſeu dicta , ſeu facta , quæ auribus percipiuntur , audientis mentem pervadunt , animumque pravis cogitationibus percellunt . *Hinc ſagitta vulnerans lingua eorum* , uti Jeremias affirmavit . *Et generatio* (4) , *quæ pro dentibus gladios habet* , vocantur in Scripturis homines perverſa loquentes . Sepiendæ (5) proinde ſunt aures noſtræ ſpinis , & lingua nequam non eſt audienda . Detrahere enim (6) , vel detrahentem audire , utrum damnabilius ſit , non facile conſtat , non enim eſſent , qui detraherent , ſi non adeſſent , qui detrahentes audirent . Id autem facile aſſequemur , ſi familiare hujuſmodi homi-

(1) Jacobi cap. 1.
(2) S. Bernardus.
(3) Pſalm. 140. v. 3.
(4) Prov. cap. 39.
(5) Eccli. cap. 28.
(6) S. Hieronymus epiſt. ad Nepotianum , & S. Bernardus lib. 2. de conſideratione ad Eugenium.

Digitized by Google

hominum conſortium fugiamus. *Remove* (1) *a te os pravum*, *&* *detrahentia labia ſint procul a te*. Quod ſi declinari eorum occurſus, & alloquium nequeat; cum primum vel obſcena loqui, aut alienæ famæ detrahere incipiunt; vel increpandi ſunt, ac dimittendi, ſi videlicet majores, aut digniores iiſdem ſimus; vel amice monendi, aut alius prudenter miſcendus ſermo eſt, ſi pares nobis ſint; vel tandem ſi majori, quam nos, auctoritate, aut dignitate præfulgeant, ad gravitatem, triſtitiamque vultum noſtrum componamus oportet, ut iidem ingratos nobis eſſe, ac permoleſtos hujuſmodi ſermones intelligant. *Sicut enim ventus Aquilo* (2) *diſſipat pluviam*, *ſic facies triſtis linguam detrahentem*.

VII. *Nequius oculo quid creatum eſt?* Verba ſunt Eccleſiaſtici (3). Et ſane niſi quis oculos ſuos aſſidua moderatione cuſtodiat, plurimis brevi ſe implicitum iniquitatibus conqueretur. Quamobrem *portas mortis*, *oſtiaque tenebroſa* illos appellat Hieronymus, cum per eos facile in incautorum animos peccati mors ingrediatur. Cum enim ex una parte ſegnius irritent animos demiſſa per aures, quam quæ fidelibus oculis ſubiiciuntur; ex alia vero *ſenſus* (4), *& cogitatio humani cordis in malum prona ſint ab adoleſcentia*; nemo futurum non videt, ut, ſi liberius in omnem partem vagentur oculi, objecta delectabilia, licet vetita, videntis animum vividius pertentent; concupiſcentia quaſi ignis exardeſcat; & verendum maxime ſit, ne voluntas tandem ſuavibus voluptatis illecebris devicta ſuccumbat. Hinc ſapienter monemur in ſacris Litteris (5): *averte faciem a muliere compta*; *nam ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit*. Certum illud eſt, neminem poſſe ſe Davide ſanctiorem exiſtimare; qui tamen cum oculos ſuos non continuiſſet, duplici ſe graviſſimo adulterii, atque homicidii crimine commaculavit. Ad hanc itaque oculorum modeſtiam diligenter Fideles hortentur Parochi, ac adoleſcentes

 præſer-

(1) Prov. cap. 4.
(2) Prov. cap. 25.
(3) Eccli. cap. 31.
(4) Geneſis cap. 8.
(5) Eccli. cap. 9.

præſertim, puellaſque, quorum, quo vividior, eo etiam periculoſior eſt ſenſus. Illud etiam iiſdem crebro inſinuent, ut, ſi Deiparæ Virginis patrocinio ſe protegi velint, virgineam ejuſdem modeſtiam imitari curent ſtudioſiſſime.

VIII. Quod ad guſtus, tactuſque ſenſum attinet, plura ſuperius jam diximus. Aliquid dumtaxat de externo totius corporis habitu, modeſtiaque eſt innuendum. *Quomodo* (1) *in aquis reſplendet vultus proſpicientis, ſic corda hominum manifeſta ſunt prudentibus. Ex viſu* (2) *enim cognoſcitur vir, & ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus: amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enuntiant de illo*. Hinc vir apoſtata ab externo corporis habitu, inceſſuque nobis deſcribitur in ſacris Paginis (3): *Homo apoſtata vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur*; ex quibus profecto externis ſignis Juliani apoſtaſiam, cum Athenis operam litteris daret, perſpectam ſibi fuiſſe S. Gregorius Nazianzenus affirmat. Curandum itaque eſt Fidelibus omnibus, ac præſertim Clericis, ut habitu, geſtu, inceſſu, totiuſque corporis compoſitione Chriſtianam modeſtiam, gravitatemque præſeferant, ac ex ipſo eorum aſpectu unuſquiſque illos Chriſti eſſe Diſcipulos agnoſcat, ac fateatur.

CAPUT VI.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

QUÆ de Chriſtiani hominis erga ſemetipſum officio, quod in concupiſcentiis cohibendis ſitum eſt, ſectandiſque virtutibus, hactenus diſſeruimus; ea quidem ad Chriſtianum quemlibet hominem, ſed ad Clericos potiſſimum pertinent, quos in ſortem Domini vocatos, & a reliquo ſegregatos populo decet eſſe Sanctos, quoniam Sanctus eſt Dominus, cujus ſervitio ſe totos ultro manciparunt. Verum cum illos eo ſanctiores laicis eſſe deceat, quo ſublimius eſt miniſterium, ad quod a Deo

(1) Prov. cap. 27. (2) Eccl. cap. 19. (3) Prov. cap. 6.

Deo aſſumuntur, & nobiliores ſunt tituli, quibus in ſacris Litteris nuncupantur; idcirco aliqua ſpeciatim de eorum vita, & honeſtate hic duximus eſſe ſtatuenda, ut eadem ſervantes (1) *in omnibus exhibeant ſemetipſos ſicut Dei Miniſtros, nec vituperetur miniſterium noſtrum*. Audite ergo Nos, Venerabiles Fratres, & Filii chariſſimi, genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, Populus acquiſitionis, & nobilior commiſſi Nobis Dominici Gregis portio: inclinate aurem veſtram in verba oris noſtri, ac peramanter excipite, atque opere complete monita Patris veſtri, ut hæreditatem ejus, qui vos elegit, adipiſci, &, tamquam lucernæ lucentes in caliginoſo loco, cæteris verbo, & exemplo præfulgere valeatis.

ARTICULUS I.

De Clericalis ſtatus dignitate, ac præſtantia.

ET primum quidem agnoſcite, Venerabiles Fratres, & Filii chariſſimi, dignitatem veſtram, ad quam a populo ſegregati, divinitus evecti eſtis, & nolite in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Data vobis eſt, o Sacerdotes, poteſtas in Cœlo, & in terra, ut per conſecrationis verba, quæ in Miſſæ Sacrificio a vobis proferuntur, Unigenitus Dei Filius, ſedens ad dexteram Patris, totus, & integer ſub Euchariſticis conſtituatur ſpeciebus, & idem ille Chriſtus, qui in Ara Crucis ſemel ſe ipſum cruente obtulit, iterum incruente immoletur: per abſolutionis vero verba, quæ in miniſtrando Pœnitentiæ Sacramento ſuper Fideles effunditis, mediatores inter Deum, & homines conſtituti, ſceleſtiſſimos quoſque, contritos tamen, ac rite diſpoſitos, Deo reconcilietis, eoſque, ſublato criminum quorumlibet, ac pœnarum æternarum reatu, priſtinæ Filiorum Dei conditioni, atque hæreditario ad regnum Cœlorum juri reſtituatis. Hac autem dignitate, ac poteſtate, qua ipſi carent Angeli

(1) 2. ad Cor. cap. 6.

geli (cui enim Angelorum dixit Deus: quorum remiſeritis peccata, remittentur eis?) quid ſublimius, quid ſanctius in terris excogitari poteſt? Hinc intelligitis, opinor, quam ob cauſam Deos ſacræ Litteræ nos nuncupent, in quorum Synagoga ſtare Deus dicitur; *Deos videlicet Sacerdotes intellige*, ut optime Rupertus Abbas interpretatur, *ſecundum quod dictum eſt ad Moyſen: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis; nimirum ſecundum divini dignitatem officii*.

II. Cum autem Miniſtri ſitis Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum ejus; Chriſti quoque bonus odor ſitis oportet, ac jugi virtutum omnium exercitio ad Deum Laicos adducatis, quorum Paſtores, ac Duces effecti eſtis. Vos enim eſtis ſal (1) terræ, per quos condiendi ſunt quodammodo Populi, ac peccatorum putores extinguendi. Vos eſtis lux mundi, per quos illuminandi ſunt ii, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedent. Vos eſtis Civitas ſupra Montem poſita, in quam prætereuntium oculi ſedulo figunt obtutum. Videtis igitur, atque intelligitis, quanta morum ſanctitate, doctrinæque præſtantia vos eſſe inſtructos oporteat, ut & dignitatis, qua præditi eſtis, & miniſteriorum, quæ commiſſa vobis ſunt, menſuram pro viribus exæquetis. Quantum (2) vero ſit hujus diſciplinæ pondus, quæ perfectio virtutum, quod ſanctitatis exemplum ad illud ſuſtinendum requiratur, nemo eſt, qui non videat, cum levia quoque delicta, quæ in vobis maxima eſſent, ita effugere debeatis, ut actiones veſtræ cunctis afferant venerationem.

III. Hæc, aliaque hujuſmodi plura, quæ jam alias aut legiſtis, aut audiſtis, Venerabiles Fratres, ac Filii chariſſimi, frequenter vos ipſi cogitate, ut leges illas, quas ad Sacrorum Canonum normam de veſtra vita, morumque honeſtate ferемus, alacrius, exactiuſque ſervare ſtudeatis.

(1) Matth. cap. 5. S. Auguſtinus lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 6.
(2) Trid. ſeſſ. 23. de reformat. cap. 11.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De Clericorum pietate.

UT a Clericorum erga Deum pietate, quemadmodum decet, ordiamur; Sacerdotes omnes, & ſinguli, cujuſcumque ſint gradus, dignitatis, & conditionis, Dominicis, & reliquis Feſtis diebus, uti ſuperius alibi ſtatuimus, niſi jure impediantur, Miſſam celebrare non omittant. Diaconi, & Subdiaconi quindenis quibuſque diebus, reliqui vero Clerici ſemel ſaltem in menſe Pœnitentiæ Sacramento rite expiati, Sacra Euchariſtia reficiantur. Clerici omnes, ſive in ſacris Subdiaconatus, & Diaconatus, ſive in minoribus Ordinibus conſtituti, ſive prima Tonſura initiati, quotidie Miſſæ Sacrificio religioſe interſint. Mentali, & vocali orationi ſedulo vacent, verbum Dei frequenter audiant, & Eccleſiæ, cujus ſervitio ſunt adſcripti, fideliter inſerviant. Ex Sacræ Scripturæ, piorumque librorum lectione virtutum documenta, & exempla avide addiſcant. Sacra Templa frequenter inviſant; Divinæ Euchariſtiæ ſint cultores eximii; eamdem, cum ad ægrotos defertur, religioſe comitentur; & in Sacris obeundis Functionibus frequentiam ſuam, diligentiamque deſiderari non ſinant. *Hæc enim* ſecundum Apoſtolum (1) *eſt voluntas Dei ſantificatio noſtra*. Hanc ob cauſam damus in Appendice num. 5. brevem recte vivendi methodum, ac certas meditandi regulas partim ex S. Franciſci Saleſii operibus, partim ex Paſtoralibus, quas vocant, B. Gregorii Barbadici litteris excerptas.

II. Hortamur etiam in Domino, & enixe rogamus Presbyteros omnes, ac præſertim Confeſſarios, Parochos, Dignitates, Canonicos, ac Beneficiatos, ut ad octo, vel decem dies quotannis in religioſum aliquem locum ſecedant, in quo Exercitiis ſpiritualibus vacent, ac piis meditationibus animum excolant ad nor-

(1) 1. Ad Cor. cap. 10.

normam Epiſtolæ Encyclicæ (1) juſſu Clementis XI. ad Italiæ, & adjacentium Inſularum Epiſcopos datæ, præter plenariam peccatorum indulgentiam iis conceſſam, qui per decem dies Exercitiis ſpiritualibus vacent, ac vere pœnitentes, & Confeſſi ſacra Communione reficiantur, fit etiam facultas Parochis, cæteriſque Choro adſcriptis, ut ſemel in anno [extra Adventum tamen, Quadrageſimam, ac ſolemniores dies] ſi in his ſpiritualibus Exercitiis, Noſtra accedente licentia, occupentur, pro eo tempore a reſidentia abſoluti intelligantur, & fructus, ac diſtributiones quaſcumque, perinde ac ſi intereſſent, lucrari valeant.

III. Clerici omnes, qui vel beneficiis Eccleſiaſticis aucti, vel in ſacris Ordinibus conſtituti, ad Horas Canonicas recitandas obligantur, eaſdem ſuis temporibus ſtudioſe recitent, ac devote. Mane, meridie, ac Veſpere, cum æris Campani pulſu ſignum datur Salutationis Angelicæ; & prima noctis hora, cum Campani pariter æris ſonitu excitantur Fideles, ut pro Defunctis pias ad Deum fundant preces; & feria ſexta cujuslibet Hebdomadæ hora vigeſima prima, & quotidie hora vigeſima tertia, cum eodem ſigno monentur Fideles ad Dominicam recolendam Paſſionem, & ad orandum pro iis, qui in extremo vitæ agone conſtituti cum morte luctantur; Eccleſiaſtici Viri, ſive in privatis domibus, ſive in publicis verſentur viis, Laicos exemplo præeant, flexiſque ad terram genibus ea, qua par eſt, reverentia, ac pietate, præſcriptas recitent preces. Si quod a ſanctis, ac litterariis occupationibus ſuperſit tempus, illud ſeorſim a turba cum viris bonæ famæ, ac præſertim Eccleſiaſticis, in aliqua honeſta converſatione, non in otioſis confabulationibus, aut in luſorum conventiculis impendant, ne otio ad corporis vires reficiendas dato in ſuæ ſalutis interitum, & in aliorum offenſionem abutantur.

(1) Litteræ Encyclicæ S.Cong.Conc.1.Febr.1710.Bullar.Clem.XI.par.2. pag.345.n.4.

ARTI-

ARTICULUS III.

De Clericorum doctrina.

D*Octrina ſine vita* (verba ſunt Concilii (1) Aquiſgranenſis) *Clericum contemptibilem reddit, & vita ſine doctrina inutilem facit*. Clericorum itaque vitam non minus ſcientia, quam converſatione integram eſſe, ac laudabilem decet, ut qui Laicis gradu, & ordine præſunt, moribus etiam eos præeant, ac doctrina. Et ſane ignorantia, quæ vix in Laicis toleranda eſt, in Eccleſiaſticis, quorum labia (2) cuſtodire debent ſcientiam, nec excuſatione digna eſſe videtur, nec venia. In optimis itaque ſe ſtudiis, ſacriſque Litteris diligenter exerceant, ſacros Ritus, Rubricas, & Cæremonias calleant, cantumque Gregorianum addiſcant, ut divina munia in Eccleſiis cum pietate obeant, ac majeſtate. Morali præſertim Theologiæ, ac Juri Canonico ſtrenuam navent operam; Caſuum Conſcientiæ collationibus, & Sacræ Scripturæ Lectionibus, quæ a Canonico Theologo in Noſtro Cathedrali Templo haberi ſolent, numquam non interſint; mutuos etiam inter ſe ſermones miſceant de iis, quæ ex optimorum librorum lectione didicerunt. Eam ob cauſam librorum hujuſmodi habeant, ſi non copiam, neceſſarium ſane delectum. Omnino vero Clericus quilibet in Sacris Ordinibus conſtitutus Sacram Scripturam habeat, Concilium Tridentinum, ejuſque Catechiſmum, Rituale Romanum, & Synodales haſce Conſtitutiones, præter probatum aliquem Theologiæ moralis auctorem. Parochi vero præterea alios ſibi comparent libros, qui de animarum cura bene gerenda, ac de Verbo Dei fideliter, recteque adminiſtrando pertractent. Haſce autem Synodales Noſtras Conſtitutiones aſſidue legant, ut inſtructiores fiant ad ea omnia rite, recteque exequenda, quæ ad ipſos pertinent, & quæ in iiſdem Conſtitutionibus collecta reperiun-

(1) Concilium Aquiſgranen. anni 816. can. 20.

(2) Concil. Rom. ſub Benedicto XIII. ann. 1725. tit. 16. cap. 3.

periuntur. Caveant tandem ab iis ſtudiis, quæ vana, & inutilia, & Eccleſiaſtico viro prorſus indigna a cordatis hominibus exiſtimantur.

ARTICULUS IV.

De Clericorum Reſidentia.

CLerici omnes ſive in minoribus, ſive in Sacris Ordinibus conſtituti, cum vel in Ordinum ſuſceptione, vel ſaltem per Noſtras haſce Synodales Conſtitutiones, aut Cathedralis, aut alterius Noſtræ Diœceſis Eccleſiæ ſervitio ſint adſcripti (1), *ubi ſuis fungantur muneribus, nec incertis vagentur ſedibus, locum Nobis inconſultis non deſerant*: Secus enim ad ulteriores Ordines non promovebuntur: Ii vero, qui jam Presbyteratus Ordine ſunt inſigniti, quamquam nullum habeant beneficium, quod reſidentiam poſtulet; Noſtram tamen Diœceſim non relinquant, niſi, petita a Nobis venia, Litteras Noſtras teſtimoniales, quas *Diſceſſus* vocant, obtinuerint; ſecus enim ſubibunt pœnas a Tridentina Synodo (2), & a Concilio Romano (3) adverſus hujuſmodi inobedientes, & contumaces conſtitutas. Dignitates, Canonici, ac Beneficiati omnes Noſtræ Tuſculanæ Cathedralis Eccleſiæ quoad perſonalem reſidentiam, & Chori ſervitium diligentiſſime ſervent Capitulares Conſtitutiones, eaſque leges, quas de hac re ſuperius *part.* 1. hujus Synodi *cap.* 9. *art.* 4. edidimus.

II. Parochis vero in memoriam revocamus tria illa Concilii Tridentini Decreta, quorum primo (4) ſtatuitur, ut perſonaliter in Eccleſiis ſuis reſideant, neque greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant. 2. ut, licet ipſis per duos menſes abeſſe quotannis a Concilio Tridentino concedatur; non tamen abeſſe poſſint, niſi diſcedendi licentiam in ſcriptis ab Epiſcopo obtinuerint: *Quandocumque eos, cauſa prius per Epiſcopum cognita, & pro-*

(1) Trident. ſeſſ. 23. cap. 8. de reform.

(2) Trid. loc. cit.

(3) Concilium Romanum ſub Benedicto XIII. ann. 1725. titul. 6. cap. 2.

(4) Trid. ſeſſ. 6. de reform. cap. 1., & ſeſſ. 23. de reform. cap. 1.

& probata , abeſſe contigerit (ſunt verba Tridentini (1) , quibus plures acceſſere Sacræ Congregationis Concilii(2) declarationes). *Ut autem ultra duos menſes abeſſe poſſint , gravis cauſa requiratur : Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis , gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus , niſi ex gravi cauſa , non obtineant* , (verba ſunt pariter ejuſdem (3) Tridentini) ; *& tandem , ut quandocumque eos abeſſe contigerit , Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario approbandum cum debita mercedis aſſignatione relinquant* . 3. ut abſque legitima cauſa , & ſine Ordinarii licentia non reſidentes , præter peccati mortalis reatum , quem incurrunt , pro rata abſentiæ fructus non faciant ſuos, eoſque, etiam alia declaratione non ſecuta, reſtituere teneantur (4) . *Si quis autem (quod utinam numquam eveniat) contra hujus Decreti diſpoſitionem abſuerit , ſtatuit ſacroſancta Synodus , præter alias pœnas adverſus non reſidentes ſub Paulo III. impoſitas , & innovatas , ac mortalis peccati reatum , quem incurrit , eum pro rata temporis abſentiæ , fructus ſuos non facere , nec tuta conſcientia , alia etiam declaratione non ſecuta , illos ſibi detinere poſſe , ſed teneri , aut , ipſo ceſſante , per Superiorem Eccleſiaſticum illos Fabricæ Eccleſiarum , aut pauperibus loci erogare , prohibita quacumque conventione , vel compoſitione , quæ pro fructibus male perceptis appellatur , ex qua etiam prædicti fructus in totum , aut pro parte ei remitterentur , non obſtantibus quibuſcumque privilegiis cuicumque loco , aut Fabricæ conceſſis* . Hoc Tridentini Decretum , licet de Epiſcopis loquatur , ſtatim tamen ab eodem Concilio ad Parochos etiam extenditur. Sic enim ſtatim ſubditur . *Eadem omnino etiam quoad culpam , amiſſionem fructuum , & pœnas , de Curatis inferioribus , & aliis quibuſcumque , qui beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam animarum habens obtinent , Sacroſancta Synodus declarat , & decernit* .

III. Cum non ignoremus , quam noxia Populo ſemper ſit Paſtorum abſentia , ſciant Parochi omnes , futuros Nos eſſe di-

(1) Trid. ſeſſ. 23. de reform. cap. 1.

(2) Sac. Cong. Concil. ann. 1593. in reſponſ. ad Epiſ. Abulenſ. ap. Garciam part. 9. de Benef. capit. 2. num. 295.

(3) Trid. loc. cit.

(4) Trid. ſeſſ. 23. de reform. cap. 1.

ctorum Decretorum Cuſtodes vigilantiſſimos, & Canonicarum pœnarum exactores ſeveriſſimos. Imo Populorum ſaluti (1), & commodo conſulere volentes, Parochis omnibus, aliiſque curam animarum habentibus præcipimus, ac mandamus ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis, ut, etiamſi rationabilis adſit cauſa, idoneuſque conſtitutus ab iis fuerit Vicarius, a propriis Eccleſiis abſque Noſtra, ſeu Vicarii Noſtri Generalis licentia ultra biduum (2) non abſint. Quod ſi forte ob aliquam gravem, ac neceſſariam ſubito abſcedendi neceſſitatem petere ante diſceſſum licentiam non potuerint, per epiſtolam ſtatim petant, cauſamque diſceſſus exponant, ut Nos, re diſcuſſa, utrum concedenda ſit, an deneganda licentia diuturnioris extra propriam Parochiam moræ, dijudicare poſſimus.

ARTICULUS V.

De exteriori Clericorum modeſtia, habituque.

QUamquam maxima Clericorum cura in interna morum honeſtate, quæ Eccleſiaſtico ſit digna viro, ſibi comparanda collocari debeat; Cum tamen verſari eos cum aliis hominibus oporteat, qui externa rerum ſenſibilium ſpecie maxime afficiuntur; Ita proinde geſtum, inceſſum, habitum, totumque corpus componere ad modeſtiam debent, ut in iis nil, niſi grave, moderatum, ac religione plenum videatur. Quod quidem, ſi ubique, & ſemper, certe tunc potiſſimum præſtandum ab iis eſt, quando vel Eccleſiaſticas obeunt functiones, vel in templis oraturi, aut verbum Dei audituri verſantur, ut videlicet Populus eorum excitatus exemplo res ſacras revereri, Deumque ea, qua decet, Religione diſcat venerari.

II. Quod ad externum ſpectat habitum, etſi habitus non facit

(1) Sac. Cong. Concilii in Treviren. 11. Febr. 1628., & in Monopolitana 16. Decemb.

(2) Concil. Rom. ſub Benedicto XIII. anno 1725. tit. 17. cap. 6.

ſacit Monachum (1); oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes Ordini ſemper deferre, ut per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant. Quare præcipimus, ac mandamus, ut Dignitates, Canonici, ac Beneficiati Talari induti veſte (2) incedant, cum ad Eccleſiam pergunt, vel Miſſam celebraturi, vel Choro interfuturi: quod quidem etiam præcipimus, ut a Presbyteris, & Clericis reliquis fiat, quando Templum adeunt, ut Sacris operentur, vel ut Choro ſtatutis diebus interſint. Si enim puderet eos quam maxime, & irreverentiæ ſe reos eſſe arbitrarentur, quoties ſine hujuſmodi talari veſte ſupremum Eccleſiaſticum Paſtorem publice, & cum pompa procedentem comitarentur; Nonne multo magis pudere eos, majoriſque irreverentiæ reos ſe arbitrari oportet, ſi Regi Regum, & Domino Dominantium in Eccleſiaſticis functionibus famulaturi, ſine talari veſte, quæ proprium eſt eorum ornamentum, ac veluti inſigne, accedere audeant? Extra Miſſæ celebrationem, & Chorum breves iiſdem, & modeſtas, & nigri coloris permittimus veſtes cum brevi pallio, in Urbe, & in Oppidis geſtandas. Breviores quoque, & alterius modeſti coloris veſtes tolerabimus extra urbem (3), & extra Oppida, dum campeſtria petunt, dummodo collare numquam deponant. Venatoriam vero veſtem per Civitatem, & Oppida ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis non circumferant. Neque comam nutriant, neque fictitiam, niſi de Noſtra licentia, adhibeant; ſed omnes Tonſuram, & Coronam conſpicuam Ordini ſuo congruentem ferant. Non calamiſtrati, neque longiores ſint crines (4), ſed ita tonſi, ut aures pateant. *Qui enim ad ſortem Domini vocatus comam nutrit*, inquit S. Auguſtinus (5), *& capillos radere, vel tondere erubeſcit*,

 profe-

(1) Trid. ſeſſ. 14. de reformat. cap. 6., & ſeſſ. 24. de reformat. cap. 12.

(2) Sac. Cong. Concilii 20. Maii, & 8. Julii 1690., & Sac. Cong. Epiſcopor. 22. Maii 1609.

(3) Clem. fin. de vita, & honeſt. Clericor.

(4) Can. *Non liceat*, & can. *Tonſura* diſt. 23., Clement. ult. de vita, & honeſtate Cleric., Concil. Rom. an. 1725. cap. 3.

(5) S. Auguſtinus de contemptu Mundi.

profectò ſe non de Dei, ſed de Mundi ſorte eſſe teſtatur. Nihil in iis ſit, quod Sæcularem pompam, ac Mundi vanitatem redoleat: at neque laceræ, neque ſordidæ ſint veſtes, ne exinde apud Laicos Clericalis dignitas vileſcat. *Veſtes pullas*, ait S. Hieronymus (1), *æque devita, ut candidas: ornatus, ut ſordes, pari modo fugiendi ſunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet*.

III, Ii, qui prima Tonſura ſunt initiati, vel in minoribus Ordinibus conſtituti (2), ſi Clericalibus gaudere velint privilegiis, habitum, & Tonſuram Clericalem geſtent, & Eccleſiis, quibus ſunt adſcripti, diligenter inſerviant. Quod ſi habitum dimiſerint (3), & Laicorum inſtar Sæcularibus ſe negotiis immiſcuerint, ex Clericorum albo, præmiſſis Canonicis monitionibus, illos expungemus, & omnibus Clericalibus privilegiis privatos eſſe declarabimus. Qui autem aut majoribus Ordinibus ſunt inſigniti, aut Eccleſiaſticum (4) aliquod obtinent Beneficium, habitu, ac Tonſura ſemper, & ubique utantur, ſub pœna ſuſpenſionis ab Ordinibus pro prioribus, & privationis Beneficiorum pro poſterioribus ad normam Concilii Tridentini, & Apoſtolicarum Conſtitutionum infligenda. Ea de cauſa Conſtitutionem Benedicti XIII. damus in Appendice num. 6.

ARTICULUS VI.

De Mulierum converſatione, & cohabitatione a Clericis vitanda.

QUI in ſortem Domini vocati ſunt, divinarumque rerum miniſterio addicti (5), illorum in Eccleſia Dei ſtatus is eſt, ut ſi morum gravitate, vitæque exemplo ſuam ipſi

(1) S. Hieronymus epiſt. 1. ad Nepotianum.

(2) Trid. ſeſſ. 23. de reform. cap. 6., Conc. Rom. an. 1725. tit. 16. cap. 3.

(3) Trid. ſeſſ. 14. de refor. cap. 6., Clement. *Quoniam*. de vita, & honeſt. Cleric., Litteræ Encyclic. de mandato Innocent. XII. 14. Jun. 1698., Sixtus V. Conſtit. *Cum Sacroſancta*. 18. Jan. 1589., Sac. Congreg. Conc. in Melphitana Clericat. 18. Sept. 1677.

(4) Sixtus V. in Bulla: *Cum Sacroſancta*, & Benedictus XIII. in Bulla: *Catholica Eccleſia* poſt Concil. Rom. n. 5.

(5) S. Carolus Act. Mediolan. tom. 1. pag. 288.

ipſi dignitatem retineant, magnam afferant auctoritatem ad pie, Chriſtianoque more vivendum. Rurſus ſi quidquam in ullo cujuſvis rei vel minimæ genere offendunt, eorum Ordo ita graviter læditur, ut illum decoris ſplendorem retinere nequeat, qui ad continendos in officio laicos homines non ſolum utilis, ſed maxime etiam neceſſarius eſſe videtur. Cum igitur Clerici exemplo ſuo eſſe debeant veræ pietatis, & Chriſtianæ probitatis Magiſtri; idcirco non modo malum ipſum, ſed omnem etiam mali ſpeciem, ac ſuſpicionem vitare eos oportet. Hanc ob cauſam iiſdem Sacri Canones omnem cum mulieribus cohabitationem ſub ſeveriſſimis pœnis interdixere, niſi eædem ſint Clericis ſaltem in ſecundo conſanguinitatis, aut affinitatis gradu conjunctæ, cujuſmodi ſunt Matres (1), Aviæ, Sorores, Materteræ, Amitæ, fratrum, & ſororum filiæ, & filiorum uxores. Omnibus propterea Noſtræ Diœceſis Clericis edicimus, ut mulierem nullam, ſub quovis etiam ancillæ, ſeu famulæ nomine, ſine Noſtra, vel Vicarii Noſtri Generalis in ſcriptis obtenta licentia, domi ſecum habere audeant, ne ſeveriſſimis adverſus illos Sacrorum Canonum pœnis animadvertere cogamur. Si quis tamen Sacerdos, aut in ſacris Ordinibus conſtitutus, aut Eccleſiaſtico ornatus Beneficio, neque conſanguineas, neque affines habeat, quarum ope in domeſticis rebus ad uſum vitæ pertinentibus juvari poſſit, eidem liceat (2) unam, alteramve mulierem ſibi in famulam aſſumere, dummodo eadem ſit quadragenaria major, & tam rectæ, integræque famæ, ut omnem effugiat ſuſpicionem, & dummodo Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis licentia, ac facultas acceſſerit.

II. Cum omne quoque incontinentiæ periculum, ac ſuſpicionem vitare Clerici teneantur; mulierum (3) ſuſpectarum domos ne adeant, & cum iiſdem ne familiariter verſentur: Imo ne

(1) Sac. Cong. Epiſc. 7. Junii 1619.

(2) Sac. Cong. deput. in Vigil. 20. Maii 1699.

(3) Can. *Volumus*, can. *Oportet*, can. *Feminas*. diſt. 81., cap. *Inhibendum*. de cohabit. Clericor., S. Hieron. relat. in can. *Hoſpitiolum* diſt. 32., S. Ambroſ. lib. 1. de offic. miniſtror. cap. 20.

Digitized by Google

ne ad mulieres quidem honeſtas, ac pias nimis frequens, & familiaris ſit eorum acceſſus; neque munera, & litteras ab illis miſſas temere, facileque admittant, neque comites illis paſſim ſe in viis adjungant, præſertim ſi eædem viridis ſint adhuc ætatis, ac formæ venuſtate commendentur. Nullam tandem mulierem Clericus quilibet (1), ſine ſpeciali Noſtra, aut Vicarii Generalis licentia, legere, ſcribere, canere, aut muſicum quodcumque pulſare doceat inſtrumentum. Qui ſecus fecerit, pœnis multabitur in Jure Canonico, ac præſertim a Concilio Tridentino ſtatutis.

ARTICULUS VII.

De pœnis adverſus Clericos incontinentes in Jure Canonico ſtatutis.

SI *non decet Clericos*, ut ait S. Auguſtinus (2), *cum mulieribus ſedere, vel fabulari, vel domum frequentare, ne ſuſpicio mala inde progrediatur*; quanto turpius, & iniquius eſſe arbitrandum eſt, eoſdem incontinentiæ vitio laborare, ſuaque corpora, quæ membra ſunt Chriſti, membra facere meretricis! Graviſſimas proinde Sacri Canones adverſus hujuſmodi incontinentes Clericos ſtatuerunt pœnas, quas hic paucis exponimus, ut ex earum gravitate aliquam delicti menſuram capere iidem poſſint.

II. Si quis Clericus in flagranti (3) incontinentiæ crimine reperiatur, per Curiæ Noſtræ ſatellites detrudatur in carceres, juxta Concilii Tridentini præſcriptum ſevere puniendus. Quod ſi ſemel ita correptus relabatur, vel carceris, vel exilii pœna diuturniore pro arbitrio Noſtro multabitur. Creſcente vero contumacia, perpetua ſuſpenſione, Beneficiorum privatione, atque etiam excommunicatione majori ferietur. Si quis Clericus nefandum

(1) Conc. Prov. Mediol. II. in Actis Mediolan. tom. 1. pag. 59.

(2) S. Auguſt. ſermon. 37. ad Fratres Eremi.

(3) Can. *Si quis Clericus*. diſt. 81., cap. *Etſi Clericus*. de judiciis; cap. *Ut Clericorum*. de vita, & honeſt. Cleric., cap. *Si quis quam* de cohabitatione Clericor., & Mulier., Trid. ſeſſ. 25. cap. 14.

ſandum (1) contra naturam crimen, propter quod venit ira Dei in Filios diffidentiæ, perpetraverit; non modo Clericali privilegio, officiis, & Beneficiis privabitur, ſed ab omnibus etiam Ordinibus degradatus, Curiæ Sæculari puniendus tradetur. Contra Clericos abortum procurantes (2), tamquam contra homicidas, effectu ſequuto procedetur: Quod ſi occultum erit eorum crimen, non tamen impune abibit: Sciant enim, qui tale crimen perpetrant, ſe eſſe excommunicatos, & irregulares, omnique Clericali privilegio, Officiis, dignitatibus, ac Beneficiis Eccleſiaſticis ipſo facto privatos. Clericum obſcena verba proferentem, impuroſque miſcentem ſermones, niſi monitus reſipuerit, ſuſpenſione ad arbitrium Noſtrum duratura puniemus. Si enim joci, facetiæ, & fabulæ, quæ in Sæcularibus nugæ ſunt, in Sacerdotibus, ut ait S. Bernardus, ſunt blaſphemiæ, quid non erit ſcurrilitas, & turpiloquium? *Conſecraſti os tuum Evangelio: talibus jam aperire illicitum, aſſueſacere ſacrilegum eſt.*

ARTICULUS VIII.

De comeſſationibus, & ebrietatibus.

A *Crapula, & ebrietate omnes Clerici diligenter abſtineant, unde vinum ſibi temperent, & ſe vino; nec ad bibendum quiſquam incitetur, cum ebrietas, & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Quare illum abuſum penitus decernimus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus æquales ſuo modo obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fæcundiores exhaurit. Siquis autem ſuper his ſe culpabilem exhibuerit, niſi a Superiore commonitus ſatisfecerit, ab officio, & beneficio ſuſpendatur.* His verbis ebrietatis fuga, & in bibendo ſobrietas Cleri-

(1) Cap. *Clerici*. de exceſſibus Prælator., S. Pius V. Conſt. *Cum primum* 1. April. 1666., & Conſt. *Horrendum illud ſcelus.* 3. Sept. 1568.

(2) Can. *Conſuluiſti*. cauſ. 2. quæſt. 5., Sixtus V. Conſt. *Effrænatam.* 16. Novemb. 1583.

Clericis omnibus in Jure (1) Canonico indicitur. Et merito, *nam vinolentum Sacerdotem* (2) *& Apoſtolus damnat, & vetus lex prohibet, a qua Sacerdotes, qui miniſtrant in Templo Dei, prohibentur vinum, & ſiceram bibere, ne crapula, & ebrietate eorum corda graventur*. Ea de cauſa Sacri Canones Clericis omnibus in cauponas, ac tabernas ingreſſum, niſi longioris itineris cauſa, interdixere, ut videlicet omne ebrietatis, atque intemperantiæ periculum evitent. *Clerici edendi, & bibendi cauſa tabernas non ingrediantur, niſi peregrinationis neceſſitate compulſi.* Sic ſtatuitur in can. *Clerici* diſt. 44., & alibi (3), *Clerici tabernas prorſus evitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere conſtituti*; & in can. 13. Apoſtolorum idem ſtatuitur, gravi adjecta in tranſgreſſores pœna (4): *Siquis Clericus in caupona cibum capere deprehenſus fuerit, a communione excludetur, excepto tamen, qui neceſſario in itinere in commune diverterit hoſpitium*.

II. Nos itaque, quos pro Paſtorali, quo fungimur, Officio exactam Sacrorum Canonum urgere obſervantiam oportet, Clericis omnibus, qui in Noſtra Diœceſi verſantur, ſive in minoribus, ſive in majoribus ſint Ordinibus conſtituti, ſub gravibus pœnis arbitrio Noſtro infligendis diſtricte præcipimus, atque mandamus, ut vino, *in quo*, Apoſtolo teſte (5) *eſt luxuria*, ſobrie utantur; ebrietatem (6), *quæ omnium vitiorum fomes, & nutrix eſt*, diligentiſſime evitent; & cauponas, ac tabernas, nonniſi *itineris neceſſitate* compulſi, umquam ingrediantur, neque ante illas, ſeu non procul ab illis conſiſtentes, ſive noctu, ſive interdiu a cauponibus, ac tabernariis vinum ſibi graviori cum Fidelium ſcandalo propinari jubeant. Convivia etiam Sæcularia, maximeque nuptialia, in quibus, ut plurimum, inſanæ licentiæ fræna laxantur, evitare ſtudeant, nequid indecorum ipſi dicant,

(1) Cap. *A crap.* 14. de vita, & hon. Cler.

(2) Can. *Vinolentum*. diſt. 65.

(3) Cap. *Clerici officia*. 15. de vita, & honeſtate Clericorum.

(4) Can. 13. Apoſt.

(5) Ad Epheſ. c. 5. v. 18.

(6) Can. *Ante omnia*. diſt. 35.

cant, aut faciant, vel ab aliis dictum, aut factum ipſi audire, aut videre cogantur. *Presbyteri* (Hic ſtatutum legimus in Concilio Agathenſi cap. 39. (1)) *Diaconi, Subdiaconi, vel deinceps, quibus ducendi Uxores licentia non eſt, etiam alienarum nuptiarum evitent convivia, neque his cœtibus miſceantur, ubi amatoria cantantur, & turpia, aut obſceni motus corporum Choreis, & ſaltationibus efferuntur, ne auditus, aut obtutus ſacris Myſteriis deputati, turpium ſpectaculorum, atque verborum contagione polluantur.* Deinde ſapiens illud S. Hieronymi monitum in mentem revocent: *Contemnitur Clericus, qui ſæpe vocatus ad prandium ire non recuſat: quapropter numquam petentes, raro accedant rogati.* Modeſta quoque, ac frugali utantur menſa, qualis Chriſti militem decet, quæ videlicet ad reficiendas, non ad opprimendas corporis, animique vires ſit accommodata, ita ut, qui domi verſantur Laici, ab Eccleſiaſtico viro Chriſtianam Temperantiam, ac laudabilem frugalitatem addiſcant. Honeſte (2) ambulemus ad eos, qui foris ſunt, providentes bona non ſolum (3) coram Deo, ſed etiam coram hominibus, & ambulemus (4) in manifeſtatione veritatis, commendantes noſmetipſos ad omnem conſcientiam hominis coram Deo, ac nemini dantes ullam offenſionem.

ARTICULUS IX.

De alearum ludo a Clericis vitando.

Duplex diſtinguendum eſt ludi genus: aliud enim eſt eorum ludorum, qui vel omnino, vel magna ſaltem ex parte a ludentis ingenio, induſtriaque pendent; aliud vero eorum eſt, qui vel unicę, vel ſaltem plus a caſu, ſeu fortuna, quam ab ingenio, ac ludentis induſtria diriguntur, & qui omnes ſub aleæ nomine continentur. Primum ludorum genus, utpote honeſtum, & non raro utile ad ſpiritus relaxationem, ut ſuis mox functio-

Ggg nibus

(1) Can. *Presbyteri*. diſt. 34.
(2) 1. ad Theſſalon. c. 4.
(3) Ad Rom. c. 12.
(4) 2. ad Cor. c. 4., & 6.

nibus obeundis aptior fiat, adhiberi a Clericis poſſe aperte docet S. Thomas (1), *modo tamen*, ut inquit S. Doctor, *ludus congruat perſonæ, tempori, & loco, & ſecundum alias circumſtantias debite ordinetur, ut ſcilicet ſit & tempore, & homine dignus*. Alterum vero ludorum genus, utpote innumera gignens mala, inhoneſtum eſt, atque humano generi pernicioſum; adeoque jure optimo legibus cum Eccleſiaſticis, tum Civilibus, tam Clericis, quam Laicis interdictum eſſe nemo eſt, qui ignoret.

II. Nos itaque Sacrorum Canonum veſtigiis inhærentes, quos in hac Noſtra Diœceſi, auctoritate per Sacrum Concilium Tridentinum Nobis attributa, quatenus opus ſit, inſtauramus, diſtricte præcipimus ſub pœnis cum ſpiritualibus, tum temporalibus arbitrio Noſtro infligendis (2), ut nullus Clericus ſive in majoribus, ſive in minoribus Ordinibus conſtitutus, aut etiam prima Tonſura initiatus, ſi præſertim beneficium obtineat Eccleſiaſticum, talis, taxillis, aut quocumque alio vero alearum ludo, in quo ſors potiſſimum dominatur, & quem italice dicimus „*giuoco di reſto*„ ſive publice, ſive privatim, ſive per ſe, ſive per alios ludere, aut alios ludentes ſpectare, aut pro iis ſpondere, aut iis ad ludendum domum ſuam commodare audeat. Reliquis autem licitis ludis nonniſi privatim, & moderate operam dare permittimus, dummodo aliæ etiam ſerventur conditiones, quas Angelicus Doctor (3) his verbis recenſet: *Alio autem modo poteſt eſſe exceſſus in ludo ſecundum defectum debitarum circumſtantiarum, puta cum aliqui utuntur ludo vel temporibus, vel locis indebitis, aut etiam præter convenientiam negotii, ſeu perſonæ. Et hoc quidem quandoque poteſt eſſe peccatum mortale propter vehementiam affectus ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis dilectioni Dei, ita ut contra*

(1) S. Thom. 2.2. qu.168. art.2.

(2) Can.41., & 42. Apoſtol., Synod. Quiniſexta can.50., Innocent.III.in Concil. Lateranenſ. relat. in cap. *Cleric.*, de vita, & honeſt. Cleric., cap. *Inter dilectos*. de exceſſ. Prælator., Trid. ſeſſ.22. de reform. c.1., Concil. Senonen. c.15., Mediol. I. par.2. tit. *De armis, ludis &c.*, Synod. Tuſcul. anni 1669. cap.3., & anni 1703. cap.10.

(3) S. Thom. 2.2. quæſt.168. art.3. in corpore.

tra præceptum Dei, vel Eccleſiæ talibus ludis uti non refugiat. Quandoque autem eſt peccatum veniale, puta ſi aliquis non tantum afficitur ad ludum, ut propter hoc velit aliquid contra Deum committere. Siquis itaque aut publice in tabernis aromatariis, tonſtrinis, aliiſque officinis, aut in domibus publico ludo deſtinatis, aut nimis frequenter, aut ad multas horas licitis etiam ludis vacet, Noſtram non effugiet animadverſionem; non enim illum ad honeſtam animi recreationem, ſed ex avaritiæ ſtudio, ac lucri cupiditate, quæ Eccleſiaſticum virum maxime dedecet, ludere cenſendum eſt. Accedit huc, quod tria ſatis pretioſa frequenti, ac diuturno ludo amittuntur, uti affirmabat (1) S. Franciſcus Borgia, tempus videlicet, pecunia, ac pietas, ac ſæpe etiam Dei gratia.

ARTICULUS. X.

De choreis, theatris, aliiſque profanis ſpectaculis a Clerico vitandis.

CLerici, quemadmodum cæteros religionis dignitate antecellunt, ita præ cæteris abſtinere a rebus profanis debent, & vulgi ſtudiis, voluptatibuſque non indulgere; multoque magis non eſſe hujuſmodi rerum actores. Caveant igitur Clerici omnes, ne perſonati incedant, ne Choreas ducant, aut ſaltationes edant, neve eas ſpectent; ne comædias agant, aut in illis ſonorum aliquod inſtrumentum pulſent, aut profana cantica modulentur: alia quoque profana, & Eccleſiaſtico viro indigna devitent ſpectacula, ne aures, oculique divinis officiis addicti, procacibus, impuriſque actionibus, & ſermonibus polluantur, animuſque a Sacrorum munerum cogitatione abductus ad alia diſtrahatur. Ut autem etiam pœnarum metu ab his perpetrandis abſterreantur, has adverſus tranſgreſſores ſtatuimus pœnas.

II. Qui in virorum, ac mulierum cœtu Choreas ducet, aut ſaltationes edet, aut ſonorum aliquod inſtrumentum pulſabit, ſi Clericus ſit in minoribus ordinibus conſtitutus, carcere, & pecu-

 cuniaria

(1) Ribadeneira in Vita S. Franciſci Borgiæ.

niaria pœna ad Noſtrum arbitrium plectetur; ſi vero ſacro aliquo Ordine ſit inſignitus, præter pecuniariam pœnam, per menſem in aliqua Religioſa domo relegabitur, ſi publicæ ſint Choreæ; ſi vero privatæ ſint, foribuſque clauſis agantur, præter pecuniariam pœnam, ſuſpenſione a divinis per aliquot dies a Nobis punie tur. Eidem ſuſpenſioni, & pœnæ pecuniariæ eos ſubiiciemus, qui in ſacris Ordinibus conſtituti quocumque tempore, aut loco, ſive publice, ſive privatim larvati incedent. Si quis vero ad Sacerdotium, ſeu alium Ordinem ſacrum jam promotus, aut Eccleſiaſtico beneficio inſignitus, (quod tamen numquam eventurum credimus) in theatris publicis, in Comædiis, Tragædiis, aut fabulis hiſtrionicis perſonam aget, aut ſcenica hujuſmodi ſpectacula promovebit, diriget, aut inſtituet, præter graviorem pecuniariam pœnam, qua multabitur, majori (1) a Nobis plectetur excommunicatione; Clericus vero in minoribus Ordinibus conſtitutus, ſi eodem ſe alliget crimine, carceri mancipabitur, & nonniſi poſt diuturnam pœnitentiam in aliqua Religioſa, aut Pia Domo peractam, ad ſuperiores Ordines promovebitur. Quicumque tandem Clericus, ſive privatis, ſive publicis virorum, ac mulierum ſaltationibus, & Choreis intererit, ſi in ſacris Ordinibus ſit conſtitutus, aut Eccleſiaſticum obtineat beneficium, pro qualibet vice decem ſcutorum; ſi Clericus ſit minoribus tantum decoratus Ordinibus, nullumque Eccleſiaſticum habeat beneficium, ſcutorum quinque pœnam, aliaſque pro arbitrio Noſtro infligendas ſubibit. Sub pœna carceris, aut aliis arbitrio Noſtro infligendis pœnis interdicimus (2) Clericis, præſertim iis, qui ſunt Sacris Ordinibus inſigniti, ne ſive noctu, ſive interdiu, ſiſtentes in plateis, ſive circumeuntes Civitatem, aut Oppidum, cytharas, aut alia hujuſ-

(1) Sac. Congr. Concil. in Sulmonen. 22. Aug. 1655., & epiſt. Sac. Congreg. ad Vicar. Capitular. Aquilan. 31. Oct. 1706.

(2) Cap. *Cum decorem*. de vita, & honeſt. Cleric., Benedictus XIV. de Synodo lib. 7. cap. 61. n. 11., & Sac. Cong. Epiſc. in Foroſempronien. 24. Maii 1710., in S. Severini 5. Sept. 1712., & in Anagnina 18. Septemb. 1718.

hujuſmodi ſonora inſtrumenta pulſare, aut profana modulari cantica, aut aliis canentibus, ſeu muſica inſtrumenta pulſantibus ſe comites adjungere audeant.

ARTICULUS XI.

De venatione, armorumque delatione Clerico interdicta.

N*Ullum in Scripturis ſanctis ſanctum invenimus Venatorem. Eſau* (1) *Venator erat, quoniam peccator erat. Hinc a Sacris Canonibus interdicta Clericis Venatio eſt.* Ne qua tamen hac in re oriatur æquivocatio, duplex diſtinguenda Venatio eſt: alia quieta, & ſine ſtrepitu, qua laqueis, retibus, aut etiam ſclopo, nullis, aut paucis adhibitis canibus, volucres, Lepores, aliæque feræ minores capiuntur; alia clamoroſa, & voluptuoſa, quæ magno armorum, retium, canum, accipitrum, ac Venatorum apparatu, ac tumultu adverſus Urſos, Apros, Cervos, aliaſque majores feras, & aliquando etiam adverſus Aves exercetur. Secunda hæc venatio, quæ aliquam belli ſpeciem præſeferens, præter multa vitæ pericula, & incommoda, multamque temporis jacturam, immodicas etiam expenſas poſtulat, interdicta in Jure Canonico Clericis eſt. *Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum canes, aut accipitres, aut hujuſmodi ad venandum habere non licet. Quod ſi quis talium perſonarum in hac voluptate ſæpius detentus fuerit, ſi Epiſcopus eſt, tribus menſibus a communione; ſi Presbyter, duobus; ſi Diaconus, ab omni officio ſuſpendatur* (2): Sic in Concilio Aurelianenſi ſtatutum legimus. *Omnibus ſervis Dei venationes, & ſylvaticas fatigationes cum canibus, & accipitres, aut falcones habere interdicimus* (3): Sic idem Aurelianenſe Concilium decrevit. *Venationem, aut aucupationem univerſis Clericis interdicimus* (4): Sic in Concilio Lateranenſi IV. Innocentius III. ſtatuit can. 15. *Veſtitu inſuper*

(1) S. Hieron. in Iſaiam, relat. in Can. *Eſau*. diſt. 86.

(2) Cap. *Epiſcop.* 1. de Cler. venat.

(3) Cap. *Omnibus*. 2. eod. tit.

(4) Concil. Lateranen. IV. can. 15.

inſuper decenti tam in Eccleſia, quam extra, Clerici aſſidue utantur, ab illicitiſque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, luſibuſque abſtineant (1): Sic Tridentini Patres decrevere.

II. Multæ autem ſunt juſtiſſimæ cauſæ, propter quas hoc venationis genus Sacri Canones Clericis interdixere. Prima eſt frequens, quod in hujuſmodi venationibus occurrit, perpetrandi homicidii, adeoque incurrendæ irregularitatis periculum. Secunda eſt propriæ vitæ diſcrimen, quod Clerico venatori vel a feris, vel ab aliis venatoribus imminet. Tertia eſt, quia propter clamorem, ac tumultum venatio hujuſmodi plurimum Clericalem modeſtiam diſſolvit, & dehoneſtat, & ob tubarum clangorem, ſtrepitumque hominum, ac belluarum, & immitem ſanguinis ferarum effuſionem, quamdam belli ſpeciem præſefert, & aſperitatem quamdam, ac truculentiam in venatorum animis excitat, quæ Eccleſiaſticæ lenitati omnino adverſatur. Quarta eſt, quia Clerici his venationibus addicti, divina negligunt officia, aliaque Eccleſiaſtica munia, quæ obeunda ab iiſdem eſſent, obire recuſant. Quinta demum eſt, quia Eccleſiaſtici proventus, in pauperes, alioſve pios uſus a Clericis erogandi, in rebus ad venationem hujuſmodi neceſſariis comparandis, conſervandiſque facile diſſipantur: quare locum hic habet juſtiſſima illa Chriſti admonitio: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus.*

III. Nos itaque Clericis omnibus Noſtræ Diœceſeos clamoroſas hujuſmodi venationes ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis omnino interdicimus. Licitas vero, & quietas venationes, ad quas habendas neceſſarius eſt ſclopus, quamquam non prohibeamus, nullus tamen Clericus exercere audeat, niſi a Noſtra Curia licentiam ferendi ſclopum in ſcriptis obtinuerit; & has, quas adjicimus, exacte ſervet conditiones, videlicet: Primò, ut non nimis frequenter, ſed moderate ad relaxandum animum eas exerceat. Secundo, ut a venatione diebus feſtis, ac jejuniorum abſtineat

(1) Trid. ſeſſ.24. de ref. cap.12.

ſtineat. Tertio, ut Clericalia inſignia numquam dimittat. Quarto denique, ut venaticis armis munitus in locis frequentibus non verſetur.

IV. Cum in Sacris Canonibus ſub pœna excommunicationis majoris ferendæ ſententiæ Clerici arma deferre prohibeantur, [ſic enim habemus in cap. *Clerici arma*. 2. de vita, & honeſtate Clericorum: *Clerici arma portantes excommunicentur*]; idcirco (1) edicimus, ne Clerici arma cujuſvis generis ferant. Quod ſi Nos probabili, juſtaque de cauſa id iis permittendum judicaverimus; tunc, ſcripto impetrata venia, ipſis uti liceat, non tamen publice, niſi rei, aut facti neceſſitas poſtulet; cujuſmodi eſſet, ſi in periculoſo aliquo itinere armis ad ſui defenſionem indigerent. *Clerici nec enſem, nec pugionem, nec aliud armorum genus geſtent, niſi propter itineris neceſſitatem.* Sic ſtatutum eſt in Concilio Aquenſi anni 1551., cui conſonant alia Concilia, videlicet Moguntinum anni 1549., Narbonenſe 1551., Aquilejenſe anni 1596., & alterum Narbonenſe anni 1609. Arma vero deteſtabilia, & proditoria, laicis ipſis interdicta, omnino, & in quolibet caſu ſub pœnis præſcriptis in ſuis Conſtitutionibus a Romanis Pontificibus, cuilibet Clerico, cujuſcumque ſit gradus, & conditionis, deferre diſtricte prohibemus. Sua tamen Clericis non deſunt arma, quibus inſtructos ſemper iis licet incedere. Ea ſic ab Apoſtolo (2) deſcribuntur: *Induite vos armaturam fidei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli. State ſuccincti lumbos in veritate, & induti loricam juſtitiæ: in omnibus ſumentes ſcutum fidei, & galeam ſalutis, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.*

(1) Concil. Mediolanen. I. part. 1. tit. *De armis, ludis, & ſpectaculis*. pag. 18.
(2) Ad Epheſ. c. 6.

ARTI-

ARTICULUS XII.

De negotiis ſæcularibus Clerico cuilibet interdictis.

NEmo Deo militans ſe negotiis ſæcularibus implicet, ut ei placeat, cui ſe probavit, uti nos monet Apoſtolus (1). *Nemo enim poteſt duobus dominis (2) ſervire, Deo, & mammonæ; & nemo mittens manum ſuam (3) ad aratrum, & reſpiciens retro, dignus eſt regno Cælorum.* Quamobrem ſub pœnis per Sacros Canones ſtatutis, aliiſque arbitrio Noſtro infligendis diſtricte prohibemus, atque interdicimus Clerico cuilibet omnem, & quamcumque negotiationem (4), vel per ſe, vel per interpoſitam perſonam, aut ſub alterius nomine exercendam, etiam ad damnum vitandum; immo etiam ad ſuorum ſuſtentationem ex charitatis officio, niſi idem Clericus ex Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione facultatem dirigendi ſuorum conjunctorum res impetraverit, eamque Nobis exhibuerit. Nullus itaque Clericus lucri gratia aliena prædia, aut vectigalia ſive directe, ſive indirecte conducat, aut hujuſmodi conductionis particeps fiat. Nullus in quolibet negotio, ſeu frumenti, ſeu vini, ſeu ſerici, ſeu tabaci, cæteriſque hujuſmodi ſe ingerat. Nullus Procuratoris, ſeu Exactoris munus in hiſce negotiis ſuſcipiat, neque ſe alteri negotiorum geſtorem, ſeu factorem præbeat. Cum autem (5) non minus Clericum dedeceat negotiationem exercere, quam externam negotiationis ſpeciem præſeferre; nullus idcirco Clericus in ipſa etiam bonorum ſuorum adminiſtratione, eorumque cultura, in diſtractione fructuum, animalium, & cæterorum, quæ in propriis, Eccleſiæve fundis enaſcuntur, ſeu aluntur, nec non in comparandis rebus, quæ vel ad proprios uſus, vel ad fundos prædictos inſtruendos ſunt neceſſariæ, adeo indecoris actibus ſeipſum

(1) 2. ad Timoth. c. 2.

(2) Matth. c. 6.

(3) Lucæ c. 9.

(4) Benedictus XIV. in Conſtitutione *Apoſtolicæ*. 13. in Bullario tom. 1.

(5) Clemens XIII. Conſtit. *Cum primum*. 17. Sept. 1759.

ſeipſum exerceat, ſeſeque totum hujus ſæculi curis deditum, ac temporalibus lucris inhiantem oſtendat, ut ſæculares ipſos negotiatores terrenæ aviditatis anxietate ſuperare videatur.

II. Cum Apoſtolicis ſuis Litteris (1), quas ab omnibus Clericis ſedulo legi, attenteque conſiderari volumus, Clemens XIII. declaraverit, ac definiverit, cambium activum natura ſua eſſe veræ, & propriæ negotiationis actum, adeoque Eccleſiaſticis omnibus vetitum eſſe cenſendum, ita ut quicumque e Sæculari, vel Regulari Clero tam proprio nomine, quam per interpoſitam perſonam illud contrahat, omnibus obnoxius fiat pœnis, atque Cenſuris, quæ in Clericos negotiatores conſtitutæ noſcuntur; Nos idcirco ſub iiſdem pœnis, atque Cenſuris Clericis omnibus Noſtræ Diœceſis interdicimus, ne eorum ullus aut proprio nomine, aut per interpoſitam perſonam cambium activum contrahere umquam audeat. Quod ſi cambia hujuſmodi, aliaque negotia a Laicis inchoata, atque inſtituta (2) ad Clericos, aut Eccleſias jure hæreditatis, aut alio quocumque titulo deferantur; volumus, ut ſtatim dimittantur. Si vero dimitti ſine gravi rerum temporalium detrimento nequeant; præcipimus, ut, Nobis antea conſultis, Sacræ Congregationi Concilii ſupplex pro congruis impetrandis induciis libellus exhibeatur: iis autem impetratis, tum cambia, tum alia quælibet negotia ejuſmodi per Laicos, probatæ fidei viros, adminiſtrentur. Præcipimus etiam, ut nullus Clericus domus cujuſque Laici gubernationem, ac famulatum, & præcipue fœminarum, ſuſcipiat. Indecorum quippe, ac turpe nimis eſt, ut, qui induſtriam, operamque ſuam divino cultui, ac Proximorum utilitati impendere debent, ſe Laicorum obſequiis, abjectiſque ſervitiis addicant, & aliquando etiam eorum negotiis adminiſtrandis, curandiſque pro temporali, eaque ſatis vili mercede locare non recuſent.

III. Tandem diſtricte prohibemus, ne Clerici in Sacris Ordini-

(1) Clemens XIII. Conſtit. *Cum primum*. 17. Sept. 1759.

(2) Benedictus XIV. cit. Conſtit. *Apoſtolica*.

dinibus conſtituti, ſeu Medici, ſeu Chirurgi officio fungantur; ne munera obeant Advocati, Procuratoris, Judicisve in Laico Tribunali tam in Criminali, quam in Civili Judicio, exceptis dumtaxat caſibus a Jure permiſſis, aliiſque, in quibus Noſtra facultas accedat; ne in profanis rebus Tabellionem agant; ne teſtimonium coram Judice Laico dicant, in cauſis quidem Criminalibus ſine Apoſtolicæ Sedis licentia, in Civilibus vero ſine Noſtra, aut ſine Vicarii Noſtri Generalis in ſcriptis danda, & præſtito prius in Noſtra Curia de veritate dicenda juramento; ne tandem ſordidas quaſcumque artes, viliaque exerceant miniſteria. Præterea iidem Clerici Sacris Ordinibus inſigniti (1) aliorum tutelam teſtamentariam, aut dativam, vel etiam legitimam, & quæ eſt a Jure, adminiſtrationem, Nobis inconſultis, ne ſuſcipiant: Nos tamen licentiam non concedemus, niſi urgente neceſſitate, vel niſi de viduarum, ac pupillorum miſerabilium pia cauſa agatur, & tunc quidem ea adjecta conditione, ut Clericus negotiis, ac muneribus, quæ perſonis Eccleſiaſticis ſunt interdicta, & a ſua profeſſione cenſentur aliena, non ſe immiſceat. Pro aliis (2) non fidejubeant, & ſi medicam artem exercendi licentiam a Sede Apoſtolica obtinuerint (3), eamdem Nobis, antequam mederi incipiant, exhibeant, & conditiones in eadem licentia appoſitas obſervent, inter quas præcipua hæc eſt, ut gratis medeantur.

IV. Clericos fœneratores non modo a Sacris Ordinibus ſuſcipiendis, verum etiam (4) ab officiis, ac beneficiis obtinendis arceri volumus: qui vero fuerint jam promoti, eos a ſuſceptis Ordinibus ſuſpendi, & ab officio, ac beneficio deponi jubebimus.

(1) Can. *Cyprianus*. cauſ. 21. qu. 3., Can. fin. diſt.58., Can. *Pervenit*. diſt.86., Sac. Congr. Epiſcop. in Verulana 15. Februar. 1647.

(2) Can. *Te quidem*. cauſ.11. qu.1., cap. *Clericus*. de fidejuſſoribus.

(3) Cap. *Sententiam*. ne Cleric., vel Monachi &c., cap. *Adamus*. de ætate, & qualitate &c., Sac. Congreg. Epiſc. in Terracinen. 6.Septembris 1697.

(4) Cap.1. de uſuris, cap. *Interdictos*. de exceſſibus Prælator., can. *Maritum*. diſt. 33., can. *Si quis*; can. *De Petro*. diſt.47.

mus. Ut autem per quæ quis peccat, per hæc & puniatur; omnes, & ſingulos ejuſmodi fœneratores pecuniaria pœna Piis Locis applicanda multabimus.

ARTICULUS XIII.

De Eccleſiaſticorum redituum uſu Clericis præſcripto.

Illud quoque Noſtri Paſtoralis Officii ratio poſtulat, ut diligenter invigilemus, ne (1) Clerici Eccleſiaſticis Beneficiis, quæ e liberali Eccleſiæ manu acceperunt, abutantur, eorumque reditus non ſine aliorum Fidelium ſcandalo inconſulta prodigalitate diſperdant, ſed eos tamquam boni diſpenſatores ita adminiſtrent, ut & vitæ ſuæ neceſſaria provideant, & pauperum inopiæ, atque Eccleſiarum neceſſitatibus ſuccurrant. Monemus itaque, ac per viſcera miſericordiæ Dei Noſtri obteſtamur Clericos, qui Eccleſiaſticos proventus uberius percipiunt, quam ad vitam honeſte traducendam propria cujuslibet requirat conditio, ne iis abutantur in augendis conſanguineis, aut in nutrienda vanitate, luxuque fovendo, multoque minus in conviviis, in ludis, in venationibus, aliiſque hujuſmodi habendis, quæ Clericos maxime dedecent. *Dubitare enim non debent*, ut S. Caroli Borromæi (2) utamur verbis, *ad eum finem hanc copiam illis eſſe attributam, ut præter ea, quæ ad victum, & cultum eorum ſatis eſſent, ſuppeterent etiam, quibus divini cultus ornatus, & ſplendor conſervaretur, & pauperum inopia, & indigentia ſublevaretur. Ex eo itaque, quod iis, congrua ſuſtentatione detracta, ſupererit, ſi neceſſaria pauperibus alimenta denegarint, intelligant, ſe, quos non paverint, occidiſſe, atque ob violatam ſanctiſſimæ charitatis legem mortale peccatum commiſiſſe, quo ſibi iram in die iræ theſaurizaverunt.*

II. Cum tamen hac in re verendum maxime ſit, ne conſanguineis ſuis Clerici beneficiorum ſuorum reditus elargiantur; Iis

Hhh 2 proin-

(1) Benedictus XIV. Conſt. *Univerſalis Eccleſia*. edita 4. Cal. Sept. 1741.

(2) In Concil. Mediol. I. Act. Eccleſ. Mediol. part. 1.

Digitized by Google

proinde edicimus, non poſſe Eccleſiaſticos proventus conſanguineis donari, niſi tamquam pauperibus, ſi vere pauperes ſint, & tunc, non ut diteſcant, ſed ſolum ut minus egeant. Hanc legem Clericis omnibus impoſitam, qui Eccleſiæ militant ſtipendiis, & Beneficia Eccleſiaſtica ſive Sæcularia, ſive Regularia obtinent, his verbis Tridentina Synodus (1) ſignificavit: *Omnino vero Sancta Synodus eis* (videlicet Epiſcopis) *interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant, cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed, ſi pauperes ſint, iis, ut pauperibus, diſtribuant: eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa: imo quam maxime poteſt, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia Seminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolum in quibuſcumque Beneficia Eccleſiaſtica tam Sæcularia, quam Regularia obtinentibus pro gradus ſui conditione obſervari, ſed & ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales pertinere decernit.*

III. Illud tandem monemus, ad reſtitutionem obligari Clericos Beneficiarios, qui oneribus non ſatisfaciunt, quæ ſuis adnexa eſſe beneficiis non ignorant, & qui reditus ad certos uſus, puta ad Templorum ornatum, vel ad dotandas Virgines, a Fundatore deſignatos aut ſibi uſurpant, aut propria auctoritate in alios vertunt uſus. *Quod ſi facere omiſerint*, verba ſunt toties laudati Sanctiſſimi Antiſtitis Caroli Borromæi (2), *ſed eos fructus ſibi vindicare, vel ad alios transferre auſi fuerint, vel in quem debent uſum, non impenderint; ſe ex Sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum ſententia, ſacrilegii reos eſſe intelligant, & eorum omnium neceſſaria reſtitutione teneri, neque ulla omnino, etiam immemorabili, conſuetudine excuſari.*

(1) Trid. ſeſſ.25. de ref. cap.1.

(2) In Concil. Prov. Mediol.I. in ActisEccl. Mediol. part.1. pag.39.

CON-



CONSTITUTIONUM SYNODALIUM

PARS III.

DE CHRISTIANI HOMINIS OFFICIO ERGA PROXIMUM.

ITA mortales a natura comparati ſumus, ut ſinguli ad noſtri generis ſocietatem, communionemque fovendam nati eſſe videamur. Eum ob finem bonorum omnium largitor Deus homines voluit, alios aut generis nobilitate, aut opum affluentia, aut ingenio, doctrina, prudentiaque præſtare, alios contra, aut rerum inopia, aut ſtirpis obſcuritate, aut hebete, obtuſoque ingenio vileſcere, ut ſcilicet cum alter alterius ope, conſiliove indigeret, alter etiam alterius onera portare non abnueret, & ſic communi quodam vinculo, ac veluti glutine humana ſocietas firmaretur,

& ita.

Digitized by Google

& ſtaret. Hinc etiam factum eſt, ut ad hanc conſervandam ſocietatem, primum quidem proximis noſtris non obeſſe, deinde etiam iis prodeſſe, ſi poſſumus, naturali, divinoque præcepto jubeamur. Quod quidem præceptum in veteri latum Teſtamento, ita Chriſtus Dominus in novo ratum habuit, confirmavitque, ut in ejus obſervantia conſtitutum eſſe voluerit exterius ſignum, ex quo Diſcipuli ejus facile dignoſcerentur, juxta illud (1): *In hoc cognoſcent omnes, quod Diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Quamobrem Chriſtiani hominis officium erga proximum ad hæc duo potiſſimum revocatur; ut ei numquam, licet poſſimus, noceamus; eidem vero ſemper, cum poſſumus, prodeſſe ſtudeamus. Quæ igitur vitanda ſunt, & quæ facienda, ut officium hoc ea majori, qua licet, diligentia obeamus, in hac tertia Conſtitutionum Synodalium parte recenſebimus.

CAPUT I.

DE JUSTITIA CARDINALI VIRTUTE.

JUſtitiæ nomine non eam hìc intelligimus, quæ virtutes omnes complectitur, quibus juſti apud Deum, rectique ſumus, ſed eam, qua unicuique, quod ſuum eſt, tribuimus, & quam inter Cardinales virtutes numeramus. Cum autem hæc proximum reſpiciat, cui jus ſuum tribui jubet; ea de cauſa de illa in ſecunda harum Conſtitutionum parte non diſſeruimus, ſed ad hanc tertiam partem tamquam in proprio loco pertractandam rejecimus. At cum hominum bona, quæ Juſtitiæ virtus ſarta tecta cuſtodiri, & ſi forte violata fuerint, reparari jubet, alia ſint corporis, alia animi, alia denique fortunæ; de ſingulis proinde diſtincte, ac diviſim agendum Nobis eſſe arbitramur.

(1) Joa. cap. 13.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De homicidio voluntario, & caſuali.

QUoad corporis bona maximum, quod homini inferri poſſit, detrimentum eſt ei vitam adimere. At qui hoc ſe crimine alligant homicidæ, quantum in iis eſt (1), univerſum Dei opus evertunt, cum hominem de medio tollant, cujus cauſa Deus omnia, quæcumque procreata ſunt, ſe feciſſe teſtatur. Deo etiam, ad cujus imaginem, & ſimilitudinem creatus eſt homo, inſignem injuriam irrogant, & quaſi violentas illi manus afferre videntur, cum ejus imaginem deſtruunt, homini vitam adimentes. Veriſſima tamen hæc ſunt non de quolibet, ſed de eo tantum homicidio, quod ſit ſive directe, ſive indirecte voluntarium, & quod injuſte perpetretur. Certe enim omni (2) vacat culpa facinoroſorum hominum cædes, quæ fit Magiſtratus ſententia, *quia non ſine cauſa* (3) *gladium portat, Dei enim Miniſter eſt vindex in iram ei, qui male agit.* Omni quoque vacat culpa, & hoſtium cædes (4), quæ in bello juſto non cupiditate, aut crudelitate, ſed ſolo publicæ utilitatis ſtudio fiat; & mors, quæ injuſto aggreſſori ad vitam ſuam tuendam aliquando, ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, inferatur; ac tandem homicidium, quod fortuito omnino, & caſu, abſque ullo operantis conſenſu, aut culpa, aut prævifione, perpetretur. *Abſit enim* (5), *ut quæ propter bonum, ac licitum facimus, ſiquid per hæc, præter voluntatem noſtram, cuiquam mali acciderit, nobis imputetur.* De injuſto, ac voluntario homicidio hic loquimur, & Canonicas pœnas adverſus illud conſtitutas paucis recenſemus, ut ex earum gravitate, cum pœna ſit menſura delicti, criminis gravitas dignoſcatur.

II. In

(1) Catechiſmus Romanus in 5. Decal. Præceptum §.15.

(2) S. Th. 2. 2. qu.40. art.1., & qu.64. per totam.

(3) Ad Rom. c.13.

(4) Can. *Sæpe*, & can. *Si duo fratres*. diſt.50., cap. *Ex litteris*, & toto tit. de homicidio.

(5) S.Aug. epiſt.154. ad Publicol.

II. In primis itaque homicidium voluntarium præmeditatum, ſeu deliberatum perpetrantes, & mandantes, aut conſilium ad illud dantes, effectu ſecuto, Nobis abſolvendos reſervamus, ut penſatis omnibus, *alto (1) vulneri diligens, & longa medicina non deſit, & non ſit crimine minor pœnitentia*, ut S. Cypriani utamur verbis. Deinde (2) tum qui homicidium patrant, tum qui patrantibus cooperantur, irregularitatis pœnam incurrunt, qua ad Ordines ſuſcipiendos inhabiles fiunt, & in ſuſceptis miniſtrare prohibentur. Homicidæ autem ſunt, atque eamdem ſubire debent irregularitatis pœnam, qui homicidam palpant, ac laudant; vel ei, ſi occidere offenſorem metuit, ignaviam exprobrant; aut illum ad odium inflammant, unde mox homicidii ſequatur perpetratio; quo quidem vitio mulieres potiſſimum laborare conſueverunt, quæ licet irregularitatem, cujus ſunt incapaces, non incurrunt, homicidii tamen reatum minime effugiunt. Parochi, Confeſſarii, Concionatores populo explicent, homicidii quoque reos eſſe ex Apoſtolicæ Sedis oraculo (3). 1. maritum, qui propria auctoritate uxorem in adulterio deprehenſam interficit. 2. injuſte calumniatum, qui calumniatorem, aut accuſatorem, aut falſos teſtes, aut etiam Judicem, a quo iniqua ſententia certo imminet, occidit, etiamſi non alius ei ſuppetat ſeſe tuendi modus. 3. virum honoratum, qui impingentem ſibi alapam, aut fuſte percutientem, & poſtea fugientem necat. 4. eos, qui pro minima quaque re conſervanda, aut recuperanda, ſeu pro paucorum olerum, ſegetum, aut herbarum furto, aliiſque hujuſmodi homini vitam eripiunt.

III. Qui nimium crapulæ, aut ebrietati, aut luxuriæ indulgens ſibi vitam præripit, tanto eſt homicidis, imo & parricidis ſceleſtior, quanto nemo homini eſt ſeipſo propinquior, ut cum S. Augu-

(1) S. Cyprianus ſerm. de lapſis.

(2) Cap. 1., & 2. de homicid., cap. fin. de tempor. ordinat., Trid. ſeſſ. 14. c. 7., & ſeſſ. 24. c. 6.

(3) Alexander VII. 24. Septemb. 1665. damnans propoſ. 17., 18., & 19., Innocent. XI. 2. Martii 1679. damnans propoſ. 30., 31., 32., & 33., cap. *Suſcepimus*. de homicid., S. Th. in 4. ſentent. diſt. 37. qu. 2. art. 1.

S. Auguſtino docet S. Thomas (1). Qui in hominum perniciem venena conficit, aut confecta propinat, aut ad id quomodolibet cooperatur; effectu etiam non ſecuto, inter homicidas, ſi prava animi inſpiciatur intentio, eſt accenſendus, & gravibus etiam pœnis in externo foro, ſi legitima criminis habeatur probatio, a Nobis corripietur.

IV. Ad deteſtabilem duellorum (2) uſum fabricante Diabolo introductum, quo cruenta corporum morte perniciem etiam lucretur animarum, ex Chriſtianorum orbe penitus exterminandum plurimæ a Jure Canonico ſtatutæ ſunt pœnæ, quarum præcipuæ hæ ſunt (3) 1. Excommunicatio major Romano Pontifici reſervata, ipſoque facto incurrenda. 2. perpetua infamia. 3. bonorum omnium proſcriptio. 4. pœnæ adverſus homicidas conſtitutæ. 5. privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, ſi duellantes in ipſo conflictu deceſſerint. 6. privatio, ſi ii fuerint Eccleſiaſtici, omnium dignitatum, beneficiorum, & officiorum Eccleſiaſticorum, ac præterea inhabilitas ad illa retinenda, atque alia in poſterum obtinenda. 7. duello certantes ſunt læſæ Majeſtatis rei. 8. demum fiunt ad teſtamentum condendum inhabiles. Has omnes pœnas confirmavit, & auxit Benedictus XIV. (4) peculiari ſua Conſtitutione, cujus exemplar damus in Appendice num. 1. In ea quippe veteres omnes Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones ad deteſtabilem duellorum abuſum eliminandum editas innovat, & quinque inſuper damnat quorumdam Auctorum aſſertiones, qui, dum rem per ſe, &, ut ajunt, in abſtracto diſcutiebant, non modo amplam nimium ſternebant viam ipſi perpetrandæ Monomachiæ, verum etiam illam perpetrantes a pœnis adverſus eoſdem conſtitutis nimia facilitate liberabant. Decernit præterea, recenſitas

inibi

(1) S. Aug. lib. de patientia cap.3., & S.Th. 2.2. qu.64. art.5.

(2) Can. *Monomachiam*. cauſ.2. qu.5., cap.1. de torneamentis, & Trid. ſeſſ.25. de ref. cap.19.

(3) Trident. loc. cit., Gregorius XIII. Conſtitut. *Ad tollendum*. an.1582., Clemens VIII. Conſtit. *Illius vices*. 1. Sept. 1592., & Alexander VII. in damnat. propoſit.2.

(4) Benedictus XIV. in Conſt. *Deteſtabilem*. edita 4. Idus Novemb. 1752.

inibi pœnas, ipſo jure, & ante omnem Judicis ſententiam, a tranſgreſſoribus eſſe ſubeundas, eoſque Eccleſiaſtica privari jubet ſepultura, ſi ex accepto in duello vulnere decedant, quamvis extra locum conflictus occubuerint, & a peccatis non minus, quam a cenſuris abſolutionem miſericorditer obtinuerint.

V. Grande nefas, & homicidio accenſendum eſt fœtus abortum aut percuſſionibus ventris, aut medicamentis, aut potionibus, aut oneribus, laboribuſque mulieri prægnanti impoſitis procurare. Quare non immerito graviſſimæ adverſus hoc crimen a Romanis Pontificibus (1) conſtitutæ ſunt pœnæ, quibus plectendi etiam ſunt ii, qui vel ſterilitatis potionem mulieribus propinant, aut fœtus etiam inanimati abortum procurant. Nam hi quoque cenſendi ſunt homicidæ, uti Tertullianus (2) docet, cum inquit: *Homo eſt etiam, qui eſt futurus, cum omnis fructus jam in ſemine ſit: quapropter homicidio ſemel vetito, etiam conceptum in utero, dum adhuc ſanguis in hominem deliberatur, diſſolvere non licet, nec refert, natam quis eripiat animam, aut naſcentem diſturbet.* Nos itaque, ut Fideles curæ Noſtræ concreditos a tam immani perpetrando crimine abſterreamus; Volumus, ac declaramus, ut abortum procurantes, effectu ſecuto, etiam fœtu non animato, nonniſi a Nobis, abſolvi poſſint. Parochi autem, & Confeſſarii ſciant geminas haſce ſuper abortu ab Innocentio XI. (3) proſcriptas fuiſſe propoſitiones, quarum 1. hæc eſt: *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.* Altera vero ſic habet. *Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, & conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Præterea Populo gravibus verbis tam execrandum facinus exponant, ejuſque immanitatem vivis adeo coloribus exprimant, ut in auditorum animis ſummum ejuſdem

(1) Can. *Conſuluiſti*. cauſ. 2. quæſt. 5., Sixtus V. Conſt. *Effrænatam*. 6. Novembris 1588., & Gregorius XIV. Conſt. *Sedes Apoſtolica*. 28. Maii 1591.

(2) Tertullianus in Apologetico cap. 9.

(3) Innocentius XI. in damnat. propoſit. 34., & 35. edita 2. Martii 1679.

ejuſdem odium excitent, ac deteſtationem. Matres vero hortentur, ut poſtquam conceperint, fœtum in utero deliteſcentem diligenti cura cuſtodiant, ne aut nimiis laboribus fractæ, aut non levibus vitæ liberioris incommodis attritæ, abortum patiantur, unde nedum corporum, verum etiam animarum irreparabilis jactura ſequatur. Medicis quoque indicant, non licere potionem mulieri prægnanti dare ad fœtum, ſive is ſit inanimis, ſive animatus, ejiciendum ex utero, quamquam, niſi id fiat, in certo mortis periculo parens ſit conſtituta. *Si enim non poteſt*, uti Sacri nos docent Canones (1), *ſubveniri alteri, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum juvari, quam gravari alterutrum*.

VI. Homicidis quoque comparari poſſunt Medici, Chirurgi, & Pharmacopolæ, (2) quorum negligentia, aut imperitia ægrotus, cujus curam ſuſceperint, moriatur, quamquam ejuſdem obitum non intendant; & Judices (3), Magiſtratus, Toparchæ, cæterique juriſdictionem habentes, qui ſive hominem damnant, capitalis cæteroqui delicti reum, juris ordine non ſervato, ſive punire negligunt homicidas, latrones, viarum graſſatores, cæteroſque hujuſmodi facinoroſos homines publicæ tranquillitatis perturbatores, quorum proinde crimina Reipublicæ admodum pernicioſa tribuenda ſunt Judicibus, qui eadem non impediunt, cum tamen eorum ſupplicio impedire facile poſſent.

VII. Sub excommunicationis majoris pœna, cujus abſolutionem Nobis reſervamus, interdicimus matribus, ac nutricibus (4), ne ſecum in eodem lecto, nullo interpoſito repagulo, retineant, ac dormire ſinant infantes anno minores: contingere enim poteſt (imò ſæpe contigit) ut iidem a dormientibus matribus, vel nutricibus opprimantur.

VIII. Immanis quoque homicidii, crudeliſſimæque impieta-

Iii 2 tis

(1) Can. *Denique*. cauſ. 14. qu. 5.

(2) Can. *Homicidium*. de pœnitent. diſt. 1., S. Antonius 3. part. tit. 7. cap. 2.

(3) Can. *Qui poteſt*. & can. *Oſtendit*. cauſ. 23. qu. 3., S. Ambroſ. Concion. 20. in Pſalm. 118., & S. Th. 2. 2. qu. 67. art. 3.

(4) Can. *Conſuluiſti*. cauſ. 2. quæſt. 5., cap. *De infantibus*. de his, qui filiis occiderunt.

tis genus eſt crimen illud, quod olim Sanctiſſimi Eccleſiæ Patres (1) Ethnicis ipſis exprobrabant, quo videlicet liberos ſuos, ex iniquo, & quandoque ex damnato concubitu domi natos, alere, ac educare recuſabant, eoſque proinde in publicis exponebant viis, ſi non canum dentibus dilaniandos, aliena certe miſericordia nutriendos. Incredibile ſane videri debet, ut ſimile quid a Chriſtianis hominibus, qui non ſint feris ipſis crudeliores, perpetretur. At ſi forte in Noſtra Diœceſi caſus hujuſmodi contingeret, volumus, ut Parochi, atque Univerſitatum Adminiſtratores, in Urbe vero Tuſculana Confratres Sodalitatis, quam Sanctiſſimi Confalonis vocant, ſtatim expoſitos hujuſmodi Infantes ad domum pio huic operi deſtinatam, ſi in eo loco adſit, deferri curent: ſi vero pia hæc domus ibi deſit, eoſdem alicui fideli nutrici lactandos, nutriendoſque committant, donec vel Romam tranſmittantur, vel alia ratione eorum incolumitati, ac ſuſtentationi provide conſulatur.

IX. Verum non homicidium modo, ac membrorum mutilationem, verum etiam grave quodlibet damnum proximorum corporibus inferri Juſtitiæ lex vetat; & ſi inferatur, reſarciri ab inferente prorſus jubet. Hinc tantopere Galatas (2) Apoſtolus monet, ut *rixas evitent* [*rixæ* autem ſunt, ut explicat Gloſſa (3), quando plures in ira invicem ſe percutiunt, ac vulnerant) *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. Et ſane cum in rixa gravis fere ſemper ab aggreſſore alteri parti irrogetur injuria, & non infrequenter grave etiam corpori detrimentum inferatur; hinc optime docet S.Thomas (4), *rixam in eo, qui alterum injuſte invadit, peccatum eſſe mortale: inferre enim proximo nocumentum (videlicet grave] etiam opere manuali non eſt abſque mortali peccato. In eo vero, qui ſe tue-*

(1) Tertullianus loc. cit., S. Ambroſius Hexameron. lib. 5. cap. 18.. S. Auguſtinus lib. 1. de Nuptiis, & concup. cap. 15., can. fin. diſt. 87., & cap. unico. de infantibus expoſitis.

(2) Ad Galatas cap. 5.

(3) Gloſſa Interlinearis in epiſt. ad Galat. cap. 5.

(4) S.Th. 2.2. qu.41. art.1. in corpore.

ſe tuetur, poteſt eſſe quandoque ſine peccato, quandoque cum peccato veniali, & quandoque etiam cum mortali. Si enim ſolo animo illatam injuriam repellendi, & debita cum moderatione ſe tueatur, non eſt peccatum, neque proprie ex ejus parte rixa nuncupari poteſt. Si vero cum animo vindictæ, vel odii, vel cum debitæ moderationis exceſſu ſe defendat, ſemper eſt peccatum: veniale quidem, quando levis aliquis odii, vel vindictæ ſe immiſcet motus, vel cum moderatam defenſionem non multum excedit: mortale autem, quando obfirmato animo contra impugnantem ad eum occidendum, aut graviter lædendum inſurgit.

ARTICULUS II.

De injuſta alieni honoris, ac famæ læſione.

NON *levius putandum eſt, quod lingua inſidiante, quam quod gladio minante committitur*, inquit S. Auguſtinus (1): *imo illi gravius cor feriunt, qui linguæ gladio feriunt*. Quamobrem peccatum furto longe majus, atque homicidio valde affine patrant Detractores, Maledici, Suſurrones, Calumniatores, qui ſive falſa crimina impingendo, ſive occulta detegendo, alienam famam, honoremque graviter lædunt, ac pro viribus labefactant. Quicumque igitur (2) dictis, aut ſcriptis famam proximi fuerit deprædatus, tamquam pretioſiſſimi theſauri fur, & Latro, a Confeſſariis non abſolvatur, niſi facta prius famæ, damnorumque, quantum poteſt, ac debet, reſtitutione; aut ſaltem, ſi tunc primum crimen confitetur ſuum, niſi contritus corde ad id præſtandum ſincere ſe paratum oſtendat. Qui vero falſum teſtimonium in alterius damnum in judicio ferunt, non niſi a Nobis abſolvi poſſint. Parochi autem immane hoc crimen Populo graviſſimis verbis exaggerent, oſtendentes, quam gravem detractores uno, eodemque tempore tum ſibi, tum iis, qui audiunt, tum iis, quibus detrahunt,

(1) S. Auguſt. lib. 2. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 7., & tract. 5. in Joann.

(2) Cap. *Si culpa*. de injuriis, & damno dato, S. Th. 2. 2. qu. 62. art. 2., & Catechiſmus Romanus part. 3. cap. 9. §. 19.

Digitized by Google

trahunt, tum ipſi tandem Deo irrogent injuriam, ac proinde in quantam cadant Dei offenſionem, quantumve ejus odium incurrant. Illa proinde Salomonis verba declarent, quæ leguntur in Proverbiis (1): *ſex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus, oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, veloces pedes ad currendum in malum, proferentem mendacia, teſtem fallacem.* Graviſſimum tandem explicent (2), quod detractoribus ineſt, onus læſam proximi famam reſarciendi, ſi ſuum ſibi a Deo dimitti crimen velint, juxta illud: *non remittitur (3) peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

II. Contra juſtitiam quoque peccant, & ad illatam injuriam reſarciendam obligantur ii, qui ſine legitima auctoritate, ac ſine juſta cauſa proximum ſuum ſive verbalibus, ſive realibus injuriis afficiunt: *Non enim in ſola ſanguinis profuſione, & animæ ereptione, ſed etiam in verbo maledicti, vel convicii judicat Deus.* Qui vero libellos (4) famoſos, vel contumelioſas cantiunculas, quibus aliorum fama, etiam vera narratione, proſcinditur, compoſuerint, aut ſcripſerint, vel jam compoſitas in vulgus verbis, aut ſcriptis ſparſerint, ſeu publicaverint, quique ad ſingula præmiſſa, ut fierent, mandatum, aut conſilium dederint, omnes, & ſinguli ſint ipſo facto excommunicati.

III. Sint etiam ipſo facto excommunicati omnes, & ſinguli, qui verbis, aut factis, ſcripturis, litteris, depoſitionibus ſive juratis, ſive non juratis, conteſtationibus, atteſtationibus, ſupplicibus libellis, ſive expreſſo, ſive nullo, aut ementito nomine exaratis, aliiſque modis Epiſcopum, ejuſque Miniſtros, ac Officiales, Parochos, Verbi Dei Concionatores, aut Religioſorum familias calumniari tentant, aut ad id conſilium, ſeu favorem

(1) Proverb. c.6.

(2) Catechiſmus Romanus loc.cit.§.20.

(3) S. Aug. epiſt.54. ad Macedon., & cap. *Cum ex eo*. de uſuris in 6.

(4) Can. *Si quis*; can. *In Altaris*; can. *Quidam*. cauſ.5. qu.1., & S.Pius V. Conſtitut. 147. *Romani Pontificis providentia*. edita 19.Martii 1572., & Gregorius XIII. Conſt. *Ea eſt rerum*.

vorem dant. *Merito enim ab Eccleſia extorres fiunt, qui Dei Epiſcopos linguæ gladio jugulantes, fundunt ſanguinem non corporis, ſed honoris*, uti ſcribit Optatus (1) Milevitanus.

IV. *Verum toto Præſulatus noſtri tempore, ſi quis modeſtiæ neſcius, & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto nomen Noſtrum crediderit laceſſendum, ac turbulentus obtrectator temporum noſtrorum fuerit, eum pœnæ nolumus ſubjugari, neque durum aliquid, nec aſperum volumus ſuſtinere. Quoniam ſi id ex levitate proceſſit, contemnendum eſt: ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum: ſi ab injuria, remittendum: ſed cui? Cæſari*, dixit Theodoſius (2). Nos Epiſcopi dicamus: *Deo*.

V. Prudentiſſimum S. Bernardi ad Eugenium III. (3) monitum ſecuti, edicimus, non receptum, ſed rejectum a Nobis iri clandeſtinas delationes, & litteras, quas dicunt cœcas, ſine Auctoris nomine, vel nomine ementito ſubſcriptas, quibus ſubditorum exceſſus Nobis puniendi deferuntur, & denunciantur. Qui enim (4) palam veretur dicere, quod in aure loquitur, vel quod ſcriptis obſcuris pandit, eum non accuſatorem, non denunciatorem, non zelatorem, ſed delatorem, detractorem, & calumniatorem exiſtimamus; nam *innocens creditur, cui defuit accuſator, cum non defuerit inimicus*, uti lege data optime Conſtantinus Imperator (5) edixit.

ARTICULUS III.
De Furto, & Rapina.

SOlertiſſima Dei erga hominum genus Providentia non vitam modo (6), corpus, famamque noſtram præceptis ſuis quaſi quibuſdam præſidiis, tueri voluit; ſed ad humanam fovendam ſocie-

(1) Optatus Milevitanus contra Donatiſtas.

(2) L. *Si quis*. cod. *Si quis Imperatori maledixerit*.

(3) S. Bernardus lib.4. de conſiderat.ad Eugenium cap.6.

(4) Cap. *Inquiſitionis*. §. *Tertiæ*. de accuſat.

(5) In Codice Theodoſiano lib.9.tit.34. de famoſis libellis.

(6) S. Th. 2. 2. qu.66. art.6., & Catechiſmus Romanus in 7.Decal.Præcept.§.1.

Digitized by Google

ſocietatem, fortunæ etiam bona, noſtraſque facultates hoc interdicto *non furtum facies*, tamquam externa quadam cuſtodia, munivit, ac ſepſit, tantique noſtra fecit commoda, ut non minus bonorum noſtrorum direptores, quam Sancti ſui nominis hoſtes æternis Inferni pœnis addixerit. Cum igitur vetuerit Deus, ac vetet, bona hæc noſtra, quæ in ejus tutela ſunt, a quoquam auferri, aut violari; Parochi Populum ſibi comiſſum edoceant, furtum numquam licere, ſive divitibus illud fiat, ſive pauperibus: Non enim quidam de plebe deſunt, qui craſſo quodam errore decepti putant, interdictum non eſſe divitum, ſi avari præſertim ſint, & cupidi, res, ac bona diripere, ac furari. Eos vero, qui divites ſunt, ac potentes in plebe, ſerio moneant, longe gravius, ac deteſtabilius ab ipſis admitti furti crimen, ſi rapinis, violentiis, oppreſſionibus ſubſtantias pauperum deglutiant, ut ſi, vel præpotentia, vel patrocinii, ſeu clientelæ prætextu mercedem operariis aut denegent, aut minuant, aut differant; ſi munera, obſequiaque, & indebitas ab eis exigant ſervitutes; ſi miſerabiles viduas, ac pupillos, & orphanos aliena emere, aut ſua vendere invitos cogant; ſi eoſdem ad Tribunalia trahant, corruptiſque auctoritate ſua Judicibus, inauditos injuſte ſpolient, aut minis, incuſſoque terrore prohibeant, ne in judicio repetere ſua poſſint; ſi demum *quamcumque* (1) *pauperi violentiam faciant, quia pauper eſt. Scire illos jubeant, quod Dominus judicabit cauſam pauperis, & configet illos, qui confixerunt animam ejus.*

II. Ut autem ignorantiam, ex qua, ſi craſſa ſit, & culpabilis, plurima in populo peccata oriuntur, nemo poſſit obtendere; Parochi doceant, furti reos eſſe (2), & ad reſtitutionem ſub gravis culpæ reatu obligari eos, qui non uno quidem, ſed pluribus minimis, ac levioribus furtis, ſive uni, ſive pluribus perſonis gravem furantur pecuniæ ſummam; cujus quidem rei exemplum non infrequens in iis proferant, qui, dum res minutim

(1) Prov. c.22. v.22.

(2) Can. *Fur autem*. cauſ.14. quæſt.6., S.Thom. loc. cit., & Innocentius XI. in damnat. propoſit.38. edita 2. Martii 1679.

tim vendunt, doloſis utuntur menſuris, ſeu ponderibus contra divinum illud præceptum (1): *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in menſura: ſtatera juſta, & æqua ſint pondera: juſtus modius, æquuſque ſextarius.* Declarent præterea, furti etiam reos eſſe, & ad reſtitutionem teneri ſervos (2), operarios, opifices, qui, ultra conventum pretium, ac mercedem, aliquid clam ſurripiunt, ſpecioſum illum obtendentes titulum, quod obſequiis ſuis, ſuiſque laboribus impar ſit illud, de quo convenere, ſtipendium.

III. Qui alienas domos, aut ſegetes, aut nemora (3) incendunt, & qui alienas fructiferas arbores aut cædunt, aut evellunt; ſive id malo ſtudio, ſive ex odio, ac vindicta, ſive quacumque alia de cauſa agant; item qui ad ea conſilium, conſenſum, vel mandatum præſtant, excommunicationi majori in Jure Canonico latæ ſunt obnoxii; cui etiam ſubjectos volumus tum eos, qui falſificant, corrumpunt, aut falſa conficiunt Inſtrumenta, Proceſſus, Apochas, aliaſque ſcripturas publicas, ſeu authenticas cum gravi alterius detrimento, tum illos, qui præmiſſis falſificationibus, & corruptionibus conſilio ſuo, vel mandato cooperantur. Hi autem omnes neque a cenſuris, neque a peccatis abſolvantur, niſi & illatum, ſi poſſint, reparent damnum, & ſe in hujuſmodi crimen non relapſuros, ex animo, & ſi opus ſit, etiam jurejurando polliceantur.

ARTICULUS IV.

De injuſtitia in Contractibus.

CUM ſine recto, mutuoque rerum commercio humana ſocietas ſtabilis, ac firma eſſe non poſſit, maxima apud Gentes bene moratas cura ſemper fuit, ut contractus omnes, per quos

(1) Levitici c.19. v.35.

(2) Innocent.XI. in damnat.propoſ.37. edita 2.Martii 1679.

(3) Can. *Peſſima*; can. *Si quis membrorum*. cauſ.23. qu.8., cap. *Tua nos*. de ſent.excomm., & cap. *Si quis*. de injuriis, & damno dato.

commercium exercetur, ſanctiſſimæ Juſtitiæ leges ubique moderarentur. Quamobrem quis non videat, cura hac tam neceſſaria animarum Paſtores in Chriſtiana Republica affici potiſſimum debere, ut videlicet Fidelium, & maxime pauperum, indemnitati conſulatur? Ut itaque in hac Diœceſi ſuper re tanti momenti diligentia Noſtra minime deſideretur; ea, quæ ſequuntur, ad ſacrorum Canonum, ac Pontificiarum Conſtitutionum normam declaranda, ac decernenda eſſe judicavimus.

II. Utque ab emptionis, ac venditionis contractu, qui reliquorum omnium eſt frequentiſſimus, maximeque neceſſarius, ordiamur; Ad ejus juſtitiam, ac rectitudinem hæc (1) potiſſimum requiri edicimus. 1. ut emptor, ac venditor ſint ad emptionis, & venditionis contractum celebrandum habiles. 2. ut juſtum rei pretium a contrahentibus ſtatuatur. 3. ut occulta rei venalis vitia manfeſtentur. 4. ut dolus omnis, fraus, ac violentia abſint. 5. demum ut tanti res credito væneat, quanti numerata pecunia væniret. His autem legibus plures adverſantur contractus, quos proinde reprobamus, damnamus, & iniri a Fidelibus Noſtræ curæ commiſſis diſtricte prohibemus. Et primum quidem Mercatorum monopolia (2), quibus inter ſe ex condicto conſpirant, ut ipſi ſoli certo pretio merces emant, aut vendant; ſeu vi, vel fraude impediunt, ne merces aliunde advehantur, aut advectæ venales fiant, tamquam Juſtitiæ, publicæ fidei, ac Juri Gentium repugnantia damnamus, eorumque auctores ad reſtitutionem teneri edicimus. Mohatræ (3) deinde contractum, quo mutuis ex pacto prævio venditionibus, ac reemptionibus, & cum lucri intentione res aliqua cariore emitur pretio, eidemque venditori retrovenditur viliore, uſurarium eſſe, ac execrandum latrocinii genus declaramus. Fures etiam ſunt, qui in negotio fratrem ſuum circumveniunt,

(1) Cap. *Cum cauſa*; cap. *Cum dilecti*. de empt., & vendit., cap. *Quanto*. de jurejurando, cap. *Conſuluit*; cap. *In Civitate*; cap. *Naviganti*. de uſuris, S. Th. 2.2. qu.77. per totam.

(2) L. *Jubemus*. cod. de monopoliis, & Benedictus XIV. Conſt. *Quo die*. §.6. edita 8. Julii 1748.

(3) Innoc. XI. in damnat. propoſit. 40. edita 2. Martii 1679.

Digitized by Google

veniunt (1), emptoreſque fraudibus, ac dolo, in mercis quantitate, ſeu qualitate decipiunt; aut qui falſam, atque adulterinam rerum venditoribus tradunt monetam. Hi autem ſciant (2), quod horum omnium vindex eſt Dominus. Furtum etiam apertum committunt (3) operarii, & artifices, qui totam, integramque mercedem ab iis exigunt, quibus ipſi juſtam, debitamque operam non dederunt.

III. Cum alicubi inſana lucrandi cupiditas (4) eo devenerit, ut ſumma cum iniquitate artifices, ac Mercatores operariis ſuis pactam mercedem ſolvant, non numerata pecunia, ſed datis in ſolutum rebus, ſeu mercibus, ſummo, ac interdum etiam injuſto æſtimatis pretio, quas deinde iidem Operarii infimo, & quandoque ad urgentes neceſſitates ſublevandas dimidio etiam minoris, diſtrahere coguntur; Nos, ne tantum umquam nefas in Noſtra Diœceſi admittatur, mercatoribus, opificibus, aliiſque omnibus officinarum magiſtris interdicimus, ne mercedem operariis debitam aliter, quam in numerata pecunia ſolvant, neque pro ea aliam, aut alias rerum ſpecies, aut ab initio paciſcantur, aut poſtmodum ſubſtituant, niſi liber omnino, ac plenus Operariorum conſenſus accedat, & niſi res, ſeu merces, quæ dantur in ſolutum, juſto, quo tunc valent, pretio æſtimentur. Qui ſecus fecerint, arbitrio Noſtro multabuntur.

IV. Peccati genus illud, quod uſura nuncupatur (5), quodque in contractu mutui propriam ſuam ſedem, & locum habet, in eo eſt repoſitum, ut quis ex ipſomet mutuo, quod ſuapte natura tantumdem dumtaxat reddi poſtulat, quantum receptum eſt, plus ſibi reddi velit, quam eſt receptum, ideoque ultra ſortem lucrum aliquod ipſius ratione mutui ſibi deberi contendat. Omne propterea hujuſmodi lucrum, quod ſortem ſuperet, illicitum, & uſurarium eſt. Peccati hujus malitiam Sanctus Florentiæ Anti-

 ſtes

(1) Catechiſmus Romanus in 7. Decal. Præceptum §.9.

(2) 1. ad Theſſalon. c.4.

(3) Catechiſmus Romanus loc. cit.

(4) Synodus Sublacenſis anni 1674. tit. de uſuris, & illicitis contractibus §.7.

(5) Benedictus XIV. in ſua Conſt. *Vix pervenit*. edita 1.Nov. 1745.

ſtes Antoninus (1) ſic deſcribit: *Uſura eſt eradicatio charitatis, fraternæ dilectionis extinctio, deceptionum origo, legalis proditio, doloſa pietas, pauperum homicida; impia in propinquos, pernicioſa in proximos, patriæ deſtructio, animarum perditio*. Merito itaque deteſtabile hoc crimen (2) divina, naturali, humanaque lege prohibetur, & graviſſimæ adverſus illud ab utraque cum laica, tum Eccleſiaſtica Poteſtate conſtitutæ ſunt pœnæ. Illud certe morte puniri juſſit Deus apud Ezechielem (3), cujus hæc ſunt verba: *Ad uſuram dans, & amplius accipiens, numquid vivet? non vivet: cum univerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur*. At quod pejus eſt, *fœnus pecuniæ*, ut ait S. Leo (4), *funus eſt animæ, & qui per aliena cupit damna ditari, æterna dignus eſt egeſtate puniri*.

V. Neque vero ad uſuræ labem purgandam ullum arceſſiri ſubſidium poterit, vel ex eo, quod aliquid ultra ſortem, non ex juſtitia (5), ſed ex gratitudine tantum, ac benevolentia debitum exigatur; vel ex eo, quod ejuſmodi lucrum (6) non excedens, & nimium, ſed moderatum, neque magnum, ſed exiguum ſit; vel tandem ex eo, quod is, a quo lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur, non pauper, ſed dives ſit, nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad ſortes ſuas amplificandas vel novis coemendis prædiis, vel quæſtuoſis agitandis negotiis utiliſſime ſit impenſurus. Contra mutui ſiquidem legem (quæ neceſſario in dati, ac redditi æqualitate verſatur) agit quiſquis, eadem æqualitate ſemel poſita, plus aliquid a quolibet vi mutui ipſius, cui per æquale jam ſatis eſt factum, exigere adhuc non veretur, ac proinde ſi acceperit, reſtituere acceptum jubebitur ex Juſtitiæ commutativæ legibus, cujus eſt in humanis contractibus æqualitatem cujuſque propriam, & ſancte ſervare, & non ſervatam exacte reparare.

VI. Non negamus tamen, poſſe quandoque una cum mutui contra-

(1) S. Antoninus ſerm. 44. ſer. 5. poſt Dom. Paſſ.

(2) Cap. *Super eo*. de uſura.

(3) Ezechielis cap. 18.

(4) S. Leo ſer. 6. de jejun. decimi menſis.

(5) Innoc. XI. in damn. propoſ. 42.

(6) Benedictus XIV. cit. Conſtitut. *Vix pervenit*.

contractu quoſdam alios, ut ajunt, titulos (1), eoſdemque ipſimet univerſim naturæ mutui minime innatos, & intrinſecos forte concurrere, ex quibus juſta omnino, legitimaque cauſa conſurgat quiddam amplius ſupra ſortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque negamus poſſe multoties pecuniam ab unoquoque ſuam per alios diverſæ prorſus naturæ a mutui natura contractus recte collocari, ſive ad proventus ſibi annuos conquirendos, ſive etiam ad licitam mercaturam, & negotiationem exercendam, honeſtaque indidem lucra percipienda. Verum non ſemper, & præſto ubique ſunt vel una cum mutuo alii legitimi tituli, vel ſecluſo etiam mutuo, contractus alii juſti, quorum præſidio, quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id genus alteri creditur, toties semper liceat auctarium moderatum, ultra ſortem integram, ſalvamque, recipere. Quare ſerio monemus, ut quicumque conſcientiæ ſuæ conſultum velit, diligenter prius inquirat, verene cum mutuo juſtus alius titulus, aut juſtus alter a mutuo contractus occurrat, quorum beneficio lucrum, quod quærit, ab omni criminis labe reddatur immune?

VII. Tituli mutuo prorſus extrinſeci, qui una cum mutuo poſſunt occurrere, & propter quos aliquid ultra ſortem exigi juſte valet, hi duo ſunt præcipui, & communiores, damnum videlicet emergens, & lucrum ceſſans. Si quis igitur hujuſmodi titulus una cum mutuò occurrat, aut alius a mutuo contractus ineatur; poterit ſane auctarium aliquod ultra ſortem quotannis exigi, dummodo ad juſtitiæ commutativæ tramites æquale ſit lucri titulo, eique proportionatum. Duo tamen hìc contrahentes paterne monemus (2). 1. ut qui mutuam dat pecuniam, diligenter caveat, ne lucri cupiditate obcæcatus adeſſe titulum ſibi facile ſuadeat, qui tamen vere non adſit, turpemque eo titulo palliet uſuram: Quamobrem, antequam contractum celebret, ab iis, qui doctrinæ, ac virtutis gloria ſupra cæteros efferuntur, conſilium

(1) Benedictus XIV. cit. Conſtitut. *Vix pervenit*.

(2) Benedictus XIV. cit. Conſtitut. *Vix pervenit*.

lium expoſcat. Eos vero, qui ſuper his quæſtionibus conſuluntur, monemus, rogamus, & obteſtamur in Domino, ut ab extremis, quæ ſemper vitioſa ſunt, longe ſe abſtineant. Aliqui enim tanta ſeveritate de his rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia deſumptam accuſent tamquam illicitam, & cum uſura conjunctam. Contra vero nonnulli indulgentes adeo, remiſſique ſunt, ut quodcumque emolumentum ab uſuræ turpitudine liberum exiſtiment. Ii itaque, qui ſuper his implexis quæſtionibus conſuluntur, Benedicti XIV. (1) monito obtemperantes, ſuis privatis opinionibus ne nimis adhæreant, ſed priuſquam reſponſum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur. Deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. 2. ut iidem (2) contrahentes, ſi ſcrupulos omnes, animique ſollicitudinem evitare velint, ipſumque contractum in foro externo comprobare, contractum inſtituendum antea declarent, & non minus conditiones inſerendas, quam fructum, quem ex eadem pecunia poſtulant, diſertis explicent verbis. Doctrina hactenus expoſita traditur a Benedicto XIV. in Epiſtola Encyclica, quam in Appendice damus num. 2.

VIII. Quicumque deteſtabile uſuræ crimen occulte admittit; præter gravis culpæ reatum, ex juſtitiæ commutativæ legibus obligationem ſubit illud omne reſtituendi lucrum, quod ex fœnore, adeoque injuſte percepit; quam quidem obligationem etiam ad Uſurarii hæredes tranſire edicimus, ac declaramus. At ſi manifeſtus ſit uſurarius, poſt latam a Judice declaratoriam criminis ſententiam, has præterea ex ſacrorum Canonum præſcripto incurrit pœnas. 1. infamia (3) notatur, quæ tamen ex Canonica quadam æquitate, ac rationabili conſuetudine ceſſat, ſi uſurarius reſipiſcat, & veram agat pœnitentiam. 2. ſi injuſta, quæ percepit,

(1) Benedictus XIV. cit. Conſtitut. *Vix pervenit*.

(2) Benedictus XIV. cit. Conſtitut. *Vix pervenit*.

(3) Can. *Infames*. cauſ. 3. quæſt. 7., & L. 20. cod. ex quibus cauſis infamia irrogatur.

pit, lucra reſtituere, cum poſſit, nolit (1), non modo eidem in humanis agenti Sacramentorum uſus, verum etiam vita functo Eccleſiaſtica deneganda eſt ſepultura; & ſiquis Clericus eum in loco ſacro ſepelire audeat (2), ipſo facto majoris excommunicationis vinculo innodatur. 3. propter infamiæ notam, quæ eidem inuritur (3), fit irregularis. 4. ad teſtamentum condendum (4) fit inhabilis. 5. ſi Clericus ſit, & ab exercendis uſuris monitus non deſiſtat (5), ſuſpenſione; ſi vero ſit Laicus, excommunicatione plectendus eſt, donec dignam egerit pœnitentiam, pleneque ſatisfecerit, aut certam de ſatisfaciendo dederit cautionem.

IX. Verum cum inter Chriſtifideles non deſint, teſte S. Ambroſio (6) *qui erubeſcunt uſuræ nomen, lucrum tamen non erubeſcunt uſuræ*, *neſcientes* (7), *quod uſurarius ſuper omnes Mercatores maledictus*; Hinc optimum factu cenſemus, peculiares quoſdam contractus recenſere in populo non adeo infrequentes, qui palliata inficiuntur uſura, aut ſaltem injuſti certe ſunt, ac de uſura non leviter ſuſpecti, ut videlicet eos Parochi Populo ſignificent, illicitoſque eſſe doceant, ne quis in Noſtra Diœceſi eoſdem audeat celebrare, niſi divinam, Noſtramque experiri velit animadverſionem. Uſurarias itaque declaramus, ac tamquam injuſtas reprobamus conventiones illas, ac pactiones, quibus 1. ea lege mutuum datur frumentum, ut (8) meſſis tempore cum aliquo augumento reſtituatur, puta ſi in mutuo menſuræ dentur abraſæ, ſed ſive ex pacto, ſive etiam ex uſu in meſſe plenæ reddantur, & cumulatiores. 2. mutuum datur frumentum deterioris conditionis, cui ex. gr. prava admixta ſint ſemina, ut triticum reddatur optimæ, ſeu melioris ſaltem conditionis. 3. mutua inferioris ponderis moneta traditur, ut moneta poſtmodum juſti ponderis in eadem quantitate refundatur. Fœneratitios etiam eſſe denunciamus

(1) Cap. *Quia in omnibus*; & cap. *Quamquam*. de uſuris.
(2) Clement. 1. de ſepulturis.
(3) Can. *Maritum*. diſt. 33.
(4) Cap. *Quamquam*. de uſuris.
(5) Can. *Præterea*. de uſuris.
(6) S. Ambroſius ſerm. 59. de avaritia.
(7) S. Joa. Chryſoſt. homil. ſuper Matth. cap. 38.
(8) Can. *Uſum*. cauſ. 14. qu. 3.

Digitized by Google

mus contractus illos, quibus ob dilatam ad aliquod tempus ſolutionem, majus ſolvendum ſit pretium pro re, quæ emptionis tempore minoris valet; vel quibus ob anticipatam ſolutionem res minoris ematur, quam tempore traditionis valebit; vel quibus fructus rei, quæ emptori credito traditur, a venditore percipiantur. Cum enim numerata (1) pecunia pretioſior non ſit, quam numeranda, nequit a prudentibus, & cordatis viris pecunia præſens pluris fieri, quam futura. Non eſt itaque, cur ob anticipatam, vel dilatam ſolutionem minui, aut augeri pretium rei poſſit.

X. Tamquam illicitum, atque uſurarium damnamus, ac prohibemus contractum illum, quem vulgo dicunt *a godere*, in quo quis, dum mutuam dat alteri certam pecuniæ ſummam, fructiferum pignus eo pacto recipit (2), ut citra ullam ſortis diminutionem uti fructibus pignoris tamdiu poſſit, quamdiu pecunia mutuo tradita ſibi reſtituatur. Cum enim in hoc contractu mera, & ſola habeatur fundi fructiferi oppignoratio, jam ſecundum juſtitiæ leges fructus, qui ex eo percipiuntur, detractis expenſis, in ſortis diminutionem computandi ſunt, & a pecunia mutuo tradita, cum eadem reſtituitur, ſubducendi. Injuſtum etiam declaramus, ac iniri prohibemus *pactum legis commiſſoriæ* in pignoribus (3), quo conventio fiat, ut, quamvis pignoris pretium ſit majus credito, ſeu pecunia mutuo tradita, pignus tamen emptum a Creditore, aut a mutuante intelligatur, atque in ejus proinde dominio, ac proprietate ſit, ſi intra præſcriptum a contrahentibus tempus debito non fiat ſatis, aut ſi mutuo accepta non reſtituatur pecunia.

XI. Ut licitus, juſtuſque ſit ſocietatis contractus, & ab omni fraudis, uſuræve labe, ac ſuſpicione immunis, illud potiſſimum requiritur, ut æqua ſit ſociorum conditio (4), par ratio, & æquale periculum. Quare uſurarius erit contractus, quo Societas

(1) Innocentius XI. in damnat. propoſit.41. edita 2.Martii 1679.

(2) Cap. *Plures*; cap. *Conqueſtus*. de uſuris; cap. *Cum contra*. de pignorib.

(3) Cap. *Significante*. de pignorib.

(4) S.Th. 2. 2. qu.78. art.2., S. Antoninus par.2. tit.1. cap.7. §.37., Sixtus V. Conſt.45. *Deteſtabilis*. 12. Cal. Novemb. 1586., L. *Si non fuerit*, & L. *Verum*. ff. pro ſocio-

cietas eo pacto inſtituatur, ut ſalva ſit ſemper ſors ei, qui illam conſtituit, etiamſi eadem caſu pereat; ſeu ut lucri diſtributio non per quotas partes conſtituatur. Iniqua pariter eſt, ac leonina ea Societas, in qua ex iis, quæ functionem in proprio genere recipiunt, res in ſocietatem deducta non deſignatur, ut videlicet parte illius rei pereunte, ſalva ſemper ſit ſors, quemadmodum contingit in ſocietate ovium, ſegetum, vini &c., in qua tamen certæ oves, certa vini dolia, aut certa ſegetum maſſa, ſeu quantitas non deſignatur. Ut itaque licita ſit quæſtuoſa Societas, quatuor hæ conditiones ſervandæ in eadem ſunt. 1. ut Societas in licita (1), honeſtaque negotiatione conſtituatur. 2. ut Socius quilibet aliquid pretio æſtimabile (2) in communem conferat ſocietatem, ſive deinde pecuniam conferat, ſive mercem, ſive operam, aut induſtriam ſuam. 3. ut tum in damno, tum in lucro (3) inter ſocios ſervetur æqualitas, itaut lucri, jacturæ, impendii, ac detrimentorum pro cujuſque ſortis rata ſocii omnes participes fiant. 4. demum, ut ſors, ſeu capitale in communem ſocietatem collatum obnoxium ſit (4) periculis in damnum conferentis, itaut, ſi abſque Sociorum culpa pereat, ei pereat, qui illud in communem ſocietatem contulit: is enim ſolus eſt collatæ ſortis Dominus: res autem quælibet Domino perit ſuo.

XII. Contractus venditionis cum pacto redimendi pluribus fraudibus eſſe poteſt obnoxius. Ne itaque in eo celebrando commutativa lædatur juſtitia, pauca monemus (5). 1. ſi in hujus contractus ſtipulatione facultas, venditori data, redimendi rem, quandocumque voluerit, eo gravetur onere, ut majori pretio, quam vænierit, redimatur; contractus præſumi debet, præſertim in externo foro (6), injuſtus, atque uſurarius. 2. ſi venditio

fiat

(1) L. *Ea vero*; & L. *Nec prætermittendum*. ff. pro ſocio.

(2) L. *Societates*, & L. *Si ſocietatem*. ff. pro ſocio.

(3) L. *Si ſocietatem*; & L. *Si non fuerint*. ff. pro ſocio.

(4) §. 1., & 2. Inſtit. de ſocietate, & L. *Si non fuerint*. ff. pro ſocio.

(5) Benedictus XIV. de Synodo lib. 7. cap. 51. n. 4.

(6) Cap. *Illa nos*. de pignorib.

fiat pacto adjecto redimendi (1) rem intra certum tempus, quo elapſo non ſit amplius retrovenditioni locus, injuſtus erit, atque uſurarius contractus, quoties, propter pactum redimendi, infra limites juſti pretii fundus vænierit, neque habita ratio fuerit oneris, quod venditor ſubiit, fundum intra certum tempus redimendi, quo elapſo, illum nequeat pro ſuo libito, eodemque, quo vendidit, pretio recuperare. 3. ſi hac lege pactum redimendi ineatur (2), ut nonniſi poſt præfiniti temporis lapſum redimi res poſſit; ſane uſuræ ſuſpicione non carebit: ex ea enim temporis præfinitione conijci prudenter poteſt, voluiſſe interim emptorem ex mutuo lucrari, fictaque fundi emptione uſuram palliaſſe.

XIII. Ut licitus ſit, & ab omni uſura vacuus cotractus cenſualis, ſervandæ omnino ſunt conditiones (3) a Summis Pontificibus, ac præſertim a S. Pio V., pro hujuſmodi contractibus præſcriptæ, quarum hæ ſunt præcipuæ. 1. pretium, quo cenſus emitur, ſit juſtum, communique Civitatis uſu receptum. 2. cenſus ſuper determinata, ac certa re, ſeu certis rebus ex natura ſua frugiferis, atque immobilibus conſtituatur, quæ tanti ſint valoris, ut, aliis deductis oneribus, ad annuum cenſum ſolvendum ſufficiant. 3. res, ſuper qua cenſus conſtituitur, ſit in libera conſtituentis diſpoſitione, adeoque neque ſit feudalis, neque emphyteutica. 4. cenſus ematur pecunia vere numerata, quæ coram Teſtibus, ac Notario, dum Inſtrumentum conficitur, numeretur, exceptis dumtaxat dotium aſſignationibus, ſchedulíſque (4) bancariis. 5. ſi res, ſuper qua cenſus conſtituitur, abſque cenſuarii culpa vel in totum, vel in partem pereat, in totum etiam, vel in partem cenſus obligatio ceſſet. 6. pactum redimendi ſit tantum penes cenſus venditorem, quin ulla unquam detur in contrarium temporis præſcriptio; itaut qui cenſum vendit, ſemper

jus

(1) Benedictus XIV. de Synodo loc.cit.

(2) Benedictus XIV. loc. cit.

(3) Martinus V., & Caliſtus III. in Extrav. 1., & 2. de empt., & vendit., Nicolaus V. Conſt. *Sollicitudo*. 30. Sept. 1452., S. Pius V. Conſt. 79. *Cum onus*. 19. Januar. 1568., & Gregorius XIII. anno 1574.

(4) S. Pius V. Conſtit. declaratoria *Etſi*. 10. Jan. 1570.

jus habeat pecuniam reddendi, quam accepit, emptor autem numquam illam repetere valeat. 7. nulla huic contractui addatur anticipatæ ſolutionis obligatio, nulla pacta, quæ ad caſus fortuitos obligent, conventiones nullæ ſolvendi aliquid in pœnam moræ, aut alia ſubeundi onera, quæ ad hujuſce contractus naturam minime pertinent. 8. demum cavendum præ cæteris illud eſt, ne ex alicujus cenſus fructibus præteritis, aut futuris novus umquam creetur cenſus, aut antiquus in ejuſdem emptoris, aut perſonæ per eum ſuppoſitæ favorem augeatur. Jam vero ſi in cenſualium redituum emptione hæ omnes ſerventur conditiones, licite, & abſque ulla uſuræ labe contractus hujuſmodi celebrabitur. Sicuti enim poteſt quis emere rei alicujus uſumfructum (1), quamquam directum rei dominium penes venditorem perſtet; ita poteſt emere jus percipiendi partem fructuum ex alieno fundo, eorumque loco obligare ſe poteſt venditor ad certam quotannis emptori ſolvendam pecuniæ ſummam, quæ illorum fructuum æſtimationi reſpondeat.

XIV. Quod ad emphyteuſim ſpectat, ne in ea juſtitiæ violentur leges, hæc ſervanda eſſe edicimus. Emphyteuta non in (2) deteriorem, ſed in meliorem ſtatum redigat ea, quæ in emphyteuſim accepit, bona, præſertim ſi ad Eccleſiam pertineant, & antiqua ſint: in anni fine præſcriptum ſolvat Canonem, quem ſi per biennium, quando Eccleſiaſtica eſt emphyteuſis, & per triennium, quando eſt Laicalis, non ſolverit, incidit *in commiſſum*, & emphyteuſim una cum meliorationibus amittit. Nulla alienationis ſpecie rem emphyteuticam, irrequiſito Domino directo, alienet, & ſiquidem is in alienationem conſenſerit, Laudemium eidem a novo Emphyteuta ſolvendum erit, niſi forte a Patre res emphyteutica filio, aut etiam filiæ tradatur in dotem, quando dotare illam aliunde nequit. In emphyteuſi *ex pacto*,

(1) Benedictus XIV. de Synodo lib. 10. cap. 5. n. 4.

(2) Cap. *Potuit*. de locat., can. *Ea enim*. cauſ. 10. qu. 1., L. 1., 2., & ultim. cod. de jure emphit., Auth. *Qui rem*. cod. de Sacroſanctis Eccleſiis.

Digitized by Google

cto, & providentia leges in contractu appoſitæ ſervandæ ſunt, exactoque tempore, vel extinctis generationibus in conceſſione præſcriptis, reſtituenda res eſt Domino directo, ad quem res tamquam ad proprietarium redit, conſolidato dominio utili cum directo. Tandem ſi res emphyteutica omnino pereat, ipſa quoque emphyteuſis ceſſat, ac reſolvitur.

XV. Contractus cambii, quo hominum, & maxime exterorum, fovetur commercium, ille eſt, per quem (1) cum moderato campſoris lucro pecunia permutatur. Tribus autem modis fieri cambium poteſt. 1. ſi pecunia præſens cum alia præſente diverſæ ſpeciei ex. gr. aurea cum argentea permutetur. 2. ſi Campſori in uno loco, puta Romæ, pecunia numeretur, ut alibi ex. gr. Pariſiis reſtituatur. 3. ſiquis contra a Campſore pecuniam Romæ accipiat, ut illa eidem Pariſiis rependatur. Primum ex his cambiis dicitur minutum, & manuale: reliqua vero duo cambium locale, ac per litteras nuncupantur. Hujuſmodi trium cambiorum, quæ vera, ac realia ſunt, *uſum, quem neceſſitas, publicaque utilitas induxit, legitimum eſſe, licitumque* declaravit S. Pius V. (2), dummodo quatuor in eo ſerventur conditiones, quas in ſua Conſtitutione de cambiis Sanctiſſimus Pontifex præſcripſit. Quod idem etiam ex Jure cum Civili (3), tum Canonico abunde colligitur. At cambium non reale, *ſed fictum, & ſiccum* (4), tamquam illicitum, ac uſuræ labe conſperſum damnavit, reprobavitque idem S. Pius V. (5), & Nos quoque cum illo damnamus, ac reprobamus, atque in Noſtra Diœceſi contrahi, & celebrari prohibemus.

XVI. Ludus, in quo inter ludentes ſua ſervetur æqualitas, eſt contractus non illicitus, niſi fortaſſe lege prohibeatur, quemadmodum taxillorum, alearumque ludum per Sacros Canones eſſe Clericis interdictum ſuperius diximus. Imo ſi debita cum moderatione,

(1) Benedictus XIV. de Synodo lib. 10. cap. 5. n. 7.

(2) S. Pius V. Conſt. *In eam pro noſtro.* edita 28. Jan. 1571.

(3) Toto tit. cod. de uſuris.

(4) Cap. *Naviganti*. de uſuris.

(5) S. Pius V. cit. Conſt. *In eam pro noſtro*.

Digitized by Google

beratione, ac debitis in circumſtantiis exerceatur, juxta doctrinam S. Thomæ (1) ad eutrapeliæ, ſeu affabilitatis virtutem pertinet. Ne vero contra juſtitiam peccet (2), geminas ſervari conditiones oportet, quarum prior eſt, ut ab eo fraus omnis, dolus, ac violentia arceatur; altera, ut ii, qui ludunt, ſui ſint Juris, & rem, ſeu pecuniam, quam ludo exponunt, alienare valide poſſint.

XVII. Tandem ne in plateis noſtris uſura ſit, & dolus, nullos, atque irritos ipſo jure declaramus contractus omnes, pactioneſque, in quibus ſanctæ æquitatis jura, ac intemeratæ Juſtitiæ leges violantur. Notarii vero uſurarios contractus ſive manifeſtos, ſive palliatos ſtipulari ne audeant, niſi pœnis per Sacros Canones (3), & in edicto generali almæ Urbis conſtitutis eſſe velint obnoxii. Denique ut ab univerſo hoc criminum genere Fidelis Populus abhorreat, Parochi curent appoſitis verbis eorum gravitatem oſtendere, horribileſque recenſeant minas in Sacris Paginis (4) a Deo propoſitas iis, qui ejuſmodi ſceleribus ſe commaculant. Divinum præterea explicent præceptum, quo Fideles urgentur, ea, quæ proximis ſuis injuſte ademerint, reſtituendi: *non enim remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*: Oſtendant item, quantam hæc reſtitutio, cum quis locupletari ex alienis aſſueverit, habeat difficultatem, ita ut facilius ferme ſit nullum proximo detrimentum inferre, quam eidem illatum reparare. Illa identidem repetant Apoſtoli verba: *Neque fures (5), neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Contra vero *qui jurat (6) proximo ſuo, & non decipit, qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram, & munera ſuper innocentem non accepit, hic non movebitur in æternum, hic habitabit in tabernaculo Dei, hic requie-*

(1) S. Th. 2. 2. quæſt. 32. art. 7., & qu. 168. art. 2.

(2) S. Th. loc. cit., & S. Antoninus par. 2. tit. 2. cap. 4. §. 17.

(3) Can. *Quoniam*. cauſ. 4., & Edict. General. Almæ Urbis §. 30., & 31., & cap. *Quamquam*; cap. *Quia in omnibus*. de uſuris in 6.

(4) Amos c. 8., Jeremiæ c. 5., Iſaiæ c. 3., Proverb. c. 21., & 22., & Eccleſ. c. 10.

(5) 1. ad Cor. c. 6.

(6) Pſalm. 14.

requieſcet in monte ſancto ejus. Quod ſiquis fœnerari adhuc voluerit, ac vere dives fieri; diſperdat opes ſuas, ac det pauperibus, & Domino Deo ſuo fœneretur: *fœneratur (1) enim Domino, qui miſeretur pauperis, & centuplum (2) accipiet, ac vitam æternam poſſidebit*.

CAPUT II

DE PIETATE, ET OBSERVANTIA, VIRTUTIBUS ADNEXIS JUSTITIÆ.

JUſtitiæ, de qua hactenus locuti ſumus, duæ cognatæ ſunt virtutes, pietas videlicet, & obſervantia. Quemadmodum enim per Juſtitiam alteri jus ſuum tribuitur; ita per pietatem, & obſervantiam officia Parentibus, ac Majoribus debita impenduntur, & ab iis viciſſim debita filiis, atque inferioribus rependuntur officia. De ſingulis pauca dicamus.

ARTICULUS I.

De pietatis, & obſervantiæ officiis Filiorum erga Parentes, Plebis erga Paſtores, Subditorum erga Principes, ac Superiores, & Servorum erga Dominos.

HOnora Patrem (3) tuum, & *Matrem tuam*. Hoc eſt primum ſecundæ Decalogi tabulæ præceptum, quod uno honoris nomine multa pietatis officia parentibus exhibenda complectitur, juxta illud Ambroſii (4): *Honora obſequiis, honora obedientia, honora largitate*. Primum itaque filii parentes ſuos, quibus Deus (5) uſus eſt, ut iis animum, mentemque impertiret, & a quibus non modo geniti iidem ſunt, verum etiam ad Sacramenta deducti, ad religionem, & ad humanum, civilemque cultum inſtituti,

(1) Proverb. c.19..v.17.
(2) Matth. c.19. v.29.
(3) Exodi c.20.
(4) S. Ambroſius lib.8. in Lucam, & lib.4. Hexameron. cap.16.
(5) Catec.Rom. in 4.Dec. Præcept. §.9.

tuti, ad morum denique integritatem, ac ſanctitatem eruditi, ſummo (1) poſt Deum amore, ac honore proſequantur, tantaque obſervantia colant, ut, non dicam verbis, ſed ne nutu quidem, aut vultu pietatem iiſdem debitam lædere videantur. Deinde rationes ſuas ad eorum arbitrium, voluntatemque conferant, *iis obediant* (2) *per omnia*, *hoc enim placitum eſt in Domino*, recta eorumdem conſilia exequantur, proniſque auribus *audiant* (3) *diſciplinam Patris ſui*, *nec dimittant legem Matris ſuæ*. Tandem eos largitate ſua honorent, indigentes ſublevent, in ſenectute, atque in neceſſitate conſtitutos paſcant, illiſque *reddant* (4), *quod habent*, *quibus debent*, *quod ſunt*. Tum vero maxime, cum periculoſe ægrotant, dare debent operam, ne quid prætermittant, quod ad eorum animæ, corporiſque ſalutem proſit: quare diligenter curent, ut Sacramenta omnia (5), quæ, cum mors appropinquat, a Chriſtianis hominibus percipi debent, iiſdem opportuno tempore miniſtrentur, eoſque pii, religioſique homines crebro inviſant, qui vel imbecilles confirment, & conſilio juvent, vel optime animatos ad ſpem immortalitatis erigant, ut cum mentem a rebus humanis excitarint, totam conjiciant in Deum, & mortem, quæ aditum ad æternitatem expedit, non modo non pertimeſcendam, verum etiam appetendam cenſeant. Iiſdem tandem vita functis, Tobiæ filiorum exempla imitati, funus faciant, ſepulturæ honorem impertiant, juſta, & Sacrificia anniverſaria curent, & ſi quæ ab iis legata ſunt, diligenter perſolvant.

II. Hæc ubi Parochi ſingillatim populo expoſuerint; ut illum ad omnia, & ſingula fideliter obeunda excitent, præmium proponant a Deo in ſacris Paginis promiſſum iis, qui divino huic præcepto obediunt. Iis enim, qui parentes colunt, non ſolum ſempi-

(1) S.Th. 2.2. qu.101., & ſeq.
(2) Ad Coloſſ. c.3.
(3) Prov. c. 1.
(4) S. Ambroſius loc. cit.
(5) Catechiſm. Rom. loc. cit. §.11.

Digitized by Google

ſempiternæ, ac beatæ, ſed hujus etiam, quam in terris agunt, vitæ uſus quam diutiſſimus promittitur. *Honora* (1) *Patrem tuum, & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*: Sic in Exodo locutus eſt Dominus. *Pietas* (2) *ad omnia utilis eſt, habens promiſſionem vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ*: Sic ad Timotheum ſcribit Apoſtolus. Neque vero ſolam temporis diuturnitatem ad vivendum, ſed otium etiam, quietem, atque incolumitatem ad bene vivendum filiis, qui morigeri parentibus ſuis ſunt, Deus pollicetur. Sic enim in Deuteronomio (3) ait Dominus: *Honora Patrem tuum, ac Matrem, ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, ut longo vivas tempore, ac bene ſit tibi in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi*. Quam quidem promiſſionem in novo quoque Teſtamento confirmavit Deus, Apoſtolo teſte, qui ad Epheſios (4) ſcribens, inquit: *Filii, obedite parentibus veſtris in Domino, hoc enim juſtum eſt. Honora patrem tuum; & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione, ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram*. Quod ſicui interdum, qui majorem pietatem parentibus præſtitit, brevior ſit vita; id quidem contingit, vel quod ei optime conſulitur, qui prius e vita excedit, quam a virtutis, & officii religione diſcedat; rapitur (5) enim, *ne malitia mutet intellectum ejus, aut ne fictio decipiat animam illius*; vel quia dum pernicies, ac rerum omnium perturbatio impendet, e corpore vocatur, ut communem temporum acerbitatem evadat: *A facie enim malitiæ*, ut inquit Propheta (6), *collectus eſt juſtus*, ne videlicet, cum a mortalibus flagitiorum pœnas repetit Deus, ejus aut virtus, aut ſalus periclitetur, vel ne triſtiſſimis temporibus ex propinquorum, amicorumque calamitatibus acerbiſſimum ſentiat luctum.

III. Quemadmodum vero filiis, qui grati in parentes ſunt, officii

(1) Exodi c.20.
(2) 1. ad Timoth. c.4.
(3) Deuteron. c.5.
(4) Ad Epheſ. c.5.
(5) Sapient. c.4.
(6) Iſaiæ c.57.

Digitized by Google

officii ſui merces magna propoſita a Deo eſt; ita ingrati, & impii filii graviſſimis pœnis reſervantur. Scriptum eſt enim: *Qui percuſſerit* (1) *Patrem ſuum, aut Matrem, morte moriatur, & qui maledixerit Patri ſuo, vel Matri, morte moriatur. Qui affligit* (2) *Patrem, & fugat Matrem, ignominioſus eſt, & infelix. Qui maledicit* (3) *Patri ſuo, vel Matri, extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris. Oculum, qui* (4) *ſubſannat Patrem, & qui deſpicit partum Matris ſuæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Quamobrem adverſus impios hujuſmodi, atque inhumanos filios acerrime Parochi invehantur, propoſitiſque graviſſimis cum a divino, tum ab humano Jure præſcriptis pœnis, eos a perpetrando tam atroci crimine abſterreant, ac ſi forte illud perpetrarint, ad injuriam parentibus irrogatam modis omnibus reparandam inducant. Illos præterea moneant, ut ſi forte uxorati ſint, conjuges ſuas objurgent, & corripiant, cum eas adverſus parentes ſuos minus reverenter ſe gerere animadverterint, ne videlicet veniat ſuper eos maledictio. Eos tandem edoceant, lethale a filiis (5) peccatum admitti, qui gravem pecuniæ ſummam invitis parentibus ſurripiunt, cum ſcriptum ſit (6): *Qui ſubtrahit aliquid a Patre, & a Matre, & dicit non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt.*

IV. Quamquam in hoc divino præcepto parentes dumtaxat nominentur, quos honorare jubemur; parentum tamen nomine alii plures, qui honorandi etiam ſunt, deſignantur. Non enim ii ſolum, qui carnaliter, ſed etiam ii (7), qui ſpiritualiter filios in Chriſto generant, & quotidie parturiunt, cujuſmodi ſunt animarum Paſtores, ac Sacerdotes, dulci Parentum nomine in Sacris Litteris decorantur. Quamobrem Epiſcopo, qui in ſua Diœceſi ſupremus eſt animarum Paſtor, & Curator, non modò in omnibus Clerici, ſed etiam Laici in iis, quæ ad Eccleſiaſticam

Mmm diſci-

(1) Exodi c.21.
(2) Prov. c.19. v.26.
(3) Prov. c.20. v.20.
(4) Prov. c.30. v.17.
(5) S. Antoninus par.2. tit.1. c.15. §.1.
(6) Prov. c.28. v.24.
(7) 1. ad Cor. c.4., ad Galatas c.4., & S. Hieronymus lib.2. Commentar. in cap.15. Matthæi.

diſciplinam conſervandam, æternamque procurandam ſalutem pertinent, honorem, cultum, atque obedientiam præſtare, tamquam Parenti amantiſſimo, debent. *Obedite præpoſitis veſtris*, inquit Apoſtolus (1), *& ſubjacete eis: ipſi enim pervigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris*. Aliis quoque inferioribus animarum Paſtoribus Populus, qui eis ſubeſt, honorem, reverentiam, atque obedientiam exhibeat: *Qui enim bene præſunt* (2), *Presbyteri duplici honore digni ſunt, maxime qui laborant in verbo, & doctrina*. Nemo itaque in iis, quæ ad animarum curam pertinent, Sacerdotibus, qui Chriſti gregem cuſtodiunt, & paſcunt, audeat obſiſtere, cum a Chriſto Domino præceptum ſit, ut vel improbis Paſtoribus obtemperetur, ubi inquit: *Super Cathedram* (3) *Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum vero opera eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt*. Tridentina vero Synodus (4) per Sanctiſſimum Domini Noſtri, atque Salvatoris Adventum Paſtores omnes obteſtatur, ut admoneant Populos crebro, obedire Præpoſitis ſuis, *quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient, qui vero contemnunt, Deum ultorem ſentient*. Nos præterea Fideles omnes Noſtræ curæ concreditos ſerio monemus, ac per viſcera miſericordiæ Dei Noſtri obteſtamur, ut, ſi quando Sacerdos aliquis (quod Deus avertat) ſuæ vocationis immemor degenerem a propoſito ſuo agat vitam, a detractionibus, irriſionibus, ac maledictis abſtineant, & caveant quam maxime, ne ponant in cœlum os ſuum. Imo potius Noe filios imitati, terga vertant, & Chriſtianæ pietatis pallio pudenda Patrum ſuorum tegant, celeberrimum illud Conſtantini Cæſaris dictum uſurpantes (5): *Vos nobis a Deo dati eſtis Dii, & conveniens non eſt, ut homo judicet Deos, ſed ille ſolus, de quo ſcriptum eſt: Deus ſtetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat*.

V. Tam-

(1) Ad Hebr. c.13.
(2) 1. ad Timoth. c.5.
(3) Matth. c.23.
(4) Trid. ſeſſ.25. de delectu ciborum.
(5) Rufinus lib.1. Hiſt. Eccl. cap.1., & Theodoretus lib.1. Hiſt. Eccl. cap.11.

Digitized by Google

V. Temporales etiam Principes, Magiſtratus, ac Domini parentum nomine ſignificantur, ac proinde ipſos quoque debitis reverentiæ, honoris, atque obedientiæ officiis eſſe proſequendos edicimus. Quodnam autem honoris, cultus, & obſervantiæ genus tribuendum iis ſit, Sanctiſſimi Apoſtolorum Principis Petri docemur oraculo, ubi inquit (1): *ſubditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei. Servi etiam, ſubditi eſtote in omni timore Dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.* Per quæ ſane verba aperte monemur (2), non hominum improbitatem, aut nequitiam, ſi tales ſint Magiſtratus, ſed divinam auctoritatem, quæ in illis eſt, nos revereri. Qui enim eis cultus tribuitur, is ad Deum refertur:habet enim venerationem hominum excellens dignitatis gradus, quia divinæ poteſtatis eſt inſtar, & hominibus, quibus Deus publici muneris procurationem attribuit,iiſdem utitur tamquam ſuæ poteſtatis Miniſtris. Inde fit, ut ſiquid improbe, ſi quid inique imperent, cum id non ex poteſtate, ſed ex injuſtitia, atque animi perverſitate agant, omnino non ſint audiendi: *Juſtum (3) enim non eſt homines potius audire, quam Deum.*

ARTICULUS II.

De officiis Parentum erga Filios, Principum, & Magiſtratuum erga Subditos, & Dominorum erga Servos.

QUemadmodum Parentibus filii, Superioribus ſubditi, Dominis ſervi, ſuæ pietatis, atque obſervantiæ præſtare debent officia, ita viciſſim a Parentibus, Superioribus, ac Dominis ſua filiis, ſubditis, ac ſervis officia ſunt exhibenda. Quænam Paſtores, ac Sacerdotes præſtare populo debeant officia benevolentiæ, ac pietatis, dicemus inferius. De reliquis pauca

Mmm 2 hic

(1) 1. Petri cap. 2. (2) Catechiſ.Rom. in 4. Decal. Præcept. n.15., & 16.
(3) Actorum cap.4.

hic innuimus, quæ a Paſtoribus populo inſinuari volumus, ac jubemus.

II. Parentes, ut recte diligant filios ſuos, ſuoque muneri faciant ſatis, diligentem, aſſiduamque illorum curam gerant, cum in iis, quæ ad corpus, tum, & potiſſimum in iis, quæ ad æternam animæ ſalutem conducunt. Cum parvuli ſunt, illos alant, omnique ſolertia tueantur, ne claudi, aut gibboſi, aut luſci fiant, aut repentino aliquo caſu perimantur. Præterea educare (1) illos curent in diſciplina, & correptione Domini, ac Tobiæ (2) exemplo ab infantia timere Deum doceant, & abſtinere ab omni peccato. Cum puberes, ac adulti fiunt, illis theſaurizent (*nec enim debent*, Apoſtolo teſte (3), *filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis*) non tam patrimonii amplificatione, quam ſedula cura, ut vel in Litterarum ſtudiis, vel in honeſtis artibus, vel in opificiis exercendis, prout cujuſque ſtatus, & conditio poſtulat, occupentur, quibus deinde certa vivendi ſubſidia comparare ſibi poſſint. Invigilent diligentiſſime, ne diſcolis jungantur Sociis, ne perjuriis, aut blaſphemiis, aut obſcenis ſermonibus aſſueſcant; ne ad vitia tandem ulla declinent. Sanctiſſimis deinde diſciplinis, ac moribus illos imbuant, iiſque optima dent vivendi præcepta, ut ad religionem inſtructi, ac parati, Deum ſancte, inviolateque venerentur. Illud tamen ſerio cogitent, ſe magis filios exemplo docere poſſe, quam voce, optimumque educationis genus eſſe, converſatione, & exemplo ſe magiſtros exhibere virtutis, ac probitatis. Meminerint etiam, ſeveriorem ſibi in filiarum educatione adhibendam eſſe diſciplinam juxta illud Eccleſiaſtici (4) monitum: *Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas*. Curent igitur, *ut filiæ (5) domi ſe contineant, nec aſſueſcant alienas curſitare domos, & ut timeat puella, imo ne ſciat quidem cum pueris ludere*.

II. In

(1) Ad Epheſ. c.6.
(2) Tobiæ c.1.
(3) 2. ad Cor. c.12.
(4) Eccli. c.7. v.26.
(5) S.Hieronymus ad Gaudentium, & epiſt.7. ad Lætam.

Digitized by Google

II. In liberis autem educandis quatuor potiſſimum Parentes declinent, in quibus offendere ſæpe conſueverunt. Primo, ne quid acerbius in liberos aut loquantur, aut ſtatuant. *Patres*, ita Apoſtolus (1) præcipit, *nolite ad indignationem provocare filios veſtros, ut non puſillo animo fiant*. Verendum enim eſt, ne fracto, abjectoque animo ſint, dum omnia timent. Quare nimiam Parentes ſeveritatem effugiant, & corrigere liberos malint, quam ulciſci. Deinde ſi qua culpa commiſſa eſt, & neceſſaria ſit caſtigatio, & objurgatio; ne quid liberis per indulgentiam diſſolute remittant. Sæpe enim filii nimia parentum lenitate, & facilitate depravantur. Tertio ne in filiorum educatione, præpoſtera ineant conſilia, ita ut in ea una cogitatione, curaque verſentur, ut opes, ut pecunias, ut lautum, amplumque patrimonium illis relinquant, parum, aut nihil de eorumdem fama, æternaque ſalute ſolliciti. Poſtremo ne, quod fœdiſſimum eſt, pravis criminum ſuorum exemplis filios ſuos ad vitia informent, ac provocent, *itaut filii* (2) *parentibus non magis in patrimonia, quam in vitia ſuccedant, & ante eorum incipiant nequitiam, quam ſubſtantiam poſſidere*.

IV. *Pater* (3), *qui, ob ſecundarum nuptiarum ſocietatem, priorum obliviſcitur filiorum, erubeſcat ſe pietatem negligere, naturamque obliterare, quæ*, ut ait S. Ambroſius (4), *& beſtiis hoc infundit, ut etiam mutato concubitu, neſciant novercalia odia, & charitatis differentiam inter catulos ſuos. Præterea cum Parentes* (5) *vivendi ſubſidia miniſtrare iis debeant, quos ad vitam genuerunt*; Quis non videat grave ſcelus ab iis admitti, ſi in ludis, comeſſationibus, vaniſque ſumptibus diſſipent, quæ ad honeſtam familiæ ſuæ ſuſtentationem ſunt neceſſaria, aut ſi otio, deſidiaque torpentes filiis ſuis negligant paterna providentia conſulere? Tandem lethalis culpæ

(1) Ad Coloſſ. c.3.

(2) Salvianus lib.1. ad Eccleſiam Catholicam.

(3) S. Baſilius hom.9. in Hexameron.

(4) S. Ambroſius lib.6. in Hexameron. cap.4., & lib.5. cap.18.

(5) S. Baſilius in Pſalm.7.

culpæ reatum contrahunt, ſi adultam (1) filiam nubere volentem, ſine gravi, juſtaque cauſa in matrimonium collocare renuunt, debitamque ſuppeditare dotem recuſant.

V. Principes, Magiſtratus, *Judices, & qui continent* (2) *multitudines, & placent ſibi in turbis nationum, quoniam data eſt eis poteſtas a Domino, ut induant juſtitiam, & veſtiantur ea, ut veſtimento, & diademate*; id oneris a Deo injunctum ſibi eſſe intelligant, *ut ſint Patres pauperum, & cauſam, quam neſciunt, diligentiſſime inveſtigent; ut conterant molas iniqui, & de dentibus illius auferant prædam; ut denique judicent pupillos, & cauſam viduæ ſuſcipiant*. Caveant ergo, ſi ſapiunt, diligentiſſime, *ne juſtificent impium pro muneribus; ne juſtitiam juſti auferant ab eo; ne opprimant in judicio pauperes; & ne vim faciant cauſæ humilium. Non enim judicium hominis exercent, ſed Dei, apud quem non eſt iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum*. Audiant, quid iis futurum Sapiens (3) prænunciet, ſi muneri deſint ſuo: *Altiſſimus interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis Miniſtri regni illius, non recte judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrende, & cito apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujuſquam, quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter cura eſt illi de omnibus: fortioribus autem fortior inſtat cruciatio*.

VI. *Domini* (4), *quod juſtum eſt, & æquum, ſervis præſtate, ſcientes, quod & vos Dominum habetis in cælo. Curam illorum habete, remittentes* (5) *minas, ſcientes, quia & illorum, & veſter Dominus eſt in cælis, & perſonarum acceptio non eſt apud eum. Ne læ-*

læda-

(1) S. Th. 2. 2. qu. 104. art. 5., L. *Qui liberos*. ff. de ritu Nuptiarum, & L. ult. cod. de dotis promiſſione.

(2) Job c. 29., Sapientiæ c. 6., Iſaiæ cap. 3., & c. 10., 2. Paralip. cap 19.

(3) Sapientiæ cap. 6.

(4) Ad Coloſſen. c. 4.

(5) Ad Epheſ. c. 6.

Digitized by Google

datis (1) *ſervum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam. Imo ſervus ſenſatus ſit vobis dilectus, quaſi anima veſtra: ne inopem derelinquatis illum.* Hæc ſunt officia, quæ ſervis præſtanda eſſe a Dominis, ſacræ teſtantur Litteræ; & quæ, opportuna arrepta occaſione, Parochus fuſius explicabit, vel cum diebus Dominicis ſermonem habebit ad populum, vel cum in habenda Catecheſi quartum Decalogi præceptum Fidelibus curæ ſuæ concreditis explicabit.

CAPUT III.

DE OFFICIIS PASTORUM, AC SACERDOTUM ERGA PROXIMUM.

QUÆ hactenus vitanda propoſuimus, ne proximo noceamus, & quæ facienda diximus, ut de illo benemereamur, communia iis omnibus ſunt, qui Chriſtianæ Fidei profeſſione gloriantur. Non deſunt tamen alia, quæ peculiari ratione ad Eccleſiaſticos viros, atque ad animarum præſertim Curatores pertinent, quibus Chriſtus oves ſuas paſcendas, cuſtodiendaſque concredidit: eorum enim ſingulis pro modulo ſuo curam paſcendi gregem commiſit, cum Apoſtolorum Principem Petrum ter paſcere agnos, oveſque juſſit. Qua quidem trina præcepti repetitione triplicem paſcendi modum ſignificatum iis fuiſſe, S. Bernardus interpretatur: paſcere quippe gregem eos oportet *exemplo converſationis, verbo prædicationis, & Sacramentorum adminiſtratione.* Ut autem omnia munera, officiaque Eccleſiaſtica his tribus paſcendi modis comprehenſa, fideliter, ſancte, recteque exerceantur, de ſingulis pauca dicamus, quibus animarum Paſtores ad ea tutius, alacriuſque obeunda excitentur.

(1) Eccli. c.7.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

DE CONVERSATIONIS EXEMPLO, QUO PASCERE POPULUM DEBENT ANIMARUM PASTORES.

PAſcere primum Paſtores gregem bonæ exemplo converſationis oportet. Ut autem in tam gravis momenti re pertractanda diſtincte, perſpicueque procedamus, utque Dei Miniſtri, & animarum Curatores ad hoc pabulum populo ſuppeditandum vehementius excitentur, meminerint: 1. quanta ſit exempli vis, ut plurimos ſibi imitatores conciliet. 2. quam arcta ſit obligatio, qua Eccleſiæ Miniſtri, ac præſertim animarum Paſtores, urgentur, ut laicis bonorum operum exemplo præfulgeant. 3. qua præcipue ratione præſtare id poſſint. 4. demum quam grave ſit crimen aliis exemplo ſuo peccandi occaſionem præbere.

II. Et quod ad primum attinet; Cum imitari, Philoſopho teſte, inſitum ſit hominibus a pueris, & in hoc a cæteris animantibus differant; nihil eſt, quod eos efficacius, quam exemplum, ad bene, ſancteque operandum alliciat. Pueros certe, quæcumque ab aliis fieri viderint, naturali quodam ductu imitari quotidie, ac facere intuemur. Quare optime ait Seneca: *Longum iter per præcepta, breve, & efficax per exempla*. Quidquid enim facere jubemur, id fieri vere poſſe nobis exempla ſuadent. Eam ob cauſam amantiſſimus Præceptor noſter Jeſus, quidquid dicturus erat, vel præcepturus, opere ipſe prior complebat ſuo. *Jeſus* (1) *cæpit facere, & docere. Exemplum dedi* (2) *vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*; quibus verbis excitatus Apoſtolus ita ad veræ ſanctitatis normam vitam compoſuit ſuam, ut ad Philippenſes (3) fidenter ſcriberet. *Imitatores mei eſtote, fratres, & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram*. Paucis rem abſolvamus: Experientia ipſa rerum omnia Magiſtra edocemur,

(1) Actorum c.1. (2) Joa. c.13. (3) Ad Philipp. c.3.

Digitized by Google

mur, veriſſimum eſſe, quod in Sacris litteris ſcriptum eſt: *Qui cum ſapientibus* (1) *graditur, ſapiens erit; & qui communicaverit* (2) *ſuperbo, induet ſuperbiam.*

III Cum itaque ex una parte ad honeſte vivendum tanta ſit bonorum exemplorum virtus, atque efficacia; ex alia vero Eccleſiaſtici, ac præſertim Parochi, Dei (3) eſſe debeant in animarum ſalute procuranda adjutores; Inde fit, ut iidem exemplo ſuo Fidelibus prodeſſe in Sacris Litteris jubeantur. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum*; ita Tito (4) Apoſtolus præcipit. *Exemplum eſto Fidelium*; ita idem Apoſtolus (5) Timotheo. *Sic luceat lux* (6) *veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt*; hoc præceptum Diſcipulis ſuis dedit Reparator Noſter Sanctiſſimus Chriſtus Jeſus. *In te*, ad Heliodorum Epiſcopum ſcribit S. Hieronymus, *omnium oculi diriguntur: quidquid feceris, id ſibi omnes faciendum putant*. Sit itaque Paſtor (7) operatione præcipuus, ut viam vitæ ſubditis vivendo denuntiet, & grex, qui paſtoris vocem, moreſque ſequitur, per exempla melius, quam per verba gradiatur. Nihil eſt, inquit Tridentina Synodus (8), quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita, & exemplum, qui ſe divino miniſtero dedicarunt. Cum enim a rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos, tamquam in ſpeculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitentur. Quod quidem verius eſt de domeſticis, quibus exemplo ſuo prodeſſe plurimum debent Eccleſiaſtici, itaut vere poſſint iiſdem dicere, quæ ad Corinthios ſcribebat Apoſtolus (9): *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.*

IV. *In omnibus autem* (10) *noſmetipſos præbere debemus exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, verbum ſanum,*

Nnn *irre-*

(1) Prov. c.13.
(2) Eccl. c.13.
(3) 1. ad Cor. c.3.
(4) Ad Titum c.2.
(5) Ad Timoth. c.4.
(6) Matth. c.5.
(7) S. Gregor. 1. par. Paſtoral. c.3.
(8) Trid. ſeſſ.22. de ref. c.1.
(9) Ad Cor.
(10) Ad Titum c.2.

Digitized by Google

irreprehenſibile, *ut is*, *qui ex adverſo eſt*, *vereatur nihil habens malum dicere de nobis*. Verum in tribus potiſſimum exemplo Fidelibus præluceant ii, qui Sacræ adſcripti Militiæ, ſe totos divino ſervitio manciparunt. Primum quidem in ſumma erga Deum pietate, itaut ſint in Miſſa celebranda Religioſi, in Sacris obeundis functionibus aſſidui, in audiendo Dei verbo diligentes. Chriſtum ſub Euchariſticis ſpeciebus deliteſcentem in Templis frequenter inviſant, & cum ad ægrotos defertur, religioſe comitentur: tandem quidquid ad divinum pertinet cultum, ſumma cum alacritate, ac pietate exequantur. Deinde in vera, qua ſe invicem proſequantur, reverentia, & charitate: quî enim fieri poteſt, ut eos Laici diligant, ac revereantur, ſi ſe ipſi mutuo contemnant, ſi ſibi invicem obloquantur, ſi reciprocis decertent odiis, atque inimicitiis? *Et nunc ad vos mandatum hoc*, *o Sacerdotes*, inquit Dominus per Malachiam (1). *Numquid non Pater unus omnium noſtrum? numquid non Deus unus creavit nos? Quare ergo deſpicit unuſquiſque noſtrum fratrem ſuum*, *violans pactum patrum noſtrorum?* Denique in ſincera erga proximos charitate, itaut pauperibus opem ferant, ægrotos inviſant, mœrentes conſolentur, diſſidentes componant, uno verbo, Angeli pacis nuncupentur, & ſint.

V. Quod ſi tam graviter, ac tam ſerio Miniſtris ſuis Chriſtus præcipit, ut exemplum Fidelibus præbeant integræ, ſanctæque vitæ, quam imitentur; quanto gravius, impenſiuſque iiſdem præcepiſſe credendum eſt, ne morum perditorum exemplo a recta virtutis ſemita eos avocent, & ad perditionis viam ſecum abducant! *Neceſſe eſt*, Chriſtus inquit (2), *ut veniant ſcandala*: *Verumtamen væ homini illi*, *per quem ſcandalum venit*. Quæ quidem divinæ indignationis comminatio, ſi Chriſtianum quemlibet percutit, per quem ſcandalum venit, quanto magis Eccleſiaſticos ferit viros, quorum mala exempla Chriſtianæ Reipublicæ multo ſunt pernicioſiora, cum eorum dignitas ſublimiſſima, quæ ab iis exercentur, vitia conſecrare quodammodo videatur! Hanc ſane ob cau-

(1) S. Malachiæ c.2. (2) Matth. c.18.

ob cauſam flagitioſos Deos callidiſſimus humani generis hoſtis venerandos Ethnicis propoſuit, ut videlicet in iis quoque vitia colerent, & crimina ipſa præcipuum eſſe religionis actum ducerent, quo ſua numina venerarentur. Hinc optime Tridentina Synodus (1) inquit: *Totius familiæ Domini ſtatus, & ordo nutabit, ſi, quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite*, & neceſſe eſt, ut Grex in præcipitium feratur, cum Paſtor per abrupta graditur. Caveant itaque omnes, qui Deo militant, ac potiſſimum animarum Paſtores, ne conqueri de iis poſſit Deus, quemadmodum de Moſaicæ legis Sacerdotibus conqueſtus olim eſt per Jeremiam (2): *Grex perditus factus eſt populus meus: Paſtores eorum ſeduxerunt eos*; & alias per Oſeam: *Audite hoc, o Sacerdotes, quia vobis judicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor*. Has enim querelas judicium duriſſimum excipiet, quo eos judicabit Dominus, & pœna graviſſima, qua corripiet illos. *O Sacerdotes*, ita Dominus prænunciavit per Malachiam (3); *vos receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis pactum Levi, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, ſicuti non ſervaſtis vias meas*. Et ſane nonne quotidie non modo apud probos, verum etiam apud improbos contemptui haberi videmus Sacerdotes illos, qui ſui immemores muneris, oblitique Domini Dei ſui, illicitis indulgent voluptatibus, & in maleolenti vitiorum cœno volutantur? Verum dolorum initia hæc ſunt, & acerbior eos manet pœna, niſi qui ſe cum plurimorum deſtructione perdiderint, cum plurimorum ædificatione ſe redimant. Relinquet enim eos Dominus, *& non dabunt (4) cogitationes ſuas, ut revertantur ad Dominum Deum ſuum*. Hortamur itaque, & enixe rogamus in Domino Clericos omnes, ac præcipue animarum Paſtores, ut facti forma gregis exemplo ſuo Fideles ad virtutem adducant;

 Scan-

(1) Trid. ſeſſ.24. de ref. c.1.
(2) Jeremiæ c.50.
(3) Malachiæ c.3.
(4) Oſeæ c.5.

Digitized by Google

Scandalum vero quodlibet diligentiſſime devitent, niſi, præter divinæ ultionis flagella, Noſtræ quoque animadverſionis ſeveritatem velint experiri.

CAPUT V.

DE VERBO PRÆDICATIONIS.

CUM unicuique animarum Paſtori mandatum ſit per Prophetam (1): *clama, ne ceſſes; quaſi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo ſcelera eorum*; cæteriſque etiam inferioribus Eccleſiæ Miniſtris, *quos in adiutorium noſtrum aſſumpſimus conſecrandos*, in ipſo conſecrationis actu prædicandi officium per ea verba injunctum fuerit, *oportet prædicare*; Caveant proinde, ne commiſſam ſibi verbi adminiſtrationem vel prætermittant, vel perfunctorie, aut præpoſtere, aut inordinate agant. Contra priores enim ſcriptum eſt (2): *ſi non fueris locutus impio, ut cuſtodiat ſe a via ſua; ſanguinem ejus de manu tua requiram*: Et contra poſteriores (3): *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter*. Verum cum dupliciter miniſtrari Dei verbum poſſit, ac ſoleat, videlicet vel pueris, rudibuſque Chriſtianam Doctrinam familiaribus, planiſque verbis explicando, vel Fideles adultos ad fugienda vitia, ſectandaſque virtutes Sacris Concionibus excitando; De utraque Divini verbi miniſtrandi ratione ſingillatim pauca ſtatuamus.

ARTICULUS I.

De Chriſtiana Doctrina Fidelibus, ac præſertim pueris, rudibuſque explicanda.

DIvinum hoc pueros, rudeſque primis Chriſtianæ Fidei elementis ſalubriter imbuendi munus, quod ſummi etiam Eccleſiæ Miniſtri, doctrina non minus, quam ſanctitate præſtantes,

(1) Ezechiel. c.33. (2) Ezechiel. loc. cit. (3) Jeremiæ c.48.

tes, magna cum Dei gloria, animarumque profectu diligenter obire non renuerunt, Parochis, Sacerdotibus, cæteriſque de Clero, quotquot in Noſtra hac Diœceſi verſantur, commendatum maxime volumus, ac tota, qua pollemus, auctoritate demandatum. Quare Tridentinæ Synodi decretis (1) inhærentes, volumus, ac præcipimus, ut Parochi, cæterique animarum curam habentes, ſingulis ſaltem Dominicis diebus, pueros, rudeſque, pomeridianis horis, Chriſtianæ Doctrinæ, Fideique Catholicæ rudimentis imbuant, atque erudiant. Ea vero occaſione illorum cordibus inſerere ſtudeant ingens peccati odium, Sancti Dei Nominis reverentiam, amorem erga Deum, erga Parentes obſervantiam, erga Deiparam tandem filialem, ſummamque benevolentiam. Si quos autem rudiores, craſſioreſque inveniant, eos minime faſtidiant, ſed paterna charitate perhumaniter excipiant, ſeorſim, condictiſque diebus inſtruendos.

II. Ne in explicandis Fidei myſteriis aut diverſitas obrepat, aut novitas, utque idipſum omnes ſapiant, ac dicant [veræ enim Fidei teſſera (2) unitas eſt, certum autem erroris argumentum ſibi diſſimilis, ſemperque alternans doctrina] ea docendi ratio teneatur, quam in ſuo Doctrinæ Chriſtianæ libello, Clementis VIII. juſſu edito, Ven. Cardinalis Bellarminus ſumma brevitate, ac perſpicuitate complexus eſt.

III. *Clementis Papæ VIII., aliorumque Prædeceſſorum Noſtrorum veſtigiis inhærentes* [inquit Benedictus XIV. in ſua epiſtola Encyclica (3), quam de Doctrina Chriſtiana Populis tradenda ad univerſos Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, atque Epiſcopos dedit] *hortamur in Domino, & enixe commendamus, in Doctrina Chriſtiana tradenda adhiberi libellum de Clementis ejuſdem mandato a Cardinali Bellarmino conſcriptum, mox in deputata Congregatione diligenter examinatum, & approbatum, ac denique ab eodem Clemente in lucem eo ſaluberrimo conſilio edi juſſum, ut unus deinceps, idemque modus*

(1) Trid. ſeſſ. 24. c. 4. de ref.

(2) Bellarminus de notis Eccleſiæ.

(3) Benedictus XIV. in Epiſt. Encycl. *Etſi.* edita 7. Febr. 1742.

modus in docendo, & diſcendo Chriſtianam Doctrinam ab omnibus teneretur. Nihil hac uniformitate optabilius, nihil ad præcavendos, qui in multiplicem Catechiſmorum varietatem irrepere poſſent, errores conducibilius, atque opportunius. Cum autem huic tam neceſſario, tamque proficuo muneri obeundo ſatis non eſſet Parochorum labor, ac induſtria; peculiarem in Noſtra Diœceſi Doctrinæ Chriſtianæ Congregationem (1) inſtituimus, e qua non paucos iidem haberent tam pii operis adjutores. Certas præterea præſcripſimus leges, quas in tota Diœceſi illibate ſervari juſſimus, ut ſtabilior, uberiorque ex Doctrinæ Chriſtianæ exercitio fructus perciperetur. Quæ quidem omnia jam olim Parochis omnibus, totique Diœceſeos Clero per Epiſtolam ediximus, quam in Synodi hujus Appendice *part.* 1. *num.* 1. *pag.* 3. damus, & cui tota, qua pollemus, Auctoritate Synodalis legis vim, ac robur tribuimus. Quidquid autem in eadem Epiſtola præſcriptum a Nobis eſt, ſervari exacte jubemus ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis, non modo adverſus Parochos, qui in re tanti momenti deliquerint, verum etiam adverſus Clericos (2), qui ad ejuſdem Epiſtolæ normam in Chriſtianæ Doctrinæ tradendæ munere operam ſuam Parocho commodare neglexerint, & quos certe ad ſuperiores Ordines minime promovebimus.

IV. Clerici, aliique, qui in tam ſalutari, ac pio exercitio ſuam navabunt operam, exactam Parochis præſtent obedientiam, & ab ejus nutu pendeant; utque alacriores ad hunc pium laborem ſubeundum fiant, catalogum Indulgentiarum legant, quas Romani Pontifices lucrandas propoſuerunt, tum iis, qui Doctrinam Chriſtianam alios docent, tum iis, qui ad illam addiſcendam ſtatis horis in Templo interſunt, aut alios in Templum ducunt, ut eadem erudiantur. Parochi vero frequentiſſime Parentibus, Propinquis, Tutoribus, ac Dominis inſinuent grave, quo obligantur, præceptum curandi modis omnibus, ut eorum Filii, Pupil-

(1) S. Pius V. in ſua Conſt. *Ex debito*. (2) Benedictus XIV. in cit. Epiſtola Encyclica.

Pupilli, ac famuli Chriſtianæ Religionis myſteria, atque elementa doceantur, vitæque chriſtiano more ducendæ rationem addiſcant. Edicant propterea curandum iiſdem eſſe diligentiſſime ſuaſionibus, & præceptis, ut Filii, Pupilli, ac Famuli Dominicis diebus pio Doctrinæ Chriſtianæ exercitio interſint: Cum autem efficaciora verbis ſint exempla, ſatius fore, ut eos ipſi ſecum ducant ad Templum, ibique omnes Myſteriorum Fidei, divinorumque præceptorum explicationem ſedulo audiant. Sacri Oratores præterea Quadrageſimali tempore hujuſmodi onus pro concione frequenter inculcent, graviſſimam annunciantes ea de re æterno Judici rationem eſſe reddendam. Sacerdotes (1) autem, qui Confeſſiones excipiunt, fixum illud, immotumque animo ſemper habeant, invalidam eſſe abſolutionem Sacramentalem, quam quis ignoranti res neceſſario neceſſitate medii ſciendas, & credendas impertitur, nec poſſe homines Deo per hoc Sacramentum reconciliari, niſi prius, excuſſa hujus ignorantiæ caligine, ad agnitionem Fidei educantur. Sedulo etiam animadvertat Confeſſarius, in aliud tempus reijciendam eſſe abſolutionem illius, qui neceſſaria neceſſitate præcepti ſuo vitio neſcit; in eo autem caſu Pœnitentem abſolvi poſſe, quando ſe vincibilis hujus ignorantiæ reum agnoſcat, & accuſet, intimeque dolens, tum a Deo veniam precetur, tum Confeſſario ſerio promittat, operam ſe impenſe daturum, qua divinæ Gratiæ præſidio ea etiam diſcat, quæ neceſſaria ſunt neceſſitate præcepti. Quæ quidem omnia, licet ſuperius dicta a Nobis fuerint, hìc tamen repetere, atque iterum inſinuare volumus: De re enim agitur ſummi momenti, a qua plurimorum de plebe hominum æterna pendet ſalus. Omnibus etiam ludi Magiſtris, Piiſque fœminis in memoriam revocamus graviſſimum illud Concilii Lateranenſis (2) decretum, quo ſuos Diſcipulos, Puellaſque, quas inſtituunt, ſingulis ſaltem hebdomadis

(1) Benedictus XIV. in cit. Epiſtola Encycl. *Etſi minime*.

(2) Concil. Lateranen. ſub Leone X. ſeſſ.9. cap.7., & Leo X. Conſt.7., quæ incipit *Supremam*.

Digitized by Google

madis ſemel fidei rudimenta docere, eoſque ſana, incorruptaque doctrina, tamquam pabulo vitæ, nutrire, & confirmare jubentur. Quare ſi hac in re negligentes fuerint, ſciant, ſe Deo negligentiæ ſuæ rationem eſſe reddituros; a Nobis vero a docendi munere eſſe removendos. Tandem ſi quos ſive Parentes, ſive Magiſtros, ſive Heros tam gravis obligationis contemptores, aut immemores eſſe Parochus deprehenderit, Nobis, ſeu Vicario Noſtro Generali denunciet, ut opportunis remediis ipſorum ſaluti, ac reliquorum exemplo proſpiciamus.

ARTICULUS II.

De Verbi Dei Prædicatione.

PRædicandi munus, cum proprium ſit Epiſcoporum, atque Paſtorum; cæteris vero, qui ſcientia, vitæque integritate commendantur, nonniſi ex Noſtra commiſſione, ac delegatione convenire poſſit; nemo (1), quamquam Doctor ſit, aut Noſtræ Cathedralis Canonicus, [exceptis Parochis quoad ſuæ Parœciæ Eccleſias] in hac Civitate, aut Diœceſi, ſive publice in Templis, aut plateis, ſive privatim in Oratoriis, etiam Parochis annuentibus, prædicare audeat ſine Noſtra expreſſa licentia, ac facultate, etiamſi alias approbatus ad id munus fuerit, ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis, quas ſubibit etiam Eccleſiæ Rector, in qua habita concio fuerit. Quoad Regulares ſic Tridentina Synodus (2) præcipit: *Regulares vero cujuſcumque Ordinis, niſi a ſuis Superioribus de vita, moribus, & ſcientia examinati, & appro-*

(1) Concil. Carthagin. I. cap. 10., Rhemen. c. 14., Arelaten. c. 10., Lateranen. ſub Innocentio III. c. 10., & ſub Leone X. ſeſſ. 11., Trid. ſeſſ. 24. de ref. c. 4., cap. *Inter cætera*. de offic. ordinarii; cap. *Excommunicamus*. §. *Quia vero*. de hæreticis, S. Th. 2. 2. qu. 184. art. 8., Conſt. *In tanta rerum*. 1. Martii 1572., Gregor. XV. Conſtitut. 8. *Inſcrutabili*. 5. Febr. 1622., Innocent. X. in Brevi 14. Maii 1648., Clemens X. Conſt. *Suprema*. 29. Jun. 1670., Sac. Cong. Epiſc. 16. Oct. 1601.

(2) Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. de reformat., & ſeſſ. 24. cap. 4., Concil. Lateranen. V. ſeſſ. 10., Gregorius XIII. &c.

approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, prædicare non poſſint; cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis vero, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſint: ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant. Si vero, quod abſit, Prædicator errores, aut ſcandala diſſeminaverit in populo, etiamſi in Monaſterio ſui, vel alterius Ordinis prædicet, Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Et alibi eadem Tridentina (1) Synodus ſic ſtatuit: *Nullus ſive ſæcularis, ſive Regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat.* Laici (2) numquam, etiam in privatis Oratoriis, quorum ſint Superiores, aut Officiales, prædicare præſumant. Idem de quæſtoribus (3) eleemoſynarum ſtatuimus, cujuſcumque ſint conditionis, & non obſtantibus quibuſcumque privilegiis.

II. Parochi ſingulis (4) ſaltem diebus Dominicis inter Miſſarum ſolemnia plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate ſalutaribus paſcant verbis, annunciando eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oportet, ut pœnam æternam evadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant. Qui negligentes in hoc munere fuerint, graviter ſubtractione fructuum, carcere, deputatione idonei Miniſtri, aliiſque pœnis juxta contumaciæ, & tranſgreſſionis qualitatem ſevere a Nobis punientur. Plura de hac re in noſtra Epiſtola ſuperius citata jam diximus, cujus proinde frequentem lectionem, exactamque obſervantiam Parochis omnibus, ac reliquis Concionatoribus enixe commendamus.

Ooo III. *Cum*

(1) Trid. ſeſſ.24. cap. 2. de reformat.

(2) Concil. Later. ſub Leone X. ſeſſ. 11., cap. *Ad abolendam* de hæreticis, Sacra Congregat. Epiſc. in Caven. 9. Jun. 1592.

(3) Concil. Later. ſub Innoc. III. c. 62., Trid. ſeſſ. 5. de reform. cap. 2.

(4) Trid. ſeſſ. 5. de reform. cap. 2., ſeſſ. 23. cap. 1., & ſeſſ. 24. cap. 4., Concil. Viennen. in Clement. *Dudum*. §. *Hujuſmodi*. de Sepulturis.

Digitized by Google

III. *Cum libentius illa vox* (1) *auditorum cor penetret, quam dicentis vita commendat; illi, quibus adminiſtratio Verbi commiſſa eſt, metiri ſollicite ſtudeant, quanta tenendæ rectitudinis neceſſitate conſtringuntur; quia, qua neceſſitate exiguntur ſumma dicere, eadem neceſſitate compelluntur ſumma monſtrare. Sint ergo cogitatione mundi, corde humiles, ſpiritu fervidi, actione præcipui, in ſilentio diſcreti, in verbo utiles, in ſermone breves, ac in omnibus præbeant ſeipſos exemplum bonorum operum, ut non vituperetur miniſterium verbi, quod acceperunt a Domino Jeſu.*

IV. Ne Verbum Dei, quod ad vitæ ſpiritualis præſidium ſcimus eſſe inſtitutum, in mortis inſtrumentum Miniſtrorum vitio vertatur, diſtricte præcipimus (2) Concionatoribus quibuſcumque, ut Sacræ Scripturæ verbis, juxta Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſenſum, ac unanimem Sanctorum Patrum interpretationem, utantur; ſupervacuas autem, ac curioſas quæſtiones non agitent, neque profanum ambitioſæ eloquentiæ ſectentur apparatum. Qui ſecus fecerint, cenſuris, ſuſpenſione a prædicationis munere, aliave ratione pro modo culpæ ad normam Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum a Nobis plectentur. Cum autem ſermo divinus, Apoſtolo (3) teſte, *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & veritatis habeatur*; iidem divini verbi Præcones ſæpius animo reputent altiſſimam proprii muneris vocationem, ut recte *tractantes Verbum veritatis, & non ſemetipſos* (4), *ſed Chriſtum Crucifixum prædicantes*, in omnibus ſe exhibeant veros Chriſti Miniſtros, & diſpenſatores Myſteriorum Dei. Primum itaque, loca, ad quæ diverterint, bono virtutum odore perfundant, ſeſeque animarum ſaluti, non temporalis ſtipendii lucro inhiare oſtendant. Parentibus filiorum curam, optimamque educationem, qua eos imbue-

(1) S. Gregorius par. 2. Paſtoralis c. 1. & 13., Origenes homil. 6. ad librum Judicum, & S. Gregorius Nazianzenus orat. de Sancto Lavacro.

(2) Concil. Later. ſub Leone X. ſeſſ. 11., & Litteræ Encyclicæ Sac. Cong. Concil. de mandato Innocen. XI. 6. Julii 1680.

(3) 1. Ad Cor. cap. 2.

(4) 1. Ad Cor. cap. 1.

Digitized by Google

imbuere naturali, divinoque præcepto jubentur, enixe commendent. Contra vitia, & corruptelas, & potiſſimum contra eas, quæ frequentiores ſunt in populo, vehementer invehantur; ita tamen, ut nullas particulares perſonas laudent, aut vituperent, nullumque etiam publicum peccatorem aperte notent, vel ita circumſcribant, ut denotaſſe videantur. Populo novas Indulgentias (1) ſine Noſtro, aut Vicarii Noſtri Generalis aſſenſu non publicent. Eleemoſynas, quas pro pauperibus a populo petunt, ſuas facere non audeant: Nulla (2), ne Dominicæ quidem Paſſionis, concio nocturno tempore habeatur (3): *Non enim legimus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ſolitum fuiſſe noctibus ſermocinari, & doctrinam in tenebris tradidiſſe*. Ne ſcandala, aut riſus excitentur in plebe, præter Crucem (4), & Chriſtum Crucifixum, non alias imagines, ſtatuas, & pia ſpectacula e concionatorio ſuggeſtu populo exhibeant. Omnia demum fideliter, exacteque ſervent, quæ de Evangelicæ Prædicationis officio a Sacris Œcumenicis Conciliis, ac præſertim ab ultimo Lateranenſi, ac Tridentino ſancita ſunt. Si quæ in populo deprehenderint, quæ Noſtra indigeant animadverſione, ea ad Nos deferant, cum exacto prædicationis curriculo ad Nos accedent ſuæ villicationis rationem reddituri, niſi promptius, celeriuſque remedium rei gravitas poſtulaverit. Ne quid vero eorum, quæ hic ſtatuimus, negligatur, Vicarii Foranei hæc Noſtræ Synodi mandata Concionatoribus legenda exhibeant, antequam ſuum concionandi munus aggrediantur; & ſi forte Concionator parere aliqua in re detrectaverit, ſtatim Nobis denuncient, ut opportuna providentia detrectantium licentiam compeſcamus.

V. *Cum ex Deo (5) non ſit, qui verba Dei non audit*; Parochi, ante Adventum potiſſimum, & Quadrageſimam, Fidelibus in memoriam revocent maximam, in qua verſantur, neceſſitatem

 ſacras

(1) Concil. Mediolanen. I. de prædicatione.

(2) Sac. Cong. Epiſc. in Caſtrenſi 20. Martii 1629.

(3) S. Hilarius in Matthæum Concione 10. poſt medium.

(4) Sac. Congreg. Epiſcop. 20. Martii 1629.

(5) Joa. cap. 8.

ſacras audiendi Conciones, ut verbo Dei ſalubriter refecti non deficiant in via peregrinationis ſuæ, ſed felici curſu cœleſtem, ad quam tendunt, patriam aſſequantur. Verbum enim Dei, teſte Jacobo Apoſtolo (1), efficaciſſimum eſt remedium ad ſalvandas animas: *Cum manſuetudine ſuſcipite verbum vobis inſitum, quod poteſt ſalvare animas veſtras*. Quare Parentes, ac Domini filiis, ac ſervis ſuis in tam gravi, ac tam ſalutari negotio, exemplo, ac monitis præeant, ne domeſticorum ſuorum curam non habentes ab Apoſtolo, tamquam Infidelibus deteriores, arguantur. In Adventu, & Quadrageſima, concionis tempore, mares (2) a fœminis per ſepta lignea, aut ſaltem linea ſecernantur, nullumque virorum, cujuſcumque ſit conditionis, & ſtatus, intra ſepta Mulieribus deſtinata ad concionem audiendam ſedere, aut ſtare Parochi, aliique Eccleſiarum Rectores umquam patiantur.

VI. Quamquam ad Epiſcopum (3) ſpectet EvangelicosOperarios deſignare, ac mittere, qui in Domini agro Verbi divini ſemen ſpargant; indulgemus tamen, ac libenter permittimus, ut ſi quæ Communitates vel ex aſſerto privilegio, vel ex legitima conſuetudine jus nominandi Concionatorem obtineant, frui, ac potiri eodem pergant. Verum eædem caveant, ne ultra præfinitum a Nobis tempus, ejuſmodi nominationem differant: ſecus enim, juxta Sacræ (4) Congregationis decreta, pro illa vice privabuntur jure nominandi, quod ad Nos devolvetur: conſuetam tamen eleemoſynam eædem Communitates Concionatori, qui a Nobis deputabitur, ſubminiſtrabunt, quin illam iiſdem (5) liceat aut minuere, aut denegare. Tempus autem, quod iiſdem ad Concionatorem nominandum, ac Nobis exhibendum præfinimus, hoc eſt: Pro Adventu ante vigeſimum octavum Octobris diem; pro Quadrageſima vero per duos ſaltem menſes ante

Feriam

(1) Jacobi cap. 5.

(2) Sac. Cong. Epiſc. juſſu Clementis XI. ann. 1701.

(3) Can. *Epiſcopus*. diſt. 88., & cap. *Inter cætera*, de offic. ordin.

(4) Sac. Congreg. Concil. in Trojana 14. Auguſti 1700., & in Narnien. 24. Feb. 1652.

(5) Sac. Cong. Concil. in Tiburtina 3. Julii 1693.

Feriam quartam Cinerum nominatio ejuſmodi Nobis exhibeatur. Caveant etiam (1), ne in Patentibus Litteris vocem ullam uſurpent, quæ electionem, deputationem, declarationem, vel conſtitutionem ſignificet, ſed his dumtaxat utantur verbis: *Nominamus*, *& præſentamus*. Si ſecus fecerint, earum nominatio nullius apud Nos erit ponderis, & confeſtim ad alterius Sacri Oratoris electionem pro illa vice deveniemus.

VII. Ut omnes ad audiendum Dei Verbum, Sæcularibus poſthabitis negotiis, in Eccleſias conveniant, mandamus, ac præcipimus Mercatoribus, & Artificibus, ut in Quadrageſima concionis tempore apothecas, atque officinas claudant, & ab operibus manualibus abſtineant, ſub pœna pecuniaria arbitrio Noſtro infligenda. Commonemus etiam, atque in Domino rogamus cujuſcumque fori Judices, ut ea hora, qua in Templo publica habetur Concio, neque Jus dicant, neque Judicia exerceant. Diſtrictius autem Eccleſiaſticis omnibus mandamus, ut Laicis exemplo præeant: quare concionis tempore neque per vias, & plateas diſcurrant, neque otientur in apothecis, ſed concioni interſint in Templo, compoſitoque ad modeſtiam vultu Verbum Dei arrectis auribus audiant. Noſtræ vero Cathedralis Canonici Capitulares Conſtitutiones hac ſuper re exacte, ac fideliter exequantur. Demum dum Concio habetur, neque ullus fiat ſtrepitus, aut clamor, neque Miſſæ celebrentur in Templo, aut Fidelibus Euchariſtia miniſtretur, ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis.

CAPUT VI.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CŒleſtis ille Medicus, qui languores (2) noſtros tulit, & dolores noſtros vere portavit, cujus proinde livore ſanati ſumus, antequam ex hoc Mundo reverteretur ad Patrem, ad anima-

(1) Sac. Cong. Concil. in Sutrina 8. Maii 1688., in Urbinaten. 7. Jan. 1699.. & alibi ſæpe. (2) Iſaiæ cap. 53. ver. 4., & 6.

Digitized by Google

animarum noſtrarum morbos cum ſanandos, tum præcavendos, ſeptem nobis Sacramenta reliquit, totidemque in iis veluti fontes aperuit, e quibus hauriremus (1) aquas in gaudio, aquas ſaluberrimas, aquas (2) vivas, & in vitam ſalientes æternam. Per Sacramenta enim (3), tamquam per inſtrumenta ſalutis, viſibileſque inviſibilis gratiæ formas omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur. Quare optime inquit S. Leo (4): *Deus, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia eſt, Omnipotentiæ, Sapientiæ, ac Bonitatis ſuæ theſauros in Sacramentis explicavit*. Cum autem cœleſtia hæc dona non per Angelos, ſed per homines divinus ipſe Inſtitutor adminiſtrari velit; Videant iidem, quanta ipſis adhibenda ſit cura, ut in hujus cœleſtis Ærarii cuſtodia fideles (5) Myſteriorum Dei Diſpenſatores habeantur, & ſint. Nos vero, ut facilius iidem, utiliuſque tantum exerceant miniſterium, quid Parochis, cæteriſque Eccleſiæ Miniſtris in Sacramentorum adminiſtratione, quid reliquis Fidelibus in eorumdem ſuſceptione agendum, quidve cavendum ſit, in hoc, & in ſequentibus capitibus ſtatuemus.

II. Septem dumtaxat (6) ſunt Sacramenta, quæ Chriſtus inſtituit, Baptiſmus videlicet, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Septenarii autem hujus Sacramentorum numeri duplex quidem, & utraque congrua proferri poteſt ratio. Primum quidem, ut ſpiritualis vitæ cum corporea quædam ſervaretur analogia, ac ſimilitudo. Homini enim, ut in Catechiſmo (7) Romano edocemur, ad vivendum, vitamque conſervandam, & ex ſua, Reique publicæ utilitate traducendam, hæc ſeptem neceſſaria videntur; ut ſcilicet in lucem edatur, augeatur, alatur, ſi in morbum incidat, ſanetur, imbecillitas virium reficiatur: Deinde, quod ad Rempubli-

(1) Iſaiæ cap. 12. ver. 3.

(2) Joa. cap. 4. ver. 14.

(3) Can. *Sacrificium* 32. de conſecrat. diſt. 2., Trid. ſeſſ. 7. in proemio.

(4) S. Leo ſerm. 2. de Nativitate.

(5) 1. Ad Cor. cap. 4. ver. 1.

(6) Concil. Florent. in decreto de Sacramentis, & Trid. ſeſſ. 7. can. 1. de Sacramentis.

(7) Catechiſ. Roman. par. 2. num. 18.

publicam attinet, ut Magiſtratus numquam deſint, quorum auctoritate, & imperio regatur, ac poſtremo legitima ſobolis propagatione ſeipſum, & humanum genus conſervet. Quæ omnia, quoniam vitæ illi, qua anima Deo vivit, reſpondere ſatis apparet, ex iis facile Sacramentorum numerus colligetur. Primus enim eſt baptiſmus, veluti cæterorum janua, quo Chriſto renaſcimur. Deinde confirmatio, cujus virtute fit, ut divina gratia augeamur, & roboremur... Tum Euchariſtia, quo tamquam cibo vere cœleſti ſpiritus noſter alitur, ac ſuſtinetur.... Sequitur quarto loco Pœnitentia, cujus ope ſanitas amiſſa reſtituitur, poſtquam peccati vulnera accepimus. Poſtea vero Extrema Unctio, qua peccatorum reliquiæ tolluntur, & animi virtutes recreantur.... Sequitur Ordo, quo publica Sacramentorum miniſteria perpetuo in Eccleſia exercendi, ſacraſque omnes functiones exequendi poteſtas traditur. Poſtremo additur Matrimonium, ut ex maris, & fœminæ legitima, & juſta conjunctione, filii ad Dei cultum, & humani generis conſervationem procreentur, & religioſe educentur. Altera congrua ratio eſt, ut per Sacramenta Fidelis populus ad Theologalium, & Cardinalium virtutum actus exercendos juvetur, ac provehatur. Baptiſmus enim ad Fidem, Extrema Unctio ad ſpem, Euchariſtia ad Charitatem, Confirmatio ad Fortitudinem, Pœnitentia ad Juſtitiam, Ordo ad Prudentiam, Matrimonium ad Temperantiam plurimum conducit, ac prodeſt.

III. Septem hæc Sacramenta in eum finem inſtituta, ut per illa Chriſtianus Populus ubertim, ac facile ſalutem, & gratiam ſibi compararet, cum ante, tum poſt eorumdem inſtitutionem illuſtribus figuris Sacræ Litteræ Nobis adumbrarunt, ut eorum videlicet Sanctitatem, divinamque virtutem plurimi facere, avideque expetere diſceremus. Hæc itaque Sacramenta ſunt illæ ſeptem (1) columnæ, quas Sapientia, cum ſibi domum ædificaret, excidit. Hæc ſunt ſeptem illa aurea (2) candelabra, quibus

(1) Prov. cap. 9. (2) Apocal. cap. 1.

Digitized by Google

bus divinæ lux Gratiæ ad univerſam illuſtrandam Eccleſiam diffunditur. Hæc ſunt illa ſeptem (1) ſigilla, quibus ſignatum intus, & foris librum ſcriptum vidit Joannes in dextera ſedentis ſupra Thronum, quem nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque ſubtus terram aperire, aut reſpicere, donec vicit leo de tribu Juda radix David aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus. Singula autem hæc Sacramenta Inſtitutorem (2) habent Chriſtum Dominum, qui hanc iiſdem virtutem dedit, ut gratiam contineant, quam ſignificant, ipſamque gratiam ſemper, & omnibus non ponentibus obicem ex opere operato conferant, ſi ab iis ſuſcipiantur. Tria autem ex his Sacramentis Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, quia characterem, hoc eſt ſignum quoddam ſpiritale, & indelebile, in anima imprimunt, ſine gravi ſacrilegio iterari non poſſunt. Secus de reliquis quatuor dicendum eſt, quæ, cum characterem non imprimant, poſſunt non modo ſine crimine, verum etiam cum gratiæ, ac meritorum incremento, ſuo loco, ac tempore iterari. Ordinis præterea, & Confirmationis Epiſcopus Miniſter eſt, aliorum vero Sacerdos; excepto baptiſmo, quem in caſu urgentis neceſſitatis vir quilibet, ac fœmina conferre poteſt. Tandem quatuor omnino ad quodlibet conficiendum Sacramentum ita ſunt neceſſaria, ut, ſi unum eorum deſit, ipſum quoque deficiat Sacramentum: ea autem ſunt materia, forma, Miniſter, ac Miniſtri intentio, ſeu voluntas faciendi, quod facit Eccleſia, quemadmodum diſertis verbis Eugenius IV. in Concilio (3) Florentino nos docet: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona Miniſtri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia*. De Sacramentorum materia, forma, & Miniſtro ſuis in locis ſingillatim agemus, cum de ſingulis Sacramentis inferius a Nobis diſſeretur. Pauca nunc de iiſdem generatim innuamus.

IV. In

(1) Apocal. cap. 5. (2) Trid. ſeſſ. 7. de Sacramentis. can. 1., 6., 8., & 9.
(3) Concil. Florent. in decreto Unionis.

IV. In cujuslibet Sacramenti adminiſtratione ea omnino adhibenda eſt materia, & forma, quæ ex Chriſti inſtitutione a Catholica adhibetur Eccleſia, itaut ſi in alterutra fiat mutatio, ut ajunt, *ſubſtantialis*, *ſeu eſſentialis*, Sacramentum minime conficiatur: ſecus vero, *ſi accidentalis* tantum ſit mutatio. Tunc autem eſſentialis fieri cenſetur materiæ mutatio, cum vel phyſice, & entitative diverſa adhibetur, ex. gr. vinum pro aqua in baptiſmo; vel moraliter, ac Theologice diverſa, cum videlicet ſic immutatur materia, ut juxta communem uſum, hominumque exiſtimationem cum ratione, tum nomine ab ea differat materia, quam Chriſtus in Sacramenti illius inſtitutione præſcripſit, puta ſi in conficienda Euchariſtia cruda quædam maſſa ex aqua, & farina adhibeatur, quæ ſane non eſt Theologice, ac moraliter panis, quo veſcimur, & quem pro Euchariſtiæ materia Chriſtus inſtituit. Tunc autem *accidentalis* cenſenda eſt materiæ mutatio, cum ea ſolum fit quoad aliquam rei qualitatem, ſalva tamen ejuſdem ſubſtantia, itaut eumdem retineat uſum, idemque nomen, ac materia illa, quæ ex Chriſti inſtitutione a Catholica uſurpatur Eccleſia. *Subſtantialis* formæ (1) mutatio illa eſt, per quam verborum ſenſus, ac ſignificatio aufertur, quam Chriſtus intendit. *Accidentalis* vero, quæ verborum ſenſum a Chriſto intentum relinquit intactum. Jam vero qui materiam, aut formam ſciens, ac volens, aut ex culpabili negligentia quoad ſubſtantiam immutat, contra Religionis virtutem graviter peccat, cum & irritum efficiat Sacramentum, & Chriſto inſtituenti, ac homini ſuſcipienti gravem irroget injuriam. Qui vero ſciens, ac prudens extra neceſſitatis caſum materiam, aut formam accidentaliter tantum mutat, ſi non levis in genere ſuo ſit mutatio, gravi ſe inquinat culpa, cum contra Eccleſiæ mentem agat diſtricte præcipientis, ne quidquam materiæ, ac formæ Sacramentali ſeu addatur, ſeu detrahatur, ſeu mutetur. Grave etiam admittunt ſcelus, qui in conficiendis Sacramentis, cum certam habere

 poſſint,

(1) S. Th. 3. par. qu. 60. art. 8. in corpore.

poſſint, dubia utuntur materia: nullitatis enim periculo Sacramentum exponunt, & quandoque etiam æterna ſuſcipientis periclitatur ſalus. Quod ſi Sacramenti neceſſitas urgeat, ac certa haberi nequeat materia, dubia tunc adhibenda eſt, ut meliori, quo fieri poteſt, modo æternæ proximorum ſaluti conſulatur. At extra neceſſitatis caſum materiam dubiam adhibere non licet, ſed ſi certa haberi nequeat, Sacramentum non eſt adminiſtrandum.

V. Ad validam quoque Sacramenti confectionem debita inter materiam, & formam conjunctio requiritur, itaut ſimul moraliter ſint; & verba, ſpectata cujuſque Sacramenti natura, ſupra materiam cadere, & cum ea unum adæquatum ſignum conſtituere prudenter cenſeantur. Secus enim, neque vera eſſet forma, neque unum haberetur morale compoſitum, cum tamen ita Sacramenta Chriſtus Dominus inſtituerit, ut formæ prolatio cum materiæ applicatione una moraliter actio cenſeatur.

VI. Cum autem Miniſtrorum officio non minus, quam materia, & forma ad Sacramenta conficienda opus eſſe, perpetua Sanctorum Patrum traditione doceamur; Monendi primum ſunt Fideles, Sacramentorum Miniſtros, quoniam in eorum adminiſtratione non ſuam, ſed Chriſti perſonam gerunt, ſive boni, ſive mali ſint, modo ea forma, & materia utantur, quam ex Chriſti inſtituto ſemper Eccleſia Catholica ſervavit, idque facere proponant, quod Eccleſia in ea adminiſtratione facit, vere Sacramenta conficere, & conferre, ita ut gratiæ fructum nulla res impedire poſſit, niſi, qui ea ſuſcipiunt, ſeipſos tanto bono fraudare, & Spiritui Sancto velint obſiſtere. Sic enim Tridentina Synodus (1) definivit: *Si quis dixerit, Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema ſit.* Monemus deinde Miniſtros ipſos, ut meminerint, Sacramenta divinam quidem virtutem, quæ illis ineſt, numquam amittere, at vero impure ea miniſtrantibus

(1) Trid. ſeſſ. 7. can. 12. de Sacramentis in genere.

tibus æternam perniciem, & mortem afferre. Sancta enim ſancte, & religioſe tractanda ſunt; Et ſi homini peccatis contaminato de rebus divinis agere non licet juxta Davidicum (1) illud *Peccatori dixit Deus: quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum; tu vero odiſti diſciplinam?* quantum ab eo ſcelus admitti exiſtimandum erit, qui ſibi multorum ſcelerum conſcius eſt, nec tamen ſacra myſteria polluto ore conficere, vel in fœdas manus ſumere, contrectare, atque aliis porrigere, ac miniſtrare vereatur! Caveant itaque Sacerdotes, ne lethalis culpæ conſcii, dum cæteris pharmaca porrigunt, ſibi venena propinent.

VII. Certum eſt, in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, intentionem requiri conferendi Sacramentum, aut ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia. Sic enim Tridentina (2) Synodus definivit: *Si quis dixerit, in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, anathema ſit*; & Alexander VIII. hanc inter reliquas propoſitionem damnavit: *Valet baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptiſmi obſervat, intus vero, & in corde ſuo reſolvit: non intendo facere, quod facit Eccleſia*. Hæc autem intentio, ſeu voluntas eſſe poteſt multiplex, ideſt vel actualis, vel virtualis, vel habitualis, vel interpretativa. Actualis eſt ipſe voluntatis actus, quo quis hic, & nunc aliquid vult. Virtualis eſt voluntatis actus, qui extitit, nec revocatus umquam eſt, imo adhuc permanet, tamquam in virtute ſua, in certis quibuſdam actionibus, quæ ad finem ſibi propoſitum obtinendum fiunt. Habitualis eſt actus ille, qui neque in ſe, neque in virtute ſua, aut in aliquo effectu a ſe relicto exiſtit, ſed extitit, & nondum retractatus eſt, cujuſmodi eſſe poteſt etiam in ebrio, aut dormiente. Interpretativa tandem eſt, quando quis voluntatem conficiendi ex. gr. Sacramentum neque nunc habet, neque habuit

Ppp 2 umquam,

(1) Pſalm. 49. (2) Trid. ſeſſ. 7. can. 11. de Sacramentis in genere.

umquam, ſed ita eſt animo comparatus, ut eam haberet, ſi de Sacramento conficiendo cogitaret.

VIII. Jam vero in conficiendis, & conferendis Sacramentis, licet intentio actualis ſit optima, virtualis certe ſufficit, non tamen habitualis, neque interpretativa, uti cum unanimi Theologorum conſenſu docet S. Thomas, (1) ubi ait: *Licet ille, qui aliud cogitat, non habeat intentionem actualem, habet tamen intentionem habitualem* (intentionis habitualis nomine virtualem S. Doctor intelligit, uti ex contextu, & unanimi Interpretum explicatione patet) *quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, puta cum Sacerdos accedens ad baptizandum intendit facere circa baptizandum, quod facit Eccleſia. Unde ſi poſtea in ipſo exercitio actus cogitatio ejus ad alia rapiatur, ex virtute primæ intentionis perficitur Sacramentum; quamvis ſtudioſe curare debeat Sacramenti Miniſter, ut etiam actualem intentionem habeat: ſed hoc non eſt totaliter poſitum in hominis poteſtate, quia præter intentionem, cum homo vult multum intendere, incipit alia cogitare, ſecundum illud Pſalmi 39. Cor meum dereliquit me*. Non ſufficit autem habitualis intentio, quia cum actio Sacramentalis ſit actio Miniſtri, qui nomine Chriſti agit, ac prudenter divina diſpenſat myſteria, eſſe debet actio humana, in quam operantis intentio, ſeu voluntas vere influat. At qua ratione habitualis intentio, quæ neque in ſe, neque in ſua exiſtit virtute, influere in actiones externas poteſt humano, ac rationali modo ponendas Chriſti nomine, & auctoritate? Multo vero minus intentio ſufficit interpretativa, cum hæc nullo modo exiſtat, ſed exiſteret dumtaxat, ſi de ea cogitaretur.

IX. Sive ergo Sacramentorum Auctorem, ſive gratiam, ac Spiritus Sancti dona, quæ per eadem conferuntur, inſpiciamus; ſatis abunde conſtat (2), quanta cordis puritate nitere eos deceat,

(1) S. Th. par. 3. qu. 64. art. 8. ad 3.

(2) Nicolaus I. in reſponſ. ad conſulta Bulgarorum cap. 71., can. *Ipſi*, can. *Neceſſe*, can. *Neque*, can. *Per Iſaiam*. cauſ. 1. qu. 1., Catechiſmus Romanus tit. de Sacramentis, S. Th. in 4. ſent. diſt. 24. qu. 1. art. 3.

deceat, qui tam ſancta, ac tam divina pertractare debent munera, aliiſque miniſtrare. Quamobrem Parochi, cæterique Sacerdotes illud potiſſimum curent, ut caſte, pie, integreque vitam traducant ſuam, atque ex frequenti rerum Sacrarum tractatione, uſuque ad pietatem in dies magis excitentur, & ad hujuſmodi miniſteria ſancte obeunda paratiores fiant. Cum autem grande nefas ſit pura ab impuris tangi, & ſancta non ſancte tractari; caveant in primis, ne lethalis culpæ labe inquinati ſacra hæc myſteria conficiant, ſed antequam iiſdem manus admoveant, Sacramento Pœnitentiæ conſcientiam ſuam emundent, vel ſi id per tempus non liceat, aut Confeſſarii facultas deſit (non loquimur hìc de Miſſæ celebratione, de qua in prima harum Conſtitutionum parte locuti ſumus), perfecta cordis contritione convertantur ad Dominum, ne dum aliorum ſaluti ſtudent, novo ſacrilegii reatu ſibi æternæ ſint damnationis Auctores. Ut vero iidem Sacramenta (1) rite perficiant; ea probe ſciant, quæ ad eorumdem eſſentiam, rectamque adminiſtrationem pertinent, in iiſque conferendis omnino cæremoniis, ac ritibus in Rituali Romano præſcriptis utantur.

X. Ut interno religioſi animi ſenſui externus quoque corporis cultus, ſacrarumque veſtium reſpondeat ornatus, præcipimus, ut Parochi, aliive Sacerdotes (2), Sacramenta miniſtraturi, veſte talari, candido ſuperpelliceo, ſtolaque ejus coloris, qui Sacramento miniſtrando congruat, induantur. Curent præterea, ut veſtes reliquæ, vaſa ſacra, aliaque omnia in ſingulorum ſacramentorum adminiſtratione, uſuque adhibenda, Eccleſiaſticæ munditiæ nitore, ac puritate colluceant. Hinc enim populus, qui externis, ac viſibilibus ſpeciebus non parum afficitur, magni hæc facere myſteria, & divinam in iis revereri majeſtatem addiſcet. Eumdem

ob

(1) Can. *Nolite errare*. diſt. 11., cap. *Licet*. 14. de elect. in 6., Innocent. I. ep. 1., Gelaſius Papa epiſt. 9., Eugenius IV. in decret. poſt Concil. Florent., Trid. ſeſſ. 7. cap. 11., & 13., & ſeſſ. 14. can. 6., & 9., & Paulus V. Conſt. 85. *Apoſtolicæ*. 17. Junii 1614.

(2) Can. *Non oportet*; can. *In ſancta*; & can. *Veſtimenta*. de conſecr. diſt. 1.

ob finem (1) frequenter Parochi, vel inter Miſſarum ſolemnia, vel cum Sacramenta adminiſtrant, eorum inſtitutionem, uſum, fructus, Sanctioreſque cœremoniarum ſignificationes ex Romano Catechiſmo vulgari ſermone explanent. Sacramenta vero omnia, præter Extremam Unctionem, & præter urgentis neceſſitatis caſum, nonniſi in Eccleſia, conficiantur, aut conferantur.

XI. Cum in Sacramentorum inſtitutione potiſſimum divina Reparatoris noſtri erga genus humanum charitas, ac benignitas enituerit; æquum ſane eſt, ut in eorumdem quoque adminiſtratione potiſſimum Sacrorum Miniſtrorum erga Fideles amor, ac zelus effulgeat. Parochi (2) igitur, cæterique animarum curam habentes, ſive noctu, ſive interdiu ad Sacramenta miniſtranda vocentur, nulla prorſus interpoſita mora, alacri animo, hilarique vultu vocantibus præſto ſint, tam ſanctæ pietatis officia obituri. Populum præterea ſæpe monebunt, ut quoties eorum opera, ac miniſtratione opus fuerit, eos quam primum accerſant, nulla prorſus habita ſeu temporis, ſeu loci, ſeu alterius cujuſcumque difficultatis ratione. Imo etiam ſiquem forte intra Parœciæ ſuæ fines ægrotare intelligant, eum non vocati conveniant, blandiſque ſuaſionibus curent, ut Pœnitentiæ Sacramento expientur, & ſi opus ſit, Viatico quoque, atque Extrema Unctione muniantur. Si quis autem ob eorum negligentiam, Eccleſiæ Sacramentis non munitus decedat, propter graviſſimi ſceleris reatum, pœnas pro modo culpæ arbitrio Noſtro dabunt.

XII. Cum Sacramentorum Inſtitutor Chriſtus Dominus, ut omnes ad ea percipienda ſuavius alliceret, gratis eadem miniſtrari juſſerit (3), dicens: *Qui ſitit, veniat, & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis; Et cum dona Dei non debeant pecunia æſtimari;* Paro-

(1) Can. *Oportet*; can. *Clemens*; can. *Licet*. cauſ.8. qu.1., Trident. ſeſſ.24. de ref. cap.7., Sac. Cong. Concil. de mandato Innocent.XI. 12.Febr. 1679.

(2) Can. *Divinis*. cauſ.25. qu.1., can. *Si Presbyter*. cauſ.26. qu.6., can. *Quicumque*. de conſecr. diſt.4., Concil.Later.III. can.13., Concilium Florent. in decret. Eugenii ad Armenos; Sac. Congr. Epiſc. in Tropienſi 14.Sept. 1579.

(3) Apocal. c.22.

Parochi proinde, cæterique Eccleſiæ Miniſtri, neque ante (1), neque poſt Sacramenti alicujus adminiſtrationem quidquam pro tam ſancto munere, ſeu tamquam pretium, ſeu tamquam remunerationis debitum expoſcant: qui ſecus fecerint, vel ſimoniacæ labis, vel ſaltem avaritiæ, ac turpis quæſtus Rei a Nobis habebuntur, gravibuſque plectentur pœnis. Si quid autem (2) iis ultro, ac ſponte offerri conſueverit, vel tamquam eleemoſyna, vel tamquam congruæ ſuſtentationis pars, id modeſte recipi permittimus. Parocho Sacramenta miniſtranti Clericus (3) inſerviat decenti habitu, mundoque indutus ſuperpelliceo: non enim decet pannoſos pueros, ſordidoſque Laicos in hujuſmodi Sacris miniſteriis adhiberi; Clericos vero divino ſervitio mancipatos otiari. Non licet (4) in miniſtrandis Sacramentis, ubi de eorum valore agitur, probabilem ſequi opinionem, tutiore relicta.

XIII. Sacra olea ſive Catechumenorum, ſive Chriſmatis, ſive infirmorum, quorum uſus in aliquibus Sacramentis conficiendis, aut ſolemniter miniſtrandis præſcriptus ab Eccleſia eſt, in qualibet Eccleſia (5) Parochiali diligenter a Parocho cuſtodiantur in tribus vaſculis argenteis, aut ſaltem ſtamneis optime clauſis, quorum quodlibet ſuam habeat inſcriptionem grandiuſculis Litteris inſculptam. Vaſa hæc aſſerventur in cellula in hunc finem extructa in Aræ majoris pariete a cornu Evangelii, quæ intrinſecus oloſerico violacei coloris contegatur; extrinſecus autem hanc habeat epigraphen: *Sacra olea*. Firmum habeat hæc cellula oſtiolum diligentiſſime obſeratum, cujus clavis (6) a Parocho ſemper retineatur, ne quis ſacrilego auſu Sacra olea ſurripiat,

(1) Can. *Baptizandis*. 99., & ſeptem ſequentibus cauſ.1. qu.1.

(2) Can. *Quidquid*. cauſ.101.qu.1., Sac. Cong. Concil. 1.Febr. 1593.

(3) Cap. *Ut quiſque*. de vita, & honeſtate Clericorum, Rituale Romanum in Rubric. de Sacramentis adminiſtr.

(4) Innocentius XI.in damnat.propoſ.1.

(5) Can. *Litteris*. de conſecr. diſt.3., can. *De oleo*; can. *Si quis*. de conſecrat. diſt.4., cap. *Quoniam*. de ſent. excomm. in 6., S.Fabianus Papa epiſt.2., S.Gregorius in Sacramentario, Ordo Romanus, Rituale Romanum in rubric. de Sacramento Baptiſmi.

(6) Cap.*Statuimus*. de cuſtodia Euchar.

Digitized by Google

piat, iiſque ad aliquid vel nefarium, vel ſuperſtitioſum abutatur. Renoventur *Sacra olea* quotannis in qualibet Parœcia Feria v. Cœnæ Domini, cum ab Epiſcopo ſolemni ritu conſecrantur; vetera autem comburantur omnino, neque in alios convertantur uſus. Cum autem vaſcula ad Cathedralem Eccleſiam novis oleis replenda tranſmittuntur, nonniſi per Presbyterum, aut ſaltem Clericum in Sacris Ordinibus conſtitutum in lignea capſula clave diligenter occluſa deferantur. Præter grandiora hæc vaſa, alia minora ad uſum quotidianum, iiſdem adhibitis curis, Parochi vel in prædicta cellula, vel in baptiſterio reponant, prout Eccleſiæ neceſſitas, Populique frequentia poſtulabit.

XIV. Cum non modo a miniſtrantibus, verum etiam a ſuſcipientibus, pietatem, puritatem, externumque cultum Sacramenta ſibi poſtulent, ſæpe a Parochis moneantur Fideles, ut cum ad eadem recipienda accedunt, non modo debitum animi candorem, munditiemque afferant, verum etiam toto corporis habitu, geſtuque, atque externis veſtibus modeſtiam, ac reverentiam præſeferant. Viri itaque baculo, atque enſe, & armis quibuſcumque depoſitis, Mulieres vero modeſto, humilique ornatu, ac velato capite accedant, ne ſecus divinæ Majeſtati, ac beneficentiæ inſultare velle videantur. Illud etiam Parochi Fidelibus inſinuent, ut Euchariſtiæ, ac Pœnitentiæ Sacramenta rite, recteque diſpoſiti frequenter ſuſcipiant, & ſaluberrimas cum gaudio aquas hauriant de fontibus Salvatoris.

CAPUT VII.

DE BAPTISMO.

SAcrum regenerationis lavacrum, *unde*, teſte S. Cypriano, *omnis fidei origo incipit*, *& ad æternæ vitæ ſpem ſalutaris ingreſſio*, primum inter reliqua Sacramenta locum tenet, non ſolum ordine, verum etiam neceſſitate. *Niſi* (1) *enim quis renatus fuerit ex aqua*

(1) Joa. c. 3. v. 5.

ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quare merito Baptiſmum Tridentina Synodus (1) nuncupavit *Sacramentum Fidei, ſine quo nulli umquam contigit juſtificatio*. Sacramentum hoc jam olim in Veteri lege pluribus (2) figuris, ac Prophetarum oraculis fuiſſe nobis prænunciatum Sacræ teſtantur Litteræ. Quid enim aquæ illæ, ad quas tam liberaliter omnes ſitientes Iſaias (3) invitat; & illæ, quas e templo egredientes Ezechiel (4) in ſpiritu vidit; & fons, quem Domui David, & habitantibus Jeruſalem paratum in ablutionem peccatoris Zacharias (5) prænunciavit, niſi ſalutarem Baptiſmi aquam, ſignificabant? At ubi venit plenitudo temporis, idem Sacramentum, primum in Joannis Baptiſmate clarius expreſſum, mox in Chriſti lavacro (6) juxta fluenta Jordanis ſanctificatum, atque inſtitutum fuit. *Ex quo enim*, ut ait S. Auguſtinus, (7) *Salvator in aqua ſe merſit, ex eo omnium gurgitum tractus, cunctorumque fontium venas myſterio Baptiſmatis conſecravit. Salvator autem baptizari voluit, non ut ſibi munditiam acquireret, ſed ut nobis fluenta mundaret*. Tandem Chriſtus ipſe poſt reſurrectionem ſuam, antequam reverteretur ad Patrem, legem de baptiſmate ſuſcipiendo tulit, cum ſic Apoſtolis præcepit (8): *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Cum itaque ſumma ſit baptiſmi neceſſitas, ſummaque dignitas; ſumma etiam ad illum opportune, riteque adminiſtrandum, ſuſcipiendumque adhibenda eſt diligentia.

II. Quamquam triplicem Theologi baptiſmum diſtinguant, ſcilicet fluminis, flaminis, & ſanguinis; Non tamen tria ſunt baptiſmi Sacramenta, ſed unum dumtaxat [cum in uno baptiſmo fluminis ratio Sacramenti reperiatur] juxta illud Apoſtoli (9): *Unus Dominus, una Fides, unum baptiſma*; quem locum S. Joannes Chryſoſtomus de ſpecifica baptiſmi unitate interpretatur. Et

(1) Trid. ſeſſ.6. cap.7.

(2) Catechiſ. Rom. par.2. de Sacramento Baptiſmi §.9.

(3) Iſaiæ c.55.

(4) Ezechiel. c.47.

(5) Zachariæ c.13.

(6) Catechiſ. Rom. loc. cit. §.20.

(7) S. Aug. ſerm.30. de tempore.

(8) Matth. c.28.

(9) Ad Epheſios cap.4.

ſane baptiſmus flaminis, & baptiſmus ſanguinis non ſunt Sacramenta, *cum non fiant accedente verbo ad elementum*: baptiſmi tamen (1) nomine nuncupantur, quia ſicuti baptiſmi lavacrum; ita perfecta cordis contritio, quæ charitate informetur, una cum voto, ſeu propoſito recipiendi baptiſmum [hic eſt baptiſmus flaminis] & martyrium pro Chriſti Fide toleratum [hic eſt baptiſmus ſanguinis] hominem a peccatorum ſordibus abluit, illumque juſtificat. Baptiſmus igitur fluminis, de quo hic loquimur, extra caſum martyrii eſt omnibus ad ſalutem neceſſarius neceſſitate, ut ajunt, *medii*, & parvulis quidem baptiſmus in re; adultis vero vel in re, vel in voto. Et ſane de parvulis ſic ait S. Auguſtinus (2). *Quiſquis dixerit, quod in Chriſto vivificabuntur etiam parvuli, qui ſine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto & contra Apoſtolicam prædicationem venit, & totam condemnat Eccleſiam, ubi propterea cum baptizandis parvulis feſtinatur, & curritur, quia ſine dubio creditur, aliter eos in Chriſto vivificari omnino non poſſe*. De adultis vero ſic totam rem Tridentina (3) Synodus definivit: *Quæ quidem tranſlatio* [ab eo videlicet ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ] *poſt Evangelium promulgatum ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in regnum Dei*. De baptiſmate fluminis, quod certe Sacramentum eſt, ea hic recenſeamus, quæ non ignoranda ſunt a Parochis, aliiſque Eccleſiæ Miniſtris, quoad ejus effectus, Miniſtrum, materiam, & formam, Sacroſque ritus, & cæremonias ex Eccleſiaſtico præcepto in ejuſdem adminiſtratione adhibendas.

III. Et quod ad effectus baptiſmi pertinet, primus, ac præcipuus eſt peccatorum omnium, [ſive originis vitio, ſive noſtra culpa contracta ſint] remiſſio, eamque ob cauſam inſtitutum a Chriſto

(1) Can. *Baptiſmi vicem*. de conſecr. diſt.4., cap. *Apoſtolicam*. de Presbytero non baptizato, Trid. ſeſſ.6. c.4., S. Auguſtinus lib. 3. de Civitate Dei cap.7., & S. Thom. quæſt. 87. artic. 1. ad 2.

(2) S. Auguſt. epiſt.28. ad Hieronym.

(3) Trid. ſeſſ.6. de juſtificatione c.4.

Chriſto eſſe hoc Sacramentum perſpicuis verbis Apoſtolorum Princeps (1) explicavit, cum inquit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*. Hæc enim eſt aqua illa munda, quam per Ezechielem (2) Dominus promiſit, ubi ait: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*. Omnia itaque in baptiſmate remittuntur crimina. *In renatis enim nihil odit Deus*, ut Concilii Tridentini (3) utamur verbis, *quia nihil eſt damnationis iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem; qui non ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti, ſunt hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, itaut nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur*. Efficit præterea baptiſmus, ut non modo peccata quoad culpam remittantur, ſed peccatorum etiam, & ſcelerum pœnæ omnes a Deo benigne condonentur, cum de baptiſmo dictum ſit ab Apoſtolo (4), *nos per ipſum Chriſto commori, & ſepeliri: Si autem complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus, ſimul & reſurrectionis erimus*. Praeterea hujus Sacramenti virtute non ſolum a malis, quæ vere mala ſunt, liberamur, verum etiam eximiis bonis, ac muneribus augemur: Divina enim gratia donamur, qua (5) Juſti, & Filii Dei effecti, æternæ (6) quoque ſalutis hæredes inſtituimur. Huic autem gratiæ additur nobiliſſimus omnium (7) virtutum comitatus, quæ in animam cum Gratia divinitus infunduntur. Per baptiſmum etiam Chriſto tamquam membra copulamur, & connectimur: unde fit, ut ex Chriſti Domini (8) plenitudine in omnes, qui juſtificantur, divina virtus, & gratia diffundatur, quæ nos ad omnia Chriſtianæ Pietatis

 officia

(1) Actorum c.2.

(2) Ezechiel. c.36.

(3) Trid. ſeſſ.5. de peccato originali.

(4) Ad Rom. c.6., S. Auguſtinus lib. 1. de nuptiis, & concupiſc., & S.Th. 3.par. qu.69. art.1.

(5) Joa. cap.1.

(6) Ad Rom. cap.6.

(7) Can. *Ad hæc*. de conſecrat. diſt.4., S.Th. 3.par. qu.69. art.5.

(8) Joa. c.1.

officia habiles reddit. Quod ſi tanta virtutum copia inſtructi, adhuc non ſine magna difficultate, ac labore pias, honeſtaſque actiones inchoamus, aut certe abſolvimus; id eam ob rem evenit, quia per Baptiſmum acerrima cupiditatis pugna adverſus ſpiritum non ablata, ſed relicta in nobis eſt. In baptizatis enim concupiſcentia, ſeu fomes remanet; ſed illa vere peccati rationem non habet, niſi ejuſdem appetitionibus, quæ rationi repugnant, conſentiamus, aut in iis infringendis negligentes ſimus. *Concupiſcentiæ reatus*, inquit S. Auguſtinus (1), *in baptiſmate ſolvitur, ſed infirmitas manet. Concupiſcentia enim, quæ ex peccato eſt, nihil aliud eſt, niſi animi appetitio, natura ſua rationi repugnans: qui tamen motus, ſi voluntatis conſenſum, aut negligentiam conjunctam non habeat, a vera peccati natura longe abeſt.* In hac tamen cupiditatis adverſus ſpiritum contentione animo frangi Chriſtianum hominem non decet, cum Dei benignitate freti ſperare debeamus futurum, ut quotidiana recte vivendi exercitatione, *quæcumque* (2) *pudica ſunt, quæcumque juſta, & ſancta*, eadem etiam facilia, & jucunda videantur, & ſint. Poſtremo per Baptiſmum charactere conſignamur, qui ex anima deleri numquam poteſt. Ex hujus autem characteris vi, ac natura definivit Eccleſia (3), Baptiſmi Sacramentum ſine ſacrilegio iterari non poſſe, eaque de re Fideles, ne aliquando in errorem inducantur, ſæpe, & diligenter a Paſtoribus eſſe admonendos. Propterea dixit Apoſtolus (4): *Unus Dominus, una fides, unum baptiſma.*

IV. Primis Eccleſiæ ſæculis a ſolis Epiſcopis (5), & quidem Sabbato tantum majoris Hebdomadæ, & in pervigilio Pentecoſtes, niſi aliter neceſſitas poſtularet, poſt Fontis Baptiſmalis conſecrationem, ſolemni ritu Baptiſmus conferri conſuevit. Hinc in

(1) S. Auguſt. lib.1. de nuptiis, & concupiſc. cap.23., & 25.

(2) Ad Philipp. c.4., ad Romanos c.15.

(3) Trid. ſeſſ.7. de Baptiſmo cap.11., & ſeſſ.14. de Sacram. Pœnit. cap.2., & cap. *Majores*. §. ult. de Baptiſmo.

(4) Ad Epheſ. c.4.

(5) Siricius Papa in epiſt. ad Himerium Epiſc. Tarracon., S. Leo Magnus epiſt.4., & 80., Gelaſius Papa epiſt.1.c.12., S. Gregorius Magnus lib.1.epiſt.42.ad Romanum Italiæ Præfectum.

in ſolis (1) etiam Eccleſiis, in quibus reſidebat Epiſcopus, Baptiſteria habebantur. At cum deinde Chriſtianorum numerus ſingulari Dei beneficio magis in dies propagaretur, factum eſt, ut Baptiſmum, nulla etiam urgente neceſſitate, quocumque liceret tempore conferre, & pluribus etiam aliis, præter Epiſcopos, illum adminiſtrandi poteſtas fieret, Fonteſque Baptiſmales in multis Urbium partibus, & in agris ipſis a Civitate longe disjunctis pro Populi commoditate collocarentur. Secundum præſentem vero Eccleſiæ diſciplinam cautum eſt, ut in Cathedralibus Eccleſiis Baptiſmi Fons Sabbato (2) Majoris Hebdomadæ, ac in Pervigilio Pentecoſtes ab Epiſcopo de more conſecretur, & Catechumeni, ſi qui adſint, ſacrum ab ipſo lavacrum accipiant. Quod ſi (3) impedimento aliquo detentus Epiſcopus perficere id nequeat, alium ipſe ſufficiat, qui ſuo nomine, & facultate rem totam adminiſtret. Ut autem id pro rei dignitate geratur, Sacræ Congregationes Cardinalium declararunt, ſi in Eccleſia Cathedrali id fiat, non modo Canonicos, Clericoſque omnes ejuſdem Cathedralis ſervitio adſcriptos, ſed alios quoque Presbyteros, Parochos, & Clericos ab Epiſcopo accitos adeſſe debere, quamquam non ab Epiſcopo, ſed ab alio conſecratio peragatur: in aliis vero Eccleſiis, in quibus Fons aſſervatur, intereſſe debere Parochos iiſdem Eccleſiis ſubjectos, ſi qui ſint, reliquoſque Sacerdotes, & Clericos earumdem ſervitio adſcriptos. Quæ quidem omnia ſervari volumus, ac præcipimus tum in Noſtra Cathedrali, tum in Parochialibus Noſtræ Diœceſis Eccleſiis. Legitimus autem Baptiſmi Miniſter, ut noſtrorum temporum fert diſciplina, eſt Parochus (4), ſive alius Sacerdos ab Epiſcopo, vel Parocho delegatus. At ſi infanti recens nato mortis proximæ periculum

(1) Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus lib.1.

(2) Can. *Duo tempora*, & ſeqq. de conſecrat. diſt.4., Catechiſmus Romanus c.2. de Sacram. Baptiſmi n.61., Rituale Rom. lib.2. cap.27.

(3) Benedictus XIV. Inſtit.1. n.6.

(4) Clemens I. epiſt.3., Concil. Flor. in decret. unionis, Concil. Mediolan. I. par.2. tit. de Baptiſmo, can. *Conſtat*. de conſecr. diſt.4.

lum immineat, tunc, *ne* (1) *quiſpiam ſine remedio ſalutari de ſæculo evocetur*, ſine ullo ritu, ac cæremonia a quolibet, etiam (2) Laico, Infideli, Hæretico, vel excommunicato, & etiam a muliere Baptiſmus conferri poteſt, dummodo forma, materies, debitaque intentio rite ſerventur, & qui ampliori dignitate ſunt præditi, cæteris ſemper præferantur, ac virorum potiſſimum præ mulieribus ratio habeatur, niſi forte modeſtiæ cauſa aliter faciendum videatur, cum proles ex utero matris non integre demiſſa magno in periculo conſtituta eſt, aut ſi mulier pro Sacramento adminiſtrando aptior, ac peritior judicetur. Qua quidem in re mirari ſatis non poſſumus divinam Bonitatem, ac Sapientiam, quæ, cum ſumma ſit hujus Sacramenti neceſſitas, quemadmodum aquam ejus materiam inſtituit, qua nihil magis commune eſſe poteſt, ſic etiam neminem, cum mortis urget periculum, ab ejus adminiſtratione voluit excludi.

V. Cum tamen frequentiſſime contingat, ut infantes recenter natos, qui proxime morituri videntur, ſalutari lavacro expiare cogantur obſtetrices; Illud curandum potiſſimum Nobis eſt, ut hujuſmodi mulieres ea omnia probe calleant, quæ ad rem tanti momenti bene gerendam neceſſario requiruntur. Sanctiſſimum idcirco Antiſtitem Carolum Borromæum (3), qui Eccleſiaſticam diſciplinam non mediocriter labefactatam inſtauravit, imitati, Vicario Noſtro Generali diſtricte præcipimus, ut nullam obſtetricem in hac Civitate, ac Diœceſi munus ſuum exercere patiatur, niſi illam prius in examen vocaverit, & ſatis idoneam ad Baptiſmum conferendum repererit. Ea autem interroganda potiſſimum erit de materia, ac forma hujus Sacramenti, & qua ratione, cum materia traditur, verba pronunciari oporteat cum intentione id faciendi, quod intendit Eccleſia. De eventibus etiam inter-

(1) Can. *Conſtat*. de conſecr. diſt. 4.

(2) Cap. *Firmiter*. de Summa Trinitate, can. *Romanus*; & can. *A quodam Judæo*. de conſecrat. diſt. 4., Concilium Florentinum in decret. unionis Armenorum, Tridentinum ſeſſ. 7. can. 4. de Baptiſmo.

(3) Acta Mediolanen. Eccleſiæ tom. 1. editionis Mediolanen. pag. 220., Rituale Romanum de Sacramento Baptiſmi tit. *De baptizandis pueris*.

interrogetur, qui in Rituali Romano (1) recenſentur, ac præcipue quid agendum ſit, cum infans, de cujus vita magnopere dubitatur, e Parentis utero caput, aut aliam corporis partem dumtaxat emiſerit. Si poſt diligens hoc examen, quod iterari quotannis omnino jubemus, idoneam ad conferendum Baptiſmum Vicarius Generalis obſtetricem invenerit, facultatem in ſcriptis, & gratis eidem faciat exercendi ad annum munus ſuum. Si qua vero earum ſine prævio examine, & ſine hujuſmodi licentia in ſcriptis obtenta obſtetricandi munus exercere audeat, Parochis diſtricte mandamus, ut illam nobis denuncient gravibus arbitrio Noſtro plectendam pœnis. Quoties autem (2) infantem aliquem obſtetrices Baptizaverint, toties diligentiſſime ſunt a Parochis examinandæ, an, & quomodo, quibus verbis, & forma, qua materia, & aqua, & qua intentione Baptiſmum puero contulerint? Et ſiquidem debitam materiam, formam, atque Eccleſiæ intentionem adfuiſſe compererint, ne ſub conditione quidem iterandus eſt Baptiſmus; ſed ubi a periculo infans evaſit incolumis, quam primum fieri commode poteſt (3), ad Eccleſiam deferendus eſt, in qua Baptiſmi Fons aſſervatur, ibique cæremoniæ omnes, propter urgentem neceſſitatem omiſſæ, religioſe ſunt perficiendæ. Quicumque vero (4), ſive Sacerdos, ſive Laicus, ſive etiam obſtetrix privatum domi Baptiſmum, urgente neceſſitate, adminiſtraverit, ejus rei teſtimonium Parocho faciat, ut privatus ejuſmodi Baptiſmus ab eodem deſcribatur in libro, in quo puerorum omnium, qui in ſua Parœcia Baptizantur, nomina, ac diem, quo Baptiſmo abluti ſunt, adnotare jubetur.

VI. Duplex eſt materia baptiſmi, alia remota, & alia proxima. Materia remota eſt naturalis, & elementaris aqua, ſive ea maris ſit, ſive fluvii, ſive paludis, ſive putei, aut fontis, ſive alia quælibet, quæ ſine ulla additione dici ſolet aqua. Eam quippe eſſe

(1) Rituale Romanum loc. cit.

(2) Catechiſ. Rom. par.2. cap.2. §.43., Synodus Conſtantienſis par.1. tit.6. n.4.

(3) Benedictus XIV. Inſtit.98. n.13.

(4) Benedictus XIV. Inſtit.98. n.14.

eſſe baptiſmi materiam a ſe (1) inſtitutam Chriſtus aperte docuit dicens: *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei*. Hanc vero materiam eſſe baptiſmi naturæ, ac virtuti maxime conſentaneam, facile patet. In primis enim (2) cum hoc Sacramentum ad vitam æternam aſſequendam ſit omnibus abſque ulla exceptione neceſſarium, oportuit ejus materiam facile parari ab omnibus poſſe: quid autem parari facilius ab omnibus poteſt, quam aqua, quæ nuſquam non præſto eſt? Deinde ſi materia ſignificare Sacramenti effectus debet; quid baptiſmi effectus clarius ſignificat, quam aqua? Ut enim aqua ſordes abluit, ita per baptiſmum peccatorum maculæ eluuntur, & quemadmodum aqua refrigerandis corporibus aptiſſima eſt, ſic per Baptiſmum cupiditatum ardor magna ex parte reſtinguitur. Verum etſi quælibet, ut diximus, naturalis, ac elementaris aqua ad Baptiſmum valide miniſtrandum ſufficiat; illicite (3) tamen extra neceſſitatis caſum in ſolemni Baptiſmi adminiſtratione alia adhiberetur aqua, quam quæ ſolemni ritu aut Sabbato Sancto, aut in pervigilio Pentecoſtes benedicta fuit, & in Baptiſmali fonte aſſervatur. Aqua vero artificialis, quæ ex floribus, aut herbis per diſtillationem educitur, & liquor ille, qui ſponte ſua e vitibus, arboribuſque promanat, ſunt materia dubia, numquam ſane in Baptiſmi collatione adhibenda, niſi cum certa haberi nequeat materia, & periculum inſtet, ne baptizandus moriatur; & tunc quidem nonniſi ſub conditione Baptiſmum conferre licet. Materia proxima hujus Sacramenti eſt ſenſibilis, & phyſica corporis per aquam ablutio, quæ fieri tripliciter poteſt. 1. ſi Baptiſmo initiandi in aquam mergantur. 2. ſi in eos aqua infundatur. 3. ſi aquæ aſperſione, quæ ad abluendum ſufficiat, tingantur. Quæcumque ex his ablutionibus adhibeatur, Baptiſmus vere perficitur. At cum aquæ effuſio in baptizandum jam a pluribus ſæculis in Ec-

(1) Joa. c. 3.

(2) S. Hieron. epiſt. 84. tom. 2., & S. Th. in 3. par. qu. 66. art. 3.

(3) Clement. unica de Baptiſmo, & Catechiſmus Rom. par. 2. de Baptiſmo §. 11., Benedictus XIV. Conſtit. *Inter omnigenas*. §. 20. edita 2. Febr. 1744.

Digitized by Google

in Eccleſia Latina prævaluerit, eam in conferendo Baptiſmate adhiberi in tota Noſtra Diœceſi jubemus. Cavendum tamen hic eſt (1), non quamlibet corporis partem, ſed potiſſimum caput, in quo omnes tum interni, tum externi ſenſus vigent, per aquæ Baptiſmalis infuſionem eſſe abluendum; ſimulque ab eo, qui baptizat, verba, quæ Sacramenti formam continent, eodem tempore, quo ablutio ipſa peragitur, eſſe pronuntianda.

VII. Forma, quæ in hoc adminiſtrando Sacramento ſervanda eſt, & ab Eccleſia Latina ſervata ſemper fuit, ſunt verba illa: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ita enim illam Chriſtus Dominus tradidit, cum Apoſtolis (2) præcepit: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Obſtetrices vero, ne, cum infantes urgente neceſſitate baptizant, ex latini ſermonis imperitia in errorem aliquem prolabantur, Baptiſmi formam Italico idiomate proferre addiſcant, & hac utantur forma: *Io ti battezzo in nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito Santo.* Unus præterea, idemque Miniſter & verba proferat, & aquam effundat (3), tum quia hæc eſt Chriſti inſtitutio, & Eccleſiæ praxis; tum quia falſa eſſet formæ ſignificatio, ſi alius eſſet, qui diceret *ego te baptizo*, & alius, qui aquam infundens ablueret, & revera baptizaret.

VIII. Quamquam Baptiſmus, uti ſuperius monuimus, ſine ſacrilegio iterari non poſſit, & contra rebaptizantes (4) irregularitatis pœna ipſo facto incurrenda in jure Canonico ſit conſtituta; Non tamen iterari Baptiſmum dicendum eſt, ſiquis, cum incertum de eo ſit, an baptizatus vere jam fuerit, ſacris iterum undis, ſed hac interpoſita (5) conditione, abluatur. *Si baptizatus es, te non baptizo; ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In iis enim circumſtantiis ex una

Rrr parte

(1) Conc. Toletanum IV. can. 5., S. Th. in 3. par. qu. 66. art. 7. ad 3., & Catechiſm. Rom. part. 2. de Sacram. Baptiſmi §. 9.

(2) Matth. c. 28.

(3) S. Th. par. 3. qu. 67. art. 7.

(4) Can. *Eos qui*. de conſecr. diſt. 4., & cap. *Ex litterarum*. de Apoſtatis, & reiterantibus Baptiſmum.

(5) Alexander III. in cap. *De quibus dubium*. de Baptiſmo, & ejus effectu.

Digitized by Google

parte nulla ſit irreverentia Sacramento, cum ita collatum periculo nullitatis non ſit obnoxium; ex alia vero æternæ hominis ſaluti, propter quam Sacramentum eſt inſtitutum, certiori modo conſulitur. Verum non licet (1) quemvis ſine delectu, levi qualibet ſuſpicione propoſita, Sacra iterum ablutione ſub conditione donare; ſed in iis tantum id fieri permittitur, de quibus, re diligenter perquiſita, prudens relinquitur dubium, an Baptiſmum rite ſuſceperint; uti contingit ex:gr. in infantibus (2), qui expoſiti reperiuntur. Ii enim ſub conditione ſunt baptizandi, quamquam ſchedulam adminiſtrati Baptiſmi collo ſuſpenſam habeant, niſi vel cognoſcatur is, qui chartulam ſcripſit, eidemque fides tuto præſtari poſſit, vel teſtis aliquis ſive maſculus, ſive fœmina, dummodo ei fides adhiberi prudenter poſſit, baptizatum fuiſſe infantem teſtetur: Baptiſmati enim comprobando unius ſufficere teſtimonium, vetus eſt Juriſperitorum axioma, cujus veritas ab Eccleſiaſticorum Tribunalium praxi confirmatur. In adducto enim caſu, cum prudens ſuſpicio ſubſit, ob ignorantiam, ob temporis anguſtiam, ob metum, animique perturbationem eſſentiale aliquid omitti potuiſſe, neceſſario conferendum eſt Sacramentum, quod certo collatum eſſe neſcitur, *quoniam non (3) monſtratur iteratum, quod non certis indiciis oſtenditur rite peractum*. Simile quid uſuvenire poteſt in infantibus, qui, licet in lucem nondum prodierint, aliquam tamen ſui partem emiſerunt ex utero. His enim, ſi mortis inſtet periculum, in ea parte, quæ ex utero emerſit, Baptiſmum eſſe conferendum ſtatuit Rituale (4) Romanum, ita tamen, ut ſi ejus caput ſacro tinctum fuerit lavacro, ne conditionate quidem repetatur Baptiſmus: at ſi non caput, ſed alia quælibet corporis pars aqua perfundatur; tunc parvulus, ſi vivus in lu-

(1) Benedictus XIV. Inſtit. 84. n.5., & 7., Sac. Cong. Concil. 19.Dec. 1682., & 27. Martii 1683.

(2) Can. 110., & 112. de conſecrat. diſt.4., cap. *Nuper*. de teſtibus, Sacra Congr. Concil. in una Urbis 15. Januarii 1724., Benedictus XIV. in Conſtit. *Poſtremo menſe*. §.27., & 31.

(3) Can. *Si nulla*. de conſecr. diſt.4., & can. *Solemnitates*. de conſecr. diſt.1.

(4) Rituale Rom. tit. de baptizandis parvulis.

Digitized by Google

in lucem prodierit, ſub conditione iterum baptizetur. Quæ quidem res ſtatuitur etiam in Rituali Sacramentorum, quod juſſu (1) Gregorii XIII. Cardinalis Julius Antonius Sanctorius Romæ vulgavit, & in inſtructionibus S. Caroli Borromæi, quibus conſonat Angelicus Doctor, ubi ait: *Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitæ ita conſiſtit, ſicut in capite, videtur quibuſdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer poſt perfectam nativitatem ſit baptizandus ſub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Nos autem in his, ac ſimilibus caſibus volumus, ac jubemus, ut Parochi, aliique, quorum intereſt, quidquid in Rituali Romano præſcribitur, exacte exequantur. Quod ſi difficilior quandoque caſus evenerit, Parochi Nos conſulant, ut auditis Theologorum conſiliis, quid agendum ſit, decernere valeamus.

IX. *Præſenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis, vel Cameris, aut aliis privatis domibus, ſed dumtaxat in Eccleſiis, in quibus ſunt ad hoc fontes ſpecialiter deputati, aliquos (niſi Regum, vel Principum, quibus valeat in hoc caſu deferri, liberi extiterint, aut talis neceſſitas emerſerit, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo propter hoc acceſſus haberi) audeat baptizare. Qui autem ſecus præſumpſerit, aut ſuam in hoc præſentiam exhibuerit, ita per Epiſcopum ſuum caſtigetur, ut alii attentare ſimilia non præſumant*: Sic expreſſe cautum eſt in Concilio Viennenſi a Clemente V., cujus decretum in hac Noſtra Diœceſi ſancte, ac religioſe ab omnibus, ad quos pertinet, ſervari jubemus; illud etiam adjicientes, ut Baptiſmi Sacramentum in ipſis quoque Eccleſiis neque ante Solis ortum, neque poſt ejus occaſum ſine Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis licentia ſolemniter adminiſtretur.

X. Cum nonniſi per lavacrum Baptiſmi in ſpem vivam, & hæreditatem incorruptibilem regenerari, æternamque ſibi comparare ſalutem infantes poſſint; Iis proinde, ſtatim ac in lucem prodie-

(1) Rituale Sacramentorum editum Romæ 1584., S. Carolus Borromæus in Act. Eccleſ. Mediol. par.4. pag.497. §. *Si vero fœtus*, & S.Th.3.par. qu.68. art.11.

prodierint, Baptiſmum conferri poſſe Tridentina Synodus docuit, & feſtinandum omnibus eſſe ſine mora renaſci, ſcripſit Sanctiſſimus Pontifex (1) Clemens I. Hinc facile intelligimus, quam gravi culpa (2) illi ſe obſtringant, qui eos Sacramenti gratia diutius, quam neceſſitas poſtulet, carere patiantur, præſertim cum propter ætatis imbecillitatem innumera pene vitæ pericula iiſdem impendeant. Quamobrem monemus Parentes omnes, iiſque diſtricte præcipimus, ne ultra triduum (3) ſuorum infantum Baptiſmus differatur, niſi multo citius conferri imminens vitæ periculum cogat. Quod ſi ultra tertium diem ſine juſta cauſa, Noſtraque, aut Vicarii Noſtri Generalis licentia protrahatur, tam parentes, quam alii, quorum culpa, aut negligentia id contigerit, pecuniaria pœna pro arbitrio Noſtro multabuntur. Parochi autem hac ſuper re diligentiam omnem adhibeant, & curent omnino, ut Noſtrum hoc decretum fideliter executioni demandetur. Ut autem facilius præſtare id poſſint, volumus, ut obſtetrices de infantum ortu Parochos ſtatim moneant: niſi fecerint, gravibus a Nobis plectentur pœnis. Parochos etiam (4) magnopere hortamur, ut Populum de hoc graviſſimo negotio diligenter imbuant ſemel ſaltem per anni curſum, cum Sacras ad Altare de more conciones habent.

XI. Caveant omnino Parochi ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis, ne, quæ Baptizandis imponuntur, nomina (5) ſint obſcena, aut fabuloſa, aut ridicula, aut inanium Deorum, ſeu etiam Ethnicorum hominum, qui ſceleratiſſimi fuerunt; ſed a Sanctis duntaxat mulieribus, aut viris nomina imponenda mutuentur, ut Baptizati eorum (6) exemplis ad pie vivendum excitentur in Terris, eorum autem patrocinio protegantur in Cœlis. Parentes

(1) Clemens I. epiſt.51.

(2) Catechiſ. Rom. par.2. de Sacram. Baptiſmi §.34.

(3) Edictum Romæ promulgatum anno 1723., Benedictus XIV. Inſtitut.98. n.3., Concilium Bituricenſe anni 1582., & S. Antoninus in Summa par.3. tit.14. cap.13.

(4) Benedictus XIV. cit. Inſtit. n.8.

(5) Concil. Nicæn. can.39., can. *Non plures*. de conſecrat. diſt.4.

(6) S. Joa. Chryſoſt. hom.22. in Geneſ.

tes etiam moneant, ne, quæ eorum liberis impoſita in Baptiſmo fuerunt nomina, immutent, iiſque non levia proponant incommoda, quæ inde oriri facile poſſunt: Præterea præcipimus Parochis, ne duos germanos fratres, quamquam eorum unus obierit, eodem appellari nomine patiantur; ſed per alterius nominis additionem unum ab altero diſcriminentur. Sic enim omnis erroris periculum evitabitur, cum de natali alterutrius die teſtimoniales litteras Parochus vel ad matrimonium celebrandum, vel ad Sacros Ordines ſuſcipiendos expediet. Tandem Fideles omnes ſerio, & frequenter hortentur Parochi, ut veterum Chriſtianorum exempla imitati, anniverſarium ſuſcepti Baptiſmatis recolant quotannis diem, multaſque ex imo corde preces Deo porrigant, ut gratiæ ſanctificantis donum, quo in Baptiſmate divinæ facti ſunt conſortes naturæ, integrum, illæſumque cuſtodiant, aut ſi forte per ſummam imprudentiam amiſerint, per veram pœnitentiam quam citiſſime recuperent: quem etiam in finem eleemoſynas, aliaque pietatis, & charitatis opera pro ſua quiſque facultate precibus adjungat.

XII. Quemadmodum poſtquam aliquis editus in hanc lucem eſt (1), nutrice, & pædagogo indiget, ut eorum ope, atque opera educetur, ac doctrina, boniſque artibus imbuatur; ita etiam neceſſe eſt, ut, qui per ſpiritualem Baptiſmi regenerationem filii Dei naſcuntur, & juxta illud Apoſtolorum Principis Petri (2), *ſicut modo geniti infantes, rationabiles ſine dolo lac concupiſcunt*, alicujus fidei, ac prudentiæ committantur, a quo Chriſtianæ Religionis præcepta haurire, & ad omnem pietatis rationem inſtitui poſſint. Hinc factum eſt, ut ex vetuſtiſſima Catholicæ Eccleſiæ conſuetudine in ſolemni Baptiſmatis adminiſtratione Patrini adhibeantur, qui apud veteres rerum divinarum Scriptores communi *Suſceptorum*, *Sponſorum*, ac *Fidejuſſorum* vocabulo nuncupantur. Ii quippe Catholicam pro puero fidem profitentur, ejuſque nomine ſpondent, illum fideliter eſſe ſervaturum, quæcumque tunc ab

(1) Catechiſ. Rom. par. 2. de Sacram. Baptiſmi §. 26. (2) 1. Petri c. 2.

Digitized by Google

ab iis promittuntur. Verum cum hoc munus adeo negligenter in Eccleſia tractetur, ut qui illud ſuſcipiunt, quænam ſint eorum partes, & quid ab illis exigatur, ignorent; Parochi idcirco illos erudiant, ut munus, quod obeunt, & obligationem, quam in illo obeundo ſuſcipiunt, ſatis intelligant, ac diligenter exequantur. Qua quidem in re S. Auguſtini (1) verbis utantur, quibus idem Sanctus Doctor populum ſibi commiſſum erudiebat, dicens: *Vos ante omnia tam mulieres, quam viros, qui filios in Baptiſmate ſuſcepiſtis, moneo, ut vos cognoſcatis fidejuſſores apud Deum extitiſſe pro illis, quos viſi eſtis de Sacro Fonte ſuſcipere. Ideoque eos admonete, ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam diligant, charitatem teneant. Ante omnia Symbolum, & Orationem Dominicam eos docete, Decalogum etiam, & quæ ſunt prima Chriſtianæ Religionis rudimenta.*

XIII. Neque vero ad hoc Patrini munus obeundum in cujuſlibet infantis Baptiſmo plures, quam duo, vir videlicet, & mulier admitti poſſunt, quemadmodum Tridentina Synodus decrevit. Cum enim non modo is, qui Baptizat, cum Baptizato, ſed Patrini etiam, cum eo, quem e Sacro Fonte ſuſcipiunt, & cum naturalibus ejuſdem parentibus ſpirituali cognatione devinciantur, itaut matrimonia inter hos omnes iniri non poſſint, atque inita dirimantur; ſi plus, quam duo, ad Patrini munus admitterentur, jam plurima inde incommoda in Chriſtianam Rempublicam facile dimanarent. En Tridentini Concilii verba (2), quæ a Parochis attente perlegi, ac mature conſiderari jubemus: *Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur. Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere, & a cognationis Spiritualis impedimento incipiens ſtatuit, ut unus tantum ſive vir, ſive mulier, juxta Sacrorum Canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una Baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, inter quos, ac Baptizatum,*

(1) Can. *Vos ante*. de conſecr. diſt. 4., S. Aug. ſerm. 163., & 165. de tempore.

(2) Trid. ſeſſ. 24. de reformat. Matrimonii cap. 2.

tum, & illius patrem, & matrem, necnon inter Baptizantem, & Baptizatum, Baptizatique patrem, ac matrem tantum Spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad Baptiſmum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut Baptizatum de Sacro Fonte ſuſcipiant, & eum, vel eos tantum ad illum ſuſcipiendum admittat, & in libro eorum nomina deſcribat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excuſari valeant. Quod ſi alii, ultra deſignatos, Baptizatum tetigerint, cognationem Spiritualem nullo pacto contrahant, conſtitutionibus in contrarium facientibus non obſtantibus. Si Parochi culpa, vel negligentia ſecus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Hanc vero Spiritualem cognationem Parentes inter ſe non contrahunt, ſi eorum alteruter, urgente neceſſitate, filium ſuum privatim Sacro regenerationis lavacro abluat. *Si genitor filium ſuum*, inquit Joannes VIII. (1), *corpore morientem aſpiciens, ne animam perpetua morte pereuntem dimitteret, ſacri unda Baptiſmatis lavit, bene feciſſe laudatur. Idcirco ſuæ Uxoris ſibi jam legitime ſociatæ impune, quamdiu vixerit, judicamus manere conjunctum: quod enim neceſſitas intulit, inculpabile eſt judicandum.*

XIV. Præterea non omnibus indiſcriminatim ſanctæ hujus tutelæ adminiſtratio eſt committenda; ſed prohibendi ab illa ſunt ii, qui eamdem gerere aut fideliter nolint, aut ſedulo, & accurate non poſſint. Hujuſmodi ſunt 1. (2) Judæi, Infideles, Hæretici, publice excommunicati, aut interdicti, publice criminoſi, qui Sacramenta Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ in Paſchate non ſuſceperint, & de hoc crimine publice ſint notati &c. 2. impuberes, maſculi videlicet, qui decimum quartum, & fœminæ, quæ duodecimum ætatis ſuæ annum non abſolverint; vel etiam puberes, ſi nondum Sacramento Confirmationis fuerint initiati. 3. qui Fidei rudimenta (3), Apoſtolorum Symbolum, ora-

(1) Can. *Ad Limina*. cauſ.30. qu.1.

(2) Catechiſ. Rom. par.2. de Baptiſm. §.29., & Rituale Rom. de Sacram. Baptiſmi tit. de Patrinis, can. *In Baptiſmate*. de conſecr. diſt.4., & Concil. Moguntin. cauſ.59.

(3) S.Carolus Borromæus in Conc. Provinc.I. par.2., & in Diœceſano II. decr.15.

Digitized by Google

orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, ac Dei, Eccleſiæque præcepta ignorant: Eſt enim ab omni ratione alienum, ut, qui ſe Deo fidejuſſores conſtituunt, ii res illas neſciant, quibus ſe alios inſtructuros eſſe pollicentur. 4. Moniales, cujuſvis Ordinis Regulares, & (1) Clerici etiam Sæculares, ſi aut Eccleſiaſticum obtineant beneficium, aut in Sacris Ordinibus ſint conſtituti, niſi ſpecialem a Nobis obtinuerint licentiam; Regulares vero, niſi præter Noſtram, a ſuis etiam Superioribus facultatem impetrarint.

XV. Parochi, aliique Sacerdotes de Parochorum licentia Sacramentum Baptiſmi ſolemniter adminiſtrantes, ea, qua decet, animi reverentia, ſacrarumque veſtium, ac vaſorum munditie ritus omnes, ac cæremonias ab Eccleſia præſcriptas ſancte, religioſeque adhibeant: omnes enim ritus (2), quibus in hujus collatione Sacramenti nunc utimur, antiquiſſimi ſunt, & vel ex Apoſtolorum traditione manarunt, vel a Sanctiſſimis Patribus ſunt inſtituti. Dent autem operam animarum Paſtores, ut has cæremonias Fideles intelligant, adeoque eaſdem, arrepta occaſione, aperte, ac breviter Populo explicent, cum eæ imaginem, & ſignificationem earum rerum præſeferant, quæ in Sacramento geruntur. Perbrevem Nos earum explicationem populorum captui accommodatam in Appendice num. 3. ſubnectimus, ut eadem Parochis vel in habenda concione, vel in Catechiſmo explicando præſto ſit, opportunamque materiam ſuppeditet. Summam tum in ipſo baptiſmali fonte, tum in Sacrorum Oleorum vaſis, tum denique in reliqua Sacra ſupellectili ad hujus Sacramenti adminiſtrationem neceſſaria, munditiem curent Parochi: ſecus pecuniaria pro arbitrio Noſtro multabuntur pœna.

XVI. Si forte aqua ſolemni ritu benedicta magna ex parte defecerit, poterit Parochus (3), antequam tota deficiat, novam aquam

(1) Can. *Non licet*; can. *Monachi*; & can. *In Baptiſmate*; de conſecr. diſt. 4., Concilium Aquenſe anni 1585.

(2) Bellarminus de Sacram. Baptiſmi lib. 1. c. 24.

(3) Rituale Rom. de Bapt. tit. 2. cap. 1.

aquam non benedictam, in minori tamen quantitate, præexiſtenti affundere, & cum illa immiſcere. At ſi tota vel corrupta ſit, vel defecerit, tunc is ſuperpelliceo, ac ſtola indutus in fontem bene mundatum, ac nitidum recentem aquam infundat, eamque benedicat ex formula, quæ ad hunc finem in Rituali Romano (1) præſcribitur. Si forte baptiſmalis fontis aqua nimium frigida ſit, tunc, ne infanti baptizando noceat, admiſceri eadem poterit in vaſculo ad id parato cum modica aqua naturali non benedicta, quæ ad ignem incaluerit. Alia plura hujuſmodi Parochus addiſcere poterit ex Rituali Romano, cui legendo aſſiduam det operam. Ut omnis ſuperſtitioni aditus præcludatur, caveant Parochi (2), ne ſal, candelæ, goſſipium, ſudariola, aliaque adhibita in hujus Sacramenti adminiſtratione domum a Sæcularibus deferantur, ſed omnia ab ipſis Parochis retineantur, cauteque cuſtodiantur, vel ad normam Sacrorum Canonum, quæ ſunt comburenda, comburantur, eorumque cineres projiciantur in Sacrarium.

XVII. Illam vero curam etiam,atque etiam Parochis demandamus, ut ſtatim, ac Baptiſmum adminiſtraverint, antequam e Templo infans, ac Patrini diſcedant, in codicem ejus rei cauſa comparatum, baptizati infantis, ejuſque parentum, ac patrinorum nomina, & cognomina referant juxta Ritualis Romani formulam, quam exacte ſervari volumus; itaut annus, menſis, ac dies, quo quiſque baptizatus, atque etiam quo editus in lucem fuit, non arithmeticis notis, ſed per extenſum deſcribantur. Is autem liber diligentiſſime a Parocho cuſtodiatur, ne in aliorum manus deveniat, atque aliena malitia, aut dolo vitiari poſſit. Quod ſi Parochus vel in hujuſmodi deſcriptione, vel in hujus codicis cuſtodia negligens fuerit, pecuniaria pœna arbitrio Noſtro multabitur. Quomodo autem gerere ſe debeat Parochus, cum proles ex occulto matrimonio, quod *conſcientiæ* dicitur,

(1) Rituale Rom. loc. cit. c.7. de ſervandis poſt Baptiſmum.

(2) Inſtruct. Eccleſ. Mediol. S. Caroli tit.

Digitized by Google

orta, ſalutaribus Baptiſmi aquis eſt abluenda, dicemus inferius, ubi de ejuſmodi matrimoniis occultis diſſeremus. Tandem animarum Paſtores hortentur Matres, ut non minus, antequam pariant, Pœnitentiæ Sacramento ſe muniant, ne mortis pericula, quæ plurima in partu occurrunt, eas imparatas inveniant; quam poſt partum, cum primum domo exierint, ad Eccleſiam ſe conferant, atque in ejus oſtio conſiſtant, ut juxta Ritualis Romani formulam benedictionem a Parocho accipiant, a quo tamen nihil prorſus pro ea exigi poſſit. Quamquam enim *Mulier* (1) *cum pepererit, jam non meminit preſſuræ propter gaudium, quod natus eſt homo in mundum*; divinæ tamen meminiſſe debet beneficentiæ, cujus munere factum eſt, ut e partu evaſerit incolumis. Quare recta ratio, gratique animi virtus poſtulat, ut Puerperæ, cum primum poſſunt, in Parœcialem Eccleſiam ſe conferant debitas bonorum omnium Largitori gratias acturæ; & ut in domum Domini, quam omnis decet ſanctitudo, puriores ingrediantur, adhibitis Eccleſiæ precibus, ac ritibus benedictionem a ſuo Paſtore accipiant, ab eoque in Sanctuarium deducantur.

CAPUT VIII.

DE CONFIRMATIONIS SACRAMENTO.

SPiritus Sanctus (2), qui ſuper aquas Baptiſmi ſalutifero deſcendit illapſu, ſicut in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, ſic in Confirmatione augumentum præſtat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter inviſibiles hoſtes, & pericula gradiendum eſt; in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum confirmamur ad pugnam: in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur: & quamvis continuo tranſituris ſufficiant regenerationis beneficia; victuris tamen neceſſaria ſunt Confirmationis auxilia. Regeneratio per ſe ſalvat mox in pace beati

(1) Joa. c.16.

(2) Can. *Spiritus Sanctus*. de conſecr. diſt.5., Catechiſm. Roman. de Sacram. Confirmat. §.5.

beati ſæculi recipiendos: Confirmatio autem armat, & inſtruit ad agones Mundi hujus, & prælia reſervandos.

II. Non eſt itaque Confirmatio otioſa cæremonia, uti per inſaniam dictitant Novatores, ſed verum Sacramentum a Chriſto Domino inſtitutum, uti Tridentina (1) Synodus definivit, cui præiverat Concilium Florentinum (2) ſic dicens: *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat bonæ conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto*. Sacramentum autem Confirmationis non idem eſſe Sacramentum, ac Baptiſmum, ſed ab eo longe disjunctum (3), ex gratiæ varietate, quam utrumque Sacramentum tribuit, facile evincitur. Baptiſmi enim gratia homines in novam gignit vitam: Confirmationis autem Sacramento, qui geniti ſunt, evadunt viri. Quantum igitur in naturali vita generatio ab incremento differt; tantumdem inter ſe differunt Baptiſmus, qui regenerandi vim habet, & Confirmatio, cujus virtute Fideles augeſcunt, & perfectum robur aſſumunt. Ex varietate etiam materiæ, & formæ, quæ in utroque adhibetur Sacramento, ſatis intelligitur, Baptiſmum, & Confirmationem varia eſſe, ac diverſa Sacramenta.

III. Triplici a Sanctis Patribus hoc Sacramentum donatur nomine. Primo enim, cum in eo adminiſtrando Epiſcopus ſuper confirmandum manum imponat, dicitur *manus impoſitio*. Secundo quoniam per Unctionem Chriſmatis hoc Sacramentum conficitur, dicitur *Chriſma*. Tertio demum, quia hanc efficientiam habet Confirmationis Sacramentum, ut illud rite ſuſcipiens novæ virtutis robore firmior, adeoque perfectus eſſe Chriſti miles incipiat, dicitur *Confirmatio*. Olim quidem, cum hoc Sacramentum ſtatim poſt Baptiſmum adminiſtrari ſoleret; Baptiſmus autem, uti ſuperius diximus, extra neceſſitatis caſum, nonniſi Sabbato

 majoris

(1) Tridentin. ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere can. I., & de confirmatione can. I.

(2) Concil. Florent. in decreto Union. Armen. §. ſecundum.

(3) Catechiſmus Romanus loc. cit. §. 5.

majoris hebdomadæ, ac in pervigilio Pentecoſtes, poſt baptiſmalis fontis conſecrationem adminiſtraretur; ea de cauſa Confirmatio quoque, nonniſi diebus Feſtis Paſchatis, & Pentecoſtes, conferri conſuevit, uti Sexti Concilii Pariſienſis (1) Patres ſcriptum reliquere iis verbis: *Sicut autem duobus temporibus, Paſchate videlicet, & Pentecoſte Baptiſmus; ita etiam traditio Sancti Spiritus per impoſitionem manuum Fidelibus tradatur.* Verum cum mox propter multitudinem eorum, qui Chriſtianam Religionem amplectebantur, inducta fuiſſet conſuetudo, ut quotidie, ſi opus eſſet, ſalutari iidem lavacro expiarentur; & cum juſtis de cauſis cautum in Eccleſia Occidentali fuiſſet, ut non eodem, ſed diverſo tempore Baptiſmus, & Confirmatio adminiſtrarentur; inde factum eſt, ut pro confirmandis Fidelibus penes Epiſcopos facultas deligendi temporis relinqueretur.

IV. Triplex eſt, & quidem præſtantiſſimus Sacramenti Confirmationis effectus. Prior eſt, ut, niſi impedimentum aliquod ex parte ejus, qui recipit, inferatur, novam gratiam tribuat, ideſt gratiæ ſanctificantis, quæ in recipiente præſupponitur, augumentum; quod quidem commune eſt Confirmationi cum cæteris Sacramentis, quæ *vivorum Sacramenta* nuncupantur. Præterea illud proprie Confirmationi tribuitur, ut gratiam Baptiſmi perficiat, & in nobis Deus id confirmet, & augeat, quod per Baptiſmum operari cœpit, noſque ad Chriſtianæ perfectionis ſoliditatem adducat. Quod quidem in eo ſitum eſt, ut virtute hujus Sacramenti nobis Jus conferatur, uti loquuntur Theologi, ad accipiendas a Deo ſuo loco, & tempore gratias actuales, quibus adverſus omnes Carnis, Mundi, & Diaboli impetus robuſtiores ſimus, & ad confitendum Domini Noſtri Jeſu Chriſti nomen omnino confirmemur in Fide. *Effectus hujus Sacramenti eſt* (verba ſunt Concilii Florentini (2)) *quia in eo datur Spiritus Sanctus ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in die Pentecoſtes, ut Chriſtianus*

(1) Tom. 2. Collect. Concil. Galliæ a Sirmondo editæ cap. 33. pag. 507., & Benedictus XIV. Inſtitut. 6. num. 2.

(2) Concil. Flor. loc. cit.

ſtianus audacter Chriſti confiteatur nomen. Et ſane ſi, quid ipſis Apoſtolis poſt acceptum Spiritum Sanctum evenerit (1), parumper inſpiciamus, divinam hujus Sacramenti efficientiam intelligemus. Apoſtoli enim cum ante, tum ſub ipſam Dominicæ Paſſionis horam infirmi adeo, ac remiſſi fuere, ut (2), cum Dominus comprehenſus eſt, ſtatim in fugam ſe conjecerint: Petrus eorum Princeps (3), qui ſummam conſtantiam, excelſique animi magnitudinem præſetulerat, unius (4) mulierculæ voce perterritus, ſe Jeſu Chriſti diſcipulum eſſe non ſemel, aut iterum, ſed tertio etiam negaverit: omnes demum poſt ipſam Magiſtri ſui reſurrectionem propter (5) metum Judæorum incluſi domi ſe continuerint. At vero in die Pentecoſtes tanta Spiritus Sancti virtute omnes repleti ſunt, ut Evangelium ſibi commiſſum in univerſo orbe audacter, ac libere diſſeminantes, nihil ſibi felicius accidere poſſe exiſtimaverint, quam quod (6) digni haberentur pro nomine Jeſu contumeliam, ac mortem pati.

V. Alter Confirmationis effectus eſt, ut characterem imprimat, quo confirmatus ſignatur, ut Chriſti miles, ad Fidem cum robore propugnandam, & ab iis diſtinguitur, qui per Baptiſmum Chriſto regenerati dumtaxat ſunt, & tamquam modo geniti infantes lac concupiſcunt. *Character Confirmationis*, ut inquit S. Thomas (7), *eſt ſignum diſtinctivum, non Infidelium a Fidelibus, ſed ſpiritualiter provectorum ab iis, quibus dicitur, ſicut modo geniti infantes, rationabiles, ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem.* Cum autem indelebilis ſit character, qui confirmato imprimitur, inde fit, ut, quemadmodum de Baptiſmo ſuperius diximus, Confirmatio ſine ſacrilegio iterari non poſſit. Siquis autem iterum Confirmationis Sacramentum ſuſciperet, grande quidem nefas perpetraret: at neque confirmans, neque confir-

(1) Catechiſ. Rom. de confirm. §.22.
(2) Matth. cap. 26.
(3) Matth. cap. 26.
(4) Joan. cap. 18.
(5) Joan. cap. 20.
(6) Act. cap. 5.
(7) S. Th. par. 3. qu. 72. art. 5.

Digitized by Google

confirmatus irregularitatis pœnam incurreret: quamquam enim ejuſmodi pœna adverſus rebaptizantes ſit in Jure Canonico conſtituta, non tamen adverſus iterum confirmantes ſtatuta reperitur: irregularitas autem (1) nonniſi in caſibus in Jure expreſſis incurritur. Tertius tandem Sacramenti hujus effectus eſt cognatio Spiritualis, quæ inter Confirmantem, & Confirmatum, ejuſque parentes, ac Patrinum contrahitur, quemadmodum de baptizante, & baptizato, ejuſque Patrinis, ac Parentibus ſuperius docuimus.

VI. Solum Epiſcopum eſſe ordinarium hujus Sacramenti Miniſtrum Tridentina Synodus (2) his verbis definivit: *Siquis dixerit, Sanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit*. Et jure quidem factum eſt, ut ejuſmodi munus ad Epiſcopos deferretur. Ut enim (3) in extruendis ædificiis, etſi fabri cœmenta, calcem, ligna, & reliquam materiam parant, atque componunt, abſolutio tamen operis ad Architectum pertinet; ita etiam hoc Sacramentum, quo veluti ſpirituale ædificium perficitur, a nullo alio, niſi a ſummo Sacerdote, adminiſtrari opus erat. Et ſane Apoſtolorum tempore (4) non ab aliis, quam ab ipſis Apoſtolis hoc Sacramentum legitur, aut ſcitur eſſe peractum. Extraordinarius autem Miniſter eſſe poteſt Sacerdos quilibet, cui graviſſima, honeſtaque de cauſa Romanus Pontifex ſpecialem facultatem miniſtrandi hoc Sacramentum delegaverit. *Legitur aliquando*, ut inquit Eugenius IV. in Concilio Florentino, *per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili, & urgente admodum cauſa ſimplicem Sacerdotem Chriſmate per Epiſcopum confecto hoc Sacramentum Confirmationis adminiſtraſſe*.

VII. Nonniſi Baptizati confirmari valide poſſunt: cum enim Baptiſmus reliquorum ſit janua Sacramentorum; incapax proinde

(1) Cap. *Is qui*. de ſent. excommunicat. in 6.

(2) Trid. ſeſſ.7. de confirm. can.3.

(3) Catechiſ. Rom. de confirm. §.14.

(4) S. Auguſtinus lib.15. de Trinitate cap.26.

de eorum (1) eſt, qui nondum ſalutari Lavacro ſit regenerationis ablutus. Olim quidem infantibus (2) poſt collatum Baptiſmum ſtatim Confirmationis quoque Sacramentum adminiſtrabatur. At mox laudabilis invaluit conſuetudo, ut non confirmentur, niſi qui, elapſo ſeptennio, rationis uſum attigerint, uti conſtat ex cap. 3. Concilii (3) Aurelianenſis, ex Concilio Colonienſi, ex Concilio Mediolanenſi I., ex Pontificali Romano, & ex communi praxi ubique gentium apud Latinos recepta. *Illud obſervandum eſt*, uti legimus in Catechiſmo Romano, *omnibus quidem, poſt Baptiſmum, Confirmationis Sacramentum poſſe adminiſtrari; ſed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis uſum habuerint. Quare ſi duodecimus annus non expectandus videatur, uſque ad ſeptimum certe hoc Sacramentum differri maxime convenit*. Nullus ergo puer ſeptennio minor ſacro liniendus Chriſmate Nobis offeratur, niſi forte tam gravi morbo (4) laboret, ut ex eo moriturus prævideatur. Tunc enim præclarum Sancti Caroli Borromæi exemplum imitati volumus, ut Parochus ejuſmodi pueros in mortis periculo conſtitutos Nobis denunciet, ne ſine Confirmationis Sacramento decedant. Parati enim ſumus eos domi inviſere, atque in vitæ diſcrimine poſitos Sacramenti hujus dono locupletare. Nam etiam pueris morituris dandam eſſe confirmationem docet S. Thomas (5), *ut videlicet confirmati decedentes, majorem gloriam conſequantur, nam & hic majorem obtinent gratiam*.

VIII. Cum Confirmatio non primam, ſed ſecundam, ut Theologi ajunt, gratiam conferat, ideſt præxiſtentis gratiæ ſanctificantis incrementum, adeoque inter vivorum Sacramenta recenſeatur; Inde fit, ut eadem ad æternam ſalutem neceſſaria non ſit ea neceſſitate, quam *medii* dicunt. Baptizatis tamen adultis Confirmationem vel in re, vel ſaltem in voto neceſſariam eſſe neceſſitate

præ-

(1) Cap. *Si quis Presbyter*; & cap. *Veniens*. de Presbytero non baptizato.

(2) Benedictus XIV. de Synodo lib. *6*, cap. 10. §. 3.

(3) Can. *Ut jejuni*. de conſecr. diſt. 5., & Benedictus XIV. loc. cit. §. 7.

(4) Benedictus XIV. loc. cit. §. *6*.

(5) S.Th. 3. par. qu. 73. art. 8. ad 4.

præcepti, & quidem divini, cum bellum a Tyrannis contra Fideles infertur, vel cum Dæmonis fraude de Religione anxii, ſollicitique graviter jactantur, vel tandem cum in ultimum vitæ diſcrimen devenere, docet Benedictus XIV. (1), atque ita univerſos ferme Theologos ſentire teſtatur. Certum illud eſt, gravi illos culpa inquinari, qui ad eum impietatis gradum devenerint, ut Sacramentum hoc contemnere, & aſpernari audeant, adeoque ex contemptu illud ſuſcipere prætermittant. Præterea *timendum eſt iis*, ut præclare inquit Hugo a S. Victore (2), *qui per negligentiam amittunt Epiſcopi præſentiam, & non ſuſcipiunt manus impoſitionem* [ideſt Confirmationem] *ne forte propterea damnentur, quia feſtinare debuerant, dum potuerunt*. Et rationem addit: *Quid enim prodeſt, ſi a lapſu erigeris, niſi etiam ad ſtandum confirmeris?* Cavendum itaque omnibus maxime eſt, ne in hac re Sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large donantur, aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad ſanctificationem Deus propoſuit, ab omnibus etiam ſummo ſtudio expetendum eſt. *Omnes proinde Fideles*, uti ſcribit S. Urbanus Papa (3), *per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt Baptiſmum accipere debent, ut pleni Chriſtiani inveniantur, quia cum Spiritus Sanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam, & conſtantiam dilatatur*. Parochi vero, Parentes, Domini, ac Tutores diligenter curent, ut qui ſibi ſubjecti ſunt, opportune hujus Sacramenti virtute roborentur ad pugnam, & in Chriſtiana Religione, ac pietate confirmentur.

IX. Remota Confirmationis materia eſt unguentum (4) ex oleo olivarum, ac balſamo compoſitum, & ab Epiſcopo ſolemni ritu conſecratum, quod Græca voce *Chriſma* nuncupatur. Proxima vero eſt Unctio, per quam Epiſcopus frontem confirmandi oblinit in modum Crucis, uti ex Ritualibus patet, & ex

praxi

(1) Benedictus XIV. Inſtit. 6. n. 10.

(2) Hugo a S. Victore de Sacramentis lib. 2. par. 7. cap. 3.

(3) Can. *Omnes*, de conſecr. diſt. 5.

(4) Concil. Florent., & Trident. loc. cit., cap. 1. de Sacramentis non iterandis, & cap. unic. de Sacra Unctione.

Digitized by Google

praxi Eccleſiæ, & uti colligi poteſt ex illis Apoſtoli verbis: *Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus Sancti in cordibus noſtris.* Aptiſſime autem hujus Sacramenti efficientiam Chriſma ſignificat. Primum enim diverſarum rerum, e quibus conſtat, compoſitio multiplicem Spiritus Sancti gratiam, quæ confirmatis tribuitur, declarat. Deinde per oleum, quod pingue eſt, ac natura ſua diffluit, plenitudo gratiæ, quæ a Chriſto in confirmatos, tamquam a capite in membra, redundat, facile indicatur. Balſamum tandem, cujus odor eſt jucundiſſimus, & cujus ea eſt vis, ut quidquid eo circumlitum fuerit, putreſcere non ſinat, recte virtutum ſuavitatem exprimit, quæ ex hoc Sacramento in confirmatis exiſtit, atque eam præterea gratiam, quæ in Confirmatione tribuitur, & qua a ſcelerum contagione defendimur, congruenter deſignat. *Gratia Spiritus Sancti*, inquit S. Thomas (1), *in oleo deſignatur, unde Chriſtus dicitur eſſe unctus oleo lætitiæ propter plenitudinem Spiritus Sancti, quam habuit. Admiſcetur autem balſamum propter fragrantiam odoris, quæ redundat ad alios, unde Apoſtolus dicit 2. ad Cor. cap. 2. Chriſti bonus odor ſumus Deo &c., & licet multa alia ſunt odorifera, tamen præcipue accipitur balſamum propter hoc, quod habet præcipuum odorem, & quia etiam incorruptionem præſtat. Unde Eccleſiaſt. cap. 24. dicitur: quaſi balſamum non mixtum odor meus.* Ratio autem, cur confirmandus in illuſtriori corporis parte, nimirum in fronte, Sacro Chriſmate liniatur, ea eſt, ut Chriſti nomen, & Chriſtianam Religionem impavide coram omnibus ſibi eſſe profitendam intelligat. *Ideo in fronte, ubi verecundiæ ſedes eſt*, inquit Concilium Florentinum (2), *confirmatus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipue Crucem ejus, quæ Judæis eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia ſecundum Apoſtolum, propter quod Crucis ſigno ſignatur.* Forma tandem Confirmationis (3), quæ in Latina adhibe-

Ttt tur

(1) S.Th. par.3. qu.72. art.2.
(2) Concil. Florent. loc. cit.
(3) Concil. Flor. loc. cit., S.Th. 3.par. qu.72.art.4., & communiter Doctores.

tur Eccleſia, in iis verbis ſita eſt, quæ Epiſcopus profert, dum pollice tincto in Chriſmate pueri frontem in modum Crucis inungit dicens: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

X. Poſtquam unctus puer, & confirmatus eſt, Epiſcopus leviter ejus maxillam manu cædit, & mox ſtatim ei pacem impertit. Prioris quidem cæremoniæ duplex afferri ſolet ratio; 1. videlicet ut ea (1) percuſſione infantes ſe confirmatos fuiſſe meminerint, adeoque caveant, ne iterum confirmentur. 2. ut confirmatus, ſe (2), tamquam athletam, ad omnia adverſa invicto animo pro Chriſti nomine perferenda paratum eſſe oportere meminerit. Poſterior vero cæremonia eum in finem adhibetur, ut confirmatus intelligat, ſe gratiæ cœleſtis plenitudinem, & pacem (3), quæ exuperat omnem ſenſum, per Confirmationis Sacramentum eſſe conſecutum. Quemadmodum autem, ſiquis ſingulare certamen eſt initurus, alicujus indiget, cujus arte, conſilioque doceatur adverſos ictus, ac petitiones declinare, & vulnera inferre, quibus conficere adverſarium poſſit; ita Fideles, qui Sacramento Confirmationis ad dimicandum contra Dæmonem armantur, & ſpiritualem roborantur ad pugnam, duce, ac Monitore indigent, a quo quæ cavenda, & quæ ſequenda in hoſtili congreſſu ſint, edoceantur. Recte igitur ad hujus quoque Sacramenti adminiſtrationem Patrini advocandi ſunt, quibuſcum eadem ſpiritualis cognatio contrahitur, quam in Baptiſmo a Patrinis contrahi ſuperius diximus. Ii autem eodem obſtringuntur officio erudiendi in Catholica Religione, atque in Chriſtianæ diſciplinæ inſtitutis continendi eos, quos in Confirmationis Sacramento tamquam Patrini ſuſtentarunt. *Hoc Sacramentum*, inquit Angelicus Doctor (4), *exhibetur homini ad robur pugnæ ſpiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget inſtructore in his, quæ pertinent ad conſervationem vitæ; ita illi, qui ſumuntur ad pugnam,*

(1) Concil. Senonenſe anni 1524.
(2) Catech. Rom. par. 4. de Confir. §. 26.
(3) Ad Philipp. c. 4.
(4) S. Th. 3. par. qu. 72. art. 10.

gnam, indigent eruditoribus, a quibus inſtruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis. De cognatione ſpirituali, quæ in hoc Sacramento contrahitur, ſic Tridentina Synodus (1) ſtatuit: *Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis.*

XI. Quoad Patrinos in hoc Sacramento adhibendos hæc obſervari jubemus. 1. ut non plures, ſed unus (2) tantum, ſive vir, ſive mulier in Patrinum, aut Matrinam adhibeatur: licet enim Tridentina Synodus (3) permittat, ut in Baptiſmo unus, & una adhiberi poſſint, non tamen id in Confirmationis Sacramento fieri permiſit. 2. ut nec fœminis mares, nec maribus fœminæ Patrini officium præſtent, ſed ſuo quiſque ſexui Patrinus adhibeatur. 3. ut ſi forte ſenes, ſeu adultioris ætatis homines ſint confirmandi, ipſorum Patrini adoleſcentes non ſint, cum neutri ætati id convenire videatur. 4. ut (4), niſi neceſſitas cogat, idem non ſit, ſed diverſus Confirmationis Patrinus a Patrino Baptiſmi. 5. ut Patrini munere (5) in Confirmatione non fungatur, qui nondum Confirmationis Sacramentum ſuſcepit. 6. ut a Patrini munere arceantur ii omnes, quos ab eodem præſtando munere in Baptiſmo arcendos eſſe ſuperius diximus. 7. ut nemo abſque expreſſa Noſtra licentia plures eodem die, quam duos, tamquam Patrinus, in Confirmatione ſuſtineat. 8. ut Patrinus manum ſuam dexteram ſuper dexterum confirmandi humerum conſtanter teneat, dum ille ab Epiſcopo Confirmationis Sacramento donatur.

XII. Cum Primum Parochi ex Noſtro Edicto didicerint, qua die a Nobis hoc Sacramentum erit adminiſtrandum; Id populo

(1) Trid. ſeſſ.24. de reform. Matrim. cap. 2.

(2) S. Leo Papa in can. *Non plures*. 101. de conſecrat. diſt.4.

(3) Trid. loc. cit.

(4) Can. *In Catechiſmo*. 100. de conſecr. diſt.4.

(5) Can. *In Baptiſmate*. 102. de conſecr. diſt.4.

pulo inter Miſſarum ſolemnia denuncient, eidemque inſinuent Confirmationis Sanctitatem, virtutem, maximamque utilitatem, ac neceſſarias ad illam recte, utiliterque ſuſcipiendam diſpoſitiones. Illud præ cæteris inſinuent, Confirmationem eſſe Sacramentum vivorum, ac proinde ad eam licite, & cum fructu ſuſcipiendam neceſſe eſſe, ut illam ſuſcepturus nulla lethalis culpæ ſorde ſit inquinatus: ſecus enim is characterem quidem, non tamen gratiam ſanctificantem reciperet, imo novam graviorem culpam admitteret, & fieret ſacrilegii reus. Curabunt itaque Parochi, ut antequam adulti, qui rationis uſu pollent, confirmentur, omnes animarum ſuarum ſordes Pœnitentiæ Sacramento rite, recteque ſuſcepto abluant. Præterea eos, qui ſacro Chriſmate liniendi a Nobis erunt, per aliquot dies diligenter erudiant de iis, quæ ad hoc Sacramentum cum fructu ſuſcipiendum requiruntur, ſedulamque dent operam, ut omnes, & ſinguli probe ſciant prima Fidei rudimenta, Decalogi, & Eccleſiæ præcepta, actus Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis, Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolorum, eaque omnia, quæ ſcire oportet ad dignam, utilemque Sacramenti Pœnitentiæ ſuſceptionem, ad quam Confirmationi præmittendam hortari eos debent.

XIII. Poſtquam Parochus confirmandos probe erudierit, idoneoſque compererit Patrinos; eorum alterutris ſchedulam tradet ſua ſubſcriptione roboratam, in qua ipſe adnotaverit confirmandi, ejuſque Parentum, ac Patrini nòmina, & cognomina, Patriam, Parœciam, ætatem, aliaque hujuſmodi. Eos etiam monebit, ut ſtatuta die, certaque hora, omnes mundo corporis cultu, animoque ad pietatem compoſito in Templum ſe conferant, in quo Sacramentum erit miniſtrandum, ſchedulam modo deſcriptam ſecum deferentes, vittamque lineam, aut ſericam, qua confirmati frons poſt acceptam Sacram Unctionem circumligetur, & quam eo ſaltem die, quo Sacramentum acceperit, Confirmatus numquam deponet. Hac vitta frons confirmati

firmati circumducitur, tum ne Sacrum Chriſma defluat, tum ut is Spiritus Sancti gratiam, qua locupletatus in Sacramento eſt, omni a ſe cura, diligentiaque eſſe cuſtodiendam intelligat. Et olim quidem eadem vitta per ſeptem dies numquam deponebatur, quo ſane tempore ii, qui recens confirmati fuerant, in jugi Sanctorum operum exercitio verſabantur. At nunc ad omnem evitandam irreverentiam invaluit conſuetudo, ut Sacrum Chriſma, quo confirmatorum inuncta frons eſt, a Sacro aliquo Miniſtro goſſipio mox comburendo, & in Sacrarium projiciendo abſtergatur. Cum in Templum confirmandi omnes convenerint (1), mares ab una, fœminæ ab altera collocentur parte, & quod veteris ritus eſt, primum mares, deinde fœminæ Sacramentum Confirmationis recipiant: flexis genibus, manibuſque ante pectus junctis ſuo in loco pie, ac religioſe orent; ab omni vociferatione, atque inani confabulatione caveant; ſancto demum ſilentio ad finem uſque conſtanter utantur. Parochus edicat omnibus, ne quis ante rem peractam, ſolemneſque precationes ab Epiſcopo habitas, & benedictionem de more receptam, e Templo non reverſurus abſcedat.

XIV. Tandem dum ab Epiſcopo Confirmatio adminiſtratur, vel Parochus ipſe, vel alius probatæ fidei, ſolertiæque Sacerdos Epiſcopum præeat, ſchedulaſque a confirmandis exigat, ac recognoſcat, quas ſtatim, actione peracta, Parocho tradat. Hic vero ex iiſdem ſchedulis in librum bene compactum, & baptizatorum libro omnino ſimilem eadem diligentia, ac ſub iiſdem pœnis, intra decem ab adminiſtrata Confirmatione dies, nomina, & cognomina Confirmatorum, Parentum, & Patrinorum, præmiſſo etiam Epiſcopi confirmantis nomine, cum die, menſe, & anno, quo Sacramentum adminiſtratum fuit, juxta Ritualis Romani formulam tranſcribet. Ex hoc vero libro authenticum Parochus mox eruat exemplar, quod intra triginta dies ab adminiſtrato Sacramento numerandos ad Vicarium Noſtrum Generalem in Epiſcopali Cancellaria aſſervandum tranſmittat.

(1) Concil. Mediol. V.

CA-

CAPUT IX.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

AMantiſſimus Salvator Noſter, & Dominus Chriſtus Jeſus, ſciens (1) horam jam adveniſſe, ut tranſiret ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Memoriam (2) quippe fecit mirabilium ſuorum miſericors Dominus. Ut enim eſcam daret timentibus ſe, Euchariſticum inſtituit cibum, in quo divitias (3) divini ſui erga homines amoris velut effudit, itaut, teſte S. Auguſtino (4), *cum ſit Omnipotens, plus dare non poſſit, cum ſit ſapientiſſimus, plus dare neſciat, cum ſit ditiſſimus, plus dare non habeat*. Neque vero magnificentius hæc, quam verius dici putandum eſt. Semper enim (5) hæc Fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini Noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie una cum ipſius anima, & divinitate exiſtere, itaut tantumdem ſub alterutra ſpecie, atque ſub utraque contineatur, ac totus, & integer Chriſtus, facta per conſecrationem tranſubſtantiatione, ſub panis ſpecie, & ſub quavis ſpeciei parte, totus item ſub vini ſpecie, ac ſub ejus partibus, donec ſpecies corrumpantur, exiſtat. Cujus quidem Euchariſtici Sacramenti inſtitutione illud inexplicabili conſilio perfecit, ne ullo umquam tempore abeſſet a ſuis, & cum delicias ſuas duceret eſſe cum filiis hominum, vere cum iis eſſet uſque ad conſummationem ſæculi. Quamobrem licet nobis exclamare cum gaudio: *Non (6) eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus Noſter adeſt Nobis*.

II. Auguſtiſſimum itaque Euchariſtiæ Sacramentum eſſe reliquorum omnium præſtantiſſimum, ambigere nemo poteſt. Quamquam enim commune (7) ei ſit cum cæteris Sacramentis Symbo-

(1) Joa. c.13.
(2) Pſalm.110.
(3) Trid. ſeſſ.13. cap.2.
(4) S.Aug. tract.48. in Joa.
(5) Trid. ſeſſ. 13. cap. 3., & can.1., 2., & 3.
(6) Deuteron. c.4.
(7) Trid. ſeſſ.13. cap.3.

Symbolum eſſe rei Sacræ, & inviſibilis gratiæ formam viſibilem; illud tamen in eo excellens, & ſingulare reperitur, quod reliqua Sacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis utitur, in Euchariſtia vero ipſe Sanctitatis Auctor ante uſum eſt: reliqua in actionibus tranſeuntibus ſita ſunt, hoc vero Sacramentum permanens eſt inſtitutum. Unde illud etiam ſequitur, ut hujus Sacramenti multo plures, quam aliorum fieri a nobis poſſint uſus, & ex eo multo uberiores, quam ex aliis, fructus percipere valeamus. In hos autem potiſſimum uſus Euchariſtiam aſſervari, ſancteque adhiberi, edocta ab Apoſtolis Catholica juſſit Eccleſia. 1. ut etiam extra Miſſæ Sacrificium hoc refici Sacramento Fideles poſſent. 2. ut deferretur, tamquam Viaticum, ad ægrotos in mortis periculo conſtitutos. 3. ut ad Fidelium excitandam pietatem, augendamque religionem publice, cum opportunum videretur, proponi Populo poſſet externo, internoque latriæ cultu adoranda. 4. ut ſtatis temporibus in publicis ſupplicationibus per vias, & loca publica honorifice, ac reverenter circumferretur. In alios quoque uſus adhibitam olim a Fidelibus fuiſſe Euchariſtiam, ex hiſtoricis monumentis accepimus: at eos vel numquam approbavit, vel etiam rejecit, ac damnavit Eccleſia. Ne (1) particula boni doni nos prætereat, & ne tanta divinæ erga nos beneficentiæ largitate abutamur, de his uſibus ſingillatim pauca ſtatuamus.

ARTICULUS I.

De præcepto, quo urgentur Fideles, recipiendi ſæpius in vita Euchariſtiam, ac de ratione eam digne, atque utiliter recipiendi.

Divino ſane præcepto urgentur Fideles rationis uſum habentes, ut ſæpius in vita Euchariſtica dape reficiantur. *Niſi manducaveritis* (2) *carnem Filii hominis*, inquit Chriſtus Dominus, *& biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*; & alibi (3):

hoc

(1) Eccli. c.14. v.15. (2) Joa. c.6. (3) Lucæ c.22., & 1.ad Cor. c.11.

hoc facite in meam commemorationem; quæ verba ſic Tridentina Synodus explicat (1): *& in illius* [videlicet Euchariſtiæ] *ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annunciare mortem, donec ipſe ad judicandum Mundum veniat*. Non tamen eſſe Euchariſtiæ ſumptionem neceſſariam neceſſitate medii ad æternam ſalutem aſſequendam, exinde patet, quod Tridentina Synodus expreſſe docet (2), *parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem, ſi quidem per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam Filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt*. Quod autem per priora ſex, aut ſeptem Eccleſiæ ſæcula conſuetudo in quibuſdam locis viguerit, ut non modo adultis ſub ſpecie panis, ſed etiam infantibus ſub ſpecie vini, poſt collatum Baptiſmum, Euchariſtia, tamquam ſpirituale alimentum, recenter in Chriſto renatis porrigeretur; *non ideo* (3) *damnanda eſt antiquitas: ut enim Sanctiſſimi illi Patres ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt; ita certe eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt*.

II. Quoties in anno, & quo anni tempore Euchariſtia ſumenda a Fidelibus eſſet, Chriſtus Eccleſiæ arbitrio ſtatuendum reliquit. Apoſtolorum quidem tempore Fideles quotidie Eucharico cibo veſcebantur: *erant* (4) *enim perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & in communicatione fractionis panis*. At mox, refrigeſcente charitatis ardore, adigi Eccleſiaſtico (5) præcepto debuerunt, ut ſaltem ter in anno, videlicet in Paſchate, Pentecoſte, ac Natali Domini, divino hoc alimento reficerentur. Ad extremum, cum non modo ſalutaris ejuſmodi non ſervaretur præceptio, ſed in plures etiam annos Sacramentalis Communio protraheretur; ita in Cancilio Lateranenſi (6) ſancitum eſt: *Omnis utriuſ-*

(1) Trid. ſeſſ.13. c.2.

(2) Trid. ſeſſ.21. c.4., & can.4.

(3) Trid. ſeſſ.21. c.4.

(4) Actorum c.2.

(5) Concil. Agathen. ann. 506. can.18., Tarraconen. III. can.50., cap. *Deus*. de pœnit., & remiſſ.

(6) Concil. Lateranen. relatum in cap. *Omnis utriuſque ſexus*. de pœnit., & remiſſion.

utriuſque ſexus Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus in Paſchate Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura. Quamquam autem hanc legem Tridentina (1) Synodus ratam habuerit, & confirmaverit; optare tamen ſe dixit, ut in ſingulis Miſſis, ſi fieri poſſet, Fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione, ut olim, communicarent, quo ad eos Sanctiſſimi hujus Sacrificii fructus uberior proveniret. *Nulla proinde res eſt*, ut inquit Benedictus XIV. (2), *in qua utilius Epiſcopi, Parochi, & Confeſſarii ſtudium ſuum omne impendere valeant, quam in excitandis Fidelibus ad eam mentis puritatem ſectandam, unde digni reddantur frequenti ad Sacram Menſam acceſſu, & non ſpirituali tantum, ſed Sacramentali etiam participatione illa Sacrificii, quod a Sacerdote, tamquam publico Eccleſiæ Miniſtro, non pro ſe tantum, ſed pro ipſis, & ipſorum nomine offertur*. Parochi itaque Fideles eorum curæ concreditos paterna charitate in Domino hortentur ad vitam tam pure, ſancteque ducendam, ut ab animarum ſuarum moderatoribus digni habeantur, qui ad divinum Euchariſtiæ convivium frequenter accedere valeant.

III. Verum neque cuilibet concedenda, neque neganda cuilibet indiſcriminatim eſt quotidiana Communio; ſed prudentis Confeſſarii ſtandum judicio, qui juxta regulas a Sanctis Patribus traditas aliquibus injunget, ut rarius, aliis præcipiet, ut frequentius, quibuſdam etiam indulgebit, ut quotidie Euchariſticæ menſæ participes fiant. Hac autem in re Confeſſariis mandamus, ut ſedulo legant, & fideliter exequantur decretum a Sacra Con-

(1) Trid. ſeſſ.13. can.9. de Euchariſt.

(2) Benedictus XIV. Conſt. *Certiores effecti*. edita 13.Nov. 1742.

Digitized by Google

Concilii (1) Congregatione editum, & ab Innocentio XI. approbatum, quod in Synodi Appendice num. 4. damus. Cæterum cum pauciſſimi ita vivant, ut quotidie Euchariſtica dape refici mereantur; pauciſſimi etiam ſunt, quibus Communionem quotidianam permittere Confeſſarius prudenter poſſit. *Vix aliquis*, optime inquit S. Bonaventura (2), *ita Religioſus eſſe videtur, & Sanctus, exceptis Sacerdotibus, quin ſemel in hebdomada ſufficiat ei ex conſuetudine communicare, niſi ſpecialis cauſa quandoque, vel ratio plus ſuadeat, infirmitas ſuperveniens, vel ſingulariter feſtivitas ſolemnis &c.* S. Bonaventuram præiverat S. Auguſtinus, ſeu quicumque Auctor ſit libri de Eccleſiaſticis dogmatibus (3), qui ſic habet: *Quotidie Euchariſtiæ Communionem percipere nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen Dominicis diebus communicandum ſuadeo, & hortor, ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit.* Idem ſenſere etiam S. Franciſcus Saleſius, S. Philippus Nerius, S. Ignatius de Lojola, aliique Sanctiſſimi viri, qui in conſcientiis moderandis peritiſſimi, illud Fidelibus conſilium dare conſueverunt, ut octavo quoque die, ſi poſſent, Pœnitentiæ Sacramento rite expiati, Dominicum Corpus manducarent, dummodo ita vitam componerent ſuam, ut iidem tam frequenti Communione non cenſerentur indigni.

IV. Nos itaque paterno affectu admonemus (4), hortamur, rogamus, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Dei noſtri omnes, & ſingulos, qui in Noſtra Diœceſi verſantur, Fideles, ut in hoc unitatis ſigno, atque in hoc vinculo Charitatis conveniant, memoreſque tantæ majeſtatis, & tam eximii amoris Jeſu Chriſti Domini Noſtri, qui dilectam animam ſuam in noſtræ ſalutis pretium, & carnem ſuam nobis dedit ad manducandum, hæc Sacra Myſteria Corporis, & Sanguinis ejus ea fidei conſtantia, & firmitate, ea animi devotione, ea pietate, & cultu credant, ac veneren-

(1) Sac. Cong. Concil. 12. Febr. 1679.

(2) S. Bonaventura lib. de profectu religionis cap. 77.

(3) Lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus tom. 3. cap. 53.

(4) Trid. ſeſſ. 13. cap. 8.

uerentur, ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint, & is vere eis ſit animæ vita, & perpetua ſanitas mentis, cujus vigore confortati, ex hujus miſeræ peregrinationis itinere ad cœleſtem patriam valeant pervenire.

V. Verum cum ita mortales comparati ſimus, ut magis noſtris commodis, atque utilitatibus, quam intimo rerum pretio ducamur; Parochi, Confeſſarii, & Concionatores, ut Fideles ad hunc Angelorum panem frequenter, religioſeque guſtandum inducant, ampliſſima munera, quæ in hoc Sacramento impertiuntur, perſæpe recenſeant, dilucideque exponant. Eadem ſic paucis Tridentini (1) Concilii Patres complexi ſunt: *Sumi autem Chriſtus voluit hoc Sacramentum, tamquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vita illius, qui dixit: qui manducat me, & ipſe vivet propter me; & tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis, adeoque ſymbolum unius illius corporis, cujus ipſe caput exiſtit, cuique nos, tamquam membra, arctiſſima fidei, ſpei, & charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit, ut idipſum omnes diceremus, nec eſſent in nobis ſchiſmata.* Tria itaque nobis utiliſſima, maximeque neceſſaria in admirabili Euchariſtiæ virtute Tridentina Synodus contemplatur: primum videlicet, quod ſit ſpiritualis animarum cibus: deinde quod ſit culparum antidotum; demum quod ſit noſtræ futuræ gloriæ, ac perpetuæ felicitatis pignus. Jam vero tria hæc paulo enucleatius explicemus.

VI. Primum igitur hoc Sacramentum Spiritualis eſt animarum cibus. Quos enim uſus corpori panis, & vinum affert; eos omnes animæ ſaluti, ac jucunditati, meliori tamen, ac perfectiori ratione, Euchariſticus cibus præbet. Quamquam enim non is in ſubſtantiam noſtram, ut panis. & vinum, mutetur, ſed nos quodammodo in ejus naturam convertamur, juxta illud S. Auguſtini (2): *Cibus ſum grandium, creſce, & manducabis me,*

(1) Trid. ſeſſ.13. cap.2. (2) S. Auguſtinus lib.7. Confeſſionum cap.10.

me, nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me; Tamen, ſicuti naturali cibo corpus non conſervatur modo, verum etiam augetur, & guſtus novam quotidie ex eo voluptatem, & ſuavitatem accipit; ita ſpiritualis animarum vita, quæ in gratia ſanctificante, ſuperniſque virtutum habitibus ſita eſt, per dignam Euchariſtiæ ſumptionem mirifice conſervatur, & uberius etiam, quam per alia Sacramenta, augetur. *Qui enim manducat me*, ut inquit Chriſtus (1) Dominus, *& ipſe vivet propter me*; & alibi (2): *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita*. Præterea ſupernis auxiliis, quæ in ipſa Dominici Corporis participatione immittuntur, divinus charitatis ignis accenditur, & Spiritus divinarum rerum delectatione magis, ac magis commovetur, ac rapitur. Quare Euchariſtico pani mirifice congruit illud Sapientiæ (3): *Angelorum eſca nutriviſti populum tuum, & paratum panem de cælo præſtitiſti illi ſine labore, omne delectamentum in ſe habentem, & omnis ſaporis ſuavitatem*.

VII. Euchariſtia præterea eſt tamquam antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, & a peccatis mortalibus præſervamur. Quemadmodum enim, quod innati caloris vi e noſtro corpore quotidie detrahitur, ac deperit, paulatim addi, ac refici naturali alimento ſentimus; ita quidquid anima, dum levi aliqua in re parum offendit, ardore cupiditatis amittit, totum id Euchariſtia, eas ipſas minores culpas fervore charitatis abſtergens, reſtituit. Quare merito S. Ambroſius (4) Euchariſtiam *panem quotidianum in remedium quotidianæ infirmitatis* nuncupavit. Cum autem illud etiam Sacra hæc Myſteria efficiant, ut illa ſuſcipienti jus tribuant ad habendas ſuo loco, & tempore gratias, quas actuales vocant, quibus & mandata ſervare poſſit, cum urgent, & tentationibus reſiſtere, cum ad peccandum impellunt; inde fit, ut hujus Sacramenti virtute a peccatis mortalibus præſervemur. Accedit huc, quod Virginea Chriſti caro ſub Euchariſticis ſpeciebus delite-

(1) Joa. c.6.
(2) Joa. c.6.
(3) Sapientiæ c.16. v.20.
(4) S.Ambroſ. lib.3. de Sacram. c.4.

Digitized by Google

deliteſcens, dum illa veſcimur, concupiſcentiæ fomitem in nobis imminuit, & carnis libidinem cohibet, ac refrænat. Quare ſcriptum eſt apud Zachariam (1): *Quid bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines?*

VIII. Tandem Sacramentum hoc eſt noſtræ futuræ gloriæ, atque æternæ felicitatis pignus, cum ſumma ejus vis ſit ad æternam gloriam comparandam. Sic enim Salvator ipſe pollicitus nobis eſt, dicens (2): *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die*. Et ſane qui (3) proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Merito itaque S. Auguſtinus (4) inquit: *Cum cibo, & potu id appetant homines, ut non eſuriant, neque ſitiant; Hoc veraciter non præſtat, niſi iſte cibus, & potus, qui eos, a quibus ſumitur, immortales, & incorruptibiles facit in Societate Sanctorum, ubi pax erit, & unitas plena, atque perfecta*.

IX. Verum quoad uſum hujus admirabilis Sacramenti recte, & ſapienter Sancti Patres, ut Tridentina Synodus (5) aſſirmat, tres rationes illud ſuſcipiendi diſtinxerunt. Quoſdam enim docuerunt ſacramentaliter dumtaxat id ſumere, ut peccatores; alios tantum ſpiritualiter, illos nimirum, qui voto propoſitum illum cœleſtem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus, & utilitatem ſentiunt; tertios porro ſacramentaliter ſimul, & ſpiritualiter: hi autem ſunt, qui ita ſe prius probant, & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti, ad divinam hanc menſam accedant. Jam vero qui ſacramentaliter ſolum hoc Angelorum pane veſcuntur, gravi aliqua lethalis peccati labe polluti, non modo neque gratiam, neque ullum ex iis fructibus, quos recenſuimus, percipiunt, verum etiam judicium (6) ſibi manducant, & bibunt, non dijudicantes Corpus Domini. Quem-

(1) Zachariæ c.9.
(2) Joa. c.6. v.54.
(3) Ad Romanos c.9.
(4) S. Aug. tract.26. in Joann.
(5) Trid. ſeſſ.13. cap.8.
(6) 1. ad Cor. cap.11.

Digitized by Google

Quemadmodum enim (1) mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodeſt, ita etiam animæ, quæ ſpiritu non vivit, Sacra Myſteria non prodeſſe certum eſt, quæ propterea panis, & vini ſpeciem habent, ut ſignificetur, non quidem revocandæ ad vitam animæ, ſed in vita conſervandæ cauſa fuiſſe inſtituta. Merito idcirco proſcripta eſt ab Innocentio XI. (2) hæc propoſitio: *Frequens Confeſſio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, eſt nota prædeſtinationis*. Qui ſpiritualiter tantum Euchariſtiam ſumunt, non quidem omnes, ſed maximos certe utilitatis fructus conſequuntur. At qui ſacramentaliter ſimul, & ſpiritualiter Corpus Domini manducant, & Sanguinem bibunt, ex Euchariſtia capiunt uberrimos illos, quos antea diximus, fructus.

X. Ut igitur quis re ipſa hoc Sacramentum utiliter percipiat, neceſſe eſt, ut gratiam antea adeptus fuerit. Quare conſcientiam ſuam ſcrutari diligenter debet, ne forte exitiali aliquo peccato contaminatus ſit: ſi enim illum peccati mortalis conſcientia ſtimulet, Apoſtolico jubetur præcepto Sacramentalis Confeſſionis medicamento illud eluere, antequam ore Sacra Myſteria accipere audeat. *Ego enim accepi a Domino*, ait Apoſtolus (3), *quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem &c. Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat*. Quæ Apoſtoli verba ſic Tridentina (4) Synodus explicat: *Communicare volenti revocandum im memoriam Apoſtoli præceptum: Probet autem ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat. Quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit*

(1) Catech. Rom. par. 2. de Euchariſtia §. 50.

(2) Innocentius XI. 2. Martii 1679.

(3) 1. ad Cor. cap. 11.

(4) Trid. ſeſſ. 13. cap. 7.

Digitized by Google

cubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo ſervandum eſſe decrevit, modo non deſit illi copia Confeſſoris. Quod ſi, neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur.

VI. Super hoc Concilii Tridentini decreto Sacerdotes monemus. 1. per illa verba *quamprimum confiteatur*, non conſilium, ſed præceptum ſignificari. Hanc enim propoſitionem damnavit Alexander VII. (1) *Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti ſacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, eſt conſilium, non præceptum.* 2. per illam particulam *quamprimum* intelligi *cum primum poterit*, uti in Miſſalis Romani regulis dicitur; ideſt ut ſaltem intra triduum confiteatur; quemadmodum, licet in Jure Canonico (2) præcipiatur, ut ii, qui in mortis articulo conſtituti ab excommunicatione reſervata abſolvuntur, ſi poſtea convaluerint, debeant, cum primum poſſunt, ad Superiorem recurrere; alioquin in cenſuram reincidant; non tamen in eam reincidere cenſentur, ſi intra triduum ab oblata recurrendi ad Superiorem facultate recurrant. *Dicimus ſaltem intra triduum* fieri enim poteſt, ut eadem ipſa die, habita Confeſſarii copia, Sacerdos confiteri teneatur, ſi videlicet craſtina etiam die celebrandi neceſſitas urgeat, & Confeſſarii copiam vel certo non ſit habiturus, vel ſaltem incertum ſit, an craſtina die ſit habiturus. At ſi neque celebrandi neceſſitas urgeat per inſequentes dies, & hodierna Confeſſionis dilatio periculum non afferat Confeſſionem ad multos dies protrahendi, non videtur Sacerdos contra grave Tridentini Concilii præceptum graviter peccaturus, ſi, habita hodie Confeſſarii copia, Confeſſionem adhuc protrahat, dummodo intra triduum Pœnitentiæ Sacramento expietur.

XII. At ad utilem, dignamque Euchariſtici Sacramenti ſuſceptionem, præter gratiam ſanctificantem, qua quis eſſe debet inſtructus, requiritur præterea. 1. ut Euchariſtiam ſumpturus Eccleſiaſtica

(1) Alexander VII. in damnat. propoſit. 38.

(2) Cap. *Eos, qui*. de ſent. excommunicat. in 6.

cleſiaſtica non ſit cenſura irretitus: hæc enim Sacramentorum ſuſceptionem impedit, atque interdicit. 2. ut a media nocte uſque ad tempus Sacramentalis Communionis nihil prorſus per modum ſeu cibi, ſeu potus, ſeu medicinæ ab extrinſeco in os immiſerit, ac in ſtomachum trajecerit. Quamquam enim Chriſtus Dominus poſt agni eſum, poſtremamque cum Diſcipulis cœnam, Euchariſtiæ Sacramentum inſtituerit; Vetuſtiſſima (1) tamen, & Apoſtolica traditio eſt, ne quis audeat ad divina Myſteria non jejunus accedere, & contrarium, qui alicubi irrepſerat, abuſum Concilia (2), & Patres, tamquam ſummum crimen, ab Eccleſia abſtulerunt. Ab hac tamen jejunii naturalis lege hi, qui ſequuntur, excipiuntur caſus. 1. quando miniſtrari ægroto debet Viaticum. *Hujuſmodi Sacramentum*, ſic decrevit Concilium Conſtantienſe, cui conſonat univerſa Eccleſiæ praxis, *non debet confici poſt cœnam, neque a Fidelibus recipi non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis a Jure, vel Eccleſia conceſſo, vel admiſſo*. 2. quando perficiendi Sacrificii urget obligatio, ut ſi Sacerdos Miſſam celebrans pro vini ſpeciebus aquam ſumat, ſuper quam verba conſecrationis protulit, eam eſſe ratus vinum; aut ſi repentina infirmitate (4) correptus deficiat, poſtquam panem, & vinum conſecravit, nec alius haberi poſſit Sacerdos, niſi non jejunus, qui Sacrificium conſummare, ac perficere poſſit. 3. ſi probabile ſit periculum, ne Euchariſtia pereat, aut ab Infidelibus male pertractetur: tunc enim Fideli cuilibet, etiam non jejuno, conſummare eamdem licet. 4. ſiquis non jejunus Sacrificium inchoavit, ſeu ad Euchariſticam acceſſit menſam, nec ſine gravi ſcandalo Sacrificium, aut Communionem ſe omittere poſſe certo intelligat; tunc enim ad evitandum ſcanda-

(1) S. Cyprianus epiſt.63., Tertullianus lib.2. ad uxorem cap.5., S.Baſilius hom.1. de jejunio, S. Joa. Chryſoſtom. hom.27. in epiſt.1. ad Cor., S. Gregor. Nazianz. orat.40., & S. Aug. ep.118.

(2) Concil. Carthagin. III. can.41., Trullan. can.29., Matiſconen. II. can.9., Bracharen. I. can.16., & II. can.10., & Conſtantien. ſeſſ.13.

(3) Concil. Conſtantienſe ſeſſ.13.

(4) Concil. Tolet. VIII. c.2.

ſcandalum cibo veſci poteſt Euchariſtico. 5. demum ſi cui ex Apoſtolica diſpenſatione a Romano Pontifice conceſſum fuerit, ut non jejunus ad Sacra Myſteria recipienda accedat, cujuſmodi facultatis recentiſſimum habemus exemplum. Ex Apoſtolica enim largitate Benedictus XIV. (1) per Epiſtolam in forma Brevis Amantiſſimo Parenti Noſtro Jacobo III. Magnæ Britanniæ Regi eamdem, quam Carolo V. Julius III. conceſſerat, facultatem dedit, ut de ſui Directoris Spiritualis conſilio Sacram Communionem etiam non jejunus recipere poſſet. Cujus quidem beneficentiæ, ut perennis apud poſteros, & grata extet recordatio, eamdem Pontificiam Epiſtolam in Appendice num. 5. damus.

XIII. Paſchale tempus, quo Fideles Adulti ſuſcipere quotannis Euchariſtiam jubentur, a die Dominica Palmarum incipit, uti Eugenius IV. (2) declaravit, & ad diem Dominicam in Albis incluſive protenditur. Quamobrem & gravi ſe crimine alligat, & pœnis in Concilio Lateranenſi ſtatutis fit obnoxius, quicumque intra illorum dierum ambitum Sacro Chriſti Corpore non reficitur, niſi forte aut legitimo detineatur impedimento, aut de proprii Sacerdotis conſilio rationabilem aliquam ob cauſam ab ejus perceptione ad tempus duxerit abſtinendum. Si enim Parochus, aut alius Confeſſarius judicet, ſacrum hoc alimentum Pœnitenti in iis, in quibus verſatur, circumſtantiis mortem potius allaturum eſſe, quam vitam; abſit, ut pia Mater Eccleſia illum ad Euchariſticam menſam cogat acccedere, cum eadem malit, ut diutius abſtinendo digne tandem accedat, quam tunc accedendo judicium ſibi manducet, ac bibat. Id autem de iis dumtaxat Peccatoribus (3) eſt intelligendum, qui reſipiſcere ſerio volentes, peccata ſua Parocho, aut alteri Confeſſario ſincere confitentur, & qui ut e cœno vitiorum emergant, quidquid iiſdem ab eo faciendum præſcribitur, id ſtatim aggrediuntur,

(1) Benedictus XIV. in ſuo Brevi 24. Martii 1766.

(2) Eugenius IV. Conſtit. *Fide digne*. tom. 1. Bullar. Roman. Conſtitut. 20.

(3) S.Th. 3.par. qu.80. art.11.

diuntur, & faciunt; non vero de iis, qui aut in peccato, aut in proxima occaſione peccandi obdurato perſtant animo, aut ea exequi detrectant, quæ a prudenti, doctoque Confeſſario ad veram pœnitentiam omnino neceſſaria judicantur. Si quis vero ex legitimo impedimento a Sacra abſtinuerit Menſa; eo ſublato, ſatisfacere, cum primum poteſt, Eccleſiaſtico præcepto debet, & in ſua Parœciali Eccleſia Euchariſtico refici Sacramento.

XIV. Ut ſaltem ſemel in anno oves proprii Paſtoris vultum agnoſcant, & Parœciali Eccleſiæ debitam præſtent obedientiam, ac reverentiam; Declaramus, atque edicimus, Eccleſiaſtico Paſchalis Communionis præcepto non ſatisfieri ab iis, qui non in Parœciali, ſed in alia qualibet Eccleſia, etiamſi Cathedralis ea ſit(1), circumſcripto Paſchatis tempore Euchariſtica dape reficiantur. Ab hac tamen lege excipimus 1. vagos, peregrinos, & advenas: hi enim ubilibet poſſunt, niſi aliter Synodalia ſtatuta præſcribant, Eccleſiaſticum implere præceptum. At Nos pro iis in Tuſculana Civitate Cathedralem, in Oppidis vero Noſtræ Diœceſis Matricem Eccleſiam deſignamus, in qua eos volumus ſuſceptione Corporis, & Sanguinis Chriſti Paſchalem Solemnitatem cum gaudio celebrare. 2. eos, qui juſta de cauſa Paſchatis tempore a propria abſunt Parœcia: nam hi Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ Sacramentis, ubicumque verſentur, muniri poſſunt: at in Parochiam reverſi, volumus, ut certum Parocho ſuo exhibeant documentum, ex quo eos præceptum impleſſe conſtet: ſecus intra octo dies (2) Euchariſtiam de manu Parochi in ſua Parœciali Eccleſia recipiant; ſin minus, adverſus illos (3) tamquam violati præcepti reos, procedendum eſſe decernimus. 3. Sacerdotes: hi enim, ubicumque Paſchali tempore Miſſam celebrent, Eccleſiæ præcepto faciunt ſatis. Quod ſi vel ob infirmitatem, vel alia de cauſa celebrare nequeant;

(1) Sac. Cong. Concil. in Limana, in Sutrina, & in Peruſina menſe Septembris 1649., & 23. Januar. 1688., Innocentius XI. 5. Februar. 1682., & Benedictus XIV. Inſtit. 18. num. 11., & in Epiſt. Encycl. §.21. data 2. Junii 1751.

(2) Concil. Toloſan. c.5. §.5.

(3) Concil. Mediol. I. par.2. tit. quæ per-

queant; ipſi quoque non minus, ac Laici, ad Sacra recipienda Myſteria in ſua Parœcia debent convenire.

XV. Regularibus omnibus ea in memoriam revocamus, quæ Benedictus XIV. in ſua Epiſtola Encyclica (1) ad Primatem, Archiepiſcopos, atque Epiſcopos Poloniæ ſcripſit: *Paulus IV. Fratribus Minoribus privilegium conceſſit, ut Sacram Euchariſtiam omnibus Chriſtifidelibus in eorum Eccleſiis diſtribuere poſſent, excepta tamen die Paſchatis Reſurrectionis, atque hoc privilegium a Pio V. per communicationem, ut dicitur, ad omnes Regulares extenſum fuit. Verum quia ſecundum Eugenii IV. Conſtitutionem Paſchale tempus, intra quod Communionis præceptum adimplendum eſt, a Dominica Palmarum initium habet, ac Dominica in Albis terminatur; cum exortum dubium fuiſſet, num licitum Regularibus foret intra præſcriptum eorumdem dierum terminum Sacram Euchariſtiam Fidelibus in eorum Eccleſiis diſtribuere, reſolutum fuit (2), die Paſchatis nemini diſtribui poſſe, ne illis quidem, qui intra ſanctiorem hebdomadam Paſchali præcepto in propria Parochiali Eccleſia ſatisfeciſſent: Poſſe quidem Regulares aliis Paſchalis temporis diebus Fideles in eorum Eccleſiis Sacra Euchariſtia reficere, hac tamen conditione, ut Communione refecti ſcirent, non ideo ſe a præcepto illo exemptos eſſe, ut Paſchalem in propria Parochiali Eccleſia Communionem recipere deberent.* Parochis vero omnibus diſtricte præcipimus. 1. ut ad eos, qui Sacro Paſchatis tempore (3) aut in lecto decumbunt ægroti, aut carceribus mancipati detinentur, etiamſi extra Paſchales dies divina refecti fuerint Euchariſtia, adhuc altero ſaltem ex diebus, qui Paſchatis Feſtum ſubſequuntur, Euchariſticus panis guſtandus deferatur. 2. ut Populo notum faciant, per ſacrilegam Communionem Paſchali præcepto non fieri ſatis: proſcripta enim eſt

Xxx 2 ab In-

pertinent ad Sacram. Euchar., & can. *Placuit*. cauſ.21. qu.2.

(1) Benedictus XIV. in Encycl. §.22. 2. Junii 1751.

(2) Sac. Cong. Concil. 2. Martii 1619., in Burdigalen. 9. Julii 1644., in Senonen. 11. Junii 1650., in Mechlinien. 31. Januar. 1682.

(3) Can. *Pervenit*. de conſecr. diſt.2., Concil. Mediol. V. par. 2. tit. quæ ad Sacram. Euchar. pertinent, & Rituale Rom. tit. de Communione Paſch.

ab Innocentio XI. hæc (1) propoſitio : *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit per ſacrilegam Domini manducationem* ; adeoque duplicis culpæ gravis reum fieri illum, qui Paſchatis tempore panem Angelorum manducat indigne, ſacrilegii videlicet, & gravis inobedientiæ Eccleſiaſtico præcepto, cui non facit ſatis.

XVI. Monemus præterea Parochos, atque enixe rogamus in Domino, ut diligentiſſime quotannis inveſtigent, an Fideles omnes curæ ſuæ concrediti legem de ſumenda Euchariſtia in Feſto Paſchæ fideliter, exacteque ſervaverint. Ut autem facile iniri ratio poſſit eorum, qui Euchariſtiam ſuſceperint, & eorum, qui huic Sanctiſſimo Eccleſiæ præcepto parere neglexerint, nec aut cujuſpiam nomen Parochi diligentiam effugiat, aut occupationem ejus fallere quis audeat; mandamus, ut quilibet Parochus ante Paſchale tempus Parœciæ ſuæ domos omnes perluſtret, & ſtatum, quem dicunt, animarum ſumma cura, diligentiaque deſcribat. Mox ſingulis præſcripto ab Eccleſia tempore ad Euchariſticam Menſam accedentibus, ſtatim ac participes facti fuerint Dominici Corporis, ſchedula ad eum finem typis impreſſa tradatur, quæ Sacrorum Myſteriorum ſuſceptionem teſtetur. Elapſo tandem Paſchali tempore, Parochus iterum domos omnes Parœciæ ſuæ ſedulo circumeat, traditaſque in Sacramentali Communione ſchedulas repetat, ſecumque ferat, adnotatis eorum nominibus, a quibus illas acceperit. Et hac ſane ratione facile deprehendet, quinam Eccleſiæ præceptum violare auſi ſint.

XVII. Verum cum juxta Canonicam Lateranenſis Concilii ſanctionem adverſus contumaces hujus Eccleſiaſticæ legis Tranſgreſſores ſtatutum ſit (2), *ut viventes ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & morientes Chriſtiana careant ſepultura*; quibus ſane verbis non latæ, ſed ferendæ ſententiæ pœna ſignificatur; Certam aliquam ſtatuendam a Nobis eſſe cenſemus methodum, qua in re tanti momenti procedatur. Siquem igitur ex Populo ſuo Parochus ab Eucha-

(1) Innocentius XI. in damnat. propoſit. 55.

(2) Cap. *Omnis utriuſque ſexus*. de pœnit., & remiſſ.

Digitized by Google

Euchariſtica Menſa Paſchali tempore abſtinuiſſe deprehenderit; continuo tamquam bonus Paſtor, qui errantem quærit oviculam, eum amice conveniat, peramanter alloquatur, cauſas exquirat, propter quas ad ſacrum non acceſſerit convivium, ſuaſionibus, blanditiis, ac precibus, ut ad illud accedat, enixe hortetur, omnemque præterea operam ſuam, ſi ea indigeat, in animæ vulneribus curandis polliceatur; neque ab his paternæ charitatis actibus exercendis abſiſtat, niſi cum vel errantem ovem humeris ſuis impoſitam lætanter ad ovile reduxerit, vel eam ſtatuto tempore Canonicæ correctionis virga a Nobis percuſſam viderit, quamquam ne tunc quidem eam omnino negligi oporteat. Quod ſi is in conſilio ſuo contumax perſeveret, ante Feſtum Dominicæ Aſcenſionis diem, ejus, vel eorum, ſi plures fuerint, nomina ad Nos deferantur, ut juris ordine ſervato, per triplicem Canonicam monitionem publico Noſtro edicto faciendam, quarum prima Feſto ipſo Dominicæ Aſcenſionis die, altera Feria ſecunda poſt Pentecoſten, tertia tandem in Feſto Sanctiſſimæ Trinitatis habeatur, ſuppreſſis eorum nominibus, paterna charitate a Nobis ad præſtandam Eccleſiæ mandato obedientiam excitentur. Si vero adhuc in contumacia perſtiterint, deveniemus, quamquam ægre ferentes, ac inviti, ad publicationem interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ, & ab Eccleſiaſtica ſepultura, eorumque nomina ad Cathedralis Eccleſiæ valvas deſcripta affigi jubebimus. Poſt hæc, niſi reſipuerint, eos gravioribus etiam pœnis, ipſaque majori excommunicatione ad meliorem frugem revocare conabimur. Si tandem obdurato animo (1), in cenſuris per annum inſorduerint, ad normam Tridentini Concilii contra eos, tamquam de hæreſi ſuſpectos, procedemus.

XVIII. Quamquam Chriſtus Dominus, cum Euchariſtiæ Sacramentum inſtituit, Fideles omnes ad Menſæ Dominicæ participationem invitaverit, dicens: *Accipite, & comedite ex hoc omnes*; alias tamen hoc mandatum dedit Apoſtolis: *Nolite dare* *Sanctum*

(1) Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. de ref., & Sac. Cong. Concil. 30. Jan. 1587.

Sanctum canibus; quibus ſane verbis illud a Chriſto præcipi Catholica Eccleſia ſemper intellexit, ut animarum Paſtores ab Euchariſtica Menſa publicos, ac notorios peccatores, qui canum nomine deſignantur, repellant, niſi ea in ipſis vitæ, morumque mutatio apparuerit, eaque veræ pœnitentiæ publica dederint ſigna, ut emerſiſſe illos aliquando e flagitiorum profundo, & ad bonam frugem ſe recepiſſe exiſtimari poſſit. Arceantur itaque ab hujus Sacramenti ſuſceptione publici peccatores, Hæretici, Schiſmatici, excommunicati, interdicti, manifeſte infames, meretrices, Concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphemi, aliique hujus generis homines, quorum notoria eſt, & publica iniquitas, ignota vero pœnitentia: item ſiqui odia, atque inimicitias foveant; & ſiqui in aliqua peccandi conſuetudine, uſuque publice jaceant. *Non parva*, Sacerdotes alloquens inquit Chryſoſtomus (1), *vobis imminet pœna, ſiquem aliqua improbitate teneri ſcientes, ei hujus Menſæ participationem permittatis*. His omnibus itaque manifeſtis, ac notoriis peccatoribus Euchariſtia denegetur, ſive eam publice, ſive in occulto petant. *Manifeſti autem* (2), *ac notorii peccatores dicuntur ii, quorum peccata noſcuntur aut per Judicis ſententiam, aut per propriam Confeſſionem in judicio factam, aut per evidentiam facti, quæ nulla poſſit tergiverſatione celari*; ut ait S. Thomas. Longe alia res eſt, ſi de occultis peccatoribus ſermo inſtituatur. Si enim occultus peccator Euchariſtiam publice petat, poterit quidem Sacerdos (3), ſi occulte id facere valeat, & aliunde, quam ex Sacramentali Confeſſione, peccatoris ſtatum dignoverit, illum monere, ut a Sacra abſtineat Menſa, imo etiam poterit Euchariſtiam publice miniſtraturus, omnibus in communi edicere, ne quis peccati labe inquinatus, & Eccleſiæ nondum reconciliatus ad ſacrum accedat convivium. At ſi adhuc pecca-

(1) S.Joa.Chryſoſt. hom.83. in Matth.

(2) S. Th. 3.par. qu.80. art.6. in corpore, & qu.82. art.9. ad 3., cap. *Tua nos*; & cap. *Quæſitum*. de cohabit. Cleric., Benedictus XIV. in epiſt. Encycl. ad Clerum Gallicanum 16. Oct. 1756., & de Synodo lib.7. cap.11. a n.4.

(3) Benedictus XIV. de Synodo loco cit., & S. Th. loc. cit.

Digitized by Google

peccator ejuſmodi ad Sacramentum percipiendum ſe offerat, illum repellere non licebit; quemadmodum exemplo ſuo nos docuit Chriſtus Dominus, qui Judæ (1) occulto adhuc peccatori Sacramentum Corporis ſui dare non recuſavit; & quemadmodum ratio ipſa nos docet. Quamquam enim occultus peccator coram Deo jus non habeat veſcendi pane filiorum; contendere tamen jure poteſt, ſe publica non eſſe afficiendum infamia, quam certe ſubiret, ſi publice eidem Euchariſtia denegaretur, cum ſe ad eam percipiendam obtuliſſet. At ſi Euchariſtiam occulte petat; diſtinctione tunc opus eſt. Vel enim Sacerdos occultum peccatoris ſtatum ex ſola Sacramentali ejuſdem Confeſſione cognovit; & tunc illi etiam occulte petenti adminiſtrare debet panem Euchariſticum, ne in odium apud Fideles vocet Pœnitentiæ Sacramentum: vel aliunde ſcit peccatoris nequitiam; & tunc occulte petenti denegare occulte poteſt Dominici Corporis participationem: ſignificare tamen eidem debet, ſalvo ſemper notitiæ Auctore, alia ſibi ratione, quæ nihil commune habet cum Pœnitentiæ Sacramento, occultum ejus ſtatum innotuiſſe.

XIX. Caveant Parochi, ne Sacram Euchariſtiam pueris adminiſtrent, qui nondum perfectum rationis habent uſum propter ætatis imbecillitatem. Hi enim neque Euchariſticum cibum a pane communi, & profano ſciunt diſcernere, neque eam, quæ decet, ad Sacra Myſteria recipienda pietatem animi, ac religionem afferre poſſunt. Iis ergo dumtaxat (2) pueris Angelicus iſte cibus ſubminiſtrari poterit, qui fidei Myſteriis probe eruditi, aliquam admirabilis hujus Sacramenti cognitionem acceperint, ejuſque ſumendi guſtum habentes, probitate, ac pietate pro illius ætatis modo commendentur. Verum cum puerorum aliqui citius, alii multo ſerius ſigna hujus capacitatis oſtendant; Parochorum erit, judicium ferre in caſibus particularibus, an hic, vel

(1) S. Th. 3. par. quæſt.81. art.2. in corpore.

(2) Rituale Rom. de Euchariſt., S.Th. in 4. diſt.9. qu.1. art.5. quæſtiunc.4. in corpore, Catechiſm. Rom. de Euchariſt. §.62., & 63.

Digitized by Google

vel ille puer, aut puella ad Euchariſticam Menſam admitti poſſit. Ut autem in hoc efformando judicio maturius procedant; Parochi, poſt diligens puerorum examen, a Parentibus (1) etiam perquirant, quid de eorum pietate, & ingenii præſtantia, uſuque rationis arbitrentur. Cæterum hanc univerſim regulam in Noſtra Diœceſi ſervari jubemus, ut nemo Euchariſtici convivii particeps fiat, niſi decimum ſaltem ætatis annum attigerit; & nemini ultra decimum quartum prima Sacramentalis Communio protrahatur. Qua quidem in re Parochorum conſcientiam oneramus, ac ſub interminatione divini Judicii, ac pœnis arbitrio Noſtro infligendis diſtricte præcipimus, ut quotannis, Quadrageſimali tempore appetente, puellarum, ac puerorum delectum habeant, quos proximis Paſchalibus diebus divina Euchariſtia reficiendos eſſe arbitrentur. Eoſdem autem certis, ſtatiſque diebus diligentiſſime, ac patienter tum generatim, tum ſingillatim inſtruant, atque erudiant, quid de Auguſtiſſimo hoc Sacramento credendum iis ſit, & qua animi demiſſione, religione, ac reverentia ad illud percipiendum accedere debeant, juxta normam a Benedicto XIII. in calce Romani Concilii traditam, quam in Appendice num. 6. exhibemus. Poſtquam demum eos probe erudierint, vereque ad Euchariſtiam debita cum religione, ac reverentia ſuſcipiendam idoneos compererint; certa, ac præſtituta die in Parœcialem Eccleſiam convenire eos jubeant, ac Pœnitentiæ Sacramento prius expiatos Sacra Communione reficiant.

XX. Amentibus, ac phreneticis Menſæ Domini (2) participes eſſe non licet: licebit tamen, ſi quando lucida habeant intervalla, ac devotionem, dum in eo ſtatu manent, oſtendant, nullumque vomitionis, aut indignitatis periculum adeſſe cenſeatur. Idem de ſemifatuis, ac ſtolidis dicendum eſt; nec non de energumenis (3), epilepticis, aliiſque hujuſmodi ægrotis, de quibus

(1) S. Carolus Borromæus in Synodo Diœceſana XI. (2) Rituale Rom. loc. cit. n. 10. (3) S. Th. 3. par. qu. 80. art. 9. ad 2.

Digitized by Google

quibus dubitari prudenter poſſit, an ſui ſint compotes, & an quid agant, intelligant, vel an aliquid acturi ſint, quod tantum dedeceat Sacramentum. Nulli tandem ſive Laico, ſive Clerico, ſed ſolis Sacerdotibus Corpus Domini in Sacrificio conficientibus, ſub utraque, panis videlicet, ac vini, ſpecie Euchariſtiam ſumere licet. Agnoſcens enim Sancta Mater Eccleſia, uti monet Tridentina Synodus (1), hanc ſe perpetuo habuiſſe poteſtatem, ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret; licet ab initio Chriſtianæ Religionis non infrequens utriuſque ſpeciei uſus fuiſſet; tamen progrèſſu temporis, latiſſime jam mutata illa conſuetudine, gravibus, & juſtis cauſis adducta hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie, nempe panis, communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

XXI. Soli Sacerdotes ii ſunt, quibus admirabilis hujus Sacramenti concredita eſt adminiſtratio. Chriſtus enim, qui Sacrificium iſtud inſtituit, ejus officium committi voluit ſolis Preſbyteris, quibus ſic congruit, ut ſumant, & dent cæteris, quemadmodum in anniverſaria Chriſti Corporis Solemnitate Catholica concinit Eccleſia, cum divina perſolvit officia. Hinc in Sacramentali (2) Euchariſtiæ ſumptione ſemper in Eccleſia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus Communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicarent; qui mos, tamquam ex Apoſtolica traditione deſcendens, jure, ac merito retineri debet, cum præſertim hujus rei Nobis illuſtre exemplum Chriſtus Dominus reliquerit, qui & Sanctiſſimum ſuum Corpus conſecravit, & Apoſtolis illud ſuis manibus porrexit. Sacerdotes autem Chriſti Corpus Fidelibus porrigentes, illud non in eorum manibus, ut olim, ſed in ipſorum ore propria dextera collocare

 debent.

(1) Trid. ſeſſ.21. cap.2., & can.2. (2) Trid. ſeſſ.13. cap.8., & can.10.

debent. Reddita enim Eccleſiæ pace, graviſſimis ex cauſis antiquus ille de medio ſublatus eſt mos, quo Laici in ſuis manibus a Sacerdote Euchariſtiam recipientes, vel ori ſtatim admovebant ſuo, ut ea veſcerentur, vel eam in domum ſuam deferebant alio tempore manducandam. Neque vero Sacerdotum miniſtrantium probitas, vel improbitas, uti de omnibus Sacramentis univerſim dictum eſt, hujus Sacramenti ſanctitati, virtuti, atque efficientiæ quidquam addit, vel detrahit. Caveant tamen ipſi quam diligentiſſime, ne peccati ſordibus polluti rem adeo divinam pertractent, & Sacrum hoc epulum aliis porrigere, ac miniſtrare impuris manibus vereantur. Quoties enim id audebunt, immane perpetrabunt ſacrilegium, æternamque ſibi perniciem, mortemque conſciſcent.

XXII. Nonniſi in Templis, publiciſque Oratoriis Euchariſtia petentibus eſt miniſtranda: In privatis enim Oratoriis, niſi Apoſtolicum Privilegium, aut Noſtra, ſeu Vicarii Noſtri Generalis licentia acceſſerit, etiam iis, qui Miſſæ interſunt, a Sacerdote celebrante miniſtrari nequit, uti docet Benedictus XIV. (1) Tempus autem hujus Sacramenti miniſtrandi diurnum eſt, non nocturnum, niſi forte Viaticum noctu ægroto, qui in mortis verſetur diſcrimine, ſit deferendum. Et ſane ne ipſa quidem Dominicæ Nativitatis nocte (2) inter Miſſarum Solemnia Euchariſtiam Fidelibus miniſtrare licere, Sacra Rituum Congregatio ſæpius conſulta reſpondit. Diurno itaque dumtaxat tempore, quo Sacerdotes Sacris operari poſſunt, ab Aurora videlicet uſque ad Meridiem, Euchariſticum quoque cibum licite iidem poſſunt Fidelibus poſtulantibus diſpenſare. Nequid autem in Sacros Ritus in hujus Sacramenti adminiſtratione adhibendos peccetur, duo monemus. Primum eſt, ut ſi extra Miſſæ Sacrificium Euchariſtia diſtribuatur, Sacerdos illam diſtribuens candido indutus ſit ſuper-

(1) Benedictus XIV. in Encycl. *Magno cum animi noſtri*. 2. Junii 1751., & in Conſtit. *Certiores effecti*. tom. 1. n. 64., & Inſtit. 34. §. 3.

(2) Sac. Congreg. Rit. 7. Dec. 1641., 9. Aug. 1653., & in Piſauren. 20. Aprilis 1664., & Sac. Cong. Viſit. Apoſtol. 7. Dec. 1703.

Digitized by Google

ſuperpelliceo, ac ſtola coloris ſeu albi, ſeu congruentis ſaltem officio illius diei. Alterum eſt, ut in Defunctorum Miſſis eadem a Sacerdote celebrante non miniſtretur per modum Sacramenti, videlicet per particulas præconſecratas, quæ ad eum finem in Tabernaculo aſſervantur, ſed per modum participationis Sacrificii, videlicet per particulas, quas propterea in eodem Sacrificio Sacerdos conſecraverit, uti noviſſime Sacra Rituum (1) Congregatio declaravit.

XXIII. Diligenter Parochi, ac perſæpe Fideles curæ ſuæ commiſſos moneant, atque edoceant, quam religioſo, ac modeſto corporis cultu ad hoc Sacramentum recipiendum debeant accedere. Edicant propterea, ut ad illud accedant oculis non vagis, ſed pie in Chriſti Corpus conjectis; capite non demiſſo, ſed moderate erecto, ore modeſte porrecto, ac lingua ita exerta, ut eadem inferius labrum paululum attingat, non tamen extra os promineat. Linguam non retrahant, priuſquam manum Sacerdos amoverit: a ſuſpiriis abſtineant, ne particulæ e pyxide, ſeu patena excutiantur, & evolent. Nudas geſtent, & ſine chyrothecis manus, eæque vel ſupplices ſint, vel pectori in modum Crucis admotæ. Viri, antequam Sacram adeant Menſam, arma deponant; mulieres vero velatum habeant caput, abjectaque vana quacumque muliebri pompa, modeſtis veſtibus induantur. Omnes demum flexis genibus intimo religionis, ac pietatis ſenſu permoti, ſacra dona recipiant, iiſque receptis, neque ſtatim expuant, neque a Templo recedant, ſed per quartam ſaltem horæ partem in ſilentio, oratione, & gratiarum actione permaneant, ut ex divini hoſpitis beneficentia, ac liberalitate non modo animæ ſuæ vulneribus adeo ſalutarem medicinam adhibeant, verum etiam ampliſſimis muneribus locupletentur.

XXIV. Præcipua tamen Parochorum cura ſit populum frequenter edocere, qua ratione præparatos Fidelium animos eſſe oporteat, antequam ad Sacramentalem Euchariſtiæ perceptio-

Yyy 2 nem

(1) Sac. Congreg. Rituum in Aquenſi 2. Septemb. 1741.

nem veniant. Quo enim melius affecto, ac præparato animo Euchariſtiam aliquis ſumit; eo etiam amplioribus cœleſtis gratiæ ornatur muneribus; non ſecus ac cibi, ſi ore accepti in ſtomachum melius affectum illabuntur, uberius corpus alunt, ac ſuſtentant. Primum itaque hortentur Fideles, ut non modo a graviorum criminum ſordibus expiare, verum etiam a leviorum culparum pulvere, quoad fieri poteſt, animum abſtergere curent. *Non enim homini* in eorum animis *præparatur habitatio, ſed Deo*. Deinde illud inſinuent, ut ab omni ſemoti cura, ſtrepituque per quartam ſaltem horæ partem in Fidei, Spei, Charitatis, Contrionis, aliarumque virtutum actibus ſincere, & ex animo iterandis ſeſe exerceant, illud identidem cogitantes, quam indigni ſint, quibus divinum hoc beneficium a Domino tribuatur: quare illud Centurionis dictum intimo cordis ſenſu ingeminent (1): *Domine, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum*. At mox memoria recolentes præſentem ſibi ſub Euchariſticis ſpeciebus adeſſe Chriſtum Dominum, quem (2) Angeli adorant in Cœlo; ad cujus (3) nutum columnæ Cœli contremiſcunt, & pavent; cujus gloria plenum (4) eſt Cœlum, & orbis terrarum; eumque nimia adductum charitate, qua dilexit nos, ita humiliare ſemetipſum, ut animarum noſtrarum, & corporum cibus eſſe velit, ac ſalus; in magnam erecti ſpem, & charitatis igne ſuccenſi, Dominum Deum ſuum diligant ex toto corde ſuo, ex tota mente ſua, & ex totis viribus ſuis, itaut vere illud Petri (5) uſurpare valeant. *Domine, tu ſcis, quia amo te*. Neque enim Salvator Noſter, *qui charitas eſt, ac diligentes ſe diligit*, libentius hoſpitatur, quam ubi vera Dei charitas, ac dilectio reperitur juxta illam Chriſti Domini (6) promiſſionem: *Siquis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*.

AR-

(1) Matth. c.8.
(2) Pſalm.96., & ad Hebr. c.1.
(3) Job c.26.
(4) Iſaiæ c.6.
(5) Joa. c.21.
(6) Joa. c.14.

ARTICULUS II.

De Viatico ægrotis in mortis periculo conſtitutis adminiſtrando.

C*Onſuetudo aſſervandi in Sacrario Sanctam Euchariſtiam adeo antiqua eſt, ut eam Sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit*, uti ſtatuit Tridentina (1) Synodus. *Porro deferri ipſam Sacram Euchariſtiam ad infirmos, & in hunc uſum diligenter in Eccleſiis conſervari, præter quam quod cum ſumma æquitate, & ratione conjunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more eſt obſervatum. Quare Sancta hæc Synodus retinendum omnino ſalutarem hunc, & neceſſarium morem ſtatuit.* Ex antiquiſſimo hoc, conſtantique Eccleſiæ uſu, ac præcepto, cujus ignoratur initium, communior Theologorum (2) Sententia docet, Fideles adultos rationis uſu pollentes in mortis periculo conſtitutos, jure divino obligari ad Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiendum *in re*, ſi poſſint, videlicet ipſum Euchariſticum panem manducando, ac deglutiendo: ſin minus, *in voto*, ideſt ſi Sacramentaliter ſuſcipere nequeant, ſaltem illum Sacramentaliter manducare enixis votis deſiderando. Et ſane ſi eum in finem & Euchariſtiam Chriſtus inſtituit, & ejus recipiendæ ſæpius in vita mandatum Fidelibus dedit, ut ejus virtute roborati, & aucti fortes eſſe poſſent in bello, invictoque animo pugnare cum antiquo ſerpente; Nonne dicendum erit, in vitæ potiſſimum exitu ejuſmodi præceptum urgere, cum adverſus morituros Diabolus venit habens iram magnam, ſciens, quia modicum tempus habet? Porro cum mors ſit momentum illud, a quo pendet æternitas (per mortem enim hominibus, vel ad æterna præmia, vel ad pœnas ſempiternas aditus reſeratur) quis non intelligat, eo tempore Fideles uberioribus, ac vividioribus egere divinæ auxiliis gratiæ, quibus recreati & mortis dolores ferre patienter poſſint, & in certam ſpem veniæ peccatorum erigantur, & dæmonis calcaneo inſidiantis impe-

(1) Trid. ſeſſ. 13. c. 6. (2) Benedictus XIV. de Synodo lib. 7. cap. 16. num. 2.

impetum infringant, donec,cum ex vita emigrandi tempus advenerit, ad æternam gloriam, & beatitudinem evehantur? At unde in eos vividiora hæc, atque uberiora gratiæ auxilia promanare poſſunt, niſi ex ipſo Sanctitatis Auctore, & fonte, qui ſub Euchariſticis ſpeciebus continetur, & dona clementiæ ſuæ effundere liberaliter geſtit in omnes, qui in tempore tribulationis invocant illum? Hinc factum eſt, ut Euchariſticus cibus, cum ad graviter ægrotantes defertur, aptiſſime Viaticum nuncupetur. Eſt enim ſpiritualis cibus, quo animæ via ad æternam gloriam, ac felicitatem munitur, non ſecus ac Elias (1) in ſubcinericii panis fortitudine ambulavit uſque ad Montem Dei Horeb.

II. Cum itaque cœleſtis hujus alimoniæ tanta ſit neceſſitas, utilitas tanta, quando Fideles in extremo vitæ verſantur diſcrimine, ut eam quacumque ſive diurni, ſive nocturni temporis hora ex Eccleſiæ decreto etiam non jejunis adminiſtrare liceat; Proinde omnibus Parochis, eorumque Vicariis, ſeu Capellanis ſub interminatione divini judicii, gravibuſque pœnis arbitrio Noſtro infligendis tota, qua pollemus, auctoritate præcipimus, ut nullo umquam tempore in Sacro ad ægrotos deferendo Viatico operam ſuam, diligentiamque deſiderari patiantur. Quare ſtatim ac monebuntur, ægrotum aliquem gravi morbo laborantem ex Medici Sententia Euchariſtico cibo eſſe reficiendum; nulla interpoſita mora, illum inviſant, Pœnitentiæ Sacramentum, niſi jam ab alio Sacerdote collatum ei fuiſſe conſtet, rite, ac diligenter eidem adminiſtrent, atque ad panem Angelorum religioſe ſuſcipiendum diſponant, ut eo cœleſti cibo recreatus, ac ſalutari viatico inſtructus, quod illi ad æternam patriam itineris eſt reliquum, proſpere perficiat: Tandem ejus animo in hunc modum præparato, decenti comitatu, ac pompa Euchariſtiam illi afferant, atque adminiſtrent. Verum cum & ægri plerumque, & qui ægrorum curam habent, domeſtici, nonniſi in extremo periculo vocare Parochum ſoleant, itaut interdum ſenſibus

(1) 3. Regum cap. 19.

ſibus deſtitui ægrotus incipiat, antequam Sacrum Viaticum ad eumdem deferatur; Propterea volumus, ut ea, quæ de Infirmorum viſitatione in Noſtra Epiſtola ad Parochos, totumque Noſtræ Diœceſis Clerum data, cujus exemplar in Appendice num. 7. habetur, præſcripſimus, accurate, diligenter obſerventur. Parochus autem, cum aliquem in ſua Parochia non leviter ægrotare acceperit, ad illum continuo etiam non vocatus accedat, & cum eo de curanda anima, ut inde corpori quoque ſalus redeat, amanter, & ſuaviter agat. Cum vero illum periculoſe laborantem viderit, amice moneat, blandeque ſuadeat, ut, priuſquam morbi vis major ingruat, dum omnino eſt compos ſui, Sacro Viatico, quod ad ſalutem animæ, & corporis prodeſt, muniatur. Quod ſi ægrotus aliquis ex Parochi ſocordia, negligentiaque Viatico non munitus deceſſerit, in eumdem Parochum juxta Sacrorum Canonum normam ſeveriſſime animadvertemus. Nimis enim crudele eſt, ac inhumanum, hominem in ſummo ſalutis æternæ diſcrimine poſitum a ſuo Paſtore negligi, eoque privari ſubſidio, quo ſibi tutius, faciliuſque æternam comparare poſſet felicitatem.

III. Cum in re ſummi momenti verſemur, plura hic Parochos monemus, quorum exactam ab ipſis obſervantiam requirimus, ut animarum curæ Noſtræ concreditarum ſaluti, ac bono, quoad fieri poteſt, conſulatur. 1. Parochos ſerio hortamur, ac monemus (1), ne omnes indiſcriminatim pueros interire ſine Chriſti Corporis Viatico patiantur. Volumus enim, ac præcipimus, illud iis pueris ut præbeant, quos iidem Parochi, diligenti præmiſſo examine, tanta compererint ingenii perſpicacitate pollere, ut latentem ſub ſacramentalibus ſpeciebus Chriſtum & firmiter credant, & reverenter adorent, quamquam numquam antea Euchariſticum panem deguſtarint. 2. ſciant Parochi, poſſe, & (2) debere Sanctiſſimum Viaticum in eadem infirmitate, quæ in longum protrahatur, iterum, & tertio adminiſtrari, præſertim ſi ipſimet ægro-

(1) Benedictus XIV. de Synodo lib. 7. c. 12. n. 3.

(2) Benedictus XIV. loc. cit. num. 5. in fine.

ægrotantes iterum cœleſtem illum panem eſuriant. Quare ſi Parochus aliquis poſt plurimum temporis Euchariſtiam ad eumdem infirmum eam devote efflagitantem falſis quibuſdam, & emendicatis prætextibus denuo deferre obſtinate detrectet, Noſtram non effugiet animadverſionem. 3. mandamus, ac jubemus, ut Parochi non modo Viaticum infirmis in gravi moriendi periculo conſtitutis adminiſtrent, verum etiam ſæpius in anno, præſertim cum Feſta quædam occurrunt ſolemniora, ad ægrotos, licet non graviter decumbentes, impeditos tamen, ne ad Eccleſiam accedant, ſumendam deferant Euchariſtiam, ac potiſſimum ſi iidem ad Euchariſticam Menſam frequenter accedere, antequam ægrotarent, conſueverint, & dum morbo afflictantur, tanto refici Sacramento & optent, & petant. Imo hortetur Parochus infirmum, quemadmodum in Rituali Romano præſcribitur, ut Sacram Communionem ſumat, etiamſi graviter non ægrotet, neque mortis immineat periculum, potiſſimum ſi Feſti alicujus celebritas id ſuadeat, neque Parochus illam adminiſtrare recuſet. Inter Viaticum tamen, & hanc Infirmorum Communionem duplex intercedit diſcrimen. Primo videlicet, ut Viaticum etiam non jejunis; Infirmorum vero Communio, nonniſi jejunis dari poſſit. Secundo ut Sacerdos Viaticum adminiſtrans his utatur verbis: *Accipe, Frater (vel Soror) Viaticum Corporis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat ad vitam æternam, Amen*; Porrigens vero Euchariſtiam ægrotis, hanc precandi formulam adhibeat: *Corpus Domini Noſtri Jeſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.*

IV. Cum inter Paſtoris officia illud potiſſimum recenſeatur, ut is oves ſuas Sacramentis paſcat; Sacramentorum autem præſtantiſſimum, & Fidelibus in ultimo vitæ exitu maxime utile, ac neceſſarium ſit Euchariſtia; Inde fit, ut ordinarius Viatici diſtribuendi Miniſter ſit Parochus; cui propterea præcipimus, ut niſi legitime ſit impeditus, ipſe per ſe ægrotis graviter decumbentibus Viaticum deferat, & adminiſtret. Ipſe enim, & non Mercenarius,

cenarius,

cenarius, vocatus eſt ab Epiſcopo in partem paſtoralis ſollicitudinis, eique ab eodem dictum eſt: *paſce oves meas*. Cæterum nullus Sacerdos ſive Sæcularis, ſive Regularis, niſi vel in caſu extremæ neceſſitatis, vel Apoſtolico privilegio, aut ex peculiari ſive Epiſcopi, ſive Parochi commiſſione, miniſtrare Viaticum poteſt ægrotantibus in mortis periculo conſtitutis. Imo adverſus Sacerdotes Regulares Canonicæ hujus legis tranſgreſſores Clemens V. (1) ſic ſtatuit: *Religioſi, qui Clericis, aut Laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel Euchariſtiæ miniſtrare, non habita ſuper his Parochialis Presbyteri licentia ſpeciali, præſumpſerint, excommunicationis incurrant ſententiam ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendi ... Religioſis tamen illis, quibus eſt ab Apoſtolica Sede conceſſum, ut familiaribus ſuis domeſticis, aut pauperibus in hoſpitalibus ſuis degentibus Sacramenta poſſint Eccleſiaſtica miniſtrare, nullum ex præmiſſis volumus quoad hoc præjudicium generari*. Cum autem perſæpe accidat, ut ægrotus, antequam Euchariſtico cibo reficiatur, ad animam penitus expurgandam adire Sacerdotis aures cupiat, & aut reliquias ſuperioris Confeſſionis, quæ forte illi exciderant, aut aliud, cujus conſcientia, & religione tangitur, promere, & confiteri; Mandamus propterea, ut ſi Parochus legitime impeditus munus adminiſtrandi Viatici alteri Sacerdoti committere debeat, non alium eligat, quam qui a Nobis ad audiendas Fidelium Confeſſiones ſit approbatus.

V. Quamquam non modo quolibet anni die, adeoque etiam Feria VI. in Paraſceve, uti Sacra Rituum (2) Congregatio declaravit, verum etiam qualibet ſive diurni, ſive nocturni temporis hora, uti ſuperius diximus, deferri, atque adminiſtrari Viaticum poſſit; Juxta Rituale tamen Romanum, niſi vere neceſſitas urgeat, deferendum noctu non eſt. Neque enim facile poteſt nocturno tempore & ea adhiberi pompa, & is haberi comitatus, qui pro modulo Noſtro tantum deceat Sacramentum. Verum ſi, urgente neceſſitate, nocturno tempore adminiſtrandum

Zzz ſit,

(1) Clement.1. de privilegiis.

(2) Sac. Rit. Cong. 19. Feb. 1622.

ſit, Mulieres neque ad Templum accedant, neque Sacram Pompam comitentur, ſed domi ſe contineant, flexiſque ad terram genibus tranſeuntem per vias Regem Angelorum adorent, eumque ſupplices rogent, ut ægroto, ad quem defertur Viaticum, animæ, immo etiam corporis, ſi æternæ expediat ſaluti, pro immenſitate clementiæ ſuæ ſanitatem largiatur. Parochus vero, ſive quicumque alius Sacerdos meminerit, ſe coram Cœli, terræque Domino, quem ſub Euchariſticis deliteſcentem ſpeciebus præ manibus geſtat, nullo prorſus integumento, ne pileolo quidem, poſſe caput operire, quin ei aut imber decidens, aut frigus urens, aut infirmitas, ſeu ſenectus, niſi forte ſpeciale indultum obtinuerit, ſuffragetur.

VI. Etſi Chriſtus Dominus, cujus caro in hoc Sacramento noſter factus eſt cibus, & ſanguis potus, interiorem cum in miniſtrante, tum in ſuſcipiente ornatum animi, cultumque potiſſimum poſtulet; Non tamen externum quoque cultum, & apparatum dedignatur excipere, quem in deferenda ad ægrotos Euchariſtia adhiberi ſemper juſſit Eccleſia, ut per illum intimus pietatis, ac religiònis ſenſus in Fidelium animis erga tantum Sacramentum excitetur. *Ne propter incuriam Sacerdotum*, ita ſtatuit Honorius III., *divina indignatio gravius exardeſcat, diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus a Sacerdotibus Euchariſtia in loco ſingulari, mundo, & ſignato ſemper honorifice collocata devote, ac fideliter conſervetur. Sacerdos vero quilibet frequenter doceat plebem ſuam, ut, cum in celebratione Miſſarum elevatur Hoſtia ſalutaris, ſe reverenter inclinet, idem faciens, cum eam deſert Presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine, ferat, & referat manifeſte, ac honorifice ante pectus cum omni reverentia, & timore, ſemper lumine præcedente, cum ſit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides, & devotio augeatur. Prælati autem hujuſmodi mandati graviter punire non differant tranſgreſſores, ſi & ipſi divinam, & Noſtram volunt effugere ultionem.* Nos itaque Pontificio huic obtemperantes mandato, ſub gravibus pœnis arbitrio Noſtro infligendis,

Paro-

Digitized by Google

Parochis omnibus diſtricte præcipimus, ut eorum opera debitus divinæ rei honor, cum ad ægrotos defertur, in Sacramento geſtando, deducendo, reducendoque habeatur. Quamobrem volumus, ut quæcumque hac ſuper re in Rituali Romano præſcribuntur, fideliter, exacteque obſerventur.

VII. Præ cæteris vero hæc omnino ſervari jubemus. Primum conſueto campani æris pulſu ſodalibus Societatis Corporis Chriſti, aliiſque piis hominibus ſignum ad Eccleſiam conveniendi detur, ut ſolito ritu, atque apparatu divinum comitentur Sacramentum. Paratis deinde omnibus, quæ ad Sacram inſtituendam pompam requiruntur, Parochus non modo ſuperpelliceo, & ſtola, verum etiam pluviali albi coloris indutus, poſitis ante Altare genibus, brevique habita oratione, duas conſecratas particulas in pyxide collocet, quarum altera ægroto præbenda erit, altera ad Eccleſiam referenda, niſi forte aut longe diſtet æger, aut horrida tempeſtas ingruat, aut per arduas, prærupta ſque vias ſit incedendum: tunc enim unam dumtaxat ſecum ferre licebit, quam ubi ægroto præbuerit, extinctis luminibus, ſacriſque veſtibus depoſitis, ſine comitatu, & pompa Parochus ad Eccleſiam redibit; cæteri vero ſuam quiſque domum dilabentur. Sacerdotem autem ab Eccleſia cum Sacramento progredientem præibit Miniſter aliquis, qui una manu tintinnabulum lentis ictibus pulſet; altera vero vas aquæ benedictæ cum aſperſoriolo, burſam cum corporali, & linteum, quod ante ægroti pectus, cum Euchariſtiam ſumet, explicandum erit, reverenter ferat. Illum ſequentur aperto capite cum accenſis cereis facibus, qui ad id officium convenere, Fideles, & ſex ſaltem Confratres ſodalitatis Sanctiſſimi Sacramenti cum accenſis pariter luminibus, qui omnes vel cum Sacerdote, aut inter ſe pſalmorum carmina religioſe, pieque alternabunt. Cum autem accenſa, quæ deferuntur, lumina non raro ſeu furentis venti, ſeu pluviæ irruentis vi extingui poſſint; propterea ne debita deſiderentur lumina, ad normam

Concilii Romani (1) præcipimus, ut quatuor, aut ſaltem duæ cum ſuis haſtis elegantes laternæ, intra quas accenſæ ſemper ardeant candelæ, hinc inde circa Sacerdotem, qui Sacramentum geſtat, deferantur. Poſtremo Parochus ſub conopæo ſuper ipſum prætento, aut ſaltem, ſi id loci, aut temporis circumſtantiæ poſtulent, ſub umbella, in cujus apice Crux emineat, gravi, ac lento incedet paſſu, pyxidem ante pectus utraque manu cum timore, ac reverentia geſtans, qui cum circumſtantibus conſuetos alternatim pſalmos recitabit. Umbellam, ſi fieri poſſit, Clericus deferat, albo indutus ſuperpelliceo: haſtili a vero conopæi vel a dignioribus viris, vel ſaltem a Sodalibus ſuſtententur. Sacerdoti Euchariſtiam deferenti alter, quoad fieri poteſt, Sacerdos, aut ſaltem Clericus ſuperpelliceo indutus aſſiſtat. Reliquus, qui ad pium officium convenit, Populus poſt Parochum turmatim gradiatur, ita tamen, ut a viris ſejunctæ ſint mulieres, & omnes ad Deum pias pro ægroto fundant preces. Quod ſi Viaticum ex urgenti neceſſitate Feria VI. in Paraſceve ad ægrotum deferatur; adhuc Sacerdos ſtola, ac pluviali albi coloris indutus incedat, & cætera, quæ hactenus diximus, omnino præſtentur, tribus hiſce dumtaxat exceptis, videlicet 1. non conſuetis campani æris ictibus, ſed alia ratione ad Eccleſiam conveniendi ſignum Fidelibus detur. 2. recitentur quidem in itinere, ſed voce ſatis ſubmiſſa, conſueti Pſalmi cum Gloria Patri. 3. cum Sacramentum in publica Eccleſia recondendum non ſit, ſine benedictione populus dimittatur; quæ quidem omnia Sacra Rituum (2) Congregatio declaravit, ac ſervari juſſit.

VIII. Antequam Parochus cum Sacramento ab Eccleſia domum verſus ægroti abeat; cubiculum, in quo jacet æger, verratur diligenter, & ab omni purgetur ſorde: menſa in conſpectu ægroti poſita mantili puro, nitidoque ſternatur, in cujus medio Crux, & utrinque bina candelabra binis cum cereis faculis accenſis

(1) Benedictus XIII. in Conc. Rom. tit. 15. cap. 7. (2) Sac. Cong. Rit. 15. Maii 1745.

cenſis ſtatuantur: vitreum tandem poculum ad ægroti ablutionem præparetur. His rite inſtructis, ubi Parochus Euchariſtiam deferens ad ægroti cubiculum pervenerit, ingrediens illa verba pronunciet: *Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea*; & corporali in menſa explicato, ſuper eo pyxidem deponat: deinde ægro aqua benedicta de more aſperſo, & reliquis, quæ in Rituali continentur, peractis, Sacramentum miniſtret, receptaque demum pyxide eodem ordine, quo acceſſit, ad Eccleſiam revertatur. Quod ſi acciderit, ut allato Sacramento, propter ingraveſcentem morbi vim, ægrotum ſenſus, vireſque deficiant, adeoque illo muniri nequeat; tunc Parochus, poſita ſuper corporali ante eum pyxide, flexiſque ad terram genibus, paulum immoretur, & oret. At mox, recepta iterum pyxide, cum ea ægroto benedicat, eodemque ordine, uti diximus, ad Templum revertatur. Olim quidem mos erat, ut ſi forte ægrotus particulam deglutire non poſſe videretur; adhuc tamen ad eumdem deferretur Euchariſtia, non quidem ſumenda, ſed vel oſculanda, vel ſaltem adoranda. Sed morem hunc S. Pius V. abrogavit, diſtricte prohibens, ne ad moribundos, qui Sacram particulam deglutire nequeunt, Euchariſtia deferatur; & in Sacræ Congregationis Concilii Regeſtis hæc extant (1) verba: *Non licet Sanctam Euchariſtiam ad ægrotantes deferre, qui morbi gravitate impediti eam ſumere non poſſunt, ſed venerationis gratia ſolent eam deoſculari. Et ſi forte aliquo in loco talis eſt conſuetudo, ea prorſus eſt tollenda, quod Pius V. prohibuit.*

IV. Cum in Eccleſiam Sacerdos Euchariſtiam deferens redierit, antequam in Tabernaculo Sacramentum recondat, converſus ad Populum ei benedicat, Pyxidem utraque manu tenens, & cum ea ſignum Crucis ſuper adſtantes efformans. Conſuetas tamen prius, atque ab Eccleſia præſcriptas recitet preces, populumque de Indulgentiis, quas in illo officio præſtando conſecuti ſunt, & quas in Appendice num. 8. recenſemus, admoneat. Verum

(1) Benedictus XIV. de Sacrif. Miſſæ lib. 3. c. 19. n. 5.

Digitized by Google

Verum ut frequens ſemper ſit, & religioſus, ac pius in hoc Sacramento cum deducendo, tum reducendo Fidelium comitatus, perſæpe hac ſuper rè Parochus loquatur ad Populum, eumque hortetur, ac roget, ut, audito ſigno deducendæ ad ægrotos Euchariſtiæ, ad Templum properet, eam religioſe comitaturus, ne ſecus inofficioſus, parumque in Deum pius videatur, cum turmatim homines videamus amicorum, & potentiorum aditus, egreſſuſque ambitioſe obſervare, eoſque deducere, aſſidueque aſſectari. Illud etiam inſinuet, ut quicumque Sacerdoti Sacra ferenti obviam fiunt, non ſolum genibus ad terram demiſſis tranſeuntem venerentur, ſed etiam, niſi gravi aliqua occupatione impediantur, ad domum ægroti, atque inde ad Eccleſiam uſque religioſe deducant. At ſi occurrentes, equo, aut jumento inſideant, ac vehantur; ſtatim, viſo Sacramento, deſiliant, ac tandiu flexis ſtent genibus, donec illud ferens Sacerdos prætererit. Hortentur præterea, uti monet S. Carolus Borromæus (1), Patres familias, quibus congruæ ſuppetunt facultates, ut ſinguli unam, aut plures cereas faces, ſeu candelas domi ad hoc pium officium ſepoſitas habeant, & quoties deferendæ ad ægrotos Euchariſtiæ ſignum audierint, vel ipſi, vel eorum filii natu majòres, vel famuli ad templum accurrant, Viaticum cum accenſis facibus comitaturi.

X. Quamquam Fidelibus adultis in mortis periculo conſtitutis Sacrum, uti diximus, adminiſtrari Viaticum oporteat; non tamen proinde, (2) ſi particulæ deſint conſecratæ, Sacerdoti non jejuno Sacrum facere licet, aut ſi ſemel ſacris operatus ſit, Miſſam iterum celebrare. Imo etiam, ſi celebranti poſt oblationem particula conſecranda offeratur, ut quam citiſſime ægrotus, qui brevi moriturus videtur, Euchariſtico pane muniatur, poterit illam quidem conſecrare, ſi nondum Canonem recitare cœperit, eamque tunc mente offerre tacitus debet: at ſecus dicendum eſt, ſi Ca-

(1) S. Carolus Borromæus in Concil. Mediol. IV. tit. 9.

(2) Benedictus XIV. de Sacrif. Miſſæ lib. 3. c. 1. n. 3., & c. 12. n. 8.

ſi Canonem cœperit recitare: In eo (1) enim caſu particulam dumtaxat ex hoſtia, quæ in Miſſa conſecratur, poſt conſecrationem, & ante conſummationem abrumpere, ſervatamque ad infirmum deferre licebit. Caveant tamen Parochi, ne umquam hujuſmodi caſus obveniat; eumque in finem ſemper aliquæ particulæ conſecratæ in Tabernaculo reconditæ aſſerventur. Ne autem diutius aſſervatæ corrumpantur, volumus, ut a Parochis (quemadmodum peculiari ſua Conſtitutione (2) præcepit Clemens VIII., & ante ipſum edixerat Sacra Congregatio (3) Epiſcoporum, & Regularium) hyeme ſingulis quindecim diebus, æſtate vero octavo quolibet die renoventur; veteres autem Sacerdos ipſe ſacra faciens omnes una cum parvis etiam, ac minutis earum fruſtis manducet. Si hac in re Parochi alicujus culpa deprehendatur, eam pœna luet arbitrio Noſtro infligenda.

XI. Antiquiſſimum illum, qui a primis uſque Eccleſiæ ſæculis viguit, morem divinam Euchariſtiam in ſacris ædibus aſſervandi, ut ea cum extra Miſſæ Sacrificium, tum & potiſſimum in vitæ exitu refici Fideles poſſent, retinendum omnino eſſe, quemadmodum diximus, Tridentina (4) Synodus ſtatuit, ac declaravit. Verum non proinde in omnibus indiſcriminatim ſacris ædibus illam aſſervare permiſſum eſt. Eadem enim in Parœcialibus dumtaxat Eccleſiis (5) religioſe, ac diligenter eſt cuſtodienda: In reliquis vero, quæ Parœciales non ſint, ſine ſpeciali (6) Apoſtolicæ Sedis Indulto, cujuſmodi omnibus Regularium, ac Monialium Eccleſiis conceſſum reperitur, aſſervari perpetuo, ac ſtabiliter nequit, quemadmodum Sacra Rituum Congregatio perſæpe declaravit, ac præſertim in decreto generali, quod Clemens XI. die 22. Januarii 1704. Apoſtolica auctoritate

(1) Benedictus XIV. lib. cit. c. 5. n. 3.

(2) Clemens VIII. Conſt. 34. *Sanctiſſimus*. edita 31. Aug. 1595.

(3) Sac. Cong. Epiſc. in Ravennaten. 5. April. 1573.

(4) Trid. ſeſſ. 13. c. 6.

(5) Can. *Presbyter*. de conſecr. diſt. 2.

(6) Sac. Cong. Epiſc. 15. Jan. 1610. & Sac. Rit. Cong. in Inſulana 10. Junii 1604., in Aſculana 3. April. 1631., in Cortonen. 9. Maii 1699., & in decret. gener. ad dubium 26. 10. Dec. 1703.

ritate confirmavit. Quamobrem, exceptis Regularium Eccleſiis, in nullo alio ſive Oratorio, ſive Templo divinum aſſervetur Sacramentum ſine Apoſtolico Indulto; quod tamen ſi forte alicui concedatur, nulla ratione, niſi Nobis exhibitum prius fuerit, ac Noſtra (1) facultas acceſſerit, executioni demandetur. Si ſecus factum fuerit, ad normam Sacrorum Canonum tranſgreſſores multabimus.

XII. Ut autem Rex Regum, & Dominus Dominantium, cujus (2) ſedes cœlum eſt, terra autem ſcabellum pedum ſuorum, in Sacris ædibus ſub Euchariſticis ſpeciebus deliteſcens honorificentius pro modulo noſtro excipiatur; Volumus, ut (3) in Parochialibus, & Regularium Eccleſiis in principaliore, ac digniore loco, videlicet in ara majori, perpetuo Euchariſtia ſervetur. Ab hac tamen lege Cathedralem Noſtram eximimus, in qua videlicet Euchariſticum Sacramentum in alio Altari recondi oportet, cum in Ara Majori Pontificiæ functiones verſis ad Altare renibus fiant. Tabernaculum autem (4), in quo Sanctiſſima aſſervanda eſt Euchariſtia, ſit pro cujuſque Eccleſiæ facultatibus affabre elaboratum ſive ex marmore, ſive ex metallo, ſive etiam ex ligno vel inaurato, vel eleganter picto. Loculus (5), in quo pyxis Euchariſticum cibum continens includi debet, ſerico coloris albi circumveſtiatur, & oſtiolum habeat bene firmum, ſuaque ſera, & clave communitum. Clavis vel ſit argentea, vel ſaltem deaurata, quæ ſemper ſit penes Eccleſiæ Rectorem (6), aut in loco ſatis tuto, unde ſumi ſine ſcitu ipſius nequeat, nec umquam aut publice expoſita, aut ſuper Altare relinquatur, ne poſſit ſacrilega manus ad venerabile Sacramentum extendi. Oſtiolum ita pateat, ut pyxis commode inferri, ac promi poſſit, atque in extima

1) Sac. Rit. Cong. 9. Maii 1699.

(2) Iſaiæ c.66. v.1.

(3) Sac. Cong. Epiſc. in Lucenſi 10. Febr. 1579., & in Caſertana 29. Novembris 1594.

(4) Sac. Cong. Rit. 22. Febr. 1593.

(5) Innocentius III. in Concilio Lateranenſi IV. c.20.

(6) Cap. *Statuimus*. de cuſtodia Euchariſtiæ, Sac. Rit. Cong. 22. Febr. 1593. & Sac. Congr. Epiſc. in Valliſoletana, 12. Jan. 1604.

Digitized by Google

extima ejus parte ſeu picta, ſeu ſculpta imago aliqua Salvatoris aut reſurgentis, aut vulneratum pectus exhibentis, aut Cruci ſuffixi conſpiciatur. In ciborio, ſeu loculo non ullæ Sanctorum reliquiæ, non Sacrorum oleorum vaſcula, non calices ulli, non vas, non omnino quidquam aliud, quam ſola Pyxis, quæ Sacramentum continet, aſſervetur. Totum Tabernaculum eleganti conopæo ejus coloris, qui officio diei congruat, aut ſaltem multicolori contegatur: ſuperne autem, & alte elatum pendeat extentum (1) tentoriolum, quo non Tabernaculum modo, ſed ipſum quoque Altare operiatur, ne ex pulvere, aliiſque ſordibus e laqueari decidentibus deturpetur. Ante Tabernaculi oſtiolum, in quo Salvatoris imaginem aut ſculptam, aut pictam ineſſe oportere diximus, vas florum, aut quid ſimile retineri nequit, uti ſtatuit Sacra (2) Rituum Congregatio.

XIII. Cum Unigenitus Dei Filius Jeſus Chriſtus ſit candor lucis æternæ, & lucem in cœlis habitet inacceſſibilem; Recta ratio poſtulat, ut illi, dum depoſita majeſtate factus eſt inter nos *vere Deus abſconditus*, & Euchariſtica obvolutus caligine nobiſcum in terris habitat, noſtra hæc terrena lumina famulentur. Quamobrem Parochorum cura ſit (3), ut diu, noctuque ante Tabernaculum una ſaltem lampas accenſa colluceat, quæ numquam extinguatur, in perenne videlicet amoris ſignum, quo Reparatorem noſtrum infinito nos amore proſequentem redamamus. Quod ſi non caſu, ſed ex Parochi ſeu deſidia, ſeu avaritia non ſemel lampas ejuſmodi extincta reperiatur; multam is pecuniariam ſubibit pro modo culpæ arbitrio Noſtro infligendam. Duas Pyxides (4) quilibet Parochus habeat, vel argenteas, vel ſaltem ex ære optime aurato, quarum una minor ad Sacrum ægris Viaticum defe-

A a a a rendum

(1) Rituale Romanum tit. de Euchariſtiæ Sacramento.

(2) Sac. Rit. Cong. in una Camaldulen. Montis Coronæ 22. Jan. 1701.

(3) Sac. Cong. Epiſc. 15. Jan. 1619., & Rituale Rom. loc. cit. §. *Hoc autem*; & Sac. Congreg. Concilii in Urbevetana 22. Martii 1595.

(4) Can. *De tribus gradibus*. de conſecr. diſt. 1., & Sac. Congreg. Epiſcop. 26. Julii 1588.

Digitized by Google

rendum adhibeatur; major altera particulas conſecratas contineat, quæ ad Fidelium Communionem in Tabernaculo ſunt aſſervandæ. Utraque Pyxis ſit ab Epiſcopo rite conſecrata, & utraque etiam conopæolo ſerico albi coloris, aut phrygio opere contexto circumveſtiatur. Majori pyxidi, quæ una cum Euchariſticis ſpeciebus in Tabernaculo recondi debet, corporale mundum, & ſine ſordibus ſubſternatur, quod ſaltem bimeſtri quolibet mutari jubemus.

XIV. Ad excitandam populi pietatem, ac religionem, in ſingulis Eccleſiis, in quibus Sanctiſſima aſſervatur Euchariſtia, quotannis feria quinta in Cœna Domini, poſt ſolemnem illius diei Miſſam, hoſtia conſecrata in calice includitur, ac patena, ſericoque albi coloris cooperta ex ara majori ad remotiorem aliquam Templi Capellam deferri, ibique in urna ſepulchrali, quæ ad hunc finem parata, ſtatutiſque precibus benedicta eſſe debet, recondi ſolet, ut videlicet grata in Fidelium animis ſepulchri, in quo Chriſti Domini Corpus tumulatum triduo jacuit, excitetur recordatio. Vetuſtum hunc Eccleſiæ ritum in Noſtra Diœceſi religioſe, exacteque ſervari jubemus, itaut nihil eorum, quæ a Rituali Romano facienda præſcribuntur, omittatur. Sepulchralis capſula unicam habeat, firmamque clavem, qua diligenter obſeretur: ea vero vel a Parocho, vel a Sacerdote in craſtinum Sacris operaturo retineatur, nulloque pacto Laicis perſonis cujuslibet ſtatus, gradus, & conditionis, & non obſtante quacumque in contrarium conſuetudine, cuſtodienda tradatur, quemadmodum ſæpius ſtatuit (1) Sacra Rituum Congregatio, cujus decreto tam Sæculares, quam Regulares quomodocumque exemptos obſtringi, ipſa eadem (2) Congregatio declaravit. Sacra hæc ſepulchri ſpecies quam maximo apparatu pro Eccleſiæ facultatibus fiat, & plurimæ, ſi fieri poſſit, circa illud cereæ accenſæ faces collu-

(1) Sac. Rit. Congreg. in Civitaten. 22. Novemb. 1631., & in Calaguritana 13. Sept. 1642.

(2) Sac. Rit. Cong. in Caurien. 15. Decemb. 1632.

colluceant, quarum ſaltem quatuor, aut ſex per totam noctem ardeant, nec extinguantur, quemadmodum ab ejuſdem Sacramenti cuſtodia Sacerdotum unus, aut certe Clericus candido indutus ſuperpelliceo, aut, ubi rari ſunt Clerici, unus ſaltem Sæcularis ſacco ſodalitatis amictus numquam abſcedat, qui flexis ante Cœli, terræque Dominum genibus, ſacras agat excubias, & pio cordis affectu pro ſe, totoque Populo Omnipotentem Deum deprecetur.

ARTICULUS III.

De Divina Euchariſtia publice exponenda, ut a Fidelibus externo, internoque latriæ cultu adoretur.

CUM ille idem Unigenitus Dei Filius in Euchariſtiæ Sacramento contineatur, quem *Pater* (1) *Æternus introducens in Orbem terrarum dicit: & adorent eum omnes Angeli Dei*; *quem* (2) *Magi procidentes adoraverunt*; quem denique (3) *in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe* Scriptura teſtatur; Nullus (4) jam dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſtifideles, pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultum externum, internumque, qui vero Deo debetur, Sanctiſſimo huic Sacramento cum veneratione exhibeant. Et ſane ſic Tridentina Synodus (5) nos docet, ubi definit: *Siquis dixerit, in Sancto Euchariſtiæ Sacramento Chriſtum Unigenitum Dei Filium non eſſe cultu latriæ etiam externo adorandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & ejus adoratores eſſe Idololatras, anathema ſit.* Credendum itaque eſt, maximo cum Chriſti Corporis honore, ſummaque Fidelium cum utilitate conjungi eam Catholicæ Eccleſiæ diſciplinam, qua aliquoties in anno Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum palam populo ſpectandum, atque adorandum exhibetur.

II. Quamquam incertum ſit, quandonam publice Fidelium oculis

(1) Ad Hebr. c. 1.
(2) Matth. c. 2.
(3) Matth. c. 28., Lucæ c. 24.
(4) Trid. ſeſſ. 13. cap. 5.
(5) Trid. ſeſſ. 13. can. 6.

Digitized by Google

oculis exponi cœperit Euchariſtia; Veroſimilius tamen Doctores, uſum hunc ex viſibili Euchariſtiæ per publicas vias circumgeſtatione, quæ Feſto die Corporis Chriſti quotannis haberi ſolet, originem traxiſſe arbitrantur. Cum enim Sacramentum hac occaſione viſibile in plateis, atque Eccleſiis exponeretur; haud inconveniens viſum fuit, illud etiam in Altari, aut alio eminentiore loco extra publicæ ſupplicationis tempus adorandum populo exhibere. Ac primum quidem id factum eſſe ajunt divinorum Officiorum tempore ipſo feſto die Corporis Chriſti; mox integro illo die; poſtmodum per ejus octavam; ac tandem nonnullis aliis, ſolemnioribus præſertim, diebus; atque ita ſenſim ad præſentem, quæ in Eccleſia viget, diſciplinam deventum eſſe putant. Quidquid autem de hoc ſit, certum illud eſt, publicam Euchariſtiæ expoſitionem, dummodo cum debito honore, ac reverentiæ ſignificatione fiat, utiliſſimam Populo Chriſtiano eſſe, maximumque ex ea cultum, & obſequium in Sacratiſſimum Chriſti Corpus derivari. Teſtatur id luculentiſſime Alma Urbs Roma, Religionis Caput, & Magiſtra, ubi quotidie non in uno, ſed in pluribus etiam Templis Divinum Sacramentum Populo adorandum exponitur, & eo quidem cum Religionis emolumento, ut diu, noctuque in dictis Templis frequens adſit Fidelium multitudo, qui pias ad Deum fundunt preces, ac fide non ficta, ſummaque pietate, ac modeſtia Chriſtum ſub Euchariſticis ſpeciebus latentem exorant, ac venerantur.

III Nequa vero adverſus tantum Sacramentum in publicis ejuſdem expoſitionibus admittatur irreverentia; plura Romani Pontifices, & Sacræ Cardinalium Congregationes ſapienti conſilio decreverunt, quæ paucis hic perſtringemus, ut omnibus innoteſcant, ac fideliter executioni demandentur. Et primum quidem ne Majeſtas Myſterii Fidei nimis facili, crebraque vulgatione deteratur; Eccleſiaſticis legibus cautum eſt, ne Euchariſtiæ Sacramentum publicæ Fidelium venerationi exponatur, niſi publica intercedat cauſa, quæ ab Ordinario loci probetur, & niſi ejuſdem

ejuſdem Ordinarii expreſſa facultas acceſſerit. *Illud in primis certiſſimum eſt Sedi Apoſtolicæ*, ut inquit Benedictus XIV. (1), *in quibuſcumque Eccleſiis etiam privilegio immunibus, ſive Sæcularibus, ſive Regularibus non licere exponi publice divinam Euchariſtiam, niſi cauſa publica, & Epiſcopi facultas intervenerint: ſolius autem Epiſcopi partes eſſe, ut cauſæ publicæ meritum expendat, ac declaret*. Et merito: ſi enim quæcumque in Diœceſi ad Dei cultum ſpectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri æquum eſt, uti ſtatuit Tridentina (2) Synodus; quanto magis hæc Ordinario demandanda erat cura, ne Fidei Sacramentum ob nimiam expoſitionis frequentiam vileſceret, ac deſpiceretur! Dubitatum quidem olim fuit, an, ut in Regularium Eccleſiis ab Epiſcoporum juriſdictione exemptis publice exponi poſſet Euchariſtia, cum publica cauſa, tum Ordinarii licentia requireretur? At utramque requiri pluries declararunt Sacræ (3) Epiſcoporum, & Regularium, Concilii, & Rituum Congregationes; & expreſſe in modo citatis verbis ſtatuit Benedictus XIV.. Quæ quidem de publica, non de privata Euchariſtiæ expoſitione procedunt. In quadam enim cauſa Neapolitana controverſiam his verbis diremit Sacra Congregatio (4) Concilii: *Cenſuit non licere Regularibus, etiam in eorum propriis Eccleſiis, Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario: ex cauſa autem privata poſſe, dummodo Sanctiſſimum Sacramentum e Tabernaculo non extrahatur, & ſit velatum ita, ut ipſa Sacra Hoſtia videri non poſſit*. Ad publicam igitur Euchariſtiæ expoſitionem publica cauſa, & Epiſcopi facultas requiritur; ad privatam vero alicujus etiam privati viri ægritudo, aut neceſſitas ſufficit, & licentia Rectoris illius Eccleſiæ, in qua habenda eſt expoſitio. IV. Ne-

(1) Benedictus XIV. in Decretali ad Epiſcopum Warmienſem 16. April. 1746.

(2) Trid. ſeſſ. 21. c. 8. de ref.

(3) Sac. Congreg. Epiſc. in Cajetana 25. Oct., & 10. Dec. 1602., & in Dertonen. 27. Maii 1603., Sac. Cong. Conc. in Neapolitana 17. Aug. 1630., & 28. Februarii 1654., & 14. Aprilis 1674., & Sac. Cong. Rit. in Firmana 22. Jan. 1701.

(4) Sac. Congreg. Concilii in Neapolitana 17. Aug. 1630.

Digitized by Google

IV. Nequa vero oriatur æquivocatio; diſcrimen, quod inter publicam, & privatam expoſitionem intercedit, paucis eſt explicandum. Publica itaque tunc habetur expoſitio, cum Euchariſtia in oſtenſorio repoſita per chryſtallum, qua ſphæra munitur, a populo cernitur, & ut videri commodius poſſit, in eminentiore Altaris loco collocatur. Privata vero tunc dicitur, quando vel reſerato Tabernaculo, ſacra Pyxis clauſa, ſuoque velata conopæo in Tabernaculi oſtiolo collocatur; vel Euchariſticus panis in oſtenſorio incluſus, ſub umbella quidem ad id parata in edito Altaris loco ſtatuitur, at ſphæra ita ſerico albi coloris velo obducta eſt, ut Sacræ Hoſtiæ aſpectus adſtantibus omnino interdicatur. Utraque Euchariſtiæ privatim exponendæ ratio permiſſa eſt, cum priorem Sacrarum Congregationum decreta aperte commemorent, poſteriorem vero conſtans Romanæ Urbis uſus, & conſuetudo commendet. Non tamen umquam licet in privata expoſitione ſacram Pyxidem e Tabernaculo eductam, velatamque ſub umbella collocare, cum nullum hujuſce ritus veſtigium apud Scriptores, nullaque Sedis Apoſtolicæ conſuetudo deprehendatur, quam tamen omnino ſequi par eſt, uti ſapienter monet Benedictus XIV. (1). Jam vero privatas hujuſmodi expoſitiones privatis ex cauſis fieri permittimus, dummodo Rector Eccleſiæ, in qua habendæ ſunt, expreſſe conſentiat, & in iis habendis Sacri ſerventur ritus. *Quandocumque igitur privata ex cauſa*, uti ſtatuit Sacra Epiſcoporum (2), & Regularium Congregatio, *Sacroſancta Euchariſtia exponenda videbitur, e Tabernaculo numquam extrahatur, ſed in pyxide velata in aperto ejuſdem Tabernaculi oſtiolo cum aſſiſtentia alicujus Sacerdotis ſtola, & ſuperpelliceo induti, & cum ſex ſaltem luminibus cereis collocetur: quod idem in Eccleſiis Regularium ſervari mandamus*. Quod ſi privata pariter ex cauſa Sacra Hoſtia intra conſuetam incluſa ſphæram, veloque obducta ſub umbella ſtatuatur; tunc duodecim ſaltem cereas accendi oportet faces, & Sacerdos aliquis ſtola, ac ſuperpelliceo indutus flexis genibus

(1) Benedictus XIV. Inſtit. 30. n. 16. (2) Sac. Cong. Epiſc. 9. Dec. 1602.

genibus ſacras agere debet excubias; quod quidem ſervandum ſemper eſt, quacumque tandem ratione ſive privatim, ſive publice Fidelium venerationi divinum Sacramentum exponatur.

V. Quoad publicas vero ejuſdem expoſitiones, præter eas, quæ in Sæcularium, ac Regularium Eccleſiis ſtabili quadam lege, & conſuetudine de Prædeceſſorum Noſtrorum, Noſtroque conſenſu in tota hac Diœceſi fieri quotannis conſueverunt, nemo audeat in qualibet Eccleſia Euchariſtiam publice exponere, niſi licentiam a Nobis, publica ex cauſa judicio Noſtro probanda, petierit, atque obtinuerit. Volumus autem, ut, quandocumque Sacramentum publice Fidelium cultui, ac venerationi exponatur, eæ omnes ſerventur leges, quas Romani Pontifices, & Sacra Rituum Congregatio præſcripſere, & quas paucis hic complectimur.

VI. Primo itaque Templum, maximeque Sacellum, & Altare, in quo exponenda eſt Euchariſtia, decentiſſime pro locorum conditione ornentur; & niſi aliud neceſſitas, aut alia gravis ratio ſuadeat, Altare majus ad eum finem ſeligatur, cujus icon decenti aliquo velo contegenda eſt, ut ſoli Euchariſtico Sacramento a confluentibus Fidelibus cultus, ac veneratio exhibeatur. 2. nullæ Sanctorum reliquiæ, aut ſimulacra in eodem altari collocentur, exceptis Angelorum ſimulacris, quæ ad cereas ſuſtentandas faces adhibeantur. 3. viginti omnino, aut ſaltem, in pauperrimis Eccleſiis, duodecim cereæ candelæ, & duæ grandiores faces hinc inde ad duo Altaris cornua accenſæ colluceant. 4. quamdiu publicæ venerationi expoſita eſt Euchariſtia, in eo Templo neque lances adſint ad pecuniam a ſponte dantibus excipiendam, neque ulli Templum ad eleemoſynas a Fidelibus corrogandas circumire liceat. Præterea in eodem neque defunctorum cadavera excipiantur, neque officia ſuper ipſis fiant, neque Eccleſiaſticæ Sepulturæ demandentur. 5. ſi matutino tempore Sacramenti expoſitio fiat, licebit quidem tintinnabuli ſigno populum admonere, cum Sacerdos e Sacrario divina Myſteria operaturus

raturus prodit; non tamen ullum dare ſignum tintinnabulo licebit, cum idem Sacerdos Miſſam celebrans, poſt conſecrationem Euchariſtiam in ſublime tollens, Populo adorandam proponit. 6. ſi concio (1) ante divinum Sacramentum publice expoſitum habenda ſit, niſi prius opportuno velamine Sacramentum contegatur, non tecto, ſed aperto capite fiat, non obſtante quacumque in contrarium conſuetudine, quæ, tamquam verus abuſus, tollenda omnino eſt; ac præterea in ea Templi parte habeatur, e qua Oratorem verba facientem audire, atque intueri Populus poſſit, quin ab Euchariſtia vultum cogatur avertere. 7. quicumque (2) vel oraturus accedit, vel abſolutis precibus recedit, Euchariſtiam in Altari expoſitam utroque flexo genu veneretur, quod quidem (3) ab omnibus faciendum eſt, etiam, quando ante illam tranſeunt, etiamſi ſupplicantium in morem per Eccleſiam incedant, eo uno excepto (4), qui Crucem in proceſſione defert. Imo utrumque (5) flectendum eſt genu a tranſeuntibus, etiam quando Sacramentum eſt in pyxide, vel in oſtenſorio velato patenter expoſitum. 8. Sacerdos Miſſam (6) celebraturus, ante Euchariſtiam expoſitam tranſiens, illam flexis genibus, apertoque capite adoret: caput tamen, dum ſe erigit, cooperiat; quod præſtare etiam debet, quando ante Altare tranſit, in quo Euchariſtia Fidelibus adminiſtratur, quin (7) tamen flexis genibus immorari tamdiu debeat, quamdiu Fideles de manu Sacerdotis panem Angelorum acceperint. 9. ſi divina in Choro celebrentur Officia ante divinum Sacramentum adorationi Fide-

(1) Sacr. Rit. Congreg. in Illerden. 28. April. 1607., in Giennen. 9. Decembris 1622., & in Belgica 16. Feb. 1630., & Clemens XII. in Conſt. 40. Horarum edita 1. Sept. 1736.

(2) Sac. Rit. Cong. 19. Aug. 1651.

(3) Sac. Rit. Cong. in Pacen. 14. Decembr. 1602., & in una Urbis 19. Auguſti 1651.

(4) Cærem. Epiſc. lib. 2. c. 27. n. 7.

(5) Sac. Rit. Congreg. in Varſavien. 7. Maii 1746.

(6) Sac. Rit. Congr. 7. Sept. 1638., Clemens XI., Benedictus XIII., & Clemens XII. in Brevi pro oratione 40. Horarum n. 1.

(7) Sac. Rit. Cong. in Collen. 5. Julii 1698.

Digitized by Google

Fidelium expoſitum, ſedere (1) quidem poſſunt Canonici, aliique Beneficiati, qui Choro interſunt: at operire caput nequeunt, ne minus recte de divina Chriſti Domini, coram quo adſunt, majeſtate, minuſque reverenter ſentire videantur. Quamobrem diligenter caveant, ne ſuo modo quadrare in illos poſſint, quæ ſummo cum animi ſui dolore de quibuſdam Sacerdotibus Sacrum incredibili feſtinatione perficientibus ſcripſit Venerabilis Cardinalis Bellarminus (2): *Uberrimis eſt lacrymis dignum, quod ob nonnullorum Sacerdotum incuriam, aut impietatem Sacroſancta Myſteria tam indecore tractentur, ut, qui illa tractant, videantur non credere Maieſtatem Domini eſſe præſentem: ſic enim aliqui ſine ſpiritu, ſine affectu, ſine timore, ac tremore, feſtinatione incredibili Sacrum perficiunt, quaſi fide Chriſtum Dominum non viderent, aut ab eo ſe videri non crederent.* Alia plura ad debitum tanto Sacramento cultum præſtandum, a Sacris Congregationibus ſancita ſunt, quæ apud probatos Doctores videri poſſunt.

VII. Oſtenſorium, in quo incluſa divina Hoſtia, quando temporis, rerumque circumſtantiæ poſtulant, per publicas vias circumferri, aut e ſublimiore Altaris loco populo adoranda proponi ſolet, ſit vel argenteum, vel ſaltem ex ære quidem, vel aurichalco, ſed puro oblitum auro: argentea tamen, ac deaurata omnino ſit lunula, in quam Sanctiſſima immittenda eſt Euchariſtia. Ab omni ſorde, ac pulvere munda ſit, ac pellucida chryſtallus, per quam intuentes Fideles in Sacram Hoſtiam figere poſſint obtutum. Sive publice vero, ſive privatim divina exponantur Myſteria, per id temporis ad Altare ſive ad emungendas candelas, ſive ad aliud quodlibet miniſterium obeundum, nonniſi Sacerdos, aut Clericus ſuperpelliceo indutus accedat. Quod ſi Clericorum penuria aliud ſuadeat, nonniſi Laici ſacco alicujus ſodalitatis amicti adhibeantur. Tandem antequam in Tabernaculo Euchariſtia recondatur, ſemper ſive Parochus, ſive alius Sacerdos pluviali albi coloris indutus conſuetum cum populo de Sanctiſſimo

(1) Cœrem. Epiſc. lib. 2. c. 33. (2) Card. Bellarm. de gemitu columbæ cap. 5.

ctiſſimo Sacramento hymnum, adnexaſque preces recitet, thure Euchariſtiam adoleat, & circumſtantibus Fidelibus benedicat, ſuper eos cum eadem Euchariſtia ſignum Crucis efformans.

VIII. Hæc, aliaque plura, quæ in Rituali Romano deſcripta reperientur, fideliter, exacteque ſervari jubemus, in eorumque obſervantia procuranda vigilem Parochorum induſtriam plurimum deſudare volumus, ac mandamus. At maxima eorum ſollicitudo in eo verſetur, ut Fideles eorum curæ concrediti frequenter, ac religioſe interſint, quamdiu venerabile Euchariſtiæ Sacramentum in Altari proſtat expoſitum. Ad id facilius obtinendum, plano, facilique ſermone iiſdem explicent, quanta ex hoc Sacramento in Catholicam Eccleſiam, ejuſque filios perfectio, gloria, ac felicitas redundet! Tanta profecto eſt, ut jure, meritoque ſcriptum reliquerit Dionyſius (1), mediam eſſe Eccleſiam noſtram inter Synagogam, ac cœleſtem Hieruſalem, ac propterea utriuſque eſſe participem; imo etiam ad ſupernam illam Urbem propius accedere, cum inter Chriſti Eccleſiam, & cœleſtem beatitudinem unus tantum gradus intereſſe videatur. Hoc enim nobis cum cœleſtibus Civibus (2) commune eſt, ut utrique Chriſtum Deum, & hominem præſentem habeamus: ſed hoc uno ab iis diſtamus gradu, ut illi præſentes beata viſione perfruantur; nos præſentem, & tamen ab oculorum ſenſu remotum, Sacrorum Myſteriorum admirabili integumento ſe occultantem, firma, & conſtanti fide veneremur. Quidni ergo almæ Sionis æmuli, ſicut beati illi ſpiritus præſentem ſemper intuentur, & ſuavi amoris ubertate inebriati, divinæ voluptatis torrente potantur, ita & nos præſentem, licet abſconditum, viva, ſi non ſemper, ſaltem ſæpe, contemplemur fide, & ſincera charitate diligamus? Accedit huc, quod eum in finem Chriſtus Dominus in hoc Sacramento tam familiariter hoſpitari nobiſcum voluerit uſque ad conſummationem ſæculi, ut in eo ægri Medicum, a quo

(1) S. Dionyſius de Eccleſ. Hierarch. c.7. circa medium.

(2) Catechiſm. Rom. de Euchariſtia par.2. n.32.

Digitized by Google

quo curaremur, cœci lumen, a quo illuminaremur, egeni, a quo ſublevaremur, divitem, triſtes, a quo recrearemur, conſolatorem, peccatores denique Advocatum, qui pro nobis apud Patrem interpellaret, haberemus. *Quid enim quæris*, ut optime inquit S. Bernardus (1), *quod in illo non invenias? Si ægrotus es, Medicus eſt: ſi exulas, Dux eſt: ſi deſolatus es, Rex eſt: ſi impugnaris, pugil eſt: ſi ſitis, potus eſt: ſi alges, veſtimentum eſt: ſi triſtaris, gaudium eſt: ſi obtenebraris, lux eſt: ſi Orphanus es, Pater eſt*. Adeamus ergo cum fiducia (2), & ſæpe ad thronum gratiæ, ad divinum videlicet Sacramentum, in quo habemus Pontificem magnum Jeſum Filium Dei, qui tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, compati poteſt, & compatitur infirmitatibus noſtris, & miſericordiam conſequemur, & gratiam inveniemus in auxilio opportuno.

IX. Si hæc, aliaque hujuſmodi plura Parochus frequenter Populo ſincero cordis affectu inſinuet, & ſi eum potiſſimum exemplo præeat, itaut flexis ante Euchariſtiam genibus ſæpe, & ſumma cum Religione ad Chriſtum Salvatorem preces fundat, rogans, ut gregem ſuum Paſtor æternus non deſerat, ſed continua protectione cuſtodiat, ac tueatur; brevi ſe voti compotem factum eſſe gratulabitur, *& erit*, (3) *ſicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas*. Verum illud etiam a Populo amicis verbis, blandiſque ſuaſionibus obtinere conetur, ut Chriſtum Dominum non modo publicæ venerationi expoſitum, ſed etiam in Tabernaculo deliteſcentem frequenter inviſat. Laudabilem illam conſuetudinem, quæ alicubi viget, inducere curet, ut operarii omnes ſummo mane, antequam ad capeſſendos ſeu ruſticos, ſeu mechanicos labores prodeant, Templum petant Sacrum audituri, eaque occaſione divinum Sacramentum in Tabernaculo reconditum proni adorent, ac venerentur, ſeſeque Chriſto Servatori, totamque familiam ſuam

Bbbb 2 brevi-

(1) S. Bernardus tract. de Paſſione Domini c.22.

(2) Ad Hebræos c.4.

(3) Deuteron. c.32.

brevibus, ſed enixis precibus commendent: Veſpere autem, domum exactis laboribus repetentes, in Templum, ſi fores pateant, ingrediantur; ſin minus, ante Templi fores *procumbant* (1) *in facies ſuas, adorantes viventem in ſæcula ſæculorum, ac dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſæcula ſæculorum. Amen.*

ARTICULUS IV.

De proceſſionibus, in quibus divina Euchariſtia ſtatis temporibus per vias, & loca publica honorifice, ac reverenter circumferri conſuevit.

PIE, & religioſe admodum in Dei Eccleſiam inductus fuit hic mos, ut ſingulis annis peculiari (2) quodam feſto die præcelſum, & Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum ſingulari veneratione, ac ſolemnitate celebraretur, utque in proceſſionibus reverenter, & honorifice per vias, & loca publica circumferretur. Æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, quibus Chriſtiani omnes ſingulari, ac rara quadam ſignificatione gratos, & memores teſtentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem pro tam ineffabili, & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus repræſentatur. Et ſic quidem oportuit, victricem veritatem de mendacio, & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant. Quamquam autem in die Cœnæ Domini, quando Sacramentum prædictum noſcitur inſtitutum, inter Miſſarum ſolemnia de ipſius inſtitutione ſpecialis mentio habeatur; uti tamen ſapienter monet S. Thomas (3), reliquum ejuſdem diei officium ad Chriſti Paſſionem pertinet, circa cujus venerationem Eccle-

(1) Apocal. c.5. (2) Trid. ſeſſ.13. cap.5., & ead. ſeſſ. can.6. (3) S. Thomas opuſcul.57.

Digitized by Google

Eccleſia illo tempore potiſſimum occupatur. Ut igitur integro celebritatis officio plebs Fidelium tanti Sacramenti recoleret inſtitutionem; Romanus Pontifex Urbanus IV. pie ſtatuit, præfatæ Inſtitutionis memoriam prima quinta Feria poſt Octavam Pentecoſtes a cunctis Fidelibus celebrari, ut qui per totum anni circulum hoc Sacramento utimur ad ſalutem, ejus inſtitutionem illo tempore ſpecialiter recolamus, quo Spiritus Sanctus corda Diſcipulorum edocuit ad plane cognoſcenda hujus Myſteria Sacramenti: Nam eodem tempore cœpit hoc Sacramentum a Fidelibus frequenter ſuſcipi, ac celebrari.

II. Itaque primus omnium Urbanus IV. peculiari ſua Conſtitutione (1) ſolemne Corporis Chriſti Feſtum certa die quotannis in Eccleſia Catholica celebrari juſſit, omniumque primus ſolemnem Euchariſtiæ circumgeſtationem inſtituit, quæ ſtato die nunc tanto apparatu in toto Chriſtiano Orbe celebratur. Urbani IV. Conſtitutionem Clemens V. (2) in Concilio Vienneuſi, eodem Sacro approbante Concilio, confirmavit. Joannes vero XXII. non modo utramque Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutionem executioni demandari curavit, & novas Indulgentias Fidelibus idem Feſtum peculiari ratione celebrantibus conceſſit; verum etiam ſolemnem ſupplicationem, in qua Chriſti Corpus circumgeſtaretur, ea die habendam univerſæ præſcripſit Eccleſiæ, ut videlicet non modo Chriſti Corpori debita præſtarentur obſequia, verum etiam contumeliæ, atque injuriæ, quæ ab Hæreticis, perditiſque Catholicis eidem irrogantur, publicis honoris, ac venerationis officiis pro modulo noſtro repararentur. Aucta deinde in Fidelium animis erga divinam Euchariſtiam religione, ac pietate, illa quoque ſanctiſſima inducta eſt conſuetudo, ut quolibet menſe in Eccleſiis Metropolitanis, Cathedralibus, Parœcialibus publica ejuſmodi ſupplicatio haberetur. In Urbe vero Roma,

(1) Urbanus IV. Conſt. 1. *Tranſiturus de hoc Mundo ad Patrem*. edita 11. Auguſti 1264.

(2) Clem. unica. de reliquiis, & veneratione Sanctorum.

Roma, cum in ædem S. Mariæ ſuper Minervam pii aliqui Viri conveniſſent, eamque ſibi dixiſſent legem, ut Chriſti Corpori, cum per Urbem circumferretur, ipſi faces geſtantes accenſas, aut alia præſtantes obſequia famularentur; ortum inde habuit celeberrima illa Sodalitas a Chriſti Corpore, ſeu a Sanctiſſimo Sacramento nuncupata, quam mox una cum ſuis legibus Paulus III. Apoſtolica auctoritate confirmavit, pluribus Indulgentiarum largitionibus auxit, & ad univerſas Civitates, atque Oppida extendi, ac propagari curavit. Expetere enim ſe vehementer affirmavit, ut in aliis quoque Civitatibus, atque Oppidis ſodalitia ejuſmodi inſtituerentur, in quibus multi ſemper præſto eſſent, qui humili induti ſacco, cereas geſtantes accenſas faces, & ſacra carmina concinentes, Euchariſtiam, dum circumfertur, debita cum reverentia, ac pietate comitarentur.

III. Sacras haſce cum annuas, tum menſtruas ſupplicationes, in quibus divina Myſteria ſive per Civitatis, aut Oppidorum vias, ſive intra Templorum ambitum circumferuntur, in tota hac Diœceſi religioſe jamdiu fieri non ignoramus: Sodalitates vero piorum hominum, qui peculiari Euchariſtiæ cultui, ſervitioque ſe totos dediderint, in qualibet Parœciali Eccleſia inſtitutas jam eſſe grataner vidimus, cum Diœceſim Sacra Viſitatione luſtraremus. Reliquum igitur dumtaxat Nobis eſt, ut pauca innuamus, quibus & Parochi, & Sodales edocti illud certatim enitantur, ut in his habendis Supplicationibus, & in debito Euchariſtiæ cultu exhibendo nihil pro eorum viribus deſideretur.

IV. Et quod ad Supplicationes, ſeu Proceſſiones pertinet, hæc in iis habendis Romani Pontifices, & Sacræ Cardinalium Congregationes ſervari juſſerunt. 1. Feſto ipſo (1) Corporis Chriſti die, mane non aliis Eccleſiis, ſed ſoli Cathedrali, aut Matrici proceſſionem licet inſtituere; & ſupplicantium (2) agmen ab ipſa

(1) Sacr. Congreg. Rituum in Piſana 22. Maii 1615.

(2) Sac. Rit. Cong. in Tuſcan. 29. Auguſti 1619., & 19. Aug. 1629., & in Nolana 1. Sept. 1708., & 9. Junii 1718.

Digitized by Google

ab ipſa Cathedrali, ſeu Matrice Eccleſia procedere debet, conſuetoque abſoluto circuitu in eam reverti, itaut numquam, etiamſi immemorabilis (1) in contrarium obſtet conſuetudo, ab inferiori Eccleſia proceſſionem hanc cuiquam liceat inchoare. 2. infra Octavam Corporis Chriſti plures (2) eadem die diverſis ſive Regularium, ſive Sæcularium cœtibus, quibus id permiſſum eſt, celebrare proceſſiones licet, *dummodo diſtinctis horis fiant*, ne qua videlicet in populo contentio, atque æmulatio oriatur, ſed diſtinctis horis pluribus in locis, ſi velit, Sacro Chriſti Corpori ſuum præſtare obſequium, ac famulatum poſſit. 3. in his proceſſionibus, in quibus divina circumfertur Euchariſtia, Clerici tam Sæculares, quam Regulares, omneſque Laici, imo & Epiſcopus ipſe, ſeu Celebrans, ejuſque Miniſtri, qui ſacram conſtituunt pompam, detecto ſemper (3) capite debent incedere: præſentem enim immenſæ Majeſtatis Dominum comitantes, obſequium illi ſuum externa etiam corporis compoſitione ſignificare eos oportet; quemadmodum ſi certo aliquo in loco procedentium agmen parumper ſiſtat, & ſuper conſtituto Altari Euchariſticum Sacramentum collocetur, ut, quibuſdam recitatis precibus, ſuum mox procedentes abſolvant iter; per id temporis neque ſuper ſcamno (4), neque ſuper paratis ſedibus Sacerdos celebrans, ac Diaconus, & Subdiaconus ſedere poſſunt. 4. in ſolemni hac proceſſione, in qua Chriſti Corpus Feſto ipſo ejus die a Cathedralis Capitulo per publicas vias circumfertur, tum ex Cœremoniali Epiſcoporum, tum ex pluribus Sacræ Rituum Congregationis decretis hic in procedendo ſervandus eſt ordo.

V. Procedere primum debent Laicorum Sodalitates, quas pone ſequentur juxta antiquitatis ordinem, vel prout de jure, aut conſuetudine, Regulares: mox Curiales, atque Officiales ince-

(1) Sac.Con.Conc.in Sarn. 7.Aug.1683.

(2) Innocentius XII. Conſt. *Sua nobis.* anno 1696., & Sac. Congreg. Epiſc. in Tricaricen. Proceſſionis 18.April. 1714., & 4. Martii 1717.

(3) Sacr. Rit. Congreg. in Cajetana 2. Septemb. 1690.

(4) Sac. Rit. Cong. in Hiſpalen. 21. Januarii 1690. in reſponſ. ad 4.

Digitized by Google

incedent, inter quos ultimo gradientur loco Nobiliores, ac Magiſtratus: ſuccedet deinde Clerus ſæcularis, videlicet primo Miniſter haſtatam Cathedralis Eccleſiæ Crucem deferens, qui medius inter duos Clericos ſuperpelliceo indutos, & candelabra cum cereis accenſis candelis geſtantes progredietur: mox Clerici ſervitio Cathedralis addicti, & Seminarii Epiſcopalis Alumni: poſt hos Parochi ſuperpelliceis induti: tum Collegiatarum Eccleſiarum Canonici, ſi adſint, ſuis ornati inſignibus, dummodo eadem in aliis proceſſionibus deferre conſueverint: ſuccedet tandem Eccleſiæ Cathedralis Clerus, Clerici videlicet Beneficiati, ac Beneficiati, quos Canonici ſequentur Sacris amicti veſtibus, videlicet Subdiaconi Tunicellis, Diaconi Dalmaticis, Presbyteri Planetis, ac Dignitates pluviali, quo Primicerium etiam ornari juſſit Sacra Rituum (1) Congregatio, quamquam de eo, ut aliquando contigit, an Dignitas ſit, fortaſſe dubitetur; quibus ſane veſtibus in hac ſolemni ſupplicatione Feſto Chriſti Corporis die ornatos Canonicos incedere debere, etiamſi neque Euchariſtiam deferat, imo neque interſit Epiſcopus, Sacra Rituum (2) Congregatio declaravit. Poſt Dignitates duo Thuriferarii gradientur, candido induti ſuperpelliceo, qui fumantia thuribula lente ante celebrantem ducent, illudque in inceſſu curabunt, ut numquam dorſum, ſed faciem ſemper ad divinum Sacramentum aliquantulum vertant. Poſtremo ibit loco Celebrans, qui pluviali, veloque ſuper humeros amictus, Euchariſtiam deferet inter Diaconum, & Subdiaconum, ſacris indutos veſtibus, ſed ſine manipulo: hi pluvialis fimbrias hinc inde ſuſtentantes, pſalmos alternatim cum celebrante ſubmiſſa voce recitabunt. Prætenti ſupra celebrantis caput tentorii haſtilia deferent vel Nobiliores Laici, vel Eccleſiaſtici viri hoc ordine. Dignior primum ſuſtentabit haſtile, quod eſt ad Celebrantis dexteram, ſecundus aliud, quod primum eſt ad Celebrantis ſiniſtram, tertius ſecun-

(1) Sacr. Rit. Congreg. in Capuana 28. April. 1607.

(2) Sacr. Rit. Congreg. in Cajetana 27. Martii 1628.

ſecundum haſtile deferet, quod eſt ad dexteram, & ſic deinceps quoad reliqua, itaut minus digni poſtremas haſtas poſt Epiſcopi tergum ferant. *Quod ſi plures inter digniores eſſent, qui de æquali gradu, aut præeminentia contenderent*, uti ſtatuitur in Cæremoniali (1) Epiſcoporum, *itaut omnibus his primo loco haſtæ Baldacchini aſſignari nequirent; relinquetur his ultimus locus, ideſt ubi Proceſſio jam ad Eccleſiam pervenit, ad quam dirigitur: talis enim locus æqualis primo reputatur*. Eccleſiaſtici, ſive ſint Dignitates, ſive Canonici, ſive Beneficiati, ſive Manſionarii, tentorii haſtas per totam deferent Eccleſiam: at in ejus foribus illas Laicis tradent. Aliqui ex ſodalibus Sanctiſſimi Sacramenti, ſi eorum ſodalitas pro cera ſumptus facit, juxta Conſtitutionem Gregorii XIII. ſuo induti ſacco cereas accenſas faces hinc inde, & poſt divinum Sacramentum geſtabunt, (2) dummodo major ſodalium pars una cum ſua Cruce, ſuiſque inſignibus reliquas inter ſodalitates ſuum tenens locum præeat. Cæremoniarum Magiſter (3) poſt Celebrantem, ejuſque Miniſtros gradietur: at ſi opus ſit, huc illuc ad ſupplicantium agmen dirigendum excurret. In hac ſolemni proceſſione Euchariſtiam deferre, Epiſcopo abſente, aut legitime impedito, non ad Canonicum (4) Hebdomadarium, neque ad Vicarium (5) Generalem, ſed ad primam (6) Capituli Dignitatem pertinet, eaque impedita, ad ſecundam, & ſic deinceps, a qua etiam cantari debet Miſſa, non ſecus ac Octava Chriſti Corporis die, ſi pomeridiano tempore publica habeatur ſupplicatio, divina Myſteria ab eo, qui cantavit Veſperas, ſunt circumferenda. Hæc, & alia, quæcumque Sacra Rituum Congregatio ſtatuit, ac declaravit, ſervari exacte

Cccc volu-

(1) Cærem. Epiſc. lib.1. c.14. n.3.

(2) Sacr. Rit. Congreg. in Nepeſina 18. Maii 1608.

(3) Sacr. Rit. Congreg. in Patavina 30. Auguſti 1602., 28. Nov. 1609., & 8. Maii 1617.

(4) Sac. Rit. Cong. in Piſauren. 21. Martii 1609., & in Tarentina 5. Julii 1621.

(5) Sac. Rit. Cong. in Baren. 7. Octobris 1645.

(6) Sac. Rit. Cong. 12. Junii 1627., & 23. Martii 1703. in reſponſ. ad 4.

volumus, & Cæremoniarum Magiſtrum ſerio monemus, ut Sacrorum Rituum ſtudio ſedulam navet operam, publicaſque hujuſmodi ſupplicationes non pro arbitrio ſuo, ſed juxta Canonicas regulas ſuaviter, ac prudenter dirigat, ac moderetur.

VI. Quod ad ſodalitates attinet Sanctiſſimi Sacramenti, Sodales omnes hortamur, & enixe obſecramus in Domino, ut in iis Chriſti Corpori præſtandis obſequiis, quibus ſe totos, cum ſodalitio adſcriberentur, addixere, alacres ſint, ac diligentiſſimi; neque ſuam deſiderari operam patiantur, ſeu cum ſacrum ad ægrotos deferre Viaticum oportet, ſeu cum in menſtrua, aut annua proceſſione circumferenda eſt triumphantis in morem Euchariſtia, ſeu cum divina Myſteria publicæ Fidelium venerationi ſunt exponenda. Sodalitii vero Rectores, ac Moderatores frequenter in ſodalium mentem revocent, quantuli ſint labores, quos ſubire eos oportet, ut pro munere ſuo Regum Regi, ac Domino Dominantium famulentur; quanta vero, & quam ampla futura ſit merces, quam pro iis a bonorum omnium largitore tum in hoc, tum in futuro ſæculo ſunt conſecuturi. Indulgentiarum divitias explicent, quibus ex Apoſtolica liberalitate locupletantur, quoties præſcriptum aliquod Chriſti Corpori obſequium exhibent; eorumque animos in magnam erigant ſpem futurum, ut in ſuorum laborum prœmium non, niſi Chriſti Corpore paſti, & ſanguine poti, extremum vitæ ſuæ exitum ſint habituri. Tandem cogitare illos jubeant, his religionis actibus impigre, ſancteque exhibitis ejus ſibi gratiam, ac benevolentiam conciliare ipſos facile poſſe, quem nunc Advocatum habent apud Deum, at poſt exactum hujus vitæ curriculum juſtiſſimum, ac ſeveriſſimum Judicem ſunt habituri.

AR-

ARTICULUS V.

De variis uſibus, in quos adhibita olim fuit Euchariſtia, & quos vel numquam approbavit, vel etiam rejecit, ac damnavit Eccleſia.

QUamquam una cum Fidelium defunctorum corporibus tumulatam olim fuiſſe Euchariſtiam (1), graviſſimi perhibeant Hiſtorici, eumque abuſum juſtis de cauſis toleratum aliquandiu ab Eccleſia fuiſſe (2), antiquiſſimi teſtentur Auctores; Certiſſimum tamen eſt, eumdem ſublatum de medio fuiſſe quam citiſſime, & Canonicis ſanctionibus reprobatum. Concilium enim Carthaginenſe III. (3) ſic decrevit: *Placuit, ut corporibus defunctorum Euchariſtia non detur. Scriptum eſt enim: accipite, & edite. Cadavera autem nec accipere poſſunt, nec edere.* Idem etiam ſtatuerunt Concilium (4) Antiſſiodorenſe, Synodus Trullana (5), Concilium Carthaginenſe VI. (6), aliaque Concilia. Quamobrem ſacrilegus nunc haberetur, & pœnis plecteretur Canonicis, qui Euchariſtiam auderet cum defunctorum tumulare corporibus.

II. Olim etiam inter Fideles, ut quis innocentiam teſtaretur ſuam, ſibique impactam purgaret calumniam, Euchariſticum ſumebat Sacramentum, & non raro repentinum ſibi interitum, ſi objecti reus eſſet criminis, imprecabatur. Quamquam illicitus non eſſet hic purgationis modus, præſertim cum publica Judicis auctoritate adhiberetur; Neque enim ullum per eam a Deo miraculum exigebatur, ſed ad teſtandam dumtaxat veritatem, confirmandamque innocentiam admittebatur, cum nemo ſibi objecti criminis conſcius Sanctiſſimum Chriſti Corpus, & San-

(1) In vita S. Baſilii Magni cap. 8., S. Gregorius Magnus Dialog. lib. 2. c. 24.

(2) Zonaras, & Balſamon in Comment. ad can. 83. Concilii Trullani.

(3) Conc. Carthag. III. can. 6. ann. 397.

(4) Concil. Antiſſiodoren. can. 12. anno 578.

(5) Synod. Trullana can. 83. anno 642.

(6) Concil. Carthagin. VI.

guinem in judicium, & condemnationem, quam ſibi imprecabatur, ſumpturus præſumeretur; Quia tamen non raro perverſi homines ad ſua occultanda crimina Dominicum Corpus ſacrilege manducare audebant; Inde factum eſt, ut paulatim abierit in deſuetudinem, neque ejuſmodi purgatio amplius liceat, aut tamquam Canonica admittatur. Imo ne progreſſu temporis reviviſceret, aliæ Canonicæ purgationes (1) ſumma Romanorum Pontificum auctoritate ſunt inſtitutæ, omniaque peregrina judicia univerſim inhibita ſunt, atque interdicta.

III. Per plura ſæcula hic viguit in Eccleſia mos, ut in Altaris conſecratione, atque in Templorum dedicatione vel una cum Sanctorum reliquiis, vel earum loco, ſi eæ deeſſent, in Altari, quod conſecrabatur, Sacra Euchariſtia reconderetur, uti fuſe, eruditeque probat Martene (2), antiquiſſimis monumentis, vetuſtiſſimiſque Pontificalibus in medium productis. Verum cum hæc conſuetudo Romanorum Pontificum, ac præſertim Innocentii IV. (3), juſſu in examen vocata, ac a Theologis, & Canoniſtis mature perpenſa fuiſſet; eadem neque tam excelſi Sacramenti inſtitutioni congruere, neque divinam Chriſti Corporis majeſtatem decere viſa eſt. Quamobrem unanimi omnium Catholicorum conſenſione jam a pluribus ſæculis abrogata penitus eſt, neque Canonicam effugeret animadverſionem, ſiquis eam inſtaurare conaretur. Et merito: nam, ut ait Innocentius IV., indecens omnino, ac minime probandum eſt, ut Euchariſticus panis in Altari omnino claudatur: non enim conſecratur, ut lateat, ſed ut tamquam ſpiritualis cibus rite, ſancteque ſuſcipientibus ſubminiſtretur.

IV. Ad incendia reſtinguenda, ac procellas, aliaſque graves, publicaſque avertendas calamitates non raro olim, imo aliquando etiam noviſſimis hiſce temporibus, a Sacris Miniſtris delatam

(1) Cap. *Ex tuarum*. de purgatione canonica.

(2) Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus tom.2. lib.2. c.13. n.11.

(3) Hoſtienſis, Jo. Andreas, Turrecremata, aliique apud Durandum in Rituali lib.1. c.7. n.23.

latam fuiſſe Euchariſtiam, ac benedictionem cum ea tum adverſus incendia, ac procellas, tum ſuper adſtantes fuiſſe impertitam non ignoramus. Verum licet ritus iſte neque ſuperſtitioſus ſit, Chriſtus enim ſub Euchariſticis ſpeciebus vere, ac realiter præſens, & a Fidelibus exoratus poteſt unico voluntatis ſuæ nutu & incendia reſtinguere, & ingruentes repellere tempeſtates; neque explicita ſit, aut implicita Dei tentatio, nam qui Euchariſtiam defert, & per eam ſignum Crucis adverſus incendium, aut procellam efformat, orans Deum, ut impendentem avertat calamitatem, neque divinæ potentiæ experimentum capere intendit, neque naturalia, quæ poteſt, adhibere media prætermittit; Propter extrinſecas tamen circumſtantias jure, meritoque ritum hunc ſanctiſſimi, doctiſſimique Antiſtites in ſuis Synodis interdixere, ac noviſſimis temporibus Benedictus XIV. (1) in Urbe Roma interdixit per epiſtolam datam ad Cardinalem Urbis Vicarium, cujus exemplar in Appendice num. 9. exhibemus. Et ſane licet Fideles, cum a Deo temporalia poſtulant, ita petere eadem debeant, ut divinæ voluntati prorſus acquieſcere ſint parati; Non tamen in praxi (quæ humana eſt imbecillitas) fieri a pleriſque id ſolet. Quando enim ingruentibus urgentur calamitatibus, ſupplices continuo ad Deum confugiunt, illud unum exorantes, ut impendentia mala avertat; & cum erga Divinam Euchariſtiam multa pietate, fiduciaque ſint præditi, illam e Tabernaculo extrahi, extra Templum deferri, ac per eam a Sacerdote ſignum Crucis adverſus incendium, aut procellam efformari videntes, in firmam eriguntur ſpem futurum, ut diſſipetur procella, aut extinguatur incendium. Verum ſi, (ut ex juſto Dei judicio nonnumquam accidit) eorum ſpes optato careat ſucceſſu; in magno jam verſantur periculo, ne ex una parte eorum fervor, ac fiducia erga Auguſtiſſimum Sacramentum vel plurimum imminuatur, vel ſaltem tepeſcere incipiat; ex alia vero noſtrorum honor Myſteriorum malignis Infidelium, aut Hæreticorum, aut etiam impiorum

(1) Benedictus XIV. in epiſt. ad Cardinalem Urbis Vicarium 27. Julii 1755.

piorum hominum irriſionibus exponatur. Ad hoc itaque declinandum periculum, Benedictus XIV., ſanctiſſimique ante eum Antiſtites ſapienti conſilio vetuere, ne occaſione incendii, aut nimbi, ſeu tempeſtatis Sacra Euchariſtia e Tabernaculo educatur. Ad excitandam enim Fidelium pietatem ſatis eſſe duxerunt, ut ii, aperto Tabernaculi oſtiolo, Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Pyxide clauſum venerari poſſent, fuſiſque ex animo precibus, divinum ſibi in urgentibus calamitatibus præſidium poſtulare, quemadmodum præ cæteris ſtatuit vigilantiſſimus (1) Mediolanenſis Eccleſiæ Antiſtes S. Carolus Borromæus.

V. Quæ cum ita ſint, Nos quoque tantorum Virorum exempla, doctrinamque ſecuti, volumus, decernimus, ac ſtatuimus, ut in tota Noſtra Diœceſi ad arcendas pluvias, aut tempeſtates, ſeu procellas, quæ forte impendere videbuntur, nullus Sacerdos Pyxidem ipſam cum Sacramento efferat; ſed ſolum Tabernaculum, patefacto oſtio, adaperiat, & in conſpectu Sacramenti, genibus ad terram datis, Litanias, aliaſque precationes ejus rei cauſa inſtitutas pie, ſancteque cum populo, qui aderit, aut cum Clericis, aut etiam ſolus peragat, divinamque exoret clementiam, ut mala, quæ peccata noſtra merentur, miſericordia ſua benignus avertat.

CAPUT X.

DE PŒNITENTIÆ SACRAMENTO.

PER baptiſmum ſpiritu renati, in Fide roborati per Confirmationem, ac vivifica tandem divinæ Euchariſtiæ alimonia enutriti deficere numquam deberemus in via, ſed in fortitudine cibi illius uſque ad montem Dei Horeb, ad cœleſtem videlicet Patriam, firmis paſſibus ambulare. Verum cœleſtis noſter Medicus Chriſtus Jeſus, ſciens figmentum noſtrum (infirmi enim ſumus, & lutea vaſa portantes) cum nos in criminum morbos frequen-

(1) In Synod. Diœceſ. III. anno 1572., & in Concil. Provinc. III. anno 1573.

frequenter eſſe relapſuros prævideret; ne opportuno remedio humana deſtitueretur infirmitas, ſed poſſet etiam, poſtquam ſuccubuiſſet, priſtinæ ſanitati reſtitui; divino ſane conſilio Pœnitentiæ Sacramentum inſtituit, quo a ſceleribus abſoluti, ac Deo reconciliati, amiſſam gratiam recuperaremus, redditaque conſcientiæ pace, ac ſerenitate, diligentius deinceps peccata vitaremus, bona vero opera ſectaremur alacrius. Cum autem non raro uſuvenire videamus, ut, quemadmodum in corporis infirmitatibus vel ægrotantis culpa, vel Medici incuria pharmacum vertitur in venenum, ita in ſpirituali animæ cura vel pœnitentis, vel miniſtrantis errato ſalutaris pœnitentiæ medicina in ægrorum convertatur exitium; Hinc Sacri Lateranenſis Concilii verbis admoniti, *ne falſis pœnitentiis Laicorum animas decipi, & in Infernum pertrahi patiamur*; pauca quædam de Sacramento Pœnitentiæ diſſerere, & leges in ejuſdem adminiſtratione ſervandas recenſere decrevimus, quas a Sacris Canonibus, ab Apoſtolicis Conſtitutionibus, a probata demum Eccleſiæ diſciplina decerpſimus.

ARTICULUS I.

De Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutione, ac neceſſitate.

PŒnitentiæ Sacramentum, quod *ſecundam poſt naufragium tabulam* rectiſſime Sancti Patres appellarunt, eſſe vere, & proprie novæ Legis Sacramentum, Tridentina Synodus (1) definivit: *ſiquis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere, & proprie Sacramentum pro Fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis a Chriſto Domino inſtitutum, anathema ſit*. Chriſtus autem (2) Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipue inſtituit, cum a mortuis excitatus inſufflavit in Diſcipulos ſuos dicens (3): *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt*. Quo tam

(1) Trid. ſeſſ. 14. can. 1. (2) Trid. ſeſſ. 14. c. 1. (3) Joa. c. 20., & Matth. c. 16.

Digitized by Google

tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis poteſtatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos Fideles poſt baptiſmum lapſos Apoſtolis, & eorum legitimis Succeſſoribus fuiſſe communicatam, univerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit.

II. Pœnitentiæ Sacramentum inſtitutum a Chriſto fuiſſe in modum judicii, ex allatis Chriſti Domini verbis Tridentina Synodus docet. Sic enim inquit, ubi Pœnitentiæ Sacramentum a baptiſmo differre oſtendit (1): *Cæterum hoc Sacramentum multis rationibus a baptiſmo differre dignoſcitur. Nam præter quamquod materia, & forma, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſime diſſidet; conſtat certe, Baptiſmi Miniſtrum judicem eſſe non oportere, cum Eccleſia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipſam per baptiſmi januam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de iis, qui foris ſunt, judicare? ſecus eſt de domeſticis Fidei, quos Chriſtus Dominus, lavacro baptiſmi, ſui corporis membra ſemel effecit. Nam hos, ſi ſe poſtea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito baptiſmo ablui, cum id in Eccleſia Catholica nulla ratione liceat, ſed ante hoc Tribunal, tamquam reos, ſiſti voluit, ut per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quoties ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari.*

III. *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe baptiſmus* (2). Quemadmodum igitur adultus non Baptizatus introire nequit in regnum cœlorum, niſi vel reipſa Baptiſmum ſuſcipiat, ſi poſſit; vel ſi nequeat, perfectæ ſaltem charitatis actum eliciat, ſi ſola originis labe ſit pollutus; perfectæ vero contritionis, ſi præter originalem maculam, lethalibus quoque ſe polluerit culpis, cum propoſito baptiſmum re ipſa ſuſcipiendi, cum poterit, (qui quidem charitatis, aut contritionis actus *baptiſmus in voto* nuncupatur); Ita Adultus in lethalia peccata poſt baptiſmum lapſus, ſalutem æternam conſequi nequit, niſi vel re ipſa Pœnitentiæ Sacramentum recipiat, ſi poſſit; vel ſi id nequeat, actum ſaltem perfe-

(1) Trid. ſeſſ.14. c.2.

(2) Trid. ſeſſ.14. c.2.

perfectæ contritionis eliciat cum propoſito recipiendi, cum poterit, Sacramentum; Quare lapſis poſt baptiſmum Pœnitentiæ Sacramentum vel in re,vel in voto neceſſarium eſt neceſſitate,ut ajunt, medii. Præterea eſt etiam neceſſarium neceſſitate præcepti cum divini, tum Eccleſiaſtici: divini quidem, uti patet ex illo Jacobi Apoſtoli (1): *Confitemini alterutrum peccata veſtra*: Eccleſiaſtici vero, uti conſtat ex celeberrimo illo decreto Innocentii III. (2) in Concilio Lateranenſi: *Omnis utriuſque ſexus Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere*. Diſerte autem utrumque cum divinum, tum Eccleſiaſticum adeſſe præceptum Tridentina Synodus (3) docuit, ubi ait: *Cum a Sanctiſſimis, & antiquiſſimis Patribus magno, unanimique conſenſu ſecreta Confeſſio Sacramentalis, qua ab initio Eccleſia Sancta uſa eſt, & modo etiam utitur, fuerit ſemper commendata; manifeſte refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, & inventum humanum eſſe, atque a Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe docere non verentur. Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſtifideles confiterentur; quod Jure divino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur*.

IV. Inter divinum, & Eccleſiaſticum de ſuſcipiendo Pœnitentiæ Sacramento præceptum Angelicus Doctor hoc intercedere diſcrimen affirmat, quod primum ad illos tantum pertinet, qui lethalem poſt Baptiſmum culpam contraxere; alterum vero Fideles omnes adultos complectitur; ut videlicet omnes peccatis ſe obnoxios intelligant; *non (4) enim eſt homo, qui non peccet*; ut majori pietate, ac religione ad Sacram Euchariſtiam accedant; ut demum ſuis quique Eccleſiaſticis Rectoribus magis innoteſ-

D d d d cant.

(1) Epiſt. Jacobi c.5. (2) Cap. *Omnis utriuſque ſexus*. 12. de pœnit., & remiſſ. (3) Trid. ſeſſ.14. c.5. (4) 3. Reg. c.8.

cant. *Ad Confeſſionem* (inquit Angelicus Doctor (1)) *dupliciter obligamur; uno modo ex jure divino ex hoc, quod eſt medicina, & ſecundum hoc non omnes tenentur ad Confeſſionem, ſed illi tantum, qui peccatum mortale incurrunt poſt baptiſmum; alio modo ex præcepto Juris poſitivi, & ſic tenentur omnes ex inſtitutione Eccleſiæ edita in Concilio Generali ſub Innocentio III., tum ut quilibet ſe peccatorem recognoſcat, quia omnes peccaverunt, & egent gratia Dei; tum ut cum majori reverentia ad Euchariſtiam accedant; tum ut Eccleſiarum Rectoribus ſui ſubditi innoteſcant, ne lupus intra gregem lateat*. Verum cum communiter dicatur (uti docet (2) Benedictus XIV.) ad implendum hoc Eccleſiaſticum præceptum nequaquam adjunctam eſſe ab Eccleſia neceſſitatem etiam peccata venialia confitendi; Nos proinde eumdem doctiſſimum Pontificem imitati hanc controverſiam intactam relinquimus.

V. Divinum præceptum recipiendi pœnitentiæ Sacramentum, *per ſe* eos potiſſimum obligat adultos culpæ lethalis reos, qui ſunt in mortis articulo, aut in morali moriendi periculo conſtituti, puta ſi lethali morbo laborent, aut propter aliquod crimen adjudicati ſint neci, aut periculoſum pergant ad prælium, aut difficilem navigationem aggrediantur &c. Niſi enim præceptum hoc in mortis urgeat periculo, quando videlicet plurimum æterna periclitatur ſalus, propter quam Pœnitentiæ Sacramentum Chriſtus inſtituit, & cui quilibet ex charitatis præcepto in eo rerum articulo conſulere tenetur impenſius; nullum ſane tempus ſtatui prudenter poterit, quo ejuſmodi præcepto urgeatur adultus. *Per accidens* vero divinum hoc præceptum eos etiam adultos obligat, qui lethali aliquo crimine ſordidi, aliud Sacramentum, ac præſertim Euchariſtiam, ſunt ſuſcepturi, juxta illud Apoſtoli (3): *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*. At Eccleſiaſticum hac ſuper re præceptum

(1) S. Th. in 4. diſt. 17. qu. 3. art. 1. quæſtiunc. 3.

(2) Benedictus XIV. Conſtitut. *Inter præteritos*. §. 77. edita 3. Decemb. 1749.

(3) 1. ad Cor. c. 11.

ceptum ſub gravi culpæ reatu adultos omnes obligat, ut ſemel in anno confiteantur peccata ſua; cui quidem præcepto quamquam ſatisfiat, quocumque anni die Sacramentum hoc ſuſcipiatur; jamdiu tamen mos ille ſalutaris invaluit, ut tempore Paſchali a Fidelibus recipiatur, cum ad Euchariſticam menſam ſunt acceſſuri. *Si quis dixerit* [ſic Tridentina Synodus (1) definivit] *confeſſionem peccatorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe impoſſibilem, & traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes, & ſingulos utriuſque ſexus Chriſtifideles juxta magni Concilii Lateranenſis conſtitutionem ſemel in anno, & ob id ſuadendum eſſe Chriſtifidelibus, ut non confiteantur tempore Quadrageſimæ, anathema ſit*; & alibi ſic ſtatuit (2): *Unde jam in univerſa Eccleſia cum ingenti animarum fidelium fructu obſervatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maxime acceptabili tempore Quadrageſimæ; quem morem hæc ſancta Synodus maxime probat, & amplectitur, tamquam pium, & merito retinendum.*

VI. Eccleſiaſtico huic annuæ Confeſſionis præcepto ſatis non fit per confeſſionem voluntarie nullam, ac ſacrilegam, uti patet ex proſcriptione hujus propoſitionis (3): *Qui facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ.* Qui vero, legitimo ceſſante impedimento, totum annum labi ſinit, quin ſaltem ſemel in eo confiteatur; præter gravis culpæ reatum, vivens interdicendus (4) eſt ingreſſu Eccleſiæ, & moriens Eccleſiaſtica privandus ſepultura. Cum autem pœna hæc non latæ, ſed ferendæ ſit ſententiæ, inde fit, ut ſi hujus culpæ reus ante criminis declarationem moriatur, non ſit Eccleſiaſtica ſepultura privandus, niſi notoria eſſet annuæ Confeſſionis omiſſio, vel niſi Synodale in contrarium ſtatutum adeſſet, ut in ſimili diximus in ſuperiori capite, ubi de Euchariſtiæ diſſeruimus Sacramento.

 VII. Huic

(1) Trid. ſeſſ.14. c.8.

(2) Trid. ſeſſ.14. c.5.

(3) Alexand.VII.prop.14.die24.Sep.1665.

(4) Cap.*Omnis utriuſque ſexus*. de pœnit., & remiſſ.

VII. Huic annuæ Confeſſionis præcepto fit ſatis, ſive quis proprio Parocho, ſive aliis Confeſſariis cum ſæcularibus, tum Regularibus legitime approbatis confiteatur. Quamquam enim ex Concilii Lateranenſis decreto (1) olim quilibet *proprio Sacerdoti*, videlicet proprio Parocho, ſaltem ſemel in anno, omnia peccata ſua fideliter confiteretur; certum tamen nunc omnino eſt, præcepto huic ſatisfieri ab iis, qui Regularibus legitime approbatis confitentur, uti patet ex Conſtitutionibus Joannis XXII. (2), Benedicti XI., Leonis X., Pauli III., Clementis VIII., aliiſque pluribus hujuſmodi. Quamobrem merito hanc propoſitionem proſcripſit Alexander VIII. (3): *Confeſſiones apud Religioſos factæ pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ*. Annuæ tamen hujuſmodi Confeſſionis præcepto non ſatisfaceret is, qui peccata ſua confiteretur Sacerdoti Regulari, qui ſe quidem Epiſcopo præſentavit, ſed ab eo, licet injuſte, reprobatus fuit, uti patet ex propoſitione 13. inter eas, quas Alexander VII. (4) proſcripſit: *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato*. Quæ quidem omnia vera etiam ſunt quoad Sacerdotes ſæculares, qui ab Ordinario ſuo ad audiendas fidelium Confeſſiones in ſua Diœceſi legitime ſint approbati.

(1) Cit. cap. *Omnis utriuſque ſexus*.

(2) Extrav. Joannis XXII. incip. *Vas electionis*. de hæreticis, Extrav. Benedicti XI. incip. *Inter cunctas*. de privilegiis, Conſtit. 22. Leonis X. incip. *Dum intra mentis arcana*, §.6., Conſtitut. 48. Pauli III. incip. *Sicut dubium*, Conſt. Clementis VIII. incip. *Significatum fuit nobis*.

(3) Alexander VIII. propoſ. 20. die 21. Auguſti 1690.

(4) Alexander VII. propoſ. 13. die 24. Septembris 1665.

ARTI-

ARTICULUS II.

De materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.

QUaſi materia (1) *hujus Sacramenti ſunt ipſius Pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio; qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur*. Qua tamen in re non ſatis mirari poſſumus divinæ Providentiæ conſilium, quæ cuncta miro ordine, ſapienterque diſponit. Cum enim e tribus potiſſimum fontibus profluere peccata hominum ſoleant (peccare enim ſolemus cogitatione, verbo, & opere, uti Sancta profitetur Eccleſia) ſapientiſſimo Chriſti conſilio factum eſt, ut ſingulis peccatorum fontibus ſingulæ Pœnitentiæ partes, prima videlicet cogitationi, altera ſermoni, tertia demum operi reſpondeant. Nam Contritio animum dolore conterit; Confeſſione flagitia noſtra verbis recenſemus; Satisfactione demum, quod divinæ Juſtitiæ debemus, re, atque opere perſolvimus. Hos autem Pœnitentis actus, quos Tridentina Synodus *quaſi materiam* nuncupavit, *materiam proximam* Sacramenti Pœnitentiæ appellare ſolent Theologi, ut eam a materia remota diſtinguant, quæ ſunt peccata poſt Baptiſmum admiſſa. Ii enim, quemadmodum in Sacramentis reliquis, ita in Pœnitentiæ Sacramento materiam cum proximam, tum remotam conſiderant. Nos hic de materia remota hujus Sacramenti loquemur, de Pœnitentis actibus inferius acturi.

II. Peccata poſt Baptiſmum admiſſa, eatenus remota Sacramenti Pœnitentiæ materia nuncupantur, quatenus nonniſi per actus Pœnitentis Sacris Eccleſiæ clavibus proxime admoventur, ut per Sacramentalem abſolutionem remitti poſſint. Peccatum vero originale, & peccata ante Baptiſmum perpetrata, non ſunt apta Sacramenti Pœnitentiæ materia, cum eadem tum quoad culpam,

(1) Trid. ſeſſ.14. c.3.

culpam, tum quoad pœnam per Baptiſmum rite, valideque ſuſceptum omnino deleantur. Unde manifeſtum inter Baptiſmum, & Pœnitentiam Tridentina Synodus eruit diſcrimen (1), cum ait: *Alius eſt præterea Baptiſmi, alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes; ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus, ut merito Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus a Sanctis Patribus dictus fuerit.*

III.* Remota autem hæc Sacramenti Pœnitentiæ materia alia eſt neceſſaria, & ſufficiens, alia ſufficiens, ſed non neceſſaria. Ad primam revocantur omnia, & ſingula peccata lethalia, quæ quis poſt Baptiſmum admiſit, & a quibus in Sacro Pœnitentiæ Tribunali abſolutus numquam eſt. Ad ſecundam pertinent peccata cum levia, quæ venialia dicimus, tum gravia, a quibus rite quis jam alias validam ſacramentalem abſolutionem obtinuit. De venialibus peccatis conſtat ex Tridentina Synodo (2) quæ ſic habet: *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.* De lethalibus vero, quæ rite quis jam alias confeſſus eſt, præter communem piorum, ac doctorum hominum praxim, qui frequenter & generalem totius anteactæ vitæ Confeſſionem peragunt, & certa quædam peccata jam alias per Sacramentalem abſolutionem remiſſa iterum confitentur, ex hoc Juris Canonici textu edocemur (3): *Cæterum licet, ſicut prædicitur, de neceſſitate non ſit iterum eadem confiteri peccata, tamen, propter erubeſcentiam, quæ magna eſt Pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur Confeſſio, reputamus ſalubre.* Tertia poteſt addi remota Pœniten-

(1) Trid. ſeſſ.14. c.2.

(2) Trid. ſeſſ.14. c.5.

(3) Extravag. *Inter cunctas*. §. *Cæterum*. inter communes, de privil.

nitentiæ materia, quæ videlicet neceſſaria eſt, ſed non ſufficiens: ad hanc autem ſpectant peccata lethalia ſaltem negative dubia, quæ ſane aperienda neceſſario ſunt in Confeſſione, quamquam eadem, niſi peccatum aliquod certum addatur, ſive veniale, ſive lethale etiam jam alias remiſſum, ad obtinendam abſolutionem Sacramentalem abſolutam non ſufficiunt, ne videlicet nullitatis periculo Pœnitentiæ Sacramentum exponatur.

IV. Ad rationem autem actualis peccati, ſive lethale illud ſit, ſive veniale, tria omnino requiruntur. Primum eſt, ut voluntarium ſit, videlicet ut a voluntate conſentiente fiat, juxta illud S. Auguſtini: *Vſque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium*. Secundum eſt, ut ſit liberum, videlicet ut illud facere, vel non facere in poteſtate ſit voluntatis, neque enim ſufficit libertas a coactione, ſed libertas etiam a neceſſitate requiritur, uti patet ex damnatione tertiæ hujus Janſenii propoſitionis (1): *Ad merendum, & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactioue*. Tertium eſt, ut peccati malitia a perpetrante advertatur.

ARTICULUS III.

De Contritione.

Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius, & in homine poſt baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatotorum, ſi cum fiducia divinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua conjunctus ſit, quæ ad rite ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur ſancta Synodus, hanc contritionem non ſolum ceſſationem a peccato, & vitæ novæ propoſitum, & inchoationem, ſed veteris

(1) Innocentius X. in damnat. propoſ. tertiæ Janſenii pridie Cal. Junii 1653.

Digitized by Google

veteris etiam odium continere, juxta illud: proiicite a vobis iniquitates veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum. Et certe qui illos clamores ſanctorum conſideraverit: Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: & alios hujus generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe. His verbis Tridentina (1) Synodus Contritionis ad obtinendam peccatorum veniam homini poſt Baptiſmum lapſo omnino neceſſariæ naturam diſerte explicavit, quam proinde in eo ſitam eſſe intelligimus, ut qui ejuſmodi Contritionem elicit; peccata quælibet poſt Baptiſmum admiſſa ſincere, & ex animo deteſtetur, ac oderit, paratus mala omnia, ipſamque mortem potius perpeti, quam novum aliquod crimen deinceps perpetrare.

II. Cum autem duplex ſit hujuſmodi contritionis ſpecies, quarum aliam Contritionem perfectam, aliam vero imperfectam vocant; utramque eadem Tridentina Synodus explicat, diverſamque utriuſque efficaciam his verbis deſcribit (2): *Docet præterea, etſi contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemque Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam. Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat, non ſolum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam Donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum moventis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad juſtitiam parat. Et quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hoc enim timore utiliter concuſſi*

(1) Trid. ſeſſ.14. c.4. (2) Trid. loc. cit.

Digitized by Google

cuſſi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & miſericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem falſo quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quaſi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ abſque bono motu ſuſcipientium gratiam conferre; quod numquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit, ſed & falſo docent, contritionem eſſe extortam, & coactam, non liberam, ac voluntariam.

III. Ex his Tridentinæ Synodi verbis patet, Contritionem perfectam ab imperfecta differre tum quoad objectum formale, ſeu motivum, ut ajunt, tum quoad effectum productum: Quoad objectum quidem formale, quia Contritio perfecta eſt animi dolor, ac peccati deteſtatio propter Deum ſumme, & ſuper omnia dilectum, & idcircò dicitur *charitate perfecta*, charitatem enim erga Deum includit: Attritio vero eſt animi dolor, ac peccati deteſtatio propter peccati ipſius turpitudinem, vel propter gehennæ, ac pœnarum æternarum metum, adeoque amorem includit erga ſeipſum. Quoad effectum vero productum, quia Contritio perfecta cum Sacramenti Pœnitentiæ voto, quod in illa includitur, hominem Deo reconciliat, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur: Attritio vero ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere peccatorem nequit, eum tamen ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Cæterum utraque Contritio, prout a Tridentino commendatur, eſt actus honeſtus, ac ſupernaturalis, cum utraque Dei donum ſit, & Spiritus Sancti impulſus; utraque ſpem veniæ includit, & peccandi voluntatem excludit; utraque demum eſt animi dolor, ac peccati deteſtatio cum propoſito non peccandi de cætero. Neque enim hìc loquimur de Attritione naturali, licet honeſta, quæ aut unice ab objecto naturali movetur, aut non elicitur viribus gratiæ; cum certum ſit, hanc non ſufficere ad juſtificationis gratiam tam extra, quam intra Pœnitentiæ Sacramentum conſequendam, uti patet ex damnatione 57. propoſitionis inter proſcriptas ab Innocentio XI. (1), quæ

 ſic

(1) Innocentius XI. ann. 1679. in damnat. propoſit. 57.

ſic habet: *Probabile eſt ſufficere Attritionem naturalem, modo honeſtam*. Ubi tamen confundendum non eſt Pœnitentiæ motivum cum occaſione, qua quis ad Pœnitentiam excitatur: multi enim morbo, aliove temporali malo vexati, dum perpetrata crimina mente revoluunt, Dei gratia auxiliante, illa ex ſuperno motivo ſerio deteſtantur, quemadmodum accidit Ninivitis, qui metu mortis, ac ſubverſionis Urbis, quam Jonas prænunciabat, commoti, per ſinceram, ac ſupernaturalem Contritionem converſi ad Deum ſunt. Neque item hìc de Attritione loquimur, qua quis ex ſpeciali erga virtutem aliquam affectione peccata eidem virtuti oppoſita deteſtatur, quin tamen propoſitum habeat cætera præcavendi, quæ aliis virtutibus adverſantur; aut quæ ſit inefficax de peccato diſplicentia ſine abſoluto propoſito non peccandi de cætero: certiſſimum enim eſt ex allatis Tridentini Concilii verbis, neutram ſufficere ad juſtificationem etiam intra Sacramentum Pœnitentiæ aſſequendam.

IV. De Attritione a Tridentino Concilio deſcripta, quæ peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponit, acerrima inter Doctores exarſit controverſia, quæ adhuc viget, an videlicet eadem cum aliquali Dei dilectione debeat eſſe conjuncta, ut ad Sacramentum Pœnitentiæ, gratiamque per ipſum percipiendam ſufficiat? Cum hanc quæſtionem tamdiu, tantoque partium ſtudio agitatam Eccleſia hactenus non definierit, neque Nos quidquam de ea ſtatuimus, ac decernimus. Duo dumtaxat Parochos, & Confeſſarios ſerio monemus, utque ab iis omni cura, diligentiaque ſerventur, diſtricte præcipimus, ac mandamus. Primum eſt, ut, ſi forte iidem de hac quæſtione ſermonem inſtituant, caveant omnino, ne alterutri ſententiæ Theologicam aliquam cenſuram, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ notam inurant. Alexander enim VII., die 5. Maii 1667. ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sedi Apoſtolicæ reſervatæ præcepit *cunctis, & ſingulis Fidelibus, ... ut, ſi deinceps de materia Attritionis ſcribent, vel libros,*

aut

aut ſcripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut ſcholares, cæteroſve erudient, non audeant alicujus Theologicæ cenſuræ, alteriuſve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alteram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritióne ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur, ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum. Alterum eſt, ut quando Fidelibus Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrant, eoſdem ad utrumque tum Contritionis, tum Attritionis actum eliciendum hortentur, eoſque opportunis præeuntes verbis in utroque eliciendo juvent.

V. Cæterum hortari Parochus Fideles numquam deſinat, ut eos Contritionem charitate perfectam frequenter iterare non pigeat. Cum autem donum Dei eadem ſit, crebris proinde, enixiſque precibus poſtulandum a Deo eſſe edoceat, ut miſerator, & miſericors Dominus, *qui diſſimulat* (1) *peccata hominum propter pœnitentiam*, emolliat eorum corda, & det capiti eorum (2) aquam, & oculis eorum fontem lacrymarum, ut plorent die, ac nocte. Ut autem facilius, ſuaviuſque ad perfectum hunc animi dolorem excitentur; meminiſſe eos jubeat, quanta ſemper fuerit Dei erga homines charitas, beneficentia, patientia, longanimitas! Ipſe fecit nos, non ipſi nos: gratia Dei ſumus id, quod ſumus: in eo enim vivimus, movemur, & ſumus. Per Adæ peccatum receſſeramus ab eo, ac nati eramus filii iræ: At ipſe quæſivit nos, utque nos a duro ſervitutis jugo, ſub quo detinebamur, eximeret, deſcendit de cœlis, & formam ſervi accipiens humiliavit ſemetipſum, & homo factus eſt. Aſſimilatus autem nobis per omnia abſque peccato, ſe naſcens dedit ſocium, conveſcens in edulium, ſe moriens in pretium, ſe regnans daturum pollicetur in prœmium. Quis tanto umquam aut Filium Parens, aut Sponſam Sponſus amore, aut verius amoris exceſſu proſecutus eſt? O deplorandam tamen, & numquam ſatis deteſtandam hominum infa-

Eeee 2

(1) Sap. c.11. (2) Jerem. c.9.

inſaniam , ac feritatem ! Filios cœleſtis Pater enutrivit , & exaltavit ; ipſi autem ſpreverunt illum , & roborati quodammodo adverſus Omnipotentem , rurſum Filium Dei crucifixerunt in ſemetipſis . Corrupta eſt filia Sion , Sponſa commacullavit thorum ſuum , fornicata eſt cum amatoribus multis . At quid ad hæc Pater miſericordiarum ? Poterat ille quidem filios ingratiſſimos æternis , uti merebantur, pœnis addicere , violatamque thalami fidem ſeveriſſima adverſus ſponſam animadverſione expiare . At nihil minus . Miſerator enim , & miſericors Pater , ac longanimis , & patiens Sponſus expectans expectat , ut revertantur ad Dominum , & ab eo miſericordiam conſequantur . Imo etiam illos ad redeundum ipſe prior invitat , exclamans modo per Jeremiam (1): *Fornicata es cum amatoribus multis : tamen revertere ad me , dicit Dominus , & ego ſuſcipiam te* ; modo per Ezechielem (2) : *convertimini , convertimini a viis veſtris peſſimis : & quare moriemini , Domus Iſrael* ? Jam vero quemnam Fidelium tam duro , atque efferato corde futurum eſſe arbitrabimur , qui , ſi hæc parumper ſecum ipſe reputet , non ſtatim tactus dolore cordis intrinſecus cum S. Bernardo (3) exclamet : *Quanam fronte attollo jam oculos ad vultum Patris tam boni tam malus filius ? Pudet indigna geſſiſſe genere meo : pudet a tanto Patre vixiſſe degenerem . Exitus aquarum deducite , oculi mei : operiat confuſio faciem meam : deficiat in dolore vita mea , & anni mei in gemitibus .*

ARTICULUS IV.

De Confeſſione.

EX inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata , univerſa Eccleſia ſemper intellexit , inſtitutam etiam eſſe a Domino integram peccatorum confeſſionem , & omnibus poſt baptiſmum lapſis jure divino neceſſariam exiſtere , quia Dominus Noſter Jeſus Chriſtus e terris aſcenſurus ad cœlos , Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit , tam-

quam

(1) Jerem. c.3. (2) Ezechiel. c.33. (3) S. Bernardus ſerm.16. in Cant.

quam præſides, & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Chriſtifideles ceciderint, quò, pro poteſtate clavium, remiſſionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuncient. Conſtat enim, Sacerdotes judicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis ſervare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſingillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in Confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantum adverſus duo ultima Decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnumquam animum gravius ſauciant, & periculoſiora ſunt iis, quæ in manifeſtò admittuntur ..... Cum univerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios, & Dei inimicos reddant, neceſſarium eſt omnium etiam veniam cum aperta, & verecunda confeſſione a Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſtifideles confiteri ſtudent, procul dubio omnia divinæ miſericordiæ ignoſcenda exponunt: qui vero ſecus faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil divinæ Bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus Medico detegere; quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in Confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quod ſine illis peccata ipſa neque a pœnitentibus integre exponantur, nec Judicibus innoteſcant, & fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis Pœnitentibus imponere. Unde alienum a ratione eſt docere circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas eſſe &c. Conſtat, nihil aliud in Eccleſia a pœnitentibus exigi, quam ut, poſtquam quiſque diligentius ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in univerſum in eadem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: ab occultis meis munda me, Domine. Hactenus Tridentina Synodus ſeſſ. 14. cap. 5., quæ mox inter ejuſdem ſeſſionis Canones

nes

Digitized by Google

nes hunc ſeptimo loco ſtatuit: *Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant &c., anathema ſit.*

II. Jamvero his Tridentini Concilii decretis edocemur 1. externam peccatorum confeſſionem ex divina Inſtitutione, ac Jure divino eſſe omnino neceſſariam, ut eorumdem venia in Sacramento Pœnitentiæ ab homine poſt baptiſmum lapſo obtineatur. Hæc autem externa confeſſio, niſi quis juſta, legitimaque de cauſa impediatur, non nutibus, aut ſignis, ſed ore, & voce fieri debet, ut ex traditione, conſuetudine, perpetuoque Eccleſiæ uſu didicimus, & uti aperte tum a Concilio Florentino (1), tum a Jure Canonico docemur. *Niſi articulus neceſſitatis occurrat, Sacerdoti facienda eſt oris confeſſio, prout ſcriptum eſt: corde ad juſtitiam creditur, ore autem fit confeſſio ad ſalutem*: Sic Benedictus XI. in ſua (2) Extravaganti nos docet. *Præcepit Dominus mundandis, ut oſtenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata, & non per nuntium, non per ſcriptum manifeſtanda, quia ſi per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis: erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis*: Sic in can. *Quem pœnitet*. diſt. 1. de Pœnitentia. 2. hanc peccatorum confeſſionem eſſe debere integram, itaut nullum prorſus mortale peccatum, etiamſi occultiſſimum, & contra duo ultima Decalogi præcepta admiſſum, quod per Sacramentalem validam abſolutionem remiſſum non fuerit, reticeatur: ſecus enim nullum, & invalidum erit, quod ſuſcipitur, Pœnitentiæ Sacramentum: Præterea ad hanc Confeſſionis integritatem omnino requiri, ut non modo peccatorum mortalium numerus, verum etiam circumſtantiæ omnes, quæ ſpeciem peccati mutant, Confeſſario aperiantur: tandem ut hæc peccatorum confeſſio fieri poſſit

(1) Concil. Florent. in decreto Eugenii IV. ad Armenos. (2) Extravag. *Inter cunctas*. de privil.

Digitized by Google

poſſit integre, ab homine poſt baptiſmum lapſo præmittendam eſſe diligentem ſui ipſius diſcuſſionem, ſuæque conſcientiæ ſinus omnes, latebraſque eſſe explorandas, ut ea poſtmodum peccata confiteatur, quibus ſe Dominum, & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit: reliqua enim, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in eadem confeſſione in univerſum incluſa intelliguntur, & per eamdem Sacramentalem abſolutionem una cum iis, quæ pœnitens confitetur, remittuntur. In hanc autem conſcientiæ diſcuſſionem non minus diligentiæ, ſtudiique conferre nos oportet, quam gravibus in rebus ponere ſoleamus.

III. Antequam ulterius progrediamur, pauca dicenda ſunt de confeſſionis integritate, ac de circumſtantiis mutantibus ſpeciem, ne quid in re tanti momenti, quod ad faciliorem hujus Sacramenti adminiſtrationem conducat, ignoretur. Confeſſionis itaque integritas alia eſt materialis, formalis altera. Materialis in eo ſita eſt, ut pœnitens omnia omnino peccata mortalia tum quoad numerum, tum quoad ſpeciem confiteatur, itaut vere nullum aperiendum ſuperſit. Formalis vero in eo conſtituta eſt, ut pœnitens omnia illa peccata mortalia in Confeſſione recenſeat, quæ hic, & nunc, attentis circumſtantiis, recenſere & poteſt, & debet, ita tamen, ut ſi quod peccatum grave vel ex neceſſitate, vel ex impedimentò non exprimat, voluntatem tamen habeat, firmumque propoſitum, cum neceſſitas, aut impedimentum deſierit, fideliter illud Confeſſario exponendi. Jam vero ut valida ſit Confeſſio, formali ſaltem integritate eſſe debet integra: quare qui ſcienter grave aliquod peccatum reticet, quod exprimere poteſt, ac debet, nihil divinæ Bonitati per Sacerdotem remittendum proponit, & invalide recipit Sacramentum. Semper quoque, per ſe, ac regulariter loquendo, integra eſſe debet integritate materiali. At per accidens etiam ſine ea eſſe poteſt valida, dummodo ſit formaliter integra. Cauſæ autem ab integritate materiali excuſantes, tres communiter a Doctoribus recenſentur, inculpabilis nimirum ignorantia, aut oblivio; impotentia

Digitized by Google

tentia phyſica; & impotentia moralis, quæ tunc adeſſe cenſetur, cum ex alicujus lethalis peccati confeſſione grave damnum ſive corporale, ſive ſpirituale, ſive proprium, ſive alienum eſt ſecuturum. Verum ne in re tanti momenti Parochi, aut Confeſſarii errent, graves, probatoſque conſulant Auctores, qui hæc omnia ſingillatim explicant, propoſitiſque opportunis exemplis declarant.

IV. Tria tamen certiſſima ſunt, quæ ignorari a nemine volumus. 1. a materiali Confeſſionis integritate magnus Pœnitentium concurſus non excuſat, uti patet ex damnatione propoſitionis 59. inter propoſitiones ab Innocentio XI. proſcriptas, (1) quæ ſic habet: *Licet Sacramentaliter abſolvere dimidiate tantum confeſſos ratione magni concurſus Pœnitentium, qualis ex. gr. poteſt contingere in die magnæ alicujus Feſtivitatis, aut Indulgentiæ.* 2. qui vel ex neceſſitate, vel ex impedimento peccatum aliquod mortale confeſſus non eſt, ab iis quidem peccatis, quæ clavibus Eccleſiæ ſubjecit, directe; ab eo vero, quod non expreſſit, indirecte per Confeſſarium abſolvitur, dummodo omnium univerſim peccatorum, & ex motivo univerſali dolorem, ac deteſtationem conceperit cum propoſito non peccandi de cœtero. At ubi neceſſitas, aut impedimentum ceſſavit, peccatum, quod reticuit, exprimere in proxima Confeſſione debet, & Eccleſiæ clavibus directe ſubjicere, uti patet ex damnatione propoſitionis II. inter propoſitiones ab Alexandro VII. proſcriptas, quæ ſic habet: *Peccata in Confeſſione omiſſa, ſeu oblita ob inſtans periculum vitæ, aut ob aliam cauſam non tenemur in ſequenti Confeſſione exprimere.* 3. neque verecundia, neque propria apud Confeſſarium infamia, a materiali Confeſſionis integritate pœnitentem excuſat. Non verecundia, quia, ut optime ait Tridentina Synodus (2), *ipſa bujuſmodi Confeſſionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri poſſet, niſi tot, tantiſque commodis, & conſolationibus levaretur, quæ omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus* per

(1) Innocentius XI. in damnat. propoſit. 59. 2. Martii 1679. (2) Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

per abſolutionem certiſſime conferuntur. Non infamia propria, quia, quidquid infamiæ in pœnitentem ex admiſſi criminis notitia apud Confeſſarium redundare poſſet; per ſinceram ejuſdem Confeſſionem, ac pœnitentiam ita deletur, ut in eumdem potius ex ejus pœnitentia veram laudem, & gloriam derivari prudens Confeſſarius arbitretur.

V. Dicendum nunc aliquid eſt de diverſis peccatorum ſpeciebus, & de circumſtantiis mutantibus ſpeciem, quæ aperiendæ omnino ſunt, ut valide Pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipiatur. Specie itaque inter ſe peccata differunt, cum diverſis ſpecie virtutibus opponuntur. Sic furtum, & mollities inter ſe ſpecie differunt, quia furtum virtuti juſtitiæ, mollities vero virtuti caſtitatis opponitur: caſtitas autem, & juſtitia ſunt diverſæ ſpecie virtutes. Cum tamen aliquando eadem virtus honeſtates, ac rectitudines ſpecie diverſas habeat; inde fit, ut ſi peccata eidem quidem virtuti, ſed ejuſdem honeſtatibus ſpecie diverſis opponantur, inter ſe quoque etiam in genere moris ſpecie diſtincta cenſenda ſint, & in Sacramento Pœnitentiæ fideliter exponenda. Hanc ob cauſam Mollities, Sodomia, & Beſtialitas, licet eidem opponantur virtuti caſtitatis, ſpecie tamen inter ſe differunt, uti patet ex damnatione propoſitionis 14. inter proſcriptas ab Alexandro VII. (1): *Mollities, Sodomia, & Beſtialitas ſunt peccata ejuſdem ſpeciei infimæ, ideoque ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procuraſſe pollutionem*. Tandem uſuvenire non raro ſolet, ut idem peccatum, quod uni opponitur virtuti, propter circumſtantias, in quibus admittitur, aliis etiam virtutibus opponatur, adeoque multiplicem, eamque ſpecie diverſam complectatur malitiam. Sic adulterium a viro in Sacris Ordinibus conſtituto perpetratum, ex natura ſua virtuti caſtitatis; ratione adulterii virtuti Juſtitiæ; ratione tandem voti caſtitatis virtuti Religionis opponitur: triplicem igitur in ſe continet malitiam ſpecie diverſam, & triplicem hanc malitiam exponere Confeſſario pœnitens debet, dicens:

Ffff ego

(1) Alexander VII. in damnat. propoſit.14. 24. Sept. 1665.

ego in Sacris Ordinibus conſtitutus adulterium ex. gr. ſemel perpetravi.

VI. Hæc autem Confeſſio, quæ, uti diximus, utraque integritate cum formali, tum materiali eſſe debet integra, eſſe quoque debet ſecreta, ac ſine Teſte coram ſolo Sacerdote facienda eſt. *Quoad modum confitendi ſecreto apud ſolum Sacerdotem*, inquit Tridentina Synodus, (1) *etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publice confiteri poſſit; non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſulte humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda. Unde cum a ſanctiſſimis, & antiquiſſimis Patribus magno, unanimique conſenſu ſecreta Confeſſio Sacramentalis, qua ab initio Eccleſia Sancta uſa eſt, & modo etiam utitur, fuerit ſemper commendata; manifeſte refellitur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, & inventum humanum eſſe, atque a Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe, docere non verentur.* Et alibi eadem Synodus (2) ſic definivit: *Si quis negaverit Confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino, aut dixerit, modum ſecrete confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, & obſervat, alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum, anathema ſit.*

VII. Siqua forte Confeſſio invalida fuit, ac nulla, iteranda eadem eſt, omniaque peccata, quæ expoſita in ea fuere, Confeſſario iterum ſunt aperienda una cum perpetrato ſacrilegio (ſi non modo invalida, ſed ſacrilega etiam fuit) necnon cum aliis omnibus criminibus poſt eam admiſſis. Invalida autem eſſe poteſt Confeſſio dupliciter, ex parte videlicet Confeſſarii, & ex parte Pœnitentis. De Confeſſario dicemus inferius. Ex parte vero Pœnitentis invalida eſt. 1. Si eidem requiſitus defuit dolor. 2. Si verum non adfuerit propoſitum non peccandi de cætero. 3. ſi grave aliquod peccatum pœnitens occultaverit, aut in re gravi, & neceſſa-

(1) Trid. ſeſſ. 14. c. 5.

(2) Trid. ſeſſ. 14. can. 6.

Digitized by Google

ceſſaria mentitus ſit, verum negando, aut falſum dicendo: puta ſi de alicujus peccati conſuetudine interrogatus, illam negavit, cum tamen eadem vere adeſſet: illam enim aperire Confeſſario interroganti vere debebat, uti patet ex damnatione propoſitionis 58. inter propoſitiones ab Innocentio XI. proſcriptas, quæ ſic habet (1): *Non tenemur Confeſſario interroganti fateri peccati alicujus conſuetudinem*. 4. ſi Pœnitens in ipſa Confeſſione gravem admiſit culpam; puta ſi ob malum finem confeſſus eſt, ut videlicet proximi ſui famæ graviter detraheret, ac vere detraxerit. 5. ſi negligens adeo graviter fuit in conſcientiæ ſuæ latebris explorandis, revocandiſque in memoriam, quæ forte perpetravit, criminibus, ut ea oblivisci de induſtria, nec vere in mentem revocare voluiſſe videri poſſit.

VIII. Antequam hunc de Confeſſione articulum abſolvamus, monendi a Nobis ſunt etiam, atque etiam Parochi, & Concionatores, ut poſtquam ex una parte Fidelibus Pœnitentiæ neceſſitatem indixerint, & ineluctabilem animæ jacturam oſtenderint, niſi pœnitentiæ ope crimina deleantur, juxta illud Chriſti Domini (2): *Niſi pænitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis*; Ex alia vero divinæ Miſericordiæ divitias extulerint, quæ in eos effunduntur, qui, pravis anteactæ vitæ moribus omnino rejectis, cor novum, novumque ſpiritum ſibi comparant; Fideles eoſdem ad validam, utilemque peccatorum confeſſionem perficiendam erudiant; animum, ſtimuloſque iis addant, ut quæcumque admiſerunt crimina, fideliter, ac ſincere confiteantur; omnimodam neceſſitatem iterandi confeſſiones, quas irritas fuiſſe noverint, explicent; omnem tandem curam adhibeant, ut ii quoque, qui nulla neceſſitate obſtrictos ſe putant, ad præterita crimina in Pœnitentiæ Sacramento iterum manifeſtanda, atque ad generalem peccatorum confeſſionem inſtituendam facile inducantur: *Licet enim non ſit de neceſſitate*, ut optime nos docet Be-

Ffff 2 nedi-

(1) Innocentius XI. in damnat. propoſit. 58. 2. Martii 1679. (2) Lucæ c. 13.

nedictus XI. (1) *iterum confiteri eadem peccata*; *tamen propter erubeſcentiam, quæ eſt magna pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confeſſio, reputamus ſalubre*. Similia docet S. Carolus Borromæus in ſuis ad Confeſſarios monitis, ubi inquit: *Confeſſarii pro cujuſque perſonæ qualitate, opportuno tempore, & loco, ad generalem quamdam confeſſionem pœnitentes exhortentur, ut per hanc propoſita omni præterita vita ſibi ob oculos, majori cum alacritate redeant ad Dominum, ac omnes errores, qui potuiſſent in præcedentibus confeſſionibus accidere, reſarciant*. Simile conſilium inſinuare ſolebat S. Franciſcus Saleſius, uti ex ejus libris, ac epiſtolis patet. In epiſtola ad Viduam Matronam data (2) ſic habet: *Accepi litteras a Patre tuo, quibus a me poſtulat, ut aliquid, quod animæ ſaluti profuturum ſit, illi aperiam. Lubens, & facilior fortaſſe, quam par eſt, votis annuo. Quæ illi trado, monita, ad duo revocantur capita. Alterum eſt ſedula, ac univerſalis anteactæ vitæ diſcuſſio, quam generalis Confeſſio, & par pœnitentia ſequatur: hoc enim illud eſt, quod nemo vir ingenuus ante obitum negligit. Alterum in eo verſatur, ut paulatim a mundi illecebris animum ſtudeat avellere*. Tandem conſcientiarum moderatores (3) uno ore conveniunt, multam ex generalium Confeſſionum uſu percipi utilitatem. Ita namque univerſa vitæ ratio animo obverſatur, & inde hominis timor, ac humilitas, & major in peccatum horror inſurgit; augentur præterea vires, ut quidquid ad malum provocat, propulſetur; jucundiſſima tandem pax, & tranquillitas animo accedit, &, quæ præteritis confeſſionibus illata ſunt, damna ſarciuntur. Ut autem Parochi idem ſapiant, ac doceant, cum pueros, ac puellas ad ſuſcipiendum Pœnitentiæ Sacramentum erudiunt; perbrevem, qua utantur, in Appendice num. 10. Inſtitutionem damus ex Appendice Concilii Romani ſub Benedicto XIII. celebrati excerptam.

AR-

(1) Benedictus XI. in Extravag. *Inter cunctas*. de privil. inter communes.

(2) S. Franciſcus Saleſius tom. I. oper. editionis Pariſ. ann. 1669. pag. 914. n. 6.

(3) Benedictus XIV. in ſua Conſtit. *Apoſtolica*. §. 17. edita 26. Julii 1749.

ARTICULUS V.

De Satisfactione.

EX tribus Pœnitentis actibus,quos Tridentina Synodus docet eſſe Sacramenti Pœnitentiæ quaſi materiam, poſtremus eſt ſatisfactio, quam paucis explicare nunc aggredimur. Cum quis peccato mortali ſe inquinat, non modo una cum gratia, quam *ſanctificantem* vocant, adoptivam Dei Filiationem amittit, verum etiam æternæ pœnæ reatum incurrit. At cum is divino adjutus auxilio revertitur ad cor, & per Sacramentum Pœnitentiæ rite, digneque ſuſceptum peccata ſua abluit in ſanguine Agni immaculati Jeſu Chriſti Domini Noſtri; reconciliatur quidem Deo, amiſſamque adoptivam Dei Filiationem una cum gratia ſanctificante recuperat; non tamen, uti contingit in Baptiſmo, eidem ita culpa remittitur, ut univerſa etiam pœna condonetur; ſed in temporalem dumtaxat vel in hoc, vel in futuro ſæculo luendam æterna pœna commutatur. Divino proinde conſilio Chriſtus inſtituit, ut ſatisfactoria opera in Pœnitentiæ Sacramento pœnitentibus injungerentur, quibus iidem divinæ Juſtitiæ ſatisfacerent, pœnamque temporalem luerent, in quam propter Jeſu Chriſti merita, & vi Sacramenti Pœnitentiæ pœna commutatur æterna. Ex his præterea ſatisfactoriis operibus plura in Pœnitentes redundant bona. 1. enim per eadem magnopere a peccato revocantur, & quaſi quodam coercentur fræno. 2. peccatorum medentur reliquiis, & vitioſos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. 3. cautiores in peccato vitando, & vigilantiores fiunt. 4. imminentem ſibi a Domino pro delictis pœnam facilius amovent, atque ſecurius. 5. tandem dum ſatiſfaciendo pro peccatis patiuntur, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, conformes fiunt; quare cum compatiantur, futurum erit quoque, ut deinceps conglorificentur.

II. Totam hanc doctrinam Tridentina Synodus tradit ſeſſ. 14. cap. 5.

cap. 5., ubi ſic habet: *Quoad ſatisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum a Patribus noſtris Chriſtiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita una, maxime noſtra ætate, ſummo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui ſpeciem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegarunt; Sancta Synodus declarat, falſum omnino eſſe, & a verbo Dei alienum, culpam a Domino numquam remitti, quin univerſa etiam pœna condonetur. Perſpicua enim, & illuſtria in ſacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, hic error quam manifeſtiſſime revincitur. Sane & divinæ juſtitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint, aliter vero, qui ſemel a peccati, & dæmonis ſervitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contriſtare non formidaverint; & divinam clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfactione peccata dimittantur, ut, occaſione accepta, peccata leviora putantes, velut injurii, & contumelioſi Spiritui Sancto in graviora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Procul dubio enim magnopere a peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque vero ſecurior ulla via in Eccleſia Dei umquam exiſtimata fuit ad amovendam imminentem a Domino pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod, dum ſatisfaciendo patimur pro peccatis, Chriſto Jeſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur, certiſſimam quoque inde arrham habentes, quod ſi compatimur, & conglorificabimur.*

III. Sacramentalis itaque ſatisfactio, quæ ſita eſt in operibus bonis, ac pœnalibus in Pœnitentiæ Sacramento a Confeſſario injunctis, eſt pœnæ temporalis compenſatio, quam ob illatam Deo injuriam divinæ Juſtitiæ pœnitens debet. Hæc autem opera bona, ac pœnalia a Confeſſario injuncta, dum peraguntur, præter

ter generalem illam ſatisfactoriam virtutem, quam ex opere operantis bonum quodlibet opus habet, quod in gratia perficiatur, ſpecialem etiam ex opere operato virtutem obtinent delendi partem aliquam temporalis pœnæ peccatis debitæ; quam ſane non haberent, ſi aut voluntarie aſſumpta, aut aliunde fuiſſent impoſita. Cum enim ſatisfactio ſit integralis Sacramenti Pœnitentiæ pars, ad pœnæ ſatisfactionem a Chriſto ſpecialiter inſtituta; Sacramentali virtute aliquem habere debet ex opere operato, quem alias non haberet, effectum. *Neque vero* (1) [inquit Tridentina Synodus] *ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exſolvimus, ut non ſit per Chriſtum Jeſum: nam qui ex nobis, tamquam ex nobis, nihil poſſumus, eo cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus. Ita non habet homo, unde glorietur, ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo vivimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur a Patre.*

IV. Cum Tridentina Synodus doceat, ſatisfactionem una cum contritione, & confeſſione eſſe quaſi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, adeoque ad ejus eſſentiam ſuo modo pertinere; hinc oritur difficultas, qua videlicet ratione opera ſatisfactoria Pœnitenti a Confeſſario injuncta, quæ fieri ſolent, poſtquam Sacramentum jam rite confectum eſt, pertinere ad ejuſdem eſſentiam valeant? At difficultas omnis ocyus evaneſcit, ſi ſatisfactionem in voto a ſatisfactione in re, & actu præſtita diſtinguamus. Hæc enim eſt integralis dumtaxat pars Sacramenti Pœnitentiæ: illa vero eſt pars eſſentialis ad materiam proximam pertinens, ſi de gravi pœnitentia procedat quæſtio: niſi enim pœnitens, una cum propoſito non peccandi de cætero, propoſitum quoque habeat ſaltem implicitum ſatisfaciendi pro pœna temporali, quæ poſt abſolutionem luenda pro gravibus peccatis eidem ſupereſt, adeoque peragendi ea opera, quæ a Confeſſario præſcribentur, [quod propoſitum dicitur *ſatisfactio in voto*], ſed contrariam habeat voluntatem, Sacramentum non conficitur. V. *De-*

(1) Trid. loc. cit.

V. *Debent ergo Sacerdotes Domini* (1), *quantum ſpiritus*, *&* *prudentia ſuggeſſerit*, *pro qualitate criminum*, *&* *pœnitentium facultate*, *ſalutares*, *&* *convenientes ſatisfactiones injungere*, *ne ſi forte peccatis conniveant*, *&* *indulgentius cum pœnitentibus agant leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo*, *alienorum peccatorum participes efficiantur*. *Habeant autem præ oculis*, *ut ſatisfactio*, *quam imponunt*, *non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam*, *&* *infirmitatis medicamentum*, *ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam*, *&* *caſtigationem*. *Nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat*, *ſed* *&* *ad ligandum conceſſas*, *etiam antiqui Patres credunt*, *&* *docent*.

VI. Ex his Tridentini Concilii verbis patet 1. gravi obligari præcepto tum Confeſſarium ad injungendam, tum Pœnitentem ad acceptandam ſalutarem, & convenientem ſatisfactionem, quæ in Pœnitentiæ Sacramento poſt peccatorum confeſſionem injungitur. Ut enim clarius adhuc eadem Tridentina Synodus (2) definivit: *Si quis dixerit*, *claves Eccleſiæ eſſe datas tantum ad ſolvendum*, *non etiam ad ligandum*, *&* *propterea Sacerdotes*, *dum imponunt pœnas confitentibus*, *agere contra fidem clavium*, *&* *contra Inſtitutionem Chriſti*, *&* *fictionem eſſe*, *quod virtute clavium*, *ſublata pœna æterna*, *pœna temporalis plerumque exſolvenda remaneat*, *anathema ſit*. 2. Satisfactionem a Confeſſario injunctam, eſſe omnino a Pœnitente executioni demandandam, & quidem ſub gravi reatu culpæ, ſi gravis eadem ſit, & pro peccatis gravibus præſcripta; ſub levi vero, ſi levis ſit, & pro peccatis levibus, aut etiam pro lethalibus, ſed jam alias in Pœnitentiæ Sacramento remiſſis, impoſita. Hanc autem ſibi injunctam pœnitentiam, per ſe ipſum, & non per alium exequi pœnitens debet. Proſcripta enim eſt ab Alexandro VII. (3) hæc propoſitio: *Pœnitens propria auctoritate ſubſtituere ſibi alium poteſt*, *qui loco ipſius pœnitentiam adimpleat*. Eam tamen neceſſe non eſt, ut ante

(1) Trid. ſeſſ.14. c.8. de Pœnit.

(2) Trid. ſeſſ.14. can.15.

(3) Alexander VII. in damnat. propoſit.15. 24. Sept. 1665.

ante abſolutionem, aut Communionem exequatur, uti patet ex his tribus propoſitionibus ab Alexandro VIII. (1) proſcriptis: *Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti Lex, & præſcriptio, natura rei id ipſum quodammodo dictante. Per illam praxim mox abſolvendi ordo Pœnitentiæ eſt inverſus. Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pœnitentiam egerint.*

VII. Duplex eſt ſatisfactionis imponendæ genus, unum videlicet, quod ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, alterum, quod ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem pertinet. Ad primum genus ea omnia revocantur, quæ ad id plurimum conducunt, ut pravi habitus evellantur, & nova, quoad fieri poſſit, impediantur crimina; cujuſmodi ſunt rerum divinarum meditatio, piorum librorum lectio, frequens Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ ſuſceptio, Miſſæ Sacrificio quotidie intereſſe, Sacras Conciones audire, a ludis, a taberna vinaria, ab alicujus perſonæ familiaritate, ac frequentia abſtinere, aliaque hujuſmodi. Alterum vero genus ea complectitur, quæ carnem macerant, & peccatorem deprimunt, atque caſtigant; & ad tres potiſſimum claſſes reducuntur, videlicet ad jejunium, ad eleemoſynam, & ad orationem; quemadmodum ad tria veluti capita, teſte S. Joanne (2) Apoſtolo, peccata fere omnia revocantur, nimirum ad concupiſcentiam carnis, ad concupiſcentiam oculorum, & ad ſuperbiam vitæ. Concupiſcentiæ, ſeu peccato carnis optime congruit ſatisfactio per *jejunium*: jejunii autem nomine & jejunia, & peregrinationes, & quæcumque corporis afflictationes intelliguntur. Concupiſcentiæ oculorum, videlicet avaritiæ, omnibuſque criminibus, quæ ex ea, tamquam ex fonte, oriuntur, *eleemoſynæ* ſatisfactio convenit: ejus autem nomine quæcumque

Gggg miſe-

(1) Alexander VIII. in damnat. propoſit.16., 17., & 22., edita 7.Decemb.1690.
(2) 1. Joa. c.2.

Digitized by Google

miſericordiæ, veræque erga proximum charitatis, ac liberalitatis opera complectimur. Superbia demum vitæ, ideſt peccata reliqua, quæ ex ſuperbia, tamquam ex radice, progerminant, *oratione* puniuntur, per quam homo ſe deprimit, Deoque ſe ſubjicit, & contra peccata, peccandique pericula roboratur: orationis autem nomine quicumque Theologicarum Virtutum, ac Religionis actus intelligi debent, cujuſmodi ſunt piarum precum effuſio, divinarum laudum recitatio, adorationes, genuflexiones, Eccleſiarum viſitationes, aliique actus, per quos debitum Deo cultum exhibemus. Hoc autem pacto Pœnitentiæ Miniſter id fideliter exequetur, quod eidem a Rituali (1) Romano præſcribitur: *Curet Sacramenti Pœnitentiæ Miniſter, quantum fieri poteſt, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat, veluti Avaris eleemoſynas, Libidinoſis jejunia, vel alias carnis afflictiones, Superbis humilitatis officia, Deſidioſis devotionis ſtudia &c.*

VIII. Quod ad prioris generis ſatisfactionem pertinet, eam omnino Confeſſarius injungat, quam, rerum omnium circumſtantiis bene perpenſis, aptiorem ad nova crimina præcavenda, & pœnitentium facultati magis accommodatam in Domino judicabit. Quoad ſatisfactionem vero ſecundi generis, erant olim in uſu Canones Pœnitentiales, quibus ſua cuilibet criminum ſpeciei pœnitentia injungenda præſcribebatur. At pia Mater Eccleſia (2) humanam commiſerans infirmitatem, primævam ſeveritatem nonnihil emollivit, atque ab horum Canonum Pœnitentialium uſu receſſit: *Defectus enim noſtrorum temporum*, uti legimus in Can. *Fraternitatis* diſt. 34., *quibus non ſolum merita, ſed corpora ipſa hominum defecerunt, diſtrictionis illius non patitur in omnibus manere cenſuram*. Non ideo tamen fas eſt Confeſſariis Sacramentalem ſatisfactionem pro libito, ac temere imponere; ſed hac in re juſtitiæ, prudentiæ, ac æquitatis jura debent iidem una componere. *In irroganda autem ſatisfactionis pœna*, inquit Catechiſmus Roma-

(1) Rituale Romanum tit. de Sacram. Pœnitentiæ.

(2) Benedictus XIV. in ſua Conſtit. *Apoſtolica*. §.23. edita 26. Junii 1749.

Digitized by Google

Romanus (1), *Sacerdotes nihil ſibi ſuo arbitratu ſtatuendum eſſe, ſed omnia juſtitia, prudentia, & pietate dirigenda exiſtimabunt*. Caveant tamen, ne in hujuſmodi infligendis ſatisfactionibus duriores ſint, ac ſeveriores: *neque enim Sacramentum Pœnitentiæ eſt forum iræ, vel pœnarum*, ut expreſſe docet Tridentina Synodus (2). Imo ſi tanta ſit ſive corporis, ſive animi in Pœnitente fragilitas, ut is aſperiorem aliquam ſatisfactionem non ſit toleraturus; aut ſi extraordinaria contritione pœnitens ſit affectus, per quam multum de pœnis peccato debitis jam luerit; aut tandem ſi ſit Jubilæum, vel aliam Indulgentiam plenariam non ſine prævio piorum operum apparatu lucraturus; poterit tunc Confeſſarius mitius cum eo agere, & aliquanto leviorem ſatisfactionem injungere, cui addere poterit pium aliquod opus jam aliunde præceptum, atque illud etiam, ut temporalia flagella eidem a Deo inflicta patienter toleret. Docet enim Tridentina Synodus (3), *tantam eſſe divinæ munificentiæ largitatem, ut non ſolum pœnis ſponte a nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam (quod maximum amoris argumentum eſt) temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Jeſum ſatisfacere valeamus*. Caveant tamen etiam, ne benigniores plus æquo ſint in ſatisfactionibus hujuſmodi injungendis, ne videlicet, ut inquit Tridentinum, ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Audiant S. Ambroſium (4): *Grandi plagæ alta, & prolixa opus eſt medicina: grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem*.

IX. Ut autem ad acceptandam opportunam ſatisfactionem, quæ a Confeſſariis imponitur, Peccatores facilius inducantur,

Gggg 2 multum

(1) Catechiſm. Rom. tit. de Pœnit.
(2) Trid. ſeſſ.14. c.8.
(3) Trid. ſeſſ.14. c.9.
(4) S. Ambroſius in epiſt. ad Virginem lapſam c.8.

Digitized by Google

multum proderit (1) Canonum Pœnitentialium notitia, qua Confeſſarius inſtructus, eſto Canones illos in uſum non revocet, poteſt tamen ea uti, ut pœnarum, quæ olim pro iiſdem criminibus ſtatutæ fuerant, menſuram Pœnitenti explicet, ex quo is & ſummam peccatis ineſſe malitiam intelliget, & indictæ ſibi ſatisfactioni, quæ gravior alioqui videri potuiſſet, lubens acquieſcet, facta nimirum comparatione cum iis pœnis, quas pro iiſdem criminibus ſubjiſſet, ſi remotiore ætate, cum ſcilicet Pœnitentiales Canones adhuc obtinebant, ad Confeſſarium acceſſiſſet, nec ad ea perveniſſet tempora, quibus veterum Canonum ſeveritatem benignior Eccleſiæ diſciplina emollivit. Cæterum in pœnitentiis injungendis duorum præclariſſimorum, ac ſanctiſſimorum Antiſtitum monitum ob oculos habeant Confeſſarii, videlicet S. Franciſci Saleſii, & S. Caroli Borromæi, quorum prior (2) ſic inquit: *Confeſſarius melleis, & conſolatoriis verbis imponere debet pœnitentias . . . , & petere ſemper debet ab eo, an pœnitentiam injunctam libenter faciat? quia ſi videret eum anguſtiari, rectius faceret aliam ei leviorem imponendo*. Poſterior (3) vero ſic habet: *Si ita expedire viderit, illum interroget, an poſſit? anne dubitet pœnitentiam ſibi injunctam peragere? alioquin eam mutabit, aut minuet*.

ARTICULUS VI.

De forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu de abſolutione ſacramentali.

SAcramentum Pœnitentiæ, non ſecus ac Sacramenta reliqua, ſuam habet formam, qua in ratione Sacramenti perficitur, & completur. Hanc autem formam, in qua præcipue ipſius vis ſita eſt, docet Sacroſancta Tridentina Synodus (4), in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: *Ego te abſolvo a peccatis tuis &c.* Quibus

(1) Benedictus XIV. in cit. Conſtit. *Apoſtolica*. §.23.

(2) Sanctus Franciſcus Saleſius apud Ferraris in Bibliotheca verbo *Pœnitentia Sacramentum*. articul. 3. numer. 30.

(3) S. Carolus Borromæus in Inſtruct. Pœnit. par.4. pag.523.

(4) Trid. ſeſſ.14. cap.3.

Quibus quamquam de Eccleſiæ Sanctæ more preces quædam laudabiliter adjungantur; eæ tamen ad ipſius formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ. At hujuſmodi preces non omittere laudabile conſilium eſt: Nos vero eas præſertim omitti nolumus, quæ abſolutionis formam præcedunt, & cum ipſa quodammodo connectuntur, niſi forte gravis aliqua urgeat neceſſitas, cujuſmodi eſſet mortis inſtantis periculum: tunc enim ſatis eſſe hanc formulam: *Ego te abſolvo ab omnibus cenſuris, & peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*; in Rituali Romano edocemur.

II. Cum Pœnitentiæ Sacramentum inſtar judicii inſtitutum a Chriſto Domino fuerit; errant profecto Novatores, cum per Sacramentalis formæ verba mere declarari docent pœnitentes eſſe a Deo abſolutos. Eadem enim Tridentina Synodus veram a peccatis abſolutionem, quam Confeſſarius, ut Miniſter Chriſti, & diſpenſator Myſteriorum ejus, tamquam Judex pronunciat, per ea verba ſignificari definivit (1), ubi ait: *Quamvis abſolutio Sacerdotalis alieni beneficii ſit diſpenſatio, tamen non eſt ſolum nudum miniſterium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed inſtar actus judicialis ab ipſo, velut a Judice ſententia, pronunciatur*; & alibi (2): *Si quis dixerit, abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti ... ... anathema ſit*. Et ſane, cum in Sacramentorum formis verba id vere efficiant, quod ſignificant, quis non videat, per illa Sacerdotis verba: *Ego te abſolvo a peccatis tuis*, veram abſolutiontm ſignificari, quam pœnitenti Sacerdos impertit, adeoque vere a Sacerdote pœnitentem abſolvi?

III. Abſenti dari per nuncium, aut per litteras nequit abſolutio: *Præcepit enim Dominus*, uti habemus in can. *quem pœnitet* diſt. 1., *mundandis, ut oſtenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda peccata, non per nuncium, non per ſcripturam*

(1) Trid. ſeſſ. 14. c. 6.

(2) Trid. ſeſſ. 14. can. 9.

Digitized by Google

ram manifeſtanda. Dixit enim, ora monſtrate, & omnes, non unus pro omnibus; non alium ſtatuatis nuncium, qui pro vobis offerat munus a Moyſe ſtatutum, ſed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis: erubeſcentia enim ipſa partem habet remiſſionis: ex miſericordia enim hoc præcipit Dominus, ut neminem pœniteret in occulto: in hoc enim, quod per ſeipſum dicit Sacerdoti, & erubeſcentiam vincit timore offenſi, fit venia criminis. Merito itaque Clemens VIII. (1) hanc propoſitionem, videlicet *licere per litteras, ſeu Internuncium Confeſſario abſenti ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere*, ad minus ut falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit, atque prohibuit ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, a qua, præterquam in mortis articulo, ne Cardinalis quidem Major Pœnitentiarius, ſed ſolus Romanus Pontifex poſſit abſolvere.

IV. Peccatori cuilibet vel maximo, & plurimis, graviſſimiſque criminibus irretito, dummodo rite, recteque ſit diſpoſitus, ac certa veræ pœnitentiæ det ſigna, Confeſſarius ſacramentalem denegare non audeat abſolutionem. *Si enim impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt*, ut inquit Dominus in ſcripturis (2), *vita vivet, & non morietur: omnium iniquitatum ejus non recordabor. Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non ut convertatur a viis ſuis, & vivat?* Non modo ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties peccatori (3), ſi pœnitens revertatur ad cor, peccata eſſe condonanda, Apoſtolorum Principem Chriſtus (4) admonuit. In diſpenſandis igitur Dei donis, uti nos docet (5) S. Leo, non debemus eſſe difficiles, nec accuſantium ſe lacrymas, gemituſque negligere, cum ipſam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inſpiratione conceptam.

V. Is etiam, qui pœnitentiam in infirmitate petit, ſi, dum ad eum Sacerdos invitatus accurrit, oppreſſus infirmitate obmutuerit

(1) Clemens VIII. in Conſtit. *Sanctiſſimus*. edita 20. Julii 1602.
(2) Ezechielis c.18.
(3) Can. *Septies*. diſt.3. de Pœnit.
(4) Matthæi c.18.
(5) S. Leo Papa epiſt. 91.

tuerit, vel converſus fuerit in phreneſim, dantibus teſtimonium iis, qui audierunt, ex plurium Conciliorum (1) lege accipiat pœnitentiam. Cui quidem doctrinæ conſonat Rituale Romanum, ubi hanc Confeſſario præſcribit regulam (2). *Si inter confitendum, vel etiam antequam confiteri incipiat, vox, & loquela ægro deficiat, nutibus, & ſignis conetur Sacerdos, quoad ejus fieri poterit, peccata pœnitentis cognoſcere, quibus utcumque vel in genere, vel in ſpecie cognitis, vel etiam confitendi deſiderium ſive per ſe, ſive per alios oſtenderit, abſolvendus eſt.*

VI. Cum ab Innocentio XI. proſcripta jure optimo fuerit hæc propoſitio (3): *Abſolutionis capax eſt homo, quamvis laboret ignorantia Myſteriorum Fidei, etiamſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti*; Inde fit, ut, ubi pœnitens (4) hæc ignoraverit, niſi ad ea quamprimum, & ad Decalogi, Eccleſiæque præcepta addiſcenda, ex animo ſe paratum oſtendat, abſolvendus omnino non ſit. Immo ſi ad ea addiſcenda ſe paratum ſignificaverit, interrogandus præterea eſt, num alias de ea negligentia monitus a Confeſſario fuerit? Nam ſi pro modulo ſuo, etiam monitus, diligentiam non adhibuerit, tamdiu illi abſolutio differatur, donec huic officio penitus ſatisfecerit. Quod ſi admonitus nondum fuerit, abſolvatur quidem, ſed ante abſolutionem, de præcipuis Fidei noſtræ Myſteriis, quæ neceſſario neceſſitate medii credenda explicite ſunt, quantum ſatis eſt, inſtruatur, & Theologicarum Virtutum actus, Confeſſario præeunte, eliciat.

VII. Incapaces quoque ſunt (5) Sacramentalis abſolutionis ii, qui nulla dant doloris ſigna; qui odia, & inimicitias deponere,

(1) Conc. Arauſican. I. can.12., Carthagin. III. in can. *Ægrotantes*. de conſecr. diſt.4., & Carthagin. IV. can.76., can. *His*, *qui*. cauſ.26. qu.6.

(2) Rituale Rom. tit. de Sacramento Pœnitentiæ.

(3) Innocentius XI. in damnat. propoſit.64. edita 2. Martii 1679.

(4) S. Carolus Borromæus par.4. Actorum Eccleſ. Mediol. Inſtruct. Confeſſorum circa medium.

(5) Rit.Rom. tit. de Sacram.Pœnitent.

nere, aut aliena, licet poſſint, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum ſcandalum dedere, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum omne prorſus removeant. *Multi*, ut veriſſime ait S. Auguſtinus (1), *aſſidue ſe dicunt eſſe peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Profeſſio eſt, non emendatio: accuſatur anima, non ſanatur: pronunciatur offenſa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati, & amor Dei. Quando ſic pœnites, ut tibi amarum ſapiat in animo, quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectavit in corpore, ipſum te cruciat in mente; jam bene ingemiſcis ad Deum.* Quod ſiquis alienam ſive famam, ſive rem a ſe injuſte læſam reſarcire potuerit, immo jam alias ſe id facturum Confeſſario ſpoponderit, quin tamen promiſſis ſteterit; novis ejuſdem pollicitationibus ſe decipi Confeſſarius minime patiatur, ſed abſolutionem prorogans, donec ſatisfactum juſtitiæ fuerit, pœnitenti pacato animo dicat cum S. Auguſtino: *Fac prius juſtitiam, & habebis pacem: ſi enim* (2) *non amaveris juſtitiam, pacem non habebis. Vis venire ad pacem? fac juſtitiam.* Proroganda (3) etiam eſt abſolutio iis, qui, licet peccatum ſe dimiſſuros polliceantur, ab illo tamen non ſeparandos Confeſſor prudenter ſuſpicetur, uti ſunt ii, (ac præſertim juvenes otioſi) qui ſolent majorem temporis partem in aleis, crapulis, amoribus, peccatis carnalibus, blaſphemiis, inhoneſtis converſationibus, diſſenſionibus, odiis, & detractionibus terere, & qui a multis annis in iiſdem peccatis perſeverantes, ut emendentur, non laborant. Proſcripta enim eſt ab Innocentio XI. hæc propoſitio (4): *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.*

VIII. Ut

(1) Sanctus Auguſtinus ſerm. 57. de tempore.

(2) S. Aug. in Pſalm.84.

(3) S. Carolus Borromæus par.4. Actorum Eccleſ. Mediolanen. tit. Inſtructio Confeſſorum.

(4) Innocentius XI. in damnat. propoſit.60. edita 3. Martii 1679.

Digitized by Google

VIII. Ut ea, quæ diximus, licet perſpicua ſint, clariora tamen adhuc fiant, & ad praxim utiliora; dicendum aliquid eſt non minus de peccatoribus recidivis, iiſque, quos conſuetudinarios dicimus, quam de peccandi occaſione, & periculo. Recidivus ille eſt, qui ſemel, aut iterum in peccatum jam alias in Sacramentali Confeſſione condonatum relabitur: Conſuetudinarius vero ille eſt, qui quaſi ex habitu in certa aliqua peccati ſpecie per frequentes actus contracto, in eamdem culpam facile, & frequenter relabitur: Unde patet, quemlibet conſuetudinarium eſſe recidivum; non tamen viciſſim. Quæ autem actuum frequentia requiratur, ut aliquis eſſe cenſeatur conſuetudinarius, nec ita facile definiri, nec ad id definiendum unica regula tradi poteſt; ſed & peccati natura, & tempus, moduſque peccandi attendi debent. Sic ex. gr. peccata, quæ cogitatione, vel verbis committuntur, ſicuti facilius committi ſolent, ita etiam majorem, quam quæ fiunt opere, actuum numerum exigunt, ut quis peccandi conſuetudinem contraxiſſe exiſtimetur. Præterea ad conſuetudinem contrahendam, aliqua temporis diuturnitas requiritur, intra quod frequentes fuerint in eadem peccata relapſus. Sic ſi duo viri ſingulis menſibus peccata ſua Sacramento Pœnitentiæ expiare ſoleant, & ſingulis vicibus eorum unus bis, aut ter idem mollitiei peccatum ſe commiſiſſe, alter vero fere quotidie, vel pluries in hebdomada eodem ſe mollitiei crimine commaculaſſe fateatur, prior recidivus, alter vero conſuetudinarius nuncupabitur.

IX. Peccandi *periculum* illud dicitur, quod vel ab intrinſeco, vel ab extrinſeco, ut ajunt, ad peccandum inclinat: *Occaſio* vero peccandi eſt extrinſeca circumſtantia, quæ ad peccandum allicit, cujuſmodi eſt ex. gr. familiaris cum perdita muliere converſatio. Unde patet, omnem quidem peccandi occaſionem eſſe periculum, non tamen viceverſa. Qui enim mollitiei criminis patrandi conſuetudinem contraxit, in periculo quidem peccandi verſatur, etiam cum ſolus eſt, & cum nihil extrinſece

illum ad peccandum allicit; non tamen vere, ac proprie dici poteſt, illum in peccandi occaſione eſſe conſtitutum.

X. Occaſio peccandi alia eſt remota, alia proxima. Prior illa eſt, in qua quis admodum raro, poſterior vero illa eſt, in qua quis frequenter lethali peccato ſe inquinat: neque enim ad occaſionem proximam conſtituendam neceſſe eſt, ut quis in ea frequentius peccet, quam non peccet, ſeu ut ſemper peccet: nam qui ex gr. cum muliere, cum qua cohabitat, ter in hebdomada peccet, vere in proxima occaſione eſt conſtitutus, quin tamen in tota hebdomada ſæpius peccet, quam non peccet. Peccandi quoque periculum duplex eſt, aliud remotum, aliud vero proximum. Remotum eſt illud, quod attentis circumſtantiis raro; proximum autem illud, quod attentis circumſtantiis, ſatis frequenter cum peccato conjungi ſolet. Periculum proximum aliud eſt formale, materiale alterum. Formale illud eſt, quod, attentis circumſtantiis, ita ad peccandum impellit, ut ſi in eo hujus, aut ſimilis conditionis, ſeu naturæ perſona verſetur, ſoleat ſæpe ſæpius in crimen labi. Materiale vero illud eſt, quod ex ſe, & ſecundum extrinſecas ſuas circumſtantias, non vero ex ſpeciali perſonæ conditione, ſolet cum peccato conjungi. Quamobrem materiale periculum eſt externa occaſio, quæ ex ſe frequenter ſolet non eſſe a peccato ſejuncta. Formale autem, præter occaſionem externam, tales circumſtantias includit, ut penſatis omnibus, futurum prudenter exiſtimetur, ut ſi hujus, vel ſimilis conditionis perſona in eo conſtituatur, ſit hic, & nunc peccatura. Inde fit, ut idem periculum quoad unam perſonam formale, quoad aliam vero materiale eſſe poſſit. Tandem formale periculum aliud eſt intrinſecum, aliud extrinſecum. Intrinſecum illud eſt, quod ex propria prava intrinſeca perſonæ natura, ſeu conditione oritur: Extrinſecum vero, quod non ex intrinſeca prava perſonæ conditione, ſed ex aliqua extrinſeca occaſione promanat.

XI: Jam vero qui in remota peccandi occaſione verſatur, abſolvi poteſt: *alioquin enim exire de hoc Mundo deberemus*, uti

monet

Digitized by Google

monet Apoſtolus (1), cum in ipſis etiam deſertis locis, atque in eremo, multo autem magis in ipſo licito, honeſtoque humano commercio remota peccandi occaſio non deſit. At qui in peccandi proxima occaſione eſt conſtitutus, quam deſerere poſſet, ſi vellet, non tamen deſerit, cum nolit; quemcumque utilitatis, commodi, aut boni, ſive ſpiritualis, ſive temporalis, ſive ſui, ſive proximi prætextum obtendat; abſolvi nulla ratione poteſt, uti ex pluribus propoſitionibus patet, quas Romani Pontifices (2) Alexander VII., & Innocentius XI. proſcripſere. Quod ſi ad eam dimittendam promptum ſe, ac paratum oſtendat, interrogandus adhuc a Confeſſario eſt, utrum jam alias eam dimittere juſſus fuerit, eamque ſe dimiſſurum ſpoponderit, an non? Si primum, proroganda omnino eidem eſt abſolutio, donec a proxima peccandi occaſione ſe omnino ſejunxerit. Si ſecundum, dummodo admiſſa crimina deteſtetur ex animo, & occaſionem proximam ſe ſtatim dimiſſurum ſincere polliceatur; utrumque autem tum a circumſtantiis, tum ab ipſis Pœnitentis verbis, externiſque pœnitentiæ ſignis Confeſſarius prudenter conjiciet; abſolutione donari poterit. Verum ſi proxima occaſio peccandi non voluntaria ſit, ac libera, ſed involuntaria, & quodammodo neceſſaria, cum in pœnitentis poteſtate non ſit eam a ſe removere, quemadmodum uſuvenire ſolet in filiofamilias, qui cum ancilla Patris ſui frequenter peccat, vel in fratribus, ſororibus, filiis, aliiſque hujuſmodi conſanguineis, qui ſub eodem tecto vitam agentes ſuam, domicilium pro libito commutare non poſſunt; Tunc abſolvi pœnitens poterit, ſi, præter vera doloris ſigna, conatum omnem adhibuerit, curaveritque, ut occaſio proxima fieret remota, ac ipſe, quoad potuit, formale peccandi periculum evitave-

Hhhh 2

(1) Ad Cor. c.5. v.10.

(2) Alexander VII. in damnat. propoſit.41. edita 18. Martii 1666., & Innocentius XI. in damnat. propoſ. 61., 62., & 63., edita 2. Martii 1679.

Digitized by Google

taverit. *In hujuſmodi enim caſibus hominem non amare periculum, ſed illud invitum ſubire*, S. Baſilius (1) affirmat.

XII. Quod ſi quis in ejuſmodi involuntaria peccandi occaſione proxima conſtitutus, ad Confeſſarium primum accedat; benigne, ac perhumaniter excipiendus eſt, de graviſſimo æternæ ſuæ damnationis periculo ſerio monendus, ad ſincerum, magnumque admiſſorum criminum dolorem, firmumque propoſitum non peccandi de cætero excitandus, ac tandem ſalutaria præſcribenda eidem ſunt remedia, per quæ a formali peccandi periculo eximatur, cujuſmodi ſunt veræ contritionis actum de præteritis culpis, ac ſincerum non peccandi deinceps propoſitum frequenter iterare; mulieris [ſi cum ea peccare conſueverit] aſpectum, illecebras, & conſortium totis viribus evitare, itaut numquam ſolus cum ſola verſetur, aut colloquatur; occaſionem omnem aucupari, ut eam removere, aut ſe ab ea omnino ſejungere citra ſcandalum poſſit; frequenti Sacramentorum ſuſceptione adverſus peccandi periculum ſe communire,; prudentem, doctumque ſibi Confeſſarium eligere, cujus mandatis, & conſiliis obtemperet; ſi forte relabatur in culpam, quamprimum fieri poſſit, illam Pœnitentiæ Sacramento expiare; certas ad Deum, Deiparamque Virginem preces ſtatis horis ex animo fundere; carnem aliquo jejunio, aliave afflictatione edomare, aliaque ejuſmodi, quæ, attentis omnibus circumſtantiis, pœnitenti ad præcavendam culpam profutura eſſe prudens, doctuſque Confeſſarius arbitrabitur. Si pœnitens certa det ſui doloris ſigna, & quæ ei præſcribuntur, remedia ſe adhibiturum ſerio polliceatur, Sacramentali donandus erit abſolutione. At ſi mox redeat iiſdem, quibus antea, criminibus ſordidus; agendum cum eo erit, non ſecus, ac cum recidivis, & conſuetudinariis, de quibus dicemus inferius. Monitos tamen hìc Confeſſarios volumus, ut, cum aliquem plura ejuſdem ſpeciei peccata confitentem audiunt,

(1) S. Baſilius in Conſtit. Monaſticis c.4. fol.489.

diunt, continuo eumdem interrogent, in quibus ſeu loci, ſeu temporis, ſeu rerum circumſtantiis ea crimina perpetrarit? ſæpiſſime enim pœnitentem alicujus proximæ occaſionis laqueis eſſe irretitum deprehendent, a qua proinde omnino removeri illum oportet.

XIII. Conſuetudinarius abſolvi ſacramentaliter poteſt, ſi & ſpecialia det contritionis ſigna, & ſibi vim contra tentationes, ac ſenſuum illecebras intulerit, & conatum omnem, diligentiamque in eo collocarit, ut recederet a viis peſſimis, & in via mandatorum Domini ambularet; ſi remedia eidem præſcripta, ne relaberetur, cum fructu adhibuerit, & rarius, quam antea ſolebat, lapſus ſit. Rariores enim hi relapſus humanæ potius fragilitati tribuendi ſunt, quam falſæ pœnitentiæ. At ſi nulla, vel fere nulla ad evertendam conſuetudinem adhibuit remedia; ſi neque tentationibus obſtitit, neque evitavit pericula, ſed ſuis potius cupiditatibus fræna laxavit, & in eaſdem, ac fortaſſe etiam in plures, querioreſque lapſus eſt culpas, quamquam ſe dolere dicat, & nolle amplius peccare, deneganda omnino eſt abſolutio, aut ſaltem differenda, donec emendatio re, ac factis perſpiciatur. *Ubi enim emendatio nulla*, ut inquit Tertullianus (1), *pœnitentia neceſſario vana. Nam quomodo pœnitet, quod ſit*? verba ſunt S. Auguſtini (2): *Si pœnitet, non ſiat. Si autem ſit, nomen errat, crimen manet*. Non tamen hunc peccatorem Confeſſarius propterea aſpere, acerbeque increpet, & quod pejus eſt, conviciis rejiciat, ne rebus ſuis deſperans a Sacerdote pariter, & a Sacramento abalienetur; ſed paterna illum charitate moneat, ut ſe ad tam ſalutare Sacramentum percipiendum, cum a peccatis abſtinendo, tum pietatis opera ſectando, diligentius comparet. Illum præterea & pœnarum æternarum metu ad dolorem excitet, & divinæ clementiæ magnitudine ſoletur, ac erigat, & ad morum mutationem, vitæque melioris amorem accendat. Ad ſe tandem redire poſt certum aliquod tempus, intra quod omnino a pec-

(1) Tertullian. de Pœnit. c.2 (2) S. Aug. ſerm.232. olim de tempore 144.

Digitized by Google

a peccatis abſtineat, ac ſincera peccatorum ſuorum contritione ſe ad impetrandam a Deo veniam, ſuamque conſcientiam in Pœnitentiæ Sacramento mundandam diſponat.

XIV. Recidivis quoque differenda abſolutio eſt, quamdiu eorum pœnitentia, atque emendatio prudenter dubia, ac ſuſpecta videatur; præſertim cum ejuſmodi dilatio excitare illos e criminum veterno, & ad veram pœnitentiam adducere facile poſſit. *Nec enim eſſet hodie tanta facilitas peccandi, ſi non eſſet etiam tanta facilitas abſolvendi*, ut optime ait Ven. Cardinalis Bellarminus. Verum cum in re tanti momenti multa opus ſit prudentia, ne Confeſſarius aut nimio rigore, aut immodica benignitate peccet, enixè proinde rogamus, atque obteſtamur in Domino Parochos omnes, & Confeſſarios, ut aſſidue, attenteque perlegant monita S. Caroli Borromæi ad Confeſſarios, & geminos illos aureos libellos a P. Paulo Segneri Soc. Jeſu Italico ſermone conſcriptos, quorum titulus eſt: *Il Confeſſore iſtruito*: *Il Penitente iſtruito*. Ex iis enim plurima addiſcent ad Pœnitentiæ Sacramentum rite, ſancteque miniſtrandum utiliſſima.

ARTICULUS VII.

De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.

SAcramentorum Inſtitutor Chriſtus Dominus illum dumtaxat eſſe voluit verum, legitimumque Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtrum, qui Ordinis, & Juriſdictionis poteſtate, debitaque intentione eſſet inſtructus, itaut ſiquid horum eidem deeſſet, non ſolum illicite, ſed etiam invalide Sacramentum adminiſtraretur. Primum itaque poteſtas Ordinis, & quidem Sacerdotalis in miniſtrante requiritur. Sacerdos enim in æternum (1) Chriſtus Dominus, qui ipſa nocte, qua tradebatur, Apoſtolis a ſeipſo delectis conſecrandi Corporis ſui, ejuſdemque offerendi, & miniſtrandi poteſtatem conceſſit; eiſdem poſt reſurrectionem ſuam, cum inſufflaſſet

(1) Benedictus XIV. in Conſt. *Sacerdos*, edita 12. Cal. Maii 1744.

flaſſet in eos Spiritum Sanctum, ampliſſimam etiam peccata remittendi, ac retinendi contulit facultatem. Hoc autem exemplo, præceptoque ſuo conſtituit, & ſanxit, ut ea deinceps in univerſam Eccleſiam poteſtas, atque facultas per legitimam tantummodo Sacerdotum ordinationem transfundi, & propagari deberet. Unde, evacuato veteri Levitarum miniſterio, & Sacerdotio filiorum Aaron, qui exemplari, & umbræ deſerviebant cœleſtium, omnibus quidem adoptionis ſuæ filiis ad novum Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech aditus pateret, ſed non alii reipſa ad ſublimem fungendum honorem aſſumerentur, quam qui a Deo vocati, atque ab Apoſtolis, ſeu ab eorum ſucceſſoribus rite inſtituti, atque ordinati fuiſſent. Hinc circa Miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ declaravit Tridentina Synodus (1), falſas eſſe, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quoſvis homines, præter Epiſcopos, & Sacerdotes, clavium miniſterium pernicioſe extendunt; & alibi (2) ſic definivit: *Si quis dixerit ..... non ſolum Sacerdotes eſſe Miniſtros abſolutionis, ſed omnibus, & ſingulis Chriſtifidelibus eſſe dictum, quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlo, & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, anathema ſit.* Quamobrem neque Subdiaconus, neque Diaconus (3), ſed ſolus Sacerdos hujus Sacramenti eſſe poteſt Miniſter, ſoli quippe Sacerdoti in ſui ordinatione confertur non modo in verum, ſed etiam in myſticum Chriſti Corpus poteſtas, quæ clavium etiam, ſeu ſolvendi, atque ligandi poteſtas dicitur.

II. Quod ſi juxta legem Moyſi accedentes (4) ad Sanctuarium illud manufactum, aut Thuribulum aureum ab hominibus effictum manu arripientes, præter eos, qui ex deſignata Tribu, & Familia originem ducerent, ſine ulla miſeratione morti deputaban-

(1) Trid. ſeſſ.14. cap.6.

(2) Trid. ſeſſ.14. can.10.

(3) Conſtitut. Apoſt. lib.3., Leo X. Conſt.40. *Exurge*; & Trid. ſeſſ.7. can.10.

(4) Benedictus XIV. cit. Conſtitut. *Sacerdos*.

tabantur; quanto magis putandum eſt deteriora ſupplicia mereri eos, qui, profani cum ſint, tanto præſtantiori novæ legis miniſterio ſe ingerere, atque diſpenſationem Myſteriorum Dei ſibi arrogare præſumpſerint, cum præſertim ea nulliter, & irrite celebrent. Væ mendacibus illis, qui abſque legitima auctoritate in Pœnitentiæ Tribunalibus, tamquam Judices animarum, ſedere audent, eamque ſibi falſo aſſerere facultatem emundandi conſcientias hominum ab operibus mortuis, quam æterni fœderis Sponſor Dei Filius nemini ſe, niſi per Eccleſiaſticam ordinationem, communicaturum promiſit. Sacramentum enim reconciliationis humanæ conculcant, & ſanguinem Teſtamenti, e quo virtus illius omnis promanat, pollutum ducunt, confitentibus vero fideliter peccata ſua impiam in re graviſſima, ſummique momenti fraudem faciunt.

III. Et ſane graviſſima hujuſmodi ſcelera execrantes Romani Pontifices Paulus IV., & Sixtus V. decreverunt, ut, qui ad Presbyteratus Ordinem non promoti, Miſſarum celebrationem uſurpare, & Sacramentum Pœnitentiæ miniſtrare præſumpſerint, a Judicibus Sanctæ Inquiſitionis tradi deberent Curiæ Sæculari debita animadverſione puniendi. Eorum autem veſtigiis inhærens Clemens VIII. (1), ne circa pœnam hujuſmodi delinquentibus irrogandam ullus dubitationi locus ſupereſſet, peculiaribus ſuis Litteris in forma Brevis conſtituit, ut omnes, & ſinguli, qui ad Sacerdotium non promoti, reperti fuerint Miſſarum celebrationem uſurpaſſe, vel Sacramentalem Confeſſionem audiviſſe, a Judicibus Sacræ Inquiſitionis, vel a locorum Ordinariis, tamquam Eccleſiæ miſericordia indigni, a Foro Eccleſiaſtico abjiciantur, & ab Ordinibus Eccleſiaſticis, ſi quos habuerint, rite degradati, ſtatim Curiæ Sæculari tradantur per Judices Sæculares debitis pœnis plectendi. Mox Urbanus VIII. (2) ſuis Litteris in forma Brevis recenſitas Deceſſorum ſuorum diſpoſitiones ita

(1) Clemens VIII. in Brevi. *Etſi alias*. edito 1. Decem. 1601.

(2) Urbanus VIII. in Brevi. *Apoſtolatus Officium*. edito 23. Martii 1628.

ita confirmavit, & ampliavit, ut quicumque ſe præfatis ſceleribus obſtrinxerint, mandaverit, eos privilegio ætatis minoris annis vigintique nullatenus excuſari, dummodo vigeſimum annum expleverint, quo minus ad normam dictæ Conſtitutionis Clementinæ ſtatim Curiæ Sæculari condignis pœnis afficiendi tradantur. Tandem Benedictus XIV., cum peculiaribus ſuis (1) Conſtitutionibus laudatas omnes Deceſſorum ſuorum Conſtitutiones Apoſtolica auctoritate approbaſſet, & confirmaſſet, & quatenus opus eſſet, innovaſſet, complures exceptiones de medio ſuſtulit, quæ ab hujuſmodi criminum Reis, aut ab eorum Defenſoribus proponi ſolebant,ut earum prætextu debitarum pœnarum condonationem, aut ſaltem minorationem obtinerent.

IV. Quoniam autem natura, & ratio Judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; Perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Tridentina Synodus (2) confirmavit, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem. Quamvis itaque Presbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant; decrevit tamen eadem Sancta Tridentina Synodus, nullum, etiam Regularem, poſſe Confeſſiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut alias, idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus. Quod quidem jam ante Tridentinam Synodum Eugenius IV. in decreto pro Armenis docuerat, ubi ait: *Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ eſt Sacerdos habens auctoritatem abſolvendi vel ordinariam, vel ex commiſſione Superioris*. Jure igitur optime duas propoſitiones damnavit Ale-

(1) Benedictus XIV. in Conſtit. *Sacerdos*. edita 12. Calend. Maii 1744., & Conſt. *Divinarum*. edita 4. non. Aug. 1757. (2) Trid. ſeſſ. 14. cap. 7.

Alexander VII. (1), quarum prior, quæ eſt 13., ſic habet: *Satisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari, Epiſcopo præſentato, ſed ab eo injuſte reprobato*; poſterior vero, quæ eſt 16., ſic ſtatuit: *Qui Beneficium Curatum habent, poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario*.

V. Ex iis, quæ diximus, patet, ad Sacramentum Pœnitentiæ valide miniſtrandum requiri juriſdictionem vel Ordinariam, vel Delegatam. Ordinaria eſt poteſtas illa judicandi Fideles, tamquam ſubditos, in Tribunali Pœnitentiæ, quam quis habet vi officii ſui, cui animarum cura adnexa eſt, cujuſmodi ea eſt, quam habet Romanus Pontifex in omnes Chriſtifideles, Epiſcopus in Diœceſanos, in Parochianos Parochus, in ſuos ſubditos Prælatus Regularis &c. Delegata juriſdictio ea eſt, quam quis habet ex Ordinarii conceſſione in ejuſdem Ordinarii ſubditos. Approbatio autem Ordinarii, quæ ad habendam juriſdictionem delegatam requiritur, duo dicit, 1. videlicet Ordinarii judicium de alicujus idoneitate quoad ſcientiam, & probitatem. 2. conceſſionem juriſdictionis pro audiendis, & abſolvendis pœnitentibus in foro interno, ac Sacramentali; quorum primum eſt actus intellectus, alterum vero voluntatis. Hic autem obiter adnotandum eſt, quamquam Regulares confiteri poſſint peccata ſua cuilibet Sacerdoti, quem ipſis proprius Prælatus ſecundum Ordinis ſui ſtatuta conſtituerit; Confeſſarios tamen Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, ab Epiſcopo Diœceſano eſſe approbandos. Sic enim peculiari ſua Conſtitutione ſtatuit Gregorius XV. (2). *Confeſſores vero ſive Regulares, ſive Sæculares, quomodocumque exempti, tam extraordinarii, quam ordinarii ad Confeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant*.

VI. Sim-

(1) Alexander VII. in damnat. propoſit.13., & 16. edita 24.Sept. 1665.

(2) Gregorius XV. Conſtit. *Inſcrutabili*.

VI. Simplex itaque Sacerdos, qui neque Parochus ſit, neque ab Ordinario loci ad audiendas Fidelium confeſſiones fuerit approbatus, neque valide, neque licite miniſtrare hoc Sacramentum poteſt, excepto mortis articulo, *in quo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat*, uti Tridentina (1) Synodus declaravit. In mortis enim articulo Eccleſia ipſa dat juriſdictionem cuilibet Sacerdoti, etiam ſuſpenſo, excommunicato, degradato &c., ut quoslibet Fideles a quibuſcumque caſibus, & cenſuris etiam reſervatis, poſſit abſolvere, niſi forte Sacerdos adſit approbatus. Tunc enim ad hunc pertinet Sacramentum Pœnitentiæ moribundo miniſtrare: nam cum aliquid *conceditur* (2) *propter neceſſitatem*, uti habemus in regulis Juris, *durat conceſſio, quamdiu urget neceſſitas: in argumentum enim trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa*. Nullus itaque ſimplex Sacerdos, qui a Nobis, aut a Vicario Noſtro Generali approbatus non fuerit, ſive Sæcularis ſit, ſive Regularis, ſub (3) pœna ſuſpenſionis a divinis ipſo facto incurrenda, aliiſque graviſſimis pœnis (4) a Nobis adverſus ipſum infligendis, Confeſſiones Sæcularium in tota Noſtra Diœceſi excipere audeat: Imo ne peccatorum quidem venialium Confeſſiones excipiat ſine prævia Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis approbatione: nam id quoque ſub pœnis Canonicis diſtricte prohibemus ad normam decreti Sacræ Congregationis Concilii (5) ab Innocentio XI. approbati, & confirmati, ubi ſic Epiſcopis omnibus indicitur: *Non permittant, ut venialium Confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confeſſarii, etiam Regulares, aut*

Iiii 2 *quicum-*

(1) Trid. ſeſſ. 14. cap. 7.

(2) ff. de regulis Juris, & regula 78. Juris in 6.

(3) Clem. *Dudum*. §. *At deinde*. de Sepulturis, & S. Pius V. Conſtit. 133.

(4) Sac. Cong. Concil. in Neapolitana 14. Aprilis 1646. Gregorius XV. Conſtit. *Inſcrutabili*, & Innocentius X. Conſtit. *Cum ſicut accepimus*. edita 15. Maii 1648.

(5) Sac. Cong. Concil. ſub Innocentio XI. 12. Februarii 1679. in decreto. *Cum ad aures*.

Digitized by Google

quicumque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant ſe Deo Optimo Maximo rationem eſſe reddituros, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, ac rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, etiam Regulares &c.

VII. Caveant Sacerdotes omnes, cum Sæculares, tum Regulares, ne Fidelium Confeſſiones in Noſtra Diœceſi excipere audeant, etiam vigore Indultorum, per quæ ab Apoſtolica Sede datur Fidelibus quandoque facultas eligendi ſibi Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario, qui eos a culpis, & cenſuris alioquin reſervatis abſolvere valeat, niſi Sacerdotes ipſi, qui ad id muneris deliguntur, a Nobis, aut a Vicario Noſtro Generali licentiam audiendi Confeſſiones obtinuerint, eaque adhuc fruantur. Immo ſi ea limitata vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus perſonarum conceſſa a Nobis fuerit, ſciant, ſe non poſſe valide Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrare extra tempus, vel locum, vel genus perſonarum a Nobis præſcriptum, non obſtante quocumque privilegio, vel cunctis Chriſtifidelibus per univerſalis Jubilæi litteras, vel nonnullarum Regionum Incolis per Bullam Cruciatæ, vel Univerſitatibus, aut Confratrum, ſeu aliorum cœtibus per ſpecialia Indulta ab Apoſtolica Sede conceſſo. Nam, præter Pauli V., Urbani VIII., & Clementis X. Conſtitutiones, quibus contraria opinio damnata jam fuerat, Innocentius XII. per ſuam (1) Conſtitutionem decrevit, ac declaravit, Confeſſarios tam Sæculares, quam Regulares, quicumque illi ſint, in vim Bullæ Cruciatæ a Pœnitentibus ad audiendas eorum Confeſſiones electos, eas audire non poſſe ſine approbatione Ordinarii loci, in quo ipſi Pœnitentes degunt, & in quo Confeſſarios ad ſuas excipiendas confeſſiones requirunt; neque ad hoc ſuffragari approbationem ſemel, aut pluries ab Ordinariis aliorum locorum obtentam, etiamſi pœnitentes ſubditi illorum Ordinariorum forent, qui Confeſſarios electos approbaſſent; adeoque confeſſiones in poſterum aliter factas, & auditas

(1) Innocentius XII. Conſt. *Cum ſicut*. 19. Aprilis 1700.

ditas nullas, irritas, atque invalidas fore: Sacerdotibus vero, qui illas audire præſumpſerint, ſuſpenſionis pœnam ipſo facto incurrendam indixit: opinionem autem contrariam, tamquam falſam, temerariam, ſcandaloſam, & in praxi pernicioſam damnavit, eamque doceri, ſuſtineri, aut ad praxim deduci, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ prohibuit. Innocentii XII. Conſtitutionem confirmavit mox per litteras (1) in forma Brevis Innocentius XIII., quibus etiam declaravit, Sacerdotes ſive Sæculares, ſive Regulares, qui ab Epiſcopis obtinuerint licentiam audiendi Confeſſiones limitatam vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus perſonarum, non poſſe Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrare extra tempus, vel locum, vel perſonarum genus ab ipſis Epiſcopis præſcriptum, quocumque privilegio, etiam in vi Bullæ Cruciatæ, nullatenus ſuffragante. Sacerdotibus autem tam Sæcularibus, quam Regularibus ad Confeſſiones excipiendas vel ex vi Bullæ Cruciatæ, vel ex quocumque alio privilegio electis, minime ſuffragari, quod approbati alias fuerint ab Epiſcopo, qui loci, in quo Confeſſiones audiendæ ſunt, Ordinarius aliquando fuerit, ſed non amplius ſit, vel quia obierit, aut Epiſcopatui renunciaverit, vel quia ad aliam Eccleſiam auctoritate Apoſtolica fuerit translatus; ſed neceſſariam omnino eſſe illius approbationem, qui actu ordinariam in ea Diœceſi exerceat juriſdictionem: eam tamen ſufficere etiam tacitam, ac tamdiu durare, quamdiu præcedens approbatio expreſſe revocata non fuerit; in quo caſu nova ex integro impetranda erit, non ſecus ac quando prior approbatio, tempore præfinito elapſo, expiraverit. Innocentii XIII. litteras Benedictus XIII. (2) aliis Apoſtolicis ſuis litteris approbavit, confirmavit, atque innovavit. Verum cum novæ hac ſuper re excitari poſſent controverſiæ, Benedictus XIV., ut omnem in poſte-

(1) Innocentius XIII. ſuo Brevi. *Apoſtolici Miniſterii*. 13. Maii 1723.

(2) Benedictus XIII. Conſtit. *In ſupremo Militantis Eccleſiæ ſolio*. 23. Septembris 1724.

poſterum dubitandi occaſionem adimeret, Conſtitutionem (1) edidit, qua ſtatuit, ac declarat, idem omnino jus, quod vigore prædictorum Decretorum circa intelligentiam, & uſum Indulti Bullæ Cruciatæ obtinet, etiam quoad reliqua ejuſdem generis Indulta pariformiter valere, atque obtinere debere; & reprobationem dictarum opinionum, quatenus reſpiciunt intelligentiam, & uſum Indulti Bullæ Cruciatæ, a præfatis Pontificibus proſcriptarum, locum ſimiliter habere, quatenus eaſdem opiniones, & ſententias in medium proferri contingeret circa ſimilia etiam Indulta, ſive univerſis per Eccleſiam Chriſtifidelibus, ſive alicui regioni, aut loco, Univerſitati, aut cœtui particulari Sodalium, ſeu Confratrum, quomodocumque, & ubicumque conceſſa, vel concedenda. Deinde ita ſubdit: *Inſuper decernimus, & declaramus, id, quod generaliter de indultis præmiſſis ſentiendum jam diximus, generaliter quoque intelligendum eſſe de omnibus, & ſingulis perſonis, quæ ſub eorumdem Indultorum conceſſione comprehenſæ reperiuntur, vel quas in poſterum comprehendi contingat, quæque ſupradictis indultis uti voluerint: ita videlicet, ut ſi in aliquo Indulto tam ſæcularibus, quam Regularibus tribuatur facultas eligendi Confeſſarium ab Ordinario loci approbatum; tunc Confeſſarius vigore talis conceſſionis, ſive a ſæculari, ſive a Regulari Pœnitente ad audiendas eorum reſpective Confeſſiones electus, nullatenus ejuſmodi Confeſſiones audire valeat, niſi ab Epiſcopo Diœceſano, & Ordinario loci, ubi Confeſſio excipienda eſt, ad Confeſſiones approbatus, & deputatus exiſtat, quacumque alia approbatione tam illius generis, quam uterque Innocentius Prædeceſſores prædicti declararunt non ſuffragari, quam ea, ſi de Regularibus agatur, quæ a ſolo proprio Regulari Prælato obtenta foret, minime ſuffragante. Æquum eſt enim, & rationi conſentaneum, ut quicumque ſpeciali Indulti beneficio gaudere, eoque uti voluerit, is conditiones in eodem Indulto præſcriptas omnino ſervet; neque licitum eſt cuiquam, conditionem illam approbationis Confeſſarii per loci Ordinarium faciendæ alio modo intel-*

(1) **Benedictus XIV. Conſt.** ***Apoſtolica Indulta*****. nonis Auguſti 1744.**

intelligere, quam eo, quo ipſam intelligendam eſſe toties Prædeceſſores Noſtri Romani Pontifices, ut præmiſſum eſt, decreverunt: Quorum Nos quoque veſtigiis inhærentes, præfatam conditionem in eodem plane ſenſu, quem illi tradiderunt, ab omnibus, & ſingulis hujuſmodi Indulto ſub ea conditione conceſſo utentibus accipiendam, & ſervandam eſſe ſtatuimus, atque mandamus, quicumque illi fuerint, qui in vi ejuſmodi Indulti Confeſſarium ſibi eligent, ſive ſæculares, ſive Regulares cujuslibet Ordinis, & Inſtituti, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, & Ordinum Militarium, etiam Militiæ Hoſpitalis Sancti Joannis Hieroſolymitani, nec non Societatis Jeſu, atque alterius cujuſvis Congregationis, vel Societatis, tametſi de illis, aut illorum, vel illarum aliquo, ſeu aliqua, ſpecialis, & expreſſa mentio quomodocumque facienda foret. Ideoque Confeſſiones, & abſolutiones in præmiſſis caſibus aliter in poſterum factas, & reſpective auditas, ſeu impertitas, irritas fore, & invalidas declaramus, & contrariam quamcumque opinionem, ejuſque praxim deinceps prohibemus, ac reprobamus, tamquam explanatæ toties ab Apoſtolica Sede verborum intelligentiæ, ac menti noſtræ, quam ad omnem hac ſuper re ambiguitatem tollendam per præſentes clarius expoſuimus, penitus adverſantem.

VIII. Requiritur tandem in Sacramenti hujus Miniſtro intentio ſive actualis, ſive virtualis conficiendi Sacramentum, & abſolvendi a peccatis, ſeu faciendi id, quod facit Eccleſia; quod quidem commune eſt omnibus Sacramentis, uti ſuperius diximus cap. 6., de Sacramentis in genere verba facientes. Propterea ſic Fideles monet Concilium Tridentinum (1): *Non debet pœnitens adeo ſibi de ſua ipſius fide blandiri, ut, etiamſi nulla illi adſit contritio, aut Sacerdoti animus ſerio agendi, & vere abſolvendi deſit; putet tamen ſe, propter ſuam ſolam fidem, vere, & coram Deo eſſe abſolutum: nec enim fides ſine pœnitentia remiſſionem ullam peccatorum præſtaret; nec is eſſet, niſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem joco ſe abſolventem cognoſceret, & non alium ſerio agentem ſedulo requireret.* Leo autem X. duodecimum hunc Lutheri articulum

(1) Trid. ſeſſ. 14. cap. 6.

ticulum proſcripſit, ac damnavit. *Si confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſerio, ſed joco abſolveret, ſi tamen credat ſe abſolutum, veriſſime eſt abſolutus.*

ARTICULUS VIII.

De triplici, quo Confeſſarius fungitur, munere, dum Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrat.

DUM Confeſſarius Pœnitentiæ Sacramentum Fidelibus adminiſtrat, triplici officio fungi, ac triplicem induere perſonam debet, Medici (1) videlicet, Doctoris, ac Judicis. Ad hæc autem munia rite, ſanctèque obeunda, tria potiſſimum in miniſtrante requiruntur, prudentia, ſcientia, & probitas. Et primum quidem Medicum agit, quiſquis Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrat, adeoque multa indiget prudentia, ac ſedulitate, cum nedum criminum circumſtantias, ſed illius etiam, qui in crimina lapſus eſt, indolem, atque ingenium inſpicere ſedulo debeat, ut opportunis illum remediis juvet, ex quibus animæ ſalutem conſequatur. *Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus*, inquit Innocentius III. (2) in Generali Concilio Lateranenſi, *ut more periti Medici ſimiliter infundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias, & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi debeat conſilium præbere, & ejuſmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum.* Quis itaque non videat, ſuſcepti muneris partes non implere, imo vero gravioris reos eſſe criminis eos omnes, qui cum in Sacro Pœnitentiæ Tribunali reſident, nulla tacti ſollicitudine, pœnitentes dumtaxat audiunt, non monent, non interrogant, ſed expleta criminum enumeratione, abſolutionis formam illico proferunt? *Si pœnitens numerum, & ſpecies, & circumſtantias peccatorum non expreſſerit, eum Sacerdos prudenter interroget.*

(1) Benedictus XIV. Conſtit. *Apoſtolica*. §.19. edita 26. Junii 1749.

(2) Cap. *Omnis utriuſque ſexus*. de pœnit., & remiſſ.

roget. Ita in Rituali Romano (1) ſtatuitur, quod evulgavit Paulus V., & Apoſtolica ſua Conſtitutione roboravit.

II. Et ſane quemadmodum prudens, artiſque ſuæ peritus Medicus, ſi, cum ægrotum inviſit, morbum, quo laborat, ab eo ſibi non ſatis explicari videat, continuo totam ægritudinis ſeriem caute diſquirit, & quæ morbi adventum præceſſerint indicia, quæ comitata fuerint ſymptomata, quæ tandem incommoda ſubſecuta ſint, ſedulo, ac patienter explorat, ægrique corporis habitum, atque affectiones contemplatur diligentiſſime, ut congrua ægritudini, atque ægroto medicamenta præſcribat; ita Confeſſarius, ſi probe norit, pœnitentem aliquibus peccatis gravari, quæ nondum aperuit, ſive ex oblivione, quod imos conſcientiæ receſſus non ſatis exploraverit, ſive ex craſſiore ignorantia, quæ tamen culpa non vacat, cum ſibi licere putet, quod re ipſa nefas eſt, caute, ac prudenter debet, ne alioqui neceſſaria integritate Confeſſio fraudetur, in pœnitentis memoriam ea, quæ omiſit, revocare, illumque monere, & corrigere, ut rite comparatus Sacramenti Pœnitentiæ fructum percipiat. Qua tamen in re ſumma utendum eſt prudentia, præſertim cum puerorum, ac puellarum Confeſſiones excipiuntur, ne videlicet ex incautis quibuſdam interrogationibus eam, quam nondum didicere, malitiam addiſcant, &, quæ nondum perpetrarunt, admittendi peccata occaſionem aucupentur. Caute quoque, ſummaque cum modeſtia, ac verecundia procedendum eſt, ſi de criminibus contra ſextum Decalogi præceptum perpetratis pœnitentes, ac potiſſimum mulieres, interrogari oporteat. Sacramenti enim Sanctitas, atque æterna Pœnitentis, ipſiuſque Confeſſarii ſalus poſtulant, ut nonniſi de iis, quæ neceſſario exprimenda ſunt, & nonniſi paucioribus, & caſtigatioribus verbis interrogentur. Quamobrem in hoc peccatorum genere Sacramenti hujus Miniſter non alias circumſtantias, quam quæ peccati naturam variant, aut ipſe curioſius exquirat, aut effari, præſer-

Kkkk tim

(1) Rituale Romanum tit. de Sacramento Pœnitentiæ.

Digitized by Google

tim Mulieres, patiatur. *De peccatis carnalibus*, ut optime monet Angelicus Doctor (1), *non deſcendat nimis ad particulares circumſtantias, quia hujuſmodi delectabilia, quanto magis in ſpeciali conſiderantur, tanto magis concupiſcentiam nata ſunt movere*. Quod quidem monitum eſt etiam apprime neceſſarium, cum ejus hominis auditur Confeſſio, qui ſordido impudicitiæ limo jamdiu alte infixus, pravis cupiditatibus, ac moroſis delectationibus aſſentiri faciliime conſuevit. Verendum enim quam maxime eſt, ne ſi diutius, ac ſubtilius in peccatorum ſuorum circumſtantiis recenſendis immoretur, concupiſcentiæ exardeſcat ignis, & dum admiſſi peccata expiare contendit, novo per imprudentiam crimine commaculetur. Caveant tandem Confeſſarii, ne dum a Pœnitente peccati, quod confitetur, circumſtantias exquirunt, eumdem ſuaſionibus inducant, aut quod longe deteſtabilius foret, per ſacramentalis abſolutionis denegationem adigant, atque compellant ad nomen complicis, cum quo peccatum illud perpetravit, manifeſtandum. Hanc enim praxim exquirendi nomen complicis, & pœnitentem adigendi ad illud revelandum tribus ſuis eodem anno editis Conſtitutionibus (2) Benedictus XIV. reprobavit, atque damnavit, *tamquam ſcandaloſam, & pernicioſam, ac tam famæ proximorum, quam ipſi etiam Sacramento injurioſam, tendentemque ad Sacroſancti ſigilli violationem, atque ab ejuſdem Sacramenti Pœnitentiæ tantopere proficuo, ac neceſſario uſu Fideles abalienantem*. Unam ex antedictis Conſtitutionibus in Appendice damus num. 11., quam ab omnibus, & ſingulis in Noſtra Diœceſi ad audiendas Fidelium Confeſſiones a Nobis approbatis, & in poſterum approbandis diligenter legi jubemus.

III. Præterea Sacramenti Pœnitentiæ Miniſter, prudentis inſtar Medici, explorare ſolerter debet, quænam origo, & occaſio fuerit eorum criminum, quæ a ſe admiſſa fuiſſe fatetur pœnitens?

(1) S. Th. in 4. Sent. diſt. 19.

(2) Benedictus XIV. Conſt. *Suprema*. 7. Junii 1746., Conſt. *Ubi primum*. 4. nonas Junii 1746., & Conſt. *Ad eradicandum*. 4. Calendas Octobris 1746.

Digitized by Google

nitens? utrum is ex humana fragilitate, vehementique tentatione peccaverit, an ex pravo, quem forte contraxerit, habitu? num in aliqua proxima peccandi occaſione verſetur? Num ab effræni aliqua cupiditate ferri ſe patiatur in præceps? Illud quoque ſcrutetur, neceſſe eſt, quænam ſit pœnitentis conditio, quænam corporis vires, quænam animi indoles, ac propenſio? Non enim curandis animi morbis apta præſcribere poteſt medicamenta, niſi & morbi cauſam, & ægroti vires, atque indolem probe noverit, cum non eadem morbis omnibus, omnibuſque ægrotis adhibenda ſint remedia. Ipſe vero, ſi Medici partes, ut par eſt, implere, atque animi morbis commode, ac prudenter mederi velit, ita ſingulis apta, & ſalubria remedia debet adhibere, ut non ſolum in præſentia omnis, qua æger premitur, morbi vis depellatur, ſed etiam in poſterum ejus valetudo firmior, munitiorque reddatur.

IV. Alterum, quo Confeſſarius fungitur, officium eſt Doctoris munus, quod fieri nullo modo poteſt, ut ſine ſcientia digne, ſancteque expleatur. Duæ vero ſunt ſcientiæ ſpecies, quarum una *ſcientia eminens*, alia vero *mediocris* nuncupatur. *Scientiam autem reputamus eminentem*, inquit Innocentius IV. (1), *quæ ſubtiles quæſtiones diſcutere, & definire novit, & in promptu reſponſiones habet. Ille vero habet mediocrem, qui ſcit aliquo modo examinare negotia, quamvis ad omnia neſciat reſpondere, & qui in libris veritatem eorum, quæ ſcire tenetur, ſcit quærere, & ſic in promptu omnia non habet.* Optandum ſane (2) eſſet, ut quilibet Confeſſarius eminenti polleret ſcientia: verum cum hæc dos paucorum ſit, neceſſe omnino eſt, ut mediocri ſaltem ſcientia ſit inſtructus. Nec meliora ſperare licet, cum moralis Theologia tot, tantaſque quæſtiones, quæ a Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum Conſtitutionum notitia pendent, complectatur, ut ardua plane

Kkkk 2 res

(1) Innocentius III. in Commentariis ad cap. *Cum in cunctis*. de electione, & electi poteſt. num. 2.

(2) Benedictus XIV. in cit. Conſtit. *Apoſtolica*. §. 21.

res ſit, poſſe aliquem omnia ſimul bene noſſe, atque illico nodos quoſcumque diſſolvere, ut ii ſolent, qui eminenti ſcientia præfulgent. Quamobrem ſi forte contingat, (ſolet autem non raro contingere) Confeſſionis Miniſtrum aliquid a pœnitentibus audire, quod peculiari examine dignum ſit, caveat, ne divinando reſpondeat, ſed, opportuno tempore, ac conſilio primum adhibitis, rem expediat. Cum igitur aut difficilior, aut nova quædam facti ſpecies ad Confeſſarium defertur; is in re dubia propriæ opinioni non innitatur, ſed antequam cauſam dirimat, plures conſulat libros, & eos cum primis, quorum doctrina ſolidior; ac deinde in eam deſcendat ſententiam, quam ratio ſuadet, ac firmat auctoritas. Id faciendum præſcripſit Benedictus XIV. in ſua Epiſtola Encyclica (1) ſuper uſuris, ubi ait: *Suis privatis opinionibus ne nimis adhæreant, ſed priuſquam reſponſum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur: deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent*. Quæ verba cum in alia (2) ſua Conſtitutione idem Pontifex retuliſſet, ſic immediate ſubdit: *Id ipſum modo repetimus: Noſtra quippe ſententia non ſolis rei uſurariæ limitibus circumſcribitur, ſed ea omnia complectitur, quæ ſive ad forum ſacramentale, ſive ad rectum conſcientiarum regimen quoquo modo conferre poſſunt*.

V. Ad hanc autem mediocrem ſcientiam, qua inſtructum omnino eſſe Confeſſarium neceſſe eſt, ne ſibi, aliiſque graviſſimum inferat detrimentum, ſcire pertinet ea omnia, quæ ad rectum in Pœnitentiæ Tribunali ferendum judicium requiruntur. *Oportet enim*, uti loquitur S. Auguſtinus (3), *ut ſciat cognoſcere, quidquid debet judicare. Judiciaria enim poteſtas hoc expoſtulat, ut, quod debet judicare, diſcernat*. Quamobrem ſcire debet, quænam ſint peccata ex genere ſuo lethalia, quæ venialia; quænam circum-

(1) Benedictus XIV. in epiſt. Encyclica 143. §.8. tom.1. ſui Bullarii (2) Benedictus XIV. in cit. Conſtit. *Apoſtolica*. §. 21. (3) Can. i. §. *Caveat*. diſt. 6. de pœnitentia.

circumſtantiæ ſpeciem peccatorum mutent; quænam ſint communes regulæ, quibus excuſari quis poteſt a præcepto, vel a peccato lethali; quænam ſint cenſuræ, & caſus reſervati, a quibus abſolvendis debet abſtinere, ne facultatis ſuæ limites prætergrediatur, quandonam, & quinam ad famæ, vel ad bonorum reſtitutionem obligentur, aliaque hujuſmodi plura, ſine quorum ſcientia Sacramentum Pœnitentiæ digne, ac rite miniſtrari nequit. Paucis: ea Confeſſarius ut Doctor eſſe debet inſtructus ſcientia, quæ requiritur, ut in iis, in quibus pœnitentes vel Chriſtiani hominis officio, vel muneri deſunt ſuo, eos arguere, monere, atque erudire ſatis valeat.

VI. Judicis tandem partes in adminiſtrando pœnitentiæ Sacramento explere Confeſſarius debet, ad quas ſane, prout decet, explendas, præter prudentiam, ac ſcientiam, eximia probitas requiritur. Et primum quidem, cum hoc Sacramentum adminiſtrat, oportet (1) eum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem. Quamquam enim certum ſit, uti Tridentina (2) Synodus docet, etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam, tamquam Chriſti Miniſtros, functionem remittendi peccata exercere, eoſque prave ſentire, qui in malis Sacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt; Certum tamen quoque eſt, Sacerdotes impure, & indigne hoc Sacramentum miniſtrantes, in æternæ mortis reatum incurrere, ac dum alios abſolvunt, graviſſimi ſacrilegii crimine ſeſe turpiter alligare. Sacerdos ergo (3), ſi fuerit peccati mortalis ſibi conſcius, [quod abſit] ad hujus Sacramenti adminiſtrationem non audeat accedere, niſi prius corde pœniteat; & ſi Confeſſarii habeat copiam, & temporis, locique ratio ferat, Sacramentali abſolutione conſcientiæ ſuæ ſordes emundet.

VII. Debet deinde probum ſe, ac fidelem Myſteriorum Dei diſpenſatorem ſine acceptione perſonarum exhibere. Quare paupe-

(1) Ad Titum cap. 1.
(2) Trid. ſeſſ. 14. cap. 6.
(3) Rituale Romanum de Sacramento Pœnitentiæ.

Digitized by Google

pauperes æque, ac divites, plebejos, ac nobiles, imperitos, ac doctos perhumaniter excipiat, patienter audiat, &, ſi opus ſit, moneat, inſtruat, corripiat, arguat in omni patientia, ac doctrina. Sacramentalem vero abſolutionem, prout variæ rerum circumſtantiæ, variaque pœnitentium diſpoſitio poſtulant, vel differat, vel deneget, vel largiatur. At ſive eam (1) deneget, ſive differat, miti ingenio, ſuavique ſermone pœnitentibus cauſas ſive denegatæ, ſive dilatæ abſolutionis aperiat, ac ita expedire oſtendat, ut animæ ſaluti bene conſulatur. Hinc illos, ut quantocyus revertantur, invitet, atque animos addat, ut ante reditum ea omnia, quæ illis agenda præſcripſit, rite perficiant; ex quo fiet, ut ad Sacramentale Forum regreſſi, abſolutionis beneficio donentur. Si vero abſolutionem concedat, iis potiſſimum, qui aut raro, aut non ſine multis criminibus ad Pœnitentiæ Sacramentum ſolent accedere; eos gravioribus verbis ante abſolutionem ad pœnitentiam hortari non deſinat; vitam, quam ſub peccati jugo duxere miſerrimam, illis aperiat; admiſſorum criminum gravitatem, ac turpitudinem explicet, ut nimirum ex corde doleant, ac ſe in poſterum a peccatis receſſuros ſerio proponant. Ratum quippe eſt, ſolida, & gravia Confeſſariorum hortamenta in pœnitentiæ foro prolata, longe efficaciora eſſe Sacris Oratorum concionibus, ut pœnitentis animum a vitiis avocent. Solent enim Concionum Auditores, quas aure excipiunt, increpationes in alios potius, qnam in ſeipſos transferre. Id vero fieri nequit in privatis Confeſſariorum monitionibus, quæ in unum pœnitentem cadunt, ac in illius faciem vibrantur, quin is aut crimina inficiari poſſit, aut excuſare. Neque vero ab his ſubeundis curis, laboribuſque propter frequentiorem pœnitentium numerum Confeſſarii ſe excuſatos arbitrentur. Audiant enim auream illam S. Franciſci Xaverii ſententiam, quam in ejus vita Turſellinus (2) refert. *Confitentibus porro, non feſtina-*

(1) Benedictus XIV. cit. Conſt. *Apoſtolica*. §. 22.

(2) Turſellinus in Vita S. Franciſci Xaverii lib. 6. cap. 17.

feſtinatam, *ſed diligentem navandam operam cenſebat*, *monens*, *ut præoptarent Confeſſiones paucas rite factas audire*, *quam multas temere properatas*. Tandem Confeſſarius, humana qualibet deſpecta ratione, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones, non modo ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem injungat. Caveat autem, ne a reſervatis caſibus, aut cenſuris quemquam abſolvat, niſi expreſſam ad id delegatam a Superiore acceperit facultatem. Caveat præterea, ne de his, quæ in Sacramentali Confeſſione audivit, ſine expreſſo, liberoque pœnitentis conſenſu cum aliis, imo ne cum ipſo quidem pœnitente, extra Confeſſionem colloquatur. Verum de his ſeorſim pauca dicemus inferius. Interea Parochos omnes, & Confeſſarios rogamus, atque hortamur in Domino, ut ſecum ipſi perpendant, ſibique dictum putent id, quod Judicibus in Moſaica Lege a Deo conſtitutis dictum fuit (1): *Videte*, *quid faciatis*: *non enim hominis exercetis judicium*, *ſed Domini*.

ARTICULUS IX.

De Peccatis, *&* *Cenſuris reſervatis*.

POſſe Summos Eccleſiarum Antiſtites, multoque magis omnium Supremum Romanum Pontificem, inferiorum Sacerdotum juriſdictionem ita coarctare, ut a quibuſdam gravioribus culpis, quas ſibi, ſuoque judicio relaxandas reſervant, ne in foro quidem conſcientiæ, & coram Deo illi abſolvere valeant, diſertis verbis adverſum Lutherum, ejuſque aſſeclas Tridentina Synodus definivit, ubi inquit (2): *Magnopere ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt*, *ut atrociora quædam*, *&* *graviora crimina non a quibuſvis*, *ſed a Summis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur*: *unde merito Pontifices Na-*

(1) 2. Paralip. cap. 19.

(2) Trid. ſeſſ.14. cap.7., & ead. ſeſſ. can. 11.

Maximi, pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt [quando omnia, quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt] quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura adnexa eſt. Hanc autem delictorum reſervationem conſonum eſt divinæ auctoritati non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere. Ex his Tridentini Concilii verbis edocemur. 1. ad Chriſtiani Populi diſciplinam magnopere pertinere, adeoque laudabilem, maximeque utilem eſse atrociorum quorumdam, graviorumque criminum reſervationem, quæ tamen in ædificationem, & non in deſtructionem fiat. 2. reſervationem ejuſmodi fieri poſse vel a Romano Pontifice, vel ab Epiſcopis, ita tamen, ut ſi a Romano Pontifice fiat, in univerſa Chriſtiana Republica, ſi vero ab Epiſcopis, in ſingulis duntaxat cujuſque Diœceſibus vim habeat obligandi. Quamquam autem Tridentina Synodus poteſtatem reſervandi peccata Summo tantum Pontifici, & Epiſcopis nominatim adſtruxerit; nomine tamen Epiſcopi, inferiores etiam Prælatos habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem cum Territorio ſeparato comprehendi declaravit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii interpres, reſcribens (1), *Prælatos Sæculares Epiſcopis inferiores, qui habent jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in loco, & nulli Diœceſano nec ipſi, nec eorum ſubditi ſubſunt, habere facultatem reſervandi ſibi caſus*. 3. dupliciter hujuſmodi reſervationem ſtatui poſſe, videlicet vel per hoc, quod immediate criminum certorum, quibus nulla Eccleſiaſtica adnexa eſt cenſura, reſervetur abſolutio, vel per hoc, quod certis quibuſdam peccatis excommunicatio ipſo facto incurrenda adnectatur, ejuſque abſolutio reſervetur.

II. Cri-

(1) Sac. Cong. Conc. in Salernitana ann. 1585. lib. 4. decret. pag. 36., & in Marſicana ann. 1587. lib. 4. decr. pag. 250.

II. Criminum reſervatio alia eſt pœnalis, alia medicinalis, & alia mixta. Prior ad crimen puniendum; altera, ad præſervandum a crimine; poſtrema ad utrumque obtinendum adhibetur. Mixtæ autem videntur eſſe reſervationes omnes ſive Pontificiæ, ſive Epiſcopales; nam eæ in vindictam quidem, ſed potiſſimum ad præſervationem fieri ſolent, ut videlicet impii, nefariique homines, qui, licet Sacerdotum monitis ad pœnitentiam excitentur, reſipiſcere tamen nolunt, ex veniæ ſaltem impetrandæ difficultate minus proclives ad malum fiant, & conſtantes in morum ſuorum emendatione perſeverent, quam in Sacramentali Confeſſione pollicentur. Jam vero cum juxta Tridentinum *atrociora* quædam, & *graviora* crimina reſervari dumtaxat ſoleant, eorumque reſervatio in *ædificationem*, & non in *deſtructionem* facienda ſit; Hinc eſt, ut Doctores unanimiter arbitrentur, quatuor haſce omnino conditiones requiri, ut peccatum aliquod eſſe cenſeatur reſervatum, niſi de diverſa reſervantis voluntate aliunde conſtet. 1. videlicet, ut ſit peccatum mortale: ſecus enim inutilis eſſet reſervatio, cum ad Sacramentalem (1) peccatorum venialium Confeſſionem nemo obligetur. 2. ut ſit externum: quamquam enim peccata gravia mere interna reſervari poſſint; in praxi tamen (2) receptum non eſt, ut umquam reſerventur, cum neque Epiſcopi, neque Romani Pontifices actus mere internos ſuis reſervationibus complecti umquam conſueverint. Et ſane quamquam graviſſimum ſit crimen hæreſis, & cum in externum prodit actum, ex quo *hæreſis externata* nuncupatur, Summo Pontifici reſervetur; quamdiu tamen in ſolo ſiſtit animo, nulli ſubjicitur reſervationi. 3. ut ſit in genere ſuo conſummatum eo modo, quo in decreto reſervationis exprimitur. Quod eſſe debeat conſummatum in genere ſuo, conſtat: verba enim Legis accipienda (3) ſunt cum effectu,

LlII quan-

(1) Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.

(2) Benedictus XIV. de Synodo lib. 5. cap. 4. num. 5.

(3) Cap. *Relatum*. de Cleric. non reſid., & L. *Hoc edictum*. §. *Autem*. ff. quod quiſque Juris.

quando generalia eadem ſunt, nullaque adhibita limitatione uſurpantur; præſertim ſi odioſa ſit lex, cujuſmodi reſervationis lex eſſe cenſetur, cum Epiſcopis, Parochis, aliiſque eam poteſtatem adimat, quam alias de jure communi haberent: quamobrem ejuſmodi legis verba de ſolis perfectis (1) actibus intelligi, non vero extendi ad imperfectos oportet. Quod autem eſſe debeat conſummatum eo modo, quo in decreto reſervationis exprimitur, certum eſt, quia ad Legis intelligentiam verba ejuſdem Legis ſunt attendenda, per quæ voluntas Legislatoris innoteſcit. Sic ex. gr. ſi ab Epiſcopo *procuratio abortus reſervetur, etiam effectu non ſecuto*, reus eſt peccati reſervati, qui media ad abortum procurandum adhibet, etiamſi abortus non ſequatur: licet enim hæc abortus attentatio completa non ſit in ratione abortus, completa tamen eſt in ratione abortus attentati. 4. demum ut ſit certum: peccatum enim dubium non eſt peccatum *ſimpliciter*, ſed *cum addito dubium*. Cum ergo reſervari dumtaxat ſoleat peccatum ſimpliciter, ac ſtricte tale; jam peccatum dubium intelligi non debet reſervatum, niſi oppoſitum in reſervatione exprimatur, præſertim cum non minus pœnitentibus, quam Confeſſariis odioſa ſit reſervatio, adeoque nonniſi de peccatis certis, atque indubiis ſit intelligenda.

III. Cum autem reſervatio nihil ſit aliud, niſi ſublatio Juriſdictionis neceſſariæ ad abſolvendum a certis quibuſdam criminibus; ſciendum eſt dupliciter auferri eam poſſe, directe videlicet, & indirecte. Directe quidem aufertur, cum Epiſcopus ordinariam limitat ex. gr. Parochi juriſdictionem ſibi ſubjectam, ac ſubordinatam, eamque illi aufert quoad certa quædam peccata, a quibus proinde abſolvere nequeat in poſterum: Indirecte vero, quando Epiſcopus Sacerdotem aliquem ſive Sæcularem, ſive Regularem in ſua Diœceſi ad audiendas Fidelium confeſſiones approbans, ſubditos ſuos eidem ſubjicit, & in illos juriſdictionem in foro Pœnitentiæ confert, non tamen quoad omnia pecca-

(1) Cap. *Odia*. de regulis Juris in 6.

peccata, ſed ſolum quoad aliqua: nam illam eidem non confert quoad ea peccata, quorum abſolutionem ſibi reſervat, & a quibus proinde propter juriſdictionis, quam non accepit, defectum abſolvere Confeſſarius nequit. Cum autem propter bonum commune Epiſcopus Confeſſario juriſdictionem vel habenti adimat, vel non habenti non conferat, quoad ea peccata, quæ ſibi reſervat, nulla habita ratione, utrum pœnitens ſciat, an ignoret, ea peccata, quæ patrat, eſſe Epiſcopo reſervata; Inde maniſeſte colligitur, etiam illos, qui peccatis ſuis adnexam eſſe reſervationem ignorant, abſolvi ab iiſdem non poſſe, & a reſervatione per ignorantiam non excuſari.

IV. Multorum mentes hæc olim invaſerat opinio, liberum cuique eſſe, ex propria Diœceſi, in qua peccatum reſervatum perpetrarat, ad aliam, in qua reſervatum illud non eſſet, eum in finem commeare, ut inibi a ſimplici Confeſſario abſolveretur. Verum Sacra Congregatio Concilii probe intelligens, factas ab Epiſcopo reſervationes per hanc opinionem penitus eludi, fierique inutiles, declaravit (1), *Abſolutionem pœnitentibus indultam, qui fraudulenter, & ſub eo fine in aliam Diœceſim ſe tranſtulerunt, non ſuſtineri*. Quam quidem declarationem mox Clemens X. peculiari ſua Conſtitutione (2) confirmavit, decernens, *poſſe Regularem Confeſſorem in ea Diœceſi, in qua eſt approbatus, confluentes ex alia Diœceſi a peccatis in ipſa reſervatis, non autem in illa, ubi idem Confeſſor eſt approbatus, abſolvere, niſi eoſdem pœnitentes noverit in fraudem reſervationis ad alienam Diœceſim pro abſolutione obtinenda migraſſe*. Ex quibus Clementinæ Conſtitutionis verbis illud etiam intelligimus, non poſſe peregrinum abſolvi ab iis peccatis, quæ licet in ſua Diœceſi, e qua venit, reſervata non ſint; in ea tamen, in qua ille Sacramentaliter confitetur, Epiſcopo ſunt reſervata: Clemens enim aperte ſtatuit, *Confeſſorem poſſe confluen-*

(1) Sac. Congreg. Concil. in Compſana 16. Septembris 1649. lib. 18. decretor. pag. 677.

(2) Clemens X. Conſt. *Superna Magni Patris familias*. ann. 1670. tom. 6. Bullarii pag. 305.

tes ex alia Diœceſi a peccatis in ipſa reſervatis, *non autem in illa*, *ubi idem Confeſſor eſt approbatus*, *abſolvere*. Et ratio quidem huic decreto apertiſſime ſuffragatur: ubicumque enim peccatum admiſſum fuerit, in ea certe Diœceſi, in qua illud eſt reſervatum, abſolvi a Confeſſariis nequit; iis enim quoad ejuſmodi peccata vel numquam conceſſa, vel adempta eſt juriſdictio, abſolvendique facultas.

V. Verum ne hac ipſa reſervationis criminum occaſione aliquis pereat, pie admodum in Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit [ut inquit Tridentina (1) Synodus] ut nulla ſit reſervatio in mortis articulo: quare omnes Sacerdotes tunc quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt. Extra mortis vero articulum Sacerdotes, cum nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitentur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio abſolutionis accedant. Cum autem nulla ſit in mortis articulo, ut diximus, peccatorum reſervatio, inde fit, ut, qui tunc a reſervatis criminibus abſolvitur etiam per Sacerdotem non habentem juriſdictionem quoad reſervata, non modo valide, ac licite abſolvatur, verum etiam ſiſtere ſe Superiori, etiamſi convaleſcat, non teneatur: ubi enim nulla eſt reſervatio, nullum quoque reſervationi adnexum onus ſubeundum eſt. Quod quidem procedit, ſi nulla ſit peccato cenſura excommunicationis adnexa: nam ſi adnexa ſit cenſura, ſiſtere ſe Superiori debebit ægrotus, ubi convaluerit, non quidem ut a reſervatis criminibus abſolvatur, ſed ut debitam præſtet Eccleſiæ obedientiam, ſeſeque remediis, ac pœnitentiis a Superiore præſcribendis ſubjiciat: ſecus enim grave inobedientiæ (2) crimen admittit, & in cenſuram relabitur, qua prius innodabatur. Per mortis vero articulum non intelligitur dumtaxat ultimum vitæ inſtans, ſed quodlibet etiam probabile mortis periculum, in quo videlicet conſtituti homines frequenter, & facile contingit, ut moriantur.

VI. Ex-

(1) Trid. ſeſſ.14. cap.7. (2) Cap. *Eos qui*. de Senten. excommunicat. in 6.

VI. Extra mortis articulum Confeſſarii perſuadere pœnitentibus nitantur, ut ad Superiores, ac Legitimos Judices, qui ſive ordinariam, ſive delegatam abſolvendi a criminibus reſervatis poteſtatem habent, pro beneficio abſolutionis accedant. Ordinariam autem poteſtatem habent ipſe reſervans, ejus in Officio Succeſſor, & utriuſque in ſpirituali juriſdictione Superior: unde fit, ut Summus Pontifex ab omnibus caſibus tum Pontificiis, tum Epiſcopalibus abſolvere poſſit; Epiſcopi vero ab iis omnibus, quos vel ipſi, vel eorum Anteceſſores ſibi reſervarunt. Delegatam vero poteſtatem ii habent, quibus ea ſpecialiter conceſſa eſt ab aliquo ordinariam habente cum reſervandi, tum a reſervatis abſolvendi poteſtatem. Verum quoad hanc delegatam poteſtatem multæ ſunt excitatæ controverſiæ, quas dirimi oportuit per Romanorum Pontificum, vel Sacrarum Urbis Congregationum decreta. Canonicus Pœnitentiarius in Cathedralibus Eccleſiis contendebat, ſola ſui muneris aſſecutione facultatem ſe adipiſci abſolvendi a peccatis Epiſcopo reſervatis. At Sacra Congregatio Concilii ejuſmodi facultatem (1) ſine ſpeciali Epiſcopi conceſſione eidem non competere declaravit.

VII. Quamquam adverſus quoſdam Regulares ex Ordine Mendicantium Benedictus XI. (2), & Clemens V. (3) declaraſſent, non licere iiſdem quempiam abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis; cum tamen iidem, aliique Regulares contenderent, eam abſolvendi facultatem ſibi conceſſam eſſe per privilegia, quorum confirmationem poſt Concilium Tridentinum impetraverant, ac præſertim per Bullam, quam *Mare magnum* vocant; S.Carolus Borromæus a Sacra Congregatione Concilii petiit, *an Regulares ex privilegiis a Sede Apoſtolica impetratis, præſertim autem ex eo, quod vocant Mare magnum, poſſint in iis caſibus, quos ſibi Epiſcopus reſervavit, abſolvere confitentes?* Sacra autem Congregatio

(1) Sac. Cong. Concil. in Dertbonen. 6. Julii 1647. lib.15. decretorum pag.621., Benedictus XIV. de Synod. lib. 5. cap.5. num. 8.

(2) Benedictus XI. cap. 1. de Privileg. inter Extrav. comm.

(3) Clemen. *Dudum*. de Sepulturis, & Clem. *Religioſi*. de privilegiis.

Digitized by Google

gatio (1), approbante Gregorio XIII., reſp ondit, *ex facultatibus per hoc Mare magnum*, *aliave privilegia Regularibus conceſſa*, *factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus ſibi ab Epiſcopo reſervatis*. Mox Sacra Congregatio Epiſcoporum (2), & Regularium decretum edidit Clementis VIII. auctoritate roboratum, quo ſtatuit, nullam Regularibus facultatem competere abſolvendi a caſibus, *quos locorum Ordinarii hactenus reſervarunt*, *vel in poſterum ſibi reſervabunt*. Idem deinde decretum (3), jubente Paulo V., eadem Sacra Congregatio confirmavit, ſervarique præcepit; & mox ex mandato Urbani VIII. illud iterum innovavit (4), eoque Regulares omnes tam intra, quam extra Italiam degentes affici, expreſſe edixit, ac declaravit. Præterea hanc propoſitionem (5) proſcripſit Alexander VII. *Mendicantes poſſunt abſolvere a caſibus Epiſcopo reſervatis*, *non obtenta ad id Epiſcopi facultate*. Tandem Clemens X. peculiari ſua Conſtitutione (6), non modo ea, quæ hactenus diximus, confirmavit, ſed inſuper ſancivit, *habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis*, *non ideo a caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvere poſſe*.

VIII. Quarumdam etiam Sodalitatum Confratres ſuorum privilegiorum virtute ſibi fas eſſe arbitrabantur in quibuſdam anni ſolemnitatibus Confeſſarium eligere, per quem poſſent a caſibus Epiſcopo reſervatis abſolvi. Sed re delata ad Sacram Congregationem Concilii, hæc pluribus (7) editis decretis oppoſitum definiens, falſam illorum perſuaſionem radicitus evellere ſtuduit. Paucis etiam abhinc annis ſimilem edidit declarationem Benedictus XIV. Cum enim ipſe piam quamdam Confraternitatem

(1) Sac. Cong. Concil. 10. Sept. 1572., & S. Carolus Borromæus in Concil. Provinc. Mediol. III., & V. Actor. par. 1.

(2) Sac. Congreg. Epiſcoporum 9. Januarii 1601.

(3) Sac. Cong. Epiſcop. 6. Jan. 1617.

(4) Sac. Congr. Epiſcoporum 18. Novemb ris 1628.

(5) Alexander VII. 24. Sept. 1665. in proſcript. propoſit. 12.

(6) Clemens X. Conſt. *Superna magni Patrisfamilias*. ann. 1670. tom. 6. Bullarii pag. 305.

(7) Sac. Cong. Concil. in Neritonen. ann. 1573. lib. 1. decret. pag. 143., & in Mediolanen. eod. anno, & lib. pag. 162.

tem in Civitate Januenſi erectam ſub invocatione *Beatæ Mariæ de Succurſu contra Infideles* per ſuas Litteras in forma Brevis confirmaſſet, eique cætera inter privilegia illud conceſſiſſet, ut ſinguli illius Confratres Confeſſarium ab Ordinario loci reſpective approbatum eligere poſſent, cui facultas tribuebatur abſolvendi unumquemque eorum ſemel in eorum vita, & ſemel in eorumdem mortis articulo a caſibus etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis; excitata iterum fuit controverſia, an Confeſſarii ſic a prædictis electi poſſent etiam a caſibus, qui locorum Ordinariis ſunt reſervati, ſine ipſorum Ordinariorum licentia Confratres illos abſolvere? At Benedictus XIV. per Apoſtolicas (1) Litteras ita quæſtionem diremit: *Hujuſmodi eligendi, & reſpective abſolvendi facultatem &c., præterquam in caſibus Nobis, & Sedi Apoſtolicæ dumtaxat, non vero etiam Ordinariis locorum reſervatis, niſi eorumdem Ordinariorum licentia accedat, per Nos in præcitatis Noſtris Litteris numquam conceſſam fuiſſe, adeoque abſolutiones in vim earumdem Litterarum contra præſentis declarationis noſtræ tenorem, forſan de præterito impertitas, aut in poſterum impertiendas, nemini ſuffragari potuiſſe, ſive poſſe decernimus, & declaramus.*

IX. Porro veterem hanc, laudabilemque Eccleſiæ diſciplinam ſecuti, Nos quoque caſuum aliquorum abſolutionem Nobis reſervamus, quorum tabellam in Appendice num. 12. exhibemus, & nequa in eorum intelligentia oriatur æquivocatio, eidem Tabellæ perbrevem dictorum caſuum explicationem ſubnectimus, per quam Noſtra mens, ac voluntas abunde innoteſcat. Quod ſi adhuc prudens aliqua dubitatio ſuper hujuſmodi caſuum intelligentia fortaſſe oriatur, non ab aliis, quam a Nobis, & a Succeſſoribus Noſtris eos interpretandos, explicandos, ac declarandos eſſe decernimus. Nullus igitur Confeſſarius ſive Sæcularis, ſive Regularis, excepto dumtaxat mortis articulo, ſub quovis privilegiorum, aut facultatum prætextu, a prædictis Noſtris reſervatis caſibus abſolvere audeat, niſi expreſſam a Nobis, aut

(1) Benedictus XIV. in ſuo Brevi *Pias Chriſtifidelium*. 12. Cal. Sept. 1752.

aut a Vicario Noſtro Generali ad id obtinuerit facultatem. Nequis vero dictorum caſuum ignorantiam poſſit obtendere, volumus, ac præcipimus, ut in quolibet Pœnitentiæ Tribunali, ſeu Confeſſionali, ut ajunt, Sede, ex uno latere affixa pendeat tabella caſuum Nobis reſervatorum, ex alio vero Bulla in Cœna Domini: utraque autem ſit typis impreſſa, tum ut facilius legi poſſit, tum ut omnis, qui in tranſcribendo irrepere poſſet, error præcaveatur; quod quidem in omnibus cum Sæcularibus, tum Regularibus Eccleſiis ſervari omnino jubemus.

X. De caſibus Romano Pontifici reſervatis agendum modo hìc Nobis eſſet. Verum cum horum plerique adnexam habeant excommunicationis majoris cenſuram, cujus abſolutionem Romani Pontifices ſibi reſervarunt, idcirco de iiſdem in articulo ſequenti agemus, in quo de cenſuris perbrevem inſtituemus ſermonem. Hìc dumtaxat de abſolutione complicis a peccato contra ſextum præceptum admiſso, quam nullam, atque invalidam eſse, ac fore Benedictus XIV. ſtatuit, ac declaravit, verba faciamus.

XI. Magnopere cupiens Benedictus XIV. a Sacerdotalis judicii, Sacrique Tribunalis ſanctitate omnem turpitudinis occaſionem, & Sacramentorum contemptum, atque Eccleſiæ injuriam longe ſummovere, & animarum periculis, quantum in Domino poſset, occurrere, peculiari ſua Conſtitutione (1), quemadmodum a pluribus Epiſcopis per Synodales ſuas Conſtitutiones jam factum eſse noverat, omnibus, & ſingulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus cujuſcumque Ordinis, ac Dignitatis, tametſi alioquin ad Confeſſiones excipiendas approbatis, & quovis privilegio, & Indulto, etiam ſpeciali expreſſione, & ſpecialiſſima nota, ac mentione digno ſuffultis, Apoſtolica auctoritate, ſuæque poteſtatis plenitudine interdixit, ac prohibuit, ne eorum aliquis extra caſum extremæ neceſſitatis (nimirum in ipſius mortis articulo, & tunc deficiente quocumque alio

(1) Benedictus XIV. Conſt. *Sacramentum Pœnitentiæ*. edita 1. Junii 1741.

Digitized by Google

alio Sacerdote, qui Confeſſarii munus obire poſſit) Confeſſionem Sacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto contra ſextum Decalogi præceptum commiſſo excipere audeat, ſublata propterea illi ipſo jure quacumque auctoritate, & juriſdictione ad qualemcumque perſonam ab hujuſmodi culpa abſolvendam, itaut abſolutio, ſi quam impertierit, nulla, atque irrita omnino ſit, tamquam impertita a Sacerdote, qui juriſdictione, ac facultate ad valide abſolvendum neceſſaria privatus exiſtit, quam ei prædictis ſuis Apoſtolicis Litteris adimere intendit. Declaravit præterea, ac decrevit, ut ne in vim quidem cujuſcumque Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ, aut alterius cujuslibet Indulti Confeſſionem dicti ſui complicis quiſquam valeat excipere, eique Sacramentalem abſolutionem elargiri, cum ne in iis quidem caſibus Confeſſarius quoad ejuſmodi peccatum, & Pœnitentem habendus ſit pro Confeſſario legitimo, & approbato, utpote in ejuſmodi peccati, & pœnitentis genere abſolvendi facultate ab Apoſtolica Sede privatus. Siquis autem Confeſſarius ſecus facere audeat, ſtatuit, ut ipſo facto excommunicationem majorem incurrat, a qua ſoli Romani Pontifices poſſint illum abſolvere. Voluit tandem, ac præcepit, ut omnes Locorum Ordinarii tam præſentes, quam futuri pro tempore exiſtentes in approbatione Confeſſariorum, præter Conſtitutionem Gregorii XV. adverſus Confeſſarios ſollicitantes ad turpia, ſuam quoque præfatam Conſtitutionem ab omnibus Sacerdotibus approbandis attente legi, & accurate obſervari curent. Nos itaque, ut Pontificiis hiſce mandatis faciamus ſatis, Conſtitutionis hujus exemplar in Appendice num. 13. damus, eamque ab omnibus Sacerdotibus ad audiendas Confeſſiones a Nobis tum approbatis, tum approbandis attente legi, & accurate obſervari volumus, ac jubemus.

XII. Cum autem ſubinde ſuper ea dictæ Conſtitutionis parte, quæ mortis articulum reſpicit, dubitationes aliquæ exortæ fuiſſent; Idem Benedictus XIV., ut omnem dubitandi rationem,

Digitized by Google

quantum cum Domino poſſet, de medio auferret, aliam Conſtitutionem (1) edidit, qua priorem Conſtitutionem ſuam cum omnibus, & ſingulis in ea contentis confirmavit, illamque integre, inviolabiliter, & inconcuſſe ab omnibus obſervari mandavit. Edixit deinde, ac declaravit, ſingulis Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non eſt in mortis articulo perſonam in peccato turpi complicem confitentem audire, atque ab hujuſmodi quoque culpa rite contritam abſolvere, ſi deficiat tunc quicumque alius Sacerdos, qui Confeſſarii munus obire poſſit, ita interdici re ipſa, & prohiberi prædicto modo tunc audire, & abſolvere, ſi alius aliquis Sacerdos non defuerit; itaut, etiamſi forte iſte alius fuerit ſimplex tantummodo Sacerdos, ſive alias ad Confeſſiones audiendas non approbatus; poſſit nihilominus ipſe Sacerdos ſimplex Confeſſionem excipere, & abſolutionem impertiri. Porro ſi caſus urgentis qualitas, & concurrentes circumſtantiæ, quæ vitari non poſſint, ejuſmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam conſtitutæ in dicto articulo perſonæ Confeſſionem vocari, aut accedere ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo nequeat; tunc declarat idem Pontifex, alium Sacerdotem perinde haberi, cenſerique poſse, ac ſi revera abeſset, atque deficeret, ac proinde in eo rerum ſtatu non prohiberi ſocio criminis Sacerdoti, abſolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. *Sciat autem complex ejuſmodi Sacerdos* (ſubdit idem Pontifex) *& ſerio animadvertat, fore ſe reipſa coram Deo, qui irrideri non poteſt, reum gravis adverſus prædictam Noſtram Conſtitutionem inobedientiæ, latiſque in ea pœnis obnoxium, ſi prædictæ infamiæ, aut ſcandali pericula ſibi ultro ipſe confingat, ubi non ſunt: imo intelligat, teneri ſe graviter hujuſmodi pericula, quantum in ſe erit, antevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confeſſionis abſque ullius infamia, vel ſcandalo audiendæ. Ita enim ipſum teneri vigore memoratæ Noſtræ Conſtitutionis declaramus, & nunc quoque ita ipſi faciendum eſſe*

(1) Benedictus XIV. Conſt. *Apoſtolici muneris*. edita 8. Febr. 1745.

eſſe diſtricte mandamus, ac præcipimus. Quod ſi idem Sacerdos aut quovis modo ſeſe, nulla gravi neceſſitate compulſus, ingeſſerit, aut ubi infamiæ, aut ſcandali periculum timetur, ſi alterius Sacerdotis opera requirenda ſit, ipſe ad id periculum avertendum congrua media adhibere de induſtria neglexerit, atque ita perſonæ in dicto crimine complicis, eoque in articulo, ut præfertur, conſtitutæ Sacramentalem Confeſſionem excipere, ab eoque crimine abſolutionem largiri, nulla, ſicut præmittitur, neceſſaria cauſa cogente, præſumpſerit, quamvis hujuſmodi abſolutio valida futura ſit, dummodo ex parte Pœnitentis diſpoſitiones a Chriſto Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requiſitæ non defuerint (Non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti quantumvis indigno neceſſariam juriſdictionem auferre, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat); nihilominus Sacerdos ipſe violatæ auſu ejuſmodi temerario legis pœnas nequaquam effugiet; ac propterea latam in dicta Conſtitutione majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, & huic Sanctæ Sedi reſervatam incurret, prout illum eo ipſo incurrere declaramus, volumus, atque ſtatuimus. Hujus quoque Pontificiæ Conſtitutionis exemplar damus in Appendice num. 14.

ARTICULUS X.

De Cenſuris, ac præſertim de iis, quarum abſolutio Romano Pontifici eſt reſervata.

CEnſura, juxta nòminis etymologiam, judicium ſignificat, quod de actione aliqua, utrum laude, an reprehenſione digna ſit, pronunciatur. Sic olim Romani ſententiam Cenſoris, qua aut corrigebantur mores, aut pœna ſtatuebatur criminibus, cenſuram nuncupabant. Verum juxta Sacros Canones cenſura eſt (1) pœna ſpiritualis, & medicinalis, qua homini baptizato, delinquenti, & contumaci quorumdam ſpiritualium bonorum uſum aufert Eccleſia, ut is a ſua contumacia recedat.

 Jam

(1) Benedictus XIV. de Synodo lib. 10. cap. 1. num. 1.

Digitized by Google

Jam vero cum ſit pœna *ſpiritualis*, nonniſi ab Eccleſiaſticis Prælatis infligi poteſt: Cum ſit *medicinalis*, non eſt mera pœna, ſed eum in finem potiſſimum irrogatur, ut contumax reſipiſcat, & ad ſaniora conſilia revocetur. Ut autem ferri in aliquem poſſit, debet is 1. eſſe *baptizatus*, quia cenſura eſt Eccleſiaſticæ Juriſdictionis actus, adeoque nonniſi in Eccleſiæ ſubditos, cujuſmodi ſunt ſoli baptizati, exerceri poteſt. 2. eſſe *delinquens*, ſi enim eſt pœna, neceſſario culpam ſupponit. 3. eſſe *contumax*, cum enim ſit pœna medicinalis, morbum ſanandum ſupponit, inobedientiam videlicet Eccleſiæ mandatis adhuc expiandam. Effectus cenſuræ eſt, ut uſum interdicat *quorumdam ſpiritualium bonorum*, quorum penes Eccleſiam eſt adminiſtratio, ac diſpenſatio, cujuſmodi ſunt Eccleſiæ ſuffragia, Indulgentiæ, Eccleſiaſtica Juriſdictio, Sacramentorum uſus, aliaque hujuſmodi.

II. Cenſura alia eſt a Jure, alia ab homine. Prior ea eſt, quæ per Eccleſiaſticas ſanctiones fertur, ſubditoſque omnes delinquentes complecti ſolet, ac tamdiu vim obligandi habere, quamdiu lex, per quam lata eſt, non abrogetur. Poſterior eſt, quæ per mandatum, aut ſententiam a legitimo Superiore infligitur, eaque *generalis* quandoque eſt, quia in aliquos, puta in Clericos, generatim fertur; quandoque *particularis*, quia in certam, ac determinatam perſonam pronunciatur. Alia præterea eſt *latæ*, alia *ferendæ ſententiæ*. *Latæ* ſententiæ eſt, quam Lex, aut Superior ipſo facto, quod quis legem violat, incurrendam eſſe decernit, quin alia Judicis ſententia requiratur: ſolet autem his particulis exprimi, *ipſo facto*, *ipſo jure*, *eo ipſo &c.*, vel per verbum præſentis, aut præteriti temporis, ex. gr. *ſit excommunicatus*, *excommunicatur*, *noverit ſe excommunicatum &c.* *Ferendæ* ſententiæ eſt, quæ Reo per Judicis ſententiam eſt infligenda, atque exprimi ſolet vel his locutionibus, *præcipimus ſub pœna excommunicationis*, *ſub interminatione anathematis &c.*, vel per verbum futuri temporis, *qui hoc fecerit*, *excommunicabitur &c.* In dubio, utrum ſit latæ, an ferendæ ſententiæ, cum utpote odioſa

Digitized by Google

odioſa in mitiorem accipienda ſit partem, eam eſſe ferendæ ſententiæ arbitrandum eſt.

III. Eſſe in Catholica Eccleſia poteſtatem ferendi cenſuras, iiſque in foro cum externo, tum interno Fideles alligari, certum eſt 1. ex Evangelio (1), aliiſque Novi Teſtamenti Scripturis. 2. ex verbo Dei tradito, ac vetuſtiſſima (2), conſtantique Eccleſiæ praxi. 3. ex proſcriptione hujus 18. articuli Lutheri. *Excommunicationes ſunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus*. Poteſtas hujuſmodi alia eſt ordinaria, alia delegata. Ordinariam habet. 1. Romanus Pontifex in univerſo terrarum Orbe quoad omnes, qui ingreſſi ſemel ſunt in Eccleſiam per baptiſmum. 2. Concilia Generalia (3), & Provincialia. 3. Legatus a Latere (4) Summi Pontificis. 4. Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aliique Prælati (5) territorium ſeparatum cum juriſdictione quaſi Epiſcopali habentes quoad ſuos ſubditos. 5. Vicarius Generalis (6) Epiſcopi, & Sede Vacante, Vicarius Capitularis. 6. Ordinum Religioſorum Superiores (7) quoad ſuos ſubditos Regulares. Eam vero non habent Parochi, quia, licet in Pœnitentiæ foro ordinariam quoad ſuos Parochianos juriſdictionem habeant, ea tamen carent in foro exteriori. Delegatam ferendi cenſuras poteſtatem ii dumtaxat habent, quibus ab habente ordinariam committitur: committi autem nonniſi viro baptizato, & Clerico poteſt.

IV. Cenſuræ, uti de caſibus reſervatis diximus, ob peccatum dumtaxat grave, externum, & in genere ſuo conſummatum, niſi aliud a Superiore exprimatur, infliguntur, tum quia peccatum mere internum (8) numquam ab Eccleſia per cenſuras puni-

(1) Matth. c. 18., & 1. ad Timoth. c. 4.

(2) Bened. XIV. de Synodo lib. 10. c. 1.

(3) Cap. *Grave nimis*. de præbend.

(4) Cap. *Legatus*. de officio Legati in 6.

(5) Cap. *Ad reprimendam*; cap. *Cum Epiſcopus*. de offic. ordin. in 6.

(6) Cap. *Licet*. de officio Vicarii, & cap. unic. de major. in 6.

(7) Cap. *Cum in Eccleſiis*. de præbendis.

(8) Cap. *Tua nos*; & cap. *Sicut tuis*. de Simonia.

puniri conſuevit; tum quia *cum rationis, & æquitatis principia ſuadeant*, ut optime inquit Benedictus XIV., *pœnam* (1) *eſſe commenſurandam culpæ, & pro modo culpæ imponendam; conſequens inde eſt nonniſi propter graviorem culpam excommunicationem eſſe ferendam. Quæ autem de excommunicatione dicimus, intelligi etiam debent de ſuſpenſione, & interdicto*. A ſubeundis autem cenſuris excuſat 1. inculpabilis *ignorantia*, ſive *juris*, qua quis hoc, vel illud ſub cenſuræ pœna prohiberi neſciat, ſive *facti*, qua ſciat quidem legem ſub cenſura prohibentem, ſed ignoret, hoc, vel illud factum ſub tali lege contineri ex. gr. ſciat, percuſſionem Clerici ſub excommunicationis pœna vitari; ignoret tamen, hunc, quem percutit, eſſe Clericum, illum Laicum eſſe arbitratus. *Ut animarum periculis obvietur*, ſtatuit Bonifacius VIII. (2), *ſententiis per ſtatuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia craſſa non fuerit, aut ſupina*. Et ſane cum locum habere nequeat cenſura, ubi non adſit contumacia; quomodo hæc adeſſe poterit, ubi inculpabilis ignorantia habeatur? At ſi culpabilis fuerit, craſſa videlicet, aut ſupina; tunc certe ab incurrenda cenſura non excuſat. *Nec enim ignorantia excuſat*, ut inquit Gregorius IX. (3), *ſi ſcire debuiſti,.... & quam debueras, non curaſti diligentiam adhibere*. Excuſat 2. ſive phyſica, ſive moralis impotentia faciendi id, quod ſub cenſuræ pœna præcipitur: *poſſibilis* enim eſſe debet lex humana, ut vim obligandi habeat, ſubditique ad ejus obſervantiam adigantur. Excuſat 3. legitima, quam quis ad Superiorem interponit, appellatio (4), antequam cenſuræ vinculis innodetur. Excuſat 4. nullitas actus, ſi vel cenſura ab eo, qui legitimus Superior non ſit, infligatur, vel in ea infligenda *eſſentiales*, ut ajunt, non ſerventur *formalitates*, ſi ex. gr. canonica non præceſſerit monitio: ſecus, ſi accidentales tantum ſolemnitates prætermittantur: tunc enim

(1) Benedictus XIV. de Synodo lib.10. cap.1. num.2.

(2) Cap.2. de Conſtitut. in 6.

(3) Cap. *Si culpa*. de injuriis.

(4) Cap. *Si a Judice*. de appell. in 6.

enim cenſura, licet ſit contra juris ordinem, non tamen eſt invalida. Excuſat 5. innocentia: ſi enim is, cui inuritur cenſura, ſit prorſus innocens, atque omnis expers culpæ, illam coram Deo non ſubit: *Tribunal* (1) *enim Æterni Judicis illum reum non habet, quem injuſte Judex condemnat*: At coram hominibus, qui cenſuram ſciunt, ſed innocentiam ignorant, a bonorum ſpiritualium uſu debet abſtinere, donec legitime vel innocentiam probet, vel abſolvatur; ne videlicet contemni ab eo clavium Eccleſiæ poteſtatem arbitrantes, grave ſcandalum patiantur. *Judicium Dei*, ut inquit Innocentius III. (2), *veritati, quæ non fallit, nec fallitur, ſemper innititur. Judicium autem Eccleſiæ nonnumquam opinionem ſequitur, quam & fallere ſæpe contingit, & falli; propter quod contingit interdum, ut qui ligatus eſt apud Deum, apud Eccleſiam ſit ſolutus; & qui liber eſt apud Deum, Eccleſiaſtica ſit ſententia innodatus. Vinculum ergo, quo peccator ligatus eſt apud Deum, in culpæ remiſſione diſſolvitur: illud autem, quo ligatus eſt apud Eccleſiam, cum ſententia remittitur, relaxatur. Quod in ſuſcitatione Lazari ſermo Evangelicus manifeſtat, quem prius Dominus ſuſcitavit, & Apoſtolis præcepit poſtmodum ſolvere ſuſcitatum*.

V. Ad cenſurarum vincula, quibus aliquis irretitur, diſſolvenda ſatis non eſt, ut aut reus a ſua contumacia receſſerit, & Eccleſiæ mandatis, partique læſæ fecerit ſatis, id enim mera eſt conditio ad obtinendam abſolutionem neceſſario requiſita; aut e vivis exceſſerit, ſeu depoſitus ab officio fuerit is, qui cenſuram tulit, pœna enim per legitimam Judicis ſententiam inflicta ſtatim tranſit in rem judicatam; aut Reus ipſe interierit, poteſt enim adhuc mortuus Eccleſiæ ſuffragiis, atque Eccleſiaſtica ſepultura privari. Ejuſmodi igitur vincula per legitimam Eccleſiaſtici Judicis ſententiam diſſolvi dumtaxat poſſunt. In praxi autem, ſi cenſura per ſententiam particularem lata ab homine ſit, ab ea poteſt abſolvere. 1. qui eam tulit. 2. ejus (3) Succeſſor. 3. ejus Supe-

(1) Cap. 1. de ſent., & re judic. in 6. (2) Cap. *A nobis*. de ſent. excomm.
(3) Cap. unic. de major., & obed. in 6.

Superior, ſi tamen hic plena in eos, qui abſolutione indigent, juriſdictione potiatur. Si vero (ſive a Jure lata ſit, ſive per ſententiam generalem ab homine) Superiori ſit reſervata; ab ea nonniſi Superior (1) ipſe, ejus Succeſſor, ejus Superior, & ab eorum alterutro delegatus abſolvendi habent facultatem. In mortis tamen articulo Sacerdos quilibet ab ea poteſt abſolvere, ita tamen, ut, ſi ægrotus convaluerit, adire Superiorem (2), ejuſque mandatum excipere teneatur: ſecus enim & gravis inobedientiæ reus fiet, & in eamdem cenſuram relabetur. A cenſuris denique per generalem ſententiam ſive a Jure, ſive ab homine latis, Superiori tamen non reſervatis, abſolvere poteſt, quicumque ad audiendas Fidelium Confeſſiones legitime ſit approbatus: ut enim declaravit Innocentius III. (3), *quia canonis conditor ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo aliis facultatem relaxandi conceſſiſſe videtur*. Siquis autem ab aliqua hujuſmodi cenſura ſit abſolvendus, Confeſſarius Sacramentum Pœnitentiæ eidem adminiſtrans, hac in abſolvendo utatur formula: *Dominus Noſter Jeſus Chriſtus te abſolvat, & ego auctoritate ipſius abſolvo te a vinculo excommunicationis, quam incurriſti propter N. N.* (hìc exprimat culpam, propter quam Pœnitens in excommunicationem incurrit) *& reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & Communioni Fidelium; & ab omni alio vinculo excommunicationis, & interdicti, in quantum poſſum, & tu indiges: Deinde ego te abſolvo a peccatis tuis &c.* Si autem Pœnitens a ſuſpenſione ſit abſolvendus, hæc adhibeatur formula: *Ego te abſolvo a vinculo ſuſpenſionis, quam incurriſti propter N. N.* (exprimatur culpa) *& reſtituo te executioni tuorum ordinum, vel officiorum, vel beneficiorum* (pro diverſa ſuſpenſionis ratione) *Deinde ego te abſolvo &c.*

VI. Triplex eſt Eccleſiaſtica Cenſura, uti clare docet (4) Innocentius III., excommunicatio videlicet, ſuſpenſio, & interdi-

(1) Cap. *Nuper*; cap. *Sacro*. de ſent. excommunic., & cap. *Ad recipiendum*. de officio Judicis Ordinarii.

(2) Cap. *Eos qui*. de ſent. excomm. in 6.

(3) Cap. *Nuper*. de ſent. excomm.

(4) Cap. *Quærenti*. de V.S., & cap. 1., & 13. de ſent. excomm. in 6.

terdictum. Poſtquam igitur de cenſuris aliqua generatim diximus, pauca nunc de iiſdem ſingillatim diſſeramus.

De Excommunicatione.

VII. Tria ſunt Fidelium bona, quæ ab Eccleſiaſtica poteſtate pendent, exterior videlicet converſatio, Sacramentorum adminiſtratio, ac participatio, & Eccleſiæ orationes, atque ſuffragia. Jam vero omnibus his bonis excommunicatio major, de qua hic loquimur, (nam de minori loquemur inferius) Fideles privat, cum ſit cenſurarum omnium graviſſima. Per eam enim Fidelis omnibus Eccleſiæ bonis privatus, tamquam putridum membrum (1), ab Eccleſia abſcinditur, atque a Fidelium communione, & conſortio ſeparatur. Quare eam S. Cyprianus (2) *gladium ſpiritualem* appellat, *quo ſuperbi, & contumaces necantur, dum de Eccleſia ejiciuntur. Neque enim vivere foris poſſunt, cum domus Dei una ſit, & nemini ſalus eſſe, niſi in Eccleſia, poſſit*; Et S. Hieronymus ad Heliodorum (3) ſcribens inquit: *In veteri quidem lege, quicumque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut extra caſtra poſitus lapidabatur a populo, aut gladio cervice ſubjecta, contemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens ſpirituali mucrone truncatur, aut ejectus de Eccleſia rabido dæmonum ore diſcerpitur.* Hinc Apoſtolus (4) in Hymenæum, & Alexandrum, qui circa fidem naufragaverant, animadvertens, *eos tradidit Satanæ, ut diſcerent non blaſphemare*, ideſt eos majori excommunicatione percuſſit, ut interpretatur S. Auguſtinus (5), ubi ait: *Omnis Chriſtianus, qui a Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. Quomodo? ſcilicet quia extra Eccleſiam diabolus eſt, ſicut in Eccleſia Chriſtus; ac per hoc quaſi diabolo traditur, qui ab Eccleſiaſtica communione removetur. Unde illos, quos tunc Apoſtolus Satanæ eſſe traditos prædicat, excommunicatos a ſe eſſe demonſtrat.* Hinc etiam excommuni-

Nnnn

(1) Can. *Omnis Chriſtianus*. cauſ. 11. q. 3.
(2) S. Cyprianus epiſt. 62.
(3) S. Hieron. ad Heliodorum epiſt. olim 1., nunc 14. n. 8.
(4) 1. ad Timoth. c. 1. v. 19., & 20.
(5) S. Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſerm. 68.

Digitized by Google

municatio major in Sacris Canonibus græca voce appellatur *anathema*, quæ proprie ſignificat alicujus partis a reliquis ſeparationem.

VIII. Olim quidem ii omnes, qui excommunicationis majoris vinculo irretiebantur, erant vitandi (1), ita tamen, ut ii, quorum excommunicatio erat publice nota, publice; quorum vero erat occulta, occulte, & privatim vitandi eſſent ab iis, qui rei notitiam haberent. Verum cum exinde plurima in dies, graviſſimaque orirentur ſcandala; Ad evitanda in poſterum animarum pericula, Martinus V. (2) in Conſtantienſi Concilio decrevit, ac ſtatuit, ut vitandi ſolum eſſent 1. ii, qui nominatim a Judice Eccleſiaſtico per publicos, ut ajunt, cedulones excommunicati denunciarentur. 2. notorii percuſſores Clerici, quorum factum ita eſſet notorium, ut nulla tergiverſatione celari, nulloque (3) juris ſuffragio excuſari poſſet. Reliqui vero omnes, qui in excommunicationem incurrerent, non eſſent vitandi, ſed tolerati.

IX. Quamquam ex iis, quæ modo diximus, intelligi facile poſſit, quam gravis, metuendaque ſit majoris excommunicationis pœna, qua atrociora quædam crimina puniri ab Eccleſia conſueverunt; multo tamen clarius, faciliuſque id Chriſtianus populus intelliget, ſi ejuſdem excommunicationis effectus Fidelibus a Parocho explicentur, quos proinde & hic recenſemus, & in hac Diœceſi Populo a Parochis opportuno tempore explicari volumus, ac mandamus. Primus itaque effectus eſt, ut excommunicatus (4) cum paſſivo, tum activo Sacramentorum uſu privetur: quare nequit licite, ac ſine peccato lethali Sacramenta ſive ſuſcipere, ſive adminiſtrare, niſi gravis eum neceſſitas, aut invincibilis excuſet ignorantia. Valide tamen, licet ſacrilege, Sacramenta ſuſcipit, atque adminiſtrat, ſi Pœnitentiæ Sacramentum excipias, quod excommunicatus, cum non ſit rite diſpoſitus,

(1) Cap. *Cum non ab homine*. de ſent. excommunic.

(2) Martinus V. Conſt. *Ad evitanda animarum pericula*. edita anno circiter 1414., Bened. XIV. de Syn. lib. 9. c. 5. n. 4.

(3) Cit. Conſt. *Ad evitanda*.

(4) Cap. *Cum illorum*; & cap. *Siquem*. de ſent. excomm.

ſitus, & invalide ſuſcipit, & ſacrilege. Secundus effectus eſt, ut communibus Eccleſiæ (1) ſuffragiis privetur, publicis videlicet Sacrorum Miniſtrorum precibus, Sacrificiis, Indulgentiis, aliiſque Sacris actionibus, quæ Eccleſiæ nomine peraguntur. 3. excommunicato non licet (2) Miſſæ Sacrificio, Horis Canonicis, publicis orationibus, piis ſupplicationibus, aliiſque divinis officiis intereſſe: Eidem tamen, cum divina non celebrantur officia, in Eccleſia concionem audire permittitur, ut ad pœnitentiam excitetur, citiuſque reſipiſcat. Poteſt etiam is privatim orare; imo ſi ad Horas Canonicas recitandas Sacri Ordinis, ſeu Beneficii Eccleſiaſtici cauſa teneatur, non poteſt ſine gravi culpa earum recitationem omittere, etiamſi tunc nullos, cum ſuum præſtare officium nequeat, fructus ex beneficio percipiat; *damnum enim* (3), *quod quis ſua culpa ſentit*, *ſibi debet*, *non aliis imputare*. 4. excommunicatus eſt ad quælibet beneficia, atque officia, omneſque Eccleſiaſticas dignitates, præter Papalem, acquirendas, ac poſſidendas inhabilis (4), itaut excommunicati præſentatio, aut electio, inſtitutio, aut confirmatio ſit ipſo jure irrita, quamquam excommunicatus ſit toleratus, imo ſuam etiam excommunicationem ignoret: licet enim a culpa, & pœna ignorantia obligationis excuſare poſſit, neminem tamen habilem efficit contractæ ignorantia inhabilitatis. 5. inhabilis etiam fit excommunicatus ad quodlibet ſive gratiæ, ſive juſtitiæ reſcriptum (5) ab Apoſtolica Sede obtinendum, itaut irritum ipſo jure ſit, ſi impetretur, niſi forte illud in ipſa excommunicationis, vel appellationis cauſa ad ſui defenſionem obtineatur. Verum ne Apoſtolica reſcripta ſuo careant effectu, in iiſdem nunc fere ſemper expreſſa a cenſuris abſolutio apponi conſuevit. 6. excommunicatus vitandus

Nnnn 2 qua-

(1) Cap. *A nobis*; & cap. *Sacris*. de ſent. excomm.

(2) Cap. *Significavit*; cap. *Reſponſo*. de ſent. excomm., cap. *Alma Mater*. eod. tit. in 6., & Clement. *Gravis*. de ſent. excomm.

(3) Regul. 86. Juris in 6.

(4) Cap. *Poſtulaſti*. de Clerico excommunicato miniſtrante.

(5) Cap. *Dilectus*. de reſcriptis, & cap. *Ipſo jure*. eod. tit. in 6.

Digitized by Google

quacumque Eccleſiaſtica juriſdictione privatur (1), itaut non modo illicite, verum etiam invalide quemcumque ejuſmodi Juriſdictionis actum exerceat. Quamobrem neque alium excommunicare, neque beneficia conferre, neque ad Eccleſiaſticam eligere poteſt dignitatem: omnia enim hujuſmodi ejus acta irrita ipſo jure eſſent, atque invalida. Excipienda tamen eſt Romani Pontificis electio, quæ ob nullam (2) eligentium excommunicationem, ſuſpenſionem, aut interdictum infirmari valet. At excommunicatus toleratus illicite quidem, ſed valide Eccleſiaſticam exercet juriſdictionem. Is enim propter communem errorem, adhuc coloratum habet titulum, qui per occultum non aufertur defectum (3), uti communiſſime Doctores ſentiunt. In eo autem caſu, cum innumera orirentur incommoda, ſi tamquam irrita haberentur eorum acta, qui ab Eccleſia publice tolerantur, publicum bonum exigit, ut eadem valeant. 7. excommunicatus vitandus quacumque Forenſi communione privatur. Quare in cauſis tum civilibus, tum criminalibus, neque eſſe poteſt Judex (4), neque Advocatus, neque Actor, neque Teſtis (5). Ne tamen is commodum ex ſua iniquitate ſentiat, in cauſis tum civilibus, tum criminalibus conveniri tamquam reus (6) poteſt, adeoque ea etiam omnia agere, ac petere (7), quæ ad legitimam ſui defenſionem requiruntur. Excommunicatum vero toleratum repellere ab agendo, aut a ferendo teſtimonio ad Judicem ſpectat, quoties vel nota ſit excommunicatio, vel ea a parte adverſa objiciatur (8), quæ tamen, ſi nota non ſit, intra octo dies ab adverſario probari legitime debet. 8. excommunicatus non toleratus quacumque civili, ſeu politi-

(1) Cap. *Ad probandum*. de ſententia, & re judicata; cap. *Decernimus*. de ſent. excomm., & cap. *Romana*. de officio Vicarii in 6.

(2) Clem. *Ne Romani*. §. *Cæterum*. de electione.

(3) L. *Barbarius*. ff. de officio Prætor.

(4) Cap. *Ad probandum*. de ſent., & re judicata.

(5) Cap. *Decernimus*. de ſentent. excommun. in 6.

(6) Cap. *Intelleximus*. de judiciis.

(7) Cap. *Cum inter*. de exceptionibus.

(8) Cap. 1. de exceptionibus in 6.

politica (1) cum Fidelibus communicatione privatur, itaut neque is cum aliis, neque alii cum ipſo communicare valeant in iis, quæ ſequenti verſiculo comprehenduntur: *Os*, *orare*, *vale*, *communio*, *menſa negatur*. Ad uberiorem rei intelligentiam ſingulas explicemus voces. *Os* interdicitur, videlicet colloquia, oſcula, amicitiæ ſigna, munera, aliaque hujuſmodi cum excommunicato exercere. *Orare*: excommunicato ſcilicet prohibetur, ne publicis orationibus interſit; aliis vero, ne pro ipſo orationem fundant, niſi forte, ut reſipiſcat. *Vale*, ideſt ne honorifica quidem ſalutatio excommunicato a Fidelibus eſt exhibenda. *Communio*, ideſt commercium habere cum excommunicato non licet in contractibus ineundis venditionis, emptionis &c. *Menſa*, ideſt uti nemo poteſt eadem cum excommunicato (2) menſa, eodemque hoſpitio, niſi forte neceſſitas cogat, uti ſi nonniſi unicum ſit in itinere hoſpitium, unicaque menſa. Quæ quidem omnia ita prohibentur, ut quicumque, extra caſus a jure permiſſos, cum excommunicato vitando communicaverit, in excommunicationem incurrat; cum hoc tamen diſcrimine, ut qui in crimine (3), ut ajunt, crimino ſo communicaverit, ideſt crimini cooperetur, & contumaciæ, propter quam majori aliquis percuſſus eſt anathemate, in majorem; qui vero in rebus ſacris, aut politicis (4) communicaverit, in minorem incidat excommunicationem. *Nuper a nobis tua diſcretio requiſivit*, ſic reſcripſit Innocentius III. (5) Epiſcopo Uratislavienſi, *utrum qui nominatim excommunicatis ſcienter communicant, abſolvi ab excommunicatione poſſint per confeſſionem a ſimplici Sacerdote, an Epiſcopi, ſeu Archiepiſcopi ſit ab eis abſolutio excipienda? Nos credimus diſtinguendum, an is, qui nominatim excommu-*

(1) Can. *Sicut*; can. *Excommunicatos*; can. *Cum excommunicato*; can. *Qui communicaverit*. cauſ. 11. qu. 3., cap. *Nuper*; & cap. *Si aliquando*. de ſent. excomm.

(2) Can. *Cum excommunicato*; can. *Ad menſam*; & can. *Excommunicatos*. cauſ. 11. quæſt. 3.

(3) Cap. *Quod in dubio*. de ſentent. excommunic.

(4) Cap. *Illa quotidiana*. de electione; & cap. *Statuimus*. de ſent. excommunic. in 6.

(5) Cap. *Nuper*. de ſent. excomm.

communicato communicat, ſcienter in crimine communicet criminoſo, ei conſilium impendendo, auxilium, vel favorem; aut alias in oratione, vel oſculo, aut orando ſecum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cum talis communicet crimini, & participet criminoſo, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnavit; ab eo, vel ejus Superiore merito delicti tunc erit abſolutio requirenda, cum facientem, & conſentientem par pœna conſtringat. In ſecundo vero caſu a ſuo Epiſcopo, vel a proprio Sacerdote poterit abſolutionis beneficium obtinere. Quamvis enim & tunc non Judicis, ſed juris ſententia excommunicato communicans ſit ligatus; quia tamen canonis Conditor ejus abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit; eo ipſo aliis facultatem relaxandi conceſſiſſe videtur. Suæ tamen dantur cauſæ, propter quas, ſiquis in rebus politicis cum excommunicato vitando communicet, nulla prorſus cenſura irretitur. Hæ autem ſunt. 1. quando ejuſmodi communicationem poſtulat magna excommunicati utilitas (1), cui proinde ex charitate tum quoad corpus, tum quoad animam ferre ſubſidium licet. 2. quando vel alteruter, vel uterque conjux excommunicatione ſit innodatus: lex enim matrimonialis exigit, ut iiſdem liceat conjugale & petere, & reddere debitum, rei familiaris curam habere, eaque omnia, quæ ad prolis educationem, domeſticamque gubernationem pertinent, inter ſe invicem communicare. 3. quando excommunicati ſint (2) aut Superiores, aut Domini, aut Parentes, nam tunc debita ſeu reverentia, ſeu ſubjectio, ſeu pietas requirit, ut familiare, quod antea exhibebant, Subditi, Servi, ac Filii iiſdem exhibere pergant obſequium. 4. quando ſive juris, ſive facti interſit ignorantia, dummodo craſſa eadem non ſit, & affectata. 5. demum quando gravis neceſſitas (3) ad hanc habendam in politicis rebus communionem adigit. Poſtremus tandem majoris excommunicationis effectus eſt, ut excommunicatus non toleratus

(1) Cap. *Cum voluntate*. de ſentent. excommunic.

(2) Cap. *Quoniam multos*. cauſ. 11. quæſt. 3., & cap. *Inter alia*. de ſentent. excomm.

(3) Cit. cap. *Inter alia*. de ſent. excomm.

ratus Eccleſiaſtica ſepultura privetur. *Sacris enim eſt* (1) *Canonibus inſtitutum*, inquit Innocentius III., *ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant Eccleſiaſtica ſepultura, qui prius erant ab Eccleſiaſtica unitate præciſi, nec in mortis articulo Eccleſiæ fuerint reconciliati. Unde ſi contingat interdum, ut vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio caſu in cœmeterio Eccleſiaſtico tumulentur; ſi ab aliorum corporibus diſcerni poterunt, exhumari debeant, & procul ab Eccleſiaſtica ſepultura jactari. Quod ſi diſcerni non poterunt, expedire non credimus, ut cum excommunicatorum oſſibus corpora extumulentur Fidelium, cum, licet non obſit juſtis ſepultura nulla, vel vilis, impiis tamen celebris, vel ſpecioſa non proſit*, Cœmeteria autem, in quibus excommunicatorum corpora ſepeliri contingit, ut idem ſtatuit Innocentius III. (2), ut pote polluta, reconcilianda erunt aſperſione aquæ ſolemniter benedictæ, ſicut in Dedicationibus Eccleſiarum fieri conſuevit. Quod ſiquis excommunicatus vitandus (3), licet juramento præſtito de obediendo Eccleſiæ mandato, ſe humiliare curaverit, ac vera pœnitentiæ dederit ſigna; morte tamen præventus abſolutionis obtinere beneficium non potuerit; quamquam abſolutus apud Deum fuiſſe credatur; nondum tamen habendus eſt apud Eccleſiam abſolutus. Ei tamen poteſt, ac debet Eccleſiæ beneficio ſubveniri, ut ſi de ipſius viventis pœnitentia per evidentia ſigna conſtiterit, defuncto etiam abſolutionis beneficium impendatur. *Ut autem in uno, eodemque negotio*, idem Pontifex ſubdit, *& ſervemus rigorem, & manſuetudinem oſtendamus; ſtatuimus, ut illius mortui abſolutio a Sede Apoſtolica requiratur, qui, cum viveret, ab ea fuerat abſolvendus: aliorum autem abſolutionem cæteris indulgemus, a quibus, dum viverent, fuerant abſolvendi. Abſolutionis autem forma ſervetur, ut fiat cum Pœnitentiali Pſalmo, & tam oratione Dominica, quam alia conſueta. Hæredes quoque ipſius ad ſatisfaciendum pro ipſo, ſi monitione præmiſſa noluerint, per diſtrictionem Eccleſiaſticam compellantur.* X. Quam-

(1) Innocentius III. cap. *Sacris*. de ſepulturis.

(2) Cap. *Conſuluiſti*. de conſecr. Eccl.

(3) Cap. *A Nobis*. de ſent. excomm.

X. Quamquam Prælatis omnibus Romano Pontifice inferioribus vetitum in Jure Canonico ſit, ne Communitatem, Univerſitatem, Collegium, aut alium quemcumque Politicum Cœtum collective, ac ſimul anathemate feriant; ſic enim Innocentius IV. (1) decrevit: *In Univerſitatem, vel Collegium proferri excommunicationis ſententiam prohibemus, volentes animarum periculum vitare, quod exinde ſequi poſſet, cum nonnumquam contingeret innoxios hujuſmodi ſententia irretiri, ſed in illos dumtaxat de Collegio, vel Univerſitate, quos culpabiles eſſe contigerit, promulgetur*; Fieri id tamen poteſt a Romano Pontifice, cujus poteſtas poſitivo humano jure reſtringi nequit, cum par (2) in parem non habeat imperium.

XI. Cum autem, qui cum excommunicato in rebus ſacris, aut politicis communicat, minori, ut diximus, excommunicatione innodetur; aliquid nunc de ea dicamus. Ea eſt Eccleſiaſtica cenſura, per quam Fidelis paſſivo Sacramentorum uſu, ſeu perceptione, ac paſſiva ad beneficia, atque Eccleſiaſticas dignitates electione privatur, itaut, ſi forte eligatur, non irrita ipſo jure, ſed irritanda tamen ſit electio. *Si celebrat minori excommunicatione ligatus*, inquit Gregorius IX. (3); *licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione juriſdictionis ſibi competunt, exercere. Si tamen ſcienter talis electus fuerit, ejus electio eſt irritanda pro eo, quod ad ſuſceptionem eorum eligitur, quorum perceptione a Sanctis Patribus eſt privatus. Peccat autem conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta, ſed ab eo collata virtutis non carent effectu, cum non videatur a collatione, ſed a participatione Sacramentorum, quæ in ſola conſiſtit perceptione, remotus: Dummodo non in contemptum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, videlicet contra prohibitionem Superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter ſe ingeſſerit; in quo caſu eſt anathemate feriendus*. A minori excommunicatione abſolvere (4) in foro exter-

(1) Cap. *Romana*. de ſent. excommunic. in *6*.

(2) Cap. *Innotuit*. de elect.

(3) Cap. *Si celebrat*. de Clerico excommunicato.

(4) Cap. *Nuper*. de ſent. excomm.

Digitized by Google

externo poteſt Ordinarius quilibet Eccleſiaſticus Judex ; in foro autem interno non modo Epiſcopus, verum etiam Parochus, & quivis Sacerdos ab Ordinario loci ad audiendas Fidelium Confeſſiones approbatus.

XII. Peccata fere omnia Summo Pontifici reſervata adnexam habent majoris excommunicationis pœnam ipſo facto incurrendam, cujus abſolutionem, excepto mortis articulo, ſibi Romani Pontifices reſervarunt. Cum itaque ab his cenſuris nonniſi Romanus Pontifex, atque ab eo delegati poſſint abſolvere; Ne per ignorantiam, aut incuriam Parochi, cæterique Confeſſarii in re momenti tam gravis errent, ſcire curent diligentiſſime, quinam ſint caſus hujuſmodi ſive in corpore Juris, ſive in Bulla Cœnæ, ſive in Bullario, aliiſque Conſtitutionibus Romano Pontifici reſervati. Nos Bullam Cœnæ, & alios quoſdam caſus peculiari modo Apoſtolicæ Sedi reſervatos damus in Appendice num. 15. Reliqui videri poſſunt apud probatos Auctores, ac præſertim apud Theſaurum lib. de pœnis Eccleſiaſticis noviſſimæ editionis. Aliqua tamen hic circa hæreſim, quæ primum habet locum inter caſus in Bulla Cœnæ reſervatos, inſinuanda iiſdem arbitramur. Primum eſt, ſimplicem (1) quemvis Confeſſarium abſolvere poſſe ab hæreſi pure interna, & mentali, quæ nullo prorſus exteriori ſigno fuerit manifeſtata. Abſolutio enim ab hæreſi, ſolum ratione cenſuræ, quæ eidem hæreſi adnexa eſt, Summo Pontifici reſervatur. At ſicuti directe, & immediate præcipere nequit Eccleſia, aut prohibere actum mere internum, uti communiſſime ſentiunt Theologi cum S.Thoma (2); ita hæreſi, quæ in exteriorem non prodit actum, cenſuram Apoſtolica Sedes non adnexuit, quam ſibi reſervaverit. Alterum eſt, cenſuram (3) non incurrere, adeoque a ſimplici etiam Confeſſario abſolvi illum poſſe, qui exterius quidem facto, vel verbo aliquem Fidei negavit articulum, interiorem tamen quoad illum retinuit aſſen-

Oooo ſum:

(1) Benedictus XIV. de Synodo lib.9. cap.4. num.4.

(2) 1. 2. qu.91. art.4., & qu.100. art. 9.

(3) Benedictus XIV. loc. cit.

ſum: is enim, licet graviter contra Catholicam Fidem peccet, & in externo punietur foro, tamquam hæreticus; non tamen eſt formaliter hæreticus, adeoque cenſuris in hæreticos inflictis non irretitur. Tertium eſt ab Epiſcopo (1) reſipiſcentem Hæreticum, qui vel ſponte coram eo compareat, vel ad ejus forum quoquo modo deducatur, Eccleſiæ poſſe reconciliari, & pro utroque foro a cenſuris abſolvi: imo hæreticum pœnitentem, poſtquam errores ſuos ejuravit, ad ſimplicem Confeſſarium remitti ab Epiſcopo poſſe, ut ab eo abſolvatur, eamque abſolutionem, licet a Confeſſario in foro Sacramentali datam, pro externo etiam foro prodeſſe, a cujus juriſdictione promanat. Poſtremum tandem eſt, internam (2) hæreſim exteriori aliquo ſigno manifeſtatam, ſed adhuc occultam, neque ad judiciale forum deductam, a ſola Apoſtolica Sede, extra mortis articulum, abſolvi poſſe. Per Apoſtolicam enim Conſtitutionem, quæ in die Cœnæ Domini quotannis promulgatur, facultas adempta cuilibet eſt, ſive Regulari, ſive Sæculari Confeſſario, ſive etiam Epiſcopo, ab hæreſis crimine pro foro conſcientiæ abſolvendi. Imo quamquam Summus Pontifex occaſione Jubilæi cuilibet Confeſſario ex approbatis a locorum Ordinariis ampliſſimam largiatur poteſtatem facinora omnia remittendi, & in foro ſacramentali quaslibet relaxandi cenſuras ſibi quomodocumque, etiam per Bullam Cœnæ, reſervatas; per eam tamen, aliaſve hujuſmodi conceſſiones numquam collata cenſetur auctoritas abſolvendi a crimine hæreſis, niſi ſpecialiter id fuerit, ac nominatim expreſſum. Sic enim decreto (3) ſuo declaravit Alexander VII. per hæc verba: *Sanctiſſimus Dominus Noſter, inhærendo declarationibus alias a Prædeceſſoribus ſuis factis, ad removendam omnem dubitandi occaſionem, & ne circa id in poſterum ullo tempore hæſitari contingat, cum crimen hæreſis, præ cæteris graviſſimum, ſpeciali nota dignum ſit, decrevit facultatem abſolvendi ab hæreſi in Jubilæis, vel aliis*

(1) Benedictus XIV. loc. cit.

(2) Benedictus XIV. loc. cit. n.5.

(3) Alexander VII. in Congreg. Gener. Supremæ Inquiſit. 23. Martii 1656.

aliis ſimilibus conceſſionibus non cenſeri comprehenſam, niſi expreſſis verbis concedatur facultas abſolvendi ab hæreſi.

De Suſpenſione.

XIII. Suſpenſio eſt cenſura, quæ Clericum privat eo Eccleſiaſtici Juris, aut Poteſtatis uſu, quo antea potiebatur. Cum ſit cenſura, jam eſt medicinalis pœna, adeoque differt a depoſitione, degradatione, atque irregularitate, quæ certe pœnæ non ſunt medicinales. Imo per id differt etiam ab ea ſuſpenſione (1), quæ ut mera pœna irrogatur, & eſſe ſolet perpetua; cum contra ſuſpenſio, quæ cenſura eſt, irrogari ad tempus debeat, ut reus a ſua contumacia reſipiſcat. Cum autem ſuſpenſio, ut diximus, Eccleſiaſtici Juris, aut Poteſtatis uſu privet; manifeſtum inde eſt, eam non, niſi Clericis, qui Eccleſiaſtici Juris, ac Poteſtatis ſunt capaces, poſſe irrogari.

XIV. Suſpenſio alia eſt ab officio, alia a beneficio, alia ab utroque. Prior eſt, qua Clerico Ordinum, ac functionum, quæ ratione Ordinis peragi ab eo poſſent, interdicitur exercitium. Officii enim uſus duplicem actuum claſſem complectitur, Ordinis videlicet, & Juriſdictionis. Actus Ordinis ex.gr. quoad Sacerdotem ſunt adminiſtratio Sacramentorum, celebratio Miſſæ &c. Actus vero Juriſdictionis ſunt abſolutio a peccatis, & cenſuris, diſpenſatio, conſtitutio legis, vel cenſuræ, collatio beneficii &c. Altera eſt, qua vetatur Clerico Beneficium ſuum Eccleſiaſticum adminiſtrare, ejuſdemque fructus percipere. Tertia eſt, qua Officii, ac Beneficii Jura exercere Clericus prohibetur. Si ſuſpenſio abſolute, ac ſine ulla limitatione infligatur, neque colligi aliunde poſſit, utrum ſit ab officio, an a Beneficio; tunc (3) ſuſpenſio ab utroque ſignificatur, itaut Clericus ab omni prorſus Officii, ideſt cum Ordinis, tum Juriſdictionis exercitio, & ab omni Beneficii fructuum perceptione ſuſpenſus eſſe cenſeatur: non tamen eidem

(1) Cap. *Cum in cunctis*. de elect.

(2) Cap. *Cum bona*. de ætate, & qualitate, & Clement. 1. §. *Quibus*. de privilegiis.

eidem aut poteſtas ipſa, aut Beneficii titulus adimitur. Suſpenſio ab Officio alia eſt totalis, partialis altera. Totalis ea eſt (1), per quam Clericus ab omni ſpirituali cum Ordinis, tum Juriſdictionis, Eccleſiaſticæque adminiſtrationis officio impeditur. Partialis vero eſt, per quam Clericus vel ab Ordine tantum, ſeu ab aliquo Ordinis actu, puta a Miſſæ celebratione; vel a Juriſdictione tantum, ſeu a certo Juriſdictionis actu, puta a voce activa, ſeu a beneficii collatione arcetur. Suſpenſio item a beneficio vel totalis eſt, vel partialis. Totalis eſt, quando Clericus ab omnium, quæ poſſidet, Eccleſiaſticorum Beneficiorum adminiſtratione, omniumque perceptione fructuum ad tempus ſuſpenditur. Partialis vero, quando Clerico, ſi plura habeat beneficia, unius ex illis dumtaxat, vel ſi unum habeat, ejuſdem ſolum ex parte adminiſtratio, fructuumque perceptio interdicitur. Suſpenſio tandem alia eſt ab homine, alia a Jure. Ab homine ea eſt, quæ ab Eccleſiaſtico Superiore in eum finem indicitur, ut fiat, vel ne fiat hoc, vel illud. A Jure vero ſunt illæ, quæ variis perſonis propter varia crimina ſtatutæ jam ſunt, atque impoſitæ in Jure Communi, & in Apoſtolicis Conſtitutionibus. Hæ videri poſſunt apud laudatum Theſaurum lib. de pœnis Eccleſiaſticis noviſſimæ editionis.

XV. Ii omnes, ac ſoli, qui ferre excommunicationis ſententiam poſſunt, infligere etiam poſſunt ſuſpenſionem, & quemadmodum excommunicatio, ita & ſuſpenſio regulariter (2) ſcripto ferenda eſt. Omnes autem, & ſoli Clerici, uti ſuperius diximus, præter Romanum Pontificem, ſuſpenſioni ſunt obnoxii. Epiſcopis autem illud in Jure Canonico (3) conceſſum eſt privilegium, ut niſi expreſſa eorum fiat mentio, in legibus, in quibus ſuſpenſionis pœna ſtatuitur, [idem dicendum de cenſuris reliquis] comprehenſi numquam intelligantur. Non modo in

(1) Cap. *Tuarum*. de privilegiis, & Clement. 1. de decimis.

(2) Cap. 1. de ſent. excomm. in 6.

(3) Cap. *Quia periculoſum*. de ſent. excomm. in 6.

in ſingulares Clericorum perſonas, verum etiam in totam aliquam (1) eorum Communitatem, aut Collegium pronunciari poteſt ſuſpenſio, [excipe ſuſpenſionem ab audiendis confeſſionibus(2),quæ ab Epiſcopo, inconſulta Apoſtolica Sede, omnibus ſimul unius Conventus Regularibus irrogari nequit], & quidem dupliciter, ideſt vel collective, puta ſi Capitulum habens alicujus beneficii juriſdictionem, & adminiſtrationem, ab eo ſuſpendatur; vel diſtributive, itaut ſinguli, dummodo noxii ſint, ſuſpenſionis pœnam incurrant:Imo aliquando uterque hic ſuſpenſionis modus ſimul adhibetur, quemadmodum exemplum habemus in Jure Canonico, ubi & totum Capitulum, & ſinguli ſimul Clerici illud componentes, ac demortui Prælati bona occupantes, aut diripientes, ab Officiis, & Beneficiis, donec reſtituant, ſuſpenduntur.

XVI. Ut autem Clerici Canonicæ hujus pœnæ gravitatem intelligant, ac ſalubriter reformident; effectus, qui a ſuſpenſione producuntur, paucis recenſeamus. Suſpenſus, etiam occultus, ſi actum aliquem, a quo eſt ſuſpenſus, exerceat, gravi ſe inquinat culpa, niſi inculpabilis illum ignorantia, aut gravis excuſet neceſſitas: Imo ſi actum Sacri Ordinis, a quo ſuſpenſus eſt, exequatur, propter cenſuræ violationem ipſo facto in irregularitatem (3) incurrit. Validi tamen ſunt ii Ordinis actus, qui a Juriſdictione non pendent; invalidi vero ii, qui ab eadem promanant, cujuſmodi ſunt ſacramentales abſolutiones, ſi ſuſpenſus ſit nominatim denunciatus: ſecus autem, ſi occulta ſit ſuſpenſio, & cum errore communi titulus adſit coloratus, uti ſuperius de excommunicatione diximus. 2. Suſpenſus ab officio, & beneficio neque poteſt eligere, neque eligi, neque capax (4) eſt Eccleſiaſtici obtinendi Beneficii, quare collatio eidem facta, ſaltem eſſet

(1) Cap. *Quia ſæpe*. de elect. in 6.

(2) Clemens X. Conſt. *Superna*. 21. Junii 1670.

(3) Cap. 1. de ſent., & re judic., & cap. 1. de ſent. excomm. in 6.

(4) Cap. *Cum dilectus*. de conſuetudine.

eſſet irritanda. Cum enim Beneficium detur propter Officium (1), non recte ei confertur, qui propter cenſuram, qua innodatur, præſtare nequit Officium. 3. ſuſpenſus ab Ordine, & Beneficio ſuſpenſionem voluntarie, ac ſcienter violans, ac præſertim Miſſam celebrans, ab Officio, & Beneficio (2) eſt deponendus. 4. ſuſpenſus a beneficio, licet occultus, omnibus ejuſdem fructibus, & quotidianis etiam diſtributionibus ita privatur, ut eos percipere licite nequeat, perceptoſque ante quamlibet Judicis ſententiam reſtituere teneatur, cum hoc tamen diſcrimine (3), ut fructus præbendæ pauperibus, aut Eccleſiæ, diſtributiones vero quotidianas iis, qui divinis Officiis interfuere, reſtituat. Quod ſi publica, ac notoria ſit ſuſpenſio, tunc ſuſpenſus beneficii fructus ſibi uſurpans (4), præter reſtitutionis onus, & grave peccatum, perpetuam quoque beneficiorum contrahit privationem. Suſpenſus autem a beneficio adhuc Horas Canonicas privatim recitare, aliaque beneficii onera ſuſtinere tenetur, cum obligationes hujuſmodi beneficio, quod adhuc retinet, ſint adnexæ. 5. ſi Clericus (5) comprehenſus fuerit incontinentiæ vitio laborare, eaque de cauſa ſuſpenſus fuerit; & nihilominus divina celebrare præſumpſerit; non ſolum Eccleſiaſticis beneficiis eſt ſpoliandus, verum etiam pro duplici culpa perpetuo deponendus. 6. ſuſpenſus a minori Ordine, ad majores aſcendere nequit, niſi prius abſolvatur, licet a majori Ordine ſuſpenſus exercere minorem poſſit. *Eſt enim perquam ridiculum (6), eum, qui minoribus honoribus pœnæ cauſa prohibitus eſt, ad majores aſpirare: majoribus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur.* 7. ſuſpenſus ab Officio, Ordine, ac Juriſdictione in uno loco, ſuſpenſus ubique eſt, itaut nullibi

(1) Cap. ult. de Clerico excommun. miniſtrante.

(2) Cap. *Clerici*, & cap. *Latores*. de Cleric. excomm.

(3) Can. *Siquis deinceps*. cauſ. 17. qu. 4.

(4) Can. 1. §. ult., & cap. *Cupientes*. de elect. in 6.

(5) Cap. *Ut Clericorum*. §. *Siquis*. de vita, & honeſt. Cleric.

(6) L. *Legatorum*. §. ult. ff. de interdictis.

nullibi illius poteſtatis, a qua ſuſpenſus fuit, actus exercere poſſit, donec abſolvatur: cenſura enim immediate perſonam afficit, eique proinde etiam extra ferentis territorium adhæret.

XVII. Romanus Pontifex ordinariam habet poteſtatem abſolvendi ab omnibus ſuſpenſionibus. Epiſcopis autem ex Tridentino (1) *licet in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare; & in quibuſcumque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcumque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari*. In reliquis quoad ſuſpenſionis abſolutionem ea hìc repetenda ſunt, quæ ſuperius diximus de cenſurarum abſolutione. Tria dumtaxat generatim ſtatuimus. 1. ſi abſolute, ac ſine ulla certi temporis præfixione, propter contumaciam inflicta ſit ſuſpenſio, tunc ea non, niſi per abſolutionem, tollitur, quæ vel ab eo danda eſt, qui hanc cenſuram inflixit, vel ab alio, qui delegatam ad id habeat poteſtatem. 2. ſi ad certum tempus ex. gr. ad ſex menſes; vel certa ſub conditione ex. gr. ſi creditori ſatisfecerit, lata fuerit ſuſpenſio; tranſacto tempore, vel impleta conditione, jam ipſa per ſe ceſſat ſuſpenſio. 3. quod ſi impoſita eadem fuerit ſive in perpetuum, ſive ad tempus, ſive a Jure, ſive ab homine, tamquam mera pœna culpæ præteritæ debita; tunc, cum ea cenſuræ rationem non habeat, per ſolam Auctoris Canonis, aut ejus Succeſſoris, ſeu Delegati, ſeu Superioris diſpenſationem tolli poteſt. Sicuti enim inferior Superioris legem, ita etiam adnexam eidem pœnam ſolvere nequit.

De Interdicto.

XVIII. Interdictum eſt Eccleſiaſtica Cenſura, per quam Fidelis (2) ab aliquorum Sacramentorum uſu, ab omnium divinorum

(1) Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de ref.

(2) Cap. *Non eſt nobis*. de ſponſal., & matrimon., & cap. *Quod in te*. de pœnit., & remiſſ.

norum Officiorum publica celebratione, atque aſſiſtentia, & ab Eccleſiaſtica ſepultura arcetur. Differt hæc cenſura ab excommunicatione, quia paucioribus, quam excommunicatio, & Sacris tantum, non vero politicis, & civilibus privat bonis. Differt etiam a ſuſpenſione, quia tum Clericos, tum Laicos afficit, ac præterea Eccleſiaſtica privat ſepultura.

XIX. Interdictum aliud eſt locale (1), aliud perſonale, & aliud mixtum. Locale eſt, quo locus ipſe immediate afficitur, ac prohibetur, ne in eo ſive ab indigenis, ſive ab alienigenis divina celebrentur officia. Perſonale eſt, quo perſonæ ipſæ immediate afficiuntur, iiſque interdicitur, ne ullibi Sacramenta percipiant, aut ſacras exerceant functiones, quæ per interdictum prohibentur. Mixtum (2) denique illud eſt, quo & locus, & perſonæ, puta Civitas, atque ejus Incolæ, immediate interdicto ſubduntur.

XX. Si in aliquam dumtaxat particularem perſonam feratur interdictum, perſonale particulare; ſi vero in aliquam Communitatem, aut Collegium, ſeu Capitulum, perſonale generale nuncupatur. Idem ſua ſervata proportione de interdicto locali dicendum eſt: generale enim locale dicetur, ſi in Regnum, aut Provinciam, aut Civitatem &c., particulare vero locale, ſi in certam Eccleſiam, aut locum ſacrum interdicti ſententia pronuncietur. De perſonali generali interdicto hæ ſtatuuntur regulæ. 1. ſi Provinciæ, vel Civitatis Populus interdicatur, omnes, & ſinguli ejuſdem Civitatis, aut Provinciæ incolæ ſunt interdicti, etiam ii, qui ſunt innocentes, niſi ſpeciali privilegio eximantur, aut niſi per domicilii mutationem eſſe deſinant membra interdictæ Civitatis, aut Provinciæ. 2. interdicto (3) Populo, interdictus non cenſetur Clerus, & viceverſa, niſi aliud in interdicti ſententia exprimatur. 3. ſub generali Cleri interdicto Regulares

(1) Cap. *Præſenti*. cap. *Si Civitas*. de ſent. excomm. in 6.

(2) Cap. *Si ſententia*. de ſent. exc. in 6.

(3) Cit. cap. *Si ſententia*. de ſent. excomm. in 6.

lares utriuſque ſexus, niſi vel exprimantur, vel ex ſubjecta materia, aliiſque circumſtantiis eos quoque interdici conſtet, comprehenſi non intelliguntur, tum quia in odioſis Regulares, niſi exprimantur, ſub *Cleri* nomine non veniunt, (ſunt enim *Clerus*, ſed ſemper cum addito *Regularis*) tum quia certum eſt, ſub interdicto contra Regulares lato Clericos Sæculares non comprehendi; adeoque omnis ratio æquitatis poſtulat, ut ſub interdicto contra Clericos lato Regulares non comprehendantur. 4. licet Clerus generaliter interdicatur, non tamen interdicto ſubiacet Epiſcopus, niſi expreſſa ejuſdem (1) mentio in ſententia interdicti fiat.

XXI. Quoad locale generale interdictum hæ ſervandæ ſunt regulæ. 1. interdicta Civitate, ejus quoque ſuburbia interdicta intelliguntur, ſive Civitatis ſint pars, ſive non, ſive Civitati contigua ſint per mœnia interjacentia, ſive vicina, ſeu non valde diſtantia, ſive ejuſdem ſint Diœceſis, ſive diverſæ. *Si Civitas*, uti ſtatuit Bonifacius VIII., (2) *Caſtrum, aut villa Eccleſiaſtico interdicto ſubjiciantur; illorum ſuburbia, & continentia ædificia eo ipſo intelligi volumus interdicta. Nam licet prædicta videantur alias murorum ambitu terminari; hoc tamen caſu ne vilipendi valeat ſententia interdicti (quod fieret, ſi poſſet in ipſorum ſuburbiis, vel continentibus ædificiis licite celebrari, ut prius) expedit interpretationem fieri latiorem. Ratione quoque ſimili, ſi ſit Eccleſia interdicto ſubjecta, nec in Capella ejus celebrari, nec in cœmeterio ipſius eidem Eccleſiæ contiguis poterit ſepeliri: ſecus, ſi ei contigua non exiſtant*. 2. interdicta Civitate, ſeu Diœceſi, non modo Cathedralis Eccleſia, verum etiam Eccleſiæ omnes Regularium interdictæ cenſentur. Ipſi enim Regulares tam exempti, quam non exempti, niſi ſpeciali hac ſuper re privilegio ſint muniti, ſervare tenentur locale interdictum, (3) ſive illud ab Apoſtolica Sede, ſive ab Epi-

Pppp

(1) Cap. *Quia periculoſum*. de ſentent. excomm. in 6.

(2) Cap. *Si Civitas*. de ſent. exc. in 6.

(3) Cap. *Auctoritate*. de privilegiis in 6., & cap. *Cum in partibus*. de V. S.

Epiſcopo fuerit promulgatum. Sic enim ſtatuit Tridentina Synodus: (1) *Cenſuræ, & interdicta nedum à Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, a Regularibus in Eccleſiis publicentur, & ſerventur.*

XXII. Interdicta, quemadmodum & reliquæ cenſuræ, alia ſunt ab homine, alia a Jure. Priora ferri poſſunt ab iis omnibus, qui excommunicare (2) poſſunt, ac ſuſpendere: Superiores tamen Regulares Eccleſias nequeunt ſibi ſubjectas interdicto (3) ſubdere, tum quia non localis, ſed perſonalis dumtaxat eſt eorum juriſdictio, tum quia per ejuſmodi interdictum Juriſdictionem in Clerum, & Populum, adeoque in non ſubditos iidem exercerent, quod ſane ii neque licite, neque valide poſſunt. Poſteriora vero in Jure Communi, & in Conſtitutionibus Apoſtolicis lata ſunt, atque apud citatum Theſaurum in laudato opere videri poſſunt.

XXIII. Triplex eſt interdicti effectus, triplex videlicet privatio. 1. aliquorum Sacramentorum. 2. divinorum officiorum. 3. Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Quod ad primum attinet, tempore interdicti neque recipere, neque adminiſtrare licet Euchariſtiam, Ordinem, & Extremam Unctionem. Verum etiam quoad hæc Sacramenta tunc recipienda, atque adminiſtranda rigorem ſuum moderata eſt pia Mater Eccleſia. Nam quoad Euchariſtiam conceſſum eſt, ut eadem etiam tempore interdicti per modum Viatici moribundis adminiſtretur. *In illo verbo*, inquit Innocentius III. (1), *per quod pœnitentiam morientibus non negamus, Viaticum etiam, quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipſum decedentibus denegetur.* Imo ne Euchariſticus deſit panis ad ægrotos per modum Viatici deferendus, interdicti etiam tempore permiſſum eſt ſemel in hebdomada in Tem-

(1) Trid. ſeſſ. 25. cap. 12. de Regularibus.

(2) Cap. *Cum Eccleſiarum*. de officio Judicis Ordinarii.

(3) Sac. Congregat. Epiſcopor. in Neapolitana Cenſurarum. 21. Junii 1697.

(4) Cap. *Quod in te*. de pœnit., & remiſſionibus; & cap. *Permittimus*. de ſententia excommunic.

Templo januis clauſis Miſſæ Sacrificium celebrare. *Permittimus*, inquit (1) Gregorius IX., *Eccleſiarum Miniſtris ſemel in hebdomada tempore interdicti, non pulſatis campanis, voce ſubmiſſa, januis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, Miſſarum ſolemnia celebrare cauſa conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur*. Quoad extremam Unctionem, licet hæc per generale interdictum omnibus denegetur, permiſſum tamen eſt, eam tempore etiam interdicti illi ægroto miniſtrare, qui propter morbi gravitatem non aliud recipere poteſt Sacramentum. Quoad reliqua Sacramenta antiquum pariter rigorem Eccleſia prudenter moderata eſt, & hæc in jure Canonico ſapienter inſtituta reperimus. *Quæſiviſti*, reſcripſit Innocentius III. Ferrarienſi Epiſcopo, (2) *cum Ferrarienſis Civitas ſit interdicto ſuppoſita, & ideo ſint ibidem (præter baptiſma parvulorum, & pœnitentias morientium) univerſa Sacramenta Eccleſiaſtica interdicta, an liceat tibi baptizatos pueros in frontibus conſignare? Super quo reſpondemus, quod ſicut baptizari poſſunt pueri, ſic & baptizati ad confirmationem in frontibus a te poſſunt ſacro Chriſmate deliniri. Quoniam autem* (ita deinde (3) ſtatuit Bonifacius VIII.) *in Baptiſmo, & Confirmatione (quæ nedum pueris, ſed & adultis propter moræ periculum exhiberi poſſunt licite tempore interdicti) Chriſmatis utimur unctione; poſſe, licet terra interdicta exiſtat, Chriſma die Cœnæ Domini confici, dubium non exiſtit*. Quoad Pœnitentiæ Sacramentum hanc Decretalem edidit idem Bonifacius VIII. (4): *Concedimus, ut tempore interdicti ab homine, vel à jure prolati, non tantummodo morientes, ſed etiam viventes, tam ſani etiam, quam infirmi, ad pœnitentiam, quæ propter pronitatem, & facilitatem hominum ad peccandum ſumme neceſſaria eſt, licite admittantur, dum tamen excommunicati non fuerint, quos admitti, præterquam in mortis articulo, nolumus ad eam-*

 dem.

(1) Cap. *Permittimus*. de ſent. excommunicat.

(2) Cap. *Reſponſo*. de ſentent. excommunic.

(3) Cap. *Quoniam autem*. de ſent. excomm. in *6*.

(4) Cap. *Alma Mater*. de ſentent. excommunic. in *6*.

dem. Illis etiam, propter quorum culpam, dolum, vel fraudem lata eſt ſententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cujus occaſione ipſum interdictum eſt latum, præbuerunt auxilium, conſilium, vel favorem, niſi de ipſo delicto (ſi ſint tales, ut id facere valeant) prius ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo idoneam dederint cautionem; aut ſi ſatisfacere nequeant, vel hujuſmodi cautionem præſtare, juraverint, quòd, cum poterunt, ſatisfacient; & ad ſatisfactionem hujuſmodi per eum, vel per eos, qui facere ipſam debent, & poſſunt, præſtandam dabunt conſilium, & auxilium, ac juxtà poſſe ſuum fideliter laborabunt, non eſt pœnitentiæ beneficium aliquatenus concedendum. Nec tunc etiam quoad iſtos, vel alios, qui circa hoc minime deliquerunt (ubi civitas, vel locus alius, ſeu univerſitas interdicti exiſtunt) facienda eſt relaxatiò interdicti, ſed eſt eis ſolummodo injungenda pœnitentia ſalutaris. Quoad Sacramentum denique Matrimonii, illud quoque interdicti tempore coram Parocho, ac duobus, ſeu tribus Teſtibus iniri licite poteſt, dummodo ſolemnis Nuptiarum benedictio non adhibeatur.

XXIV. Divina officia, quorum privationem (1) interdictum inducit, ſunt publica Miſſæ celebratio, publica Horarum Canonicarum in Choro recitatio, ſupplicationes publicæ, publicæ Templi, Fontis Baptiſmalis, Cinerum, Palmarum, Candelarum, ac Nuptiarum benedictiones, ſolemnis aquæ luſtralis aſperſio, ſolemnis in approbata Religione Profeſſio, aliaque hujuſmodi. Non interdicuntur tamen privatæ benedictiones, & preces, ac privata Horarum Canonicarum recitatio, ad quam imo Clerici Beneficiati, & in Majoribus Ordinibus conſtituti, ſive locale ſit, ſive perſonale interdictum, omnino obligantur. Neque interdicta Concio (2) eſt, imo ad eam per æris campani pulſum ii, qui interdicto ſubjacent, convocari poſſunt, ut nimirum per verbi divini prædicationem corrigantur, ac reſipiſcant. Amplam hanc divinorum officiorum prohibitionem Boni-

(1) Cap. *Si Sententia*. de ſent. excom. in 6., & cap. *Permittimus*. eod. tit.

(2) Cap. *Reſponſo*. de ſent. excommun.

Bonifacius VIII. (1) apoſtolica benignitate limitavit, ſtatuens, ut tempore interdicti localis generalis (non tamen interdicti localis particularis, aut perſonalis etiam generalis) *ſingulis diebus in Eccleſiis, & Monaſteriis* (quando videlicet Clerici, & Religioſi non ſint interdicti) *Miſſæ celebrentur, & alia dicantur divina officia, ſicut prius, ſubmiſſa tamen voce, & januis clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, & campanis etiam non pulſatis*. Quin etiam illud addidit, *ut in Feſtivitatibus Natalis Domini, Paſchæ, ac Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis Glorioſæ* (quibus à Martino V., & Eugenio IV. additus fuit *dies Feſtus Corporis Chriſti cum ejus octava*, & a Leone X. *dies Feſtus Conceptionis Immaculatæ Beatæ Mariæ Virginis cum Octava*) *campanæ pulſentur, & januis apertis alta voce divina officia ſolemniter celebrentur, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis, quibus ob reverentiam dictarum ſolemnitatum ... præfatis diebus participationem permittimus divinorum, ſic tamen, ut illi, propter quorum exceſſum interdictum hujuſmodi eſt prolatum, Altari nullatenus appropinquent*.

XXV. Tertius tandem interdicti effectus eſt Eccleſiaſticæ ſepulturæ privatio: quamobrem in loco interdicto (2) nemo, quamquam innocens (cujuſmodi certe ſunt infantes, atque amentes) ſepeliri poteſt. Excipiendi tamen ſunt. 1. Clerici, qui neque ſint perſonaliter interdicti, neque cauſam interdicto dederint, neque illud illicita divinorum officiorum celebratione violarint. Hi enim (3) in loco Sacro, quamquam interdicto, *ſine campanarum pulſatione, in ſilentio, & ceſſantibus ſolemnitatibus omnibus*, tumulari poſſunt. 2. Laici, qui neque perſonaliter ſint interdicti, neque interdicto culpabilem dederint cauſam: hos (4) enim extra locum interdictum efferre licet, & in Sacro loco non interdicto ſepelire. 3. etiam perſonaliter interdicti, ſed nondum denun-

(1) Cap. *Alma Mater*. de ſent. excommunic. in 6.

(2) Cap. *Quod in te*. de pœnit., & remiſſion.

(3) Cit. cap. *Quod in te*.

(4) Cap. *Si ſententia*. de ſent. excommunic. in 6.

Digitized by Google

denunciati: hi enim in loco Sacro non interdicto ſepultura donandi ſunt: *nam quibus vivis (1) communicavimus, mortuis quoque communicare poſſumus*: Hinc interdictos etiam perſonaliter, antequam denuncientur, (2) a divinis Officiis, quæ in loco non interdicto celebrentur, repellere non jubemur. Quod ſiquis extra locum ſacrum tempore interdicti ſepultus fuerit, interdicto ceſſante, in ſacrum locum, ſi fieri commode poſſit, eſt transferendus. Contra vero, ſi interdictus, in loco ſacro illicite humatus fuerit, non exhumandus eſt, & in profano loco ſepeliendus, cum in nullo Juris Canonici textu id ſtatutum reperiamus.

XXVI. Ne quis autem interdictum violare audeat, hæ in Jure Canonico adverſus tranſgreſſores ſtatutæ ſunt pœnæ. 1. Laici, qui ſcienter interdictum perſonale, ſeu particulare, ſeu generale violent, ac divinis ex. gr. interſint officiis, graviter peccant, grave enim Eccleſiæ præceptum tranſgrediuntur: præterea Canonicis etiam plecti poſſunt pœnis. 2. Temporales locorum Domini, eorumque Officiales, qui vel in loco interdicto ad divina publice celebranda officia Clericos compellunt; vel interdictos, aut excommunicatos vocant, ut iis interſint; vel prohibent, ne interdicti, aut excommunicati, poſtquam a celebrante, ſeu ab alio moniti ſunt, e Templo egrediantur; vel ipſimet interdicti, poſt monitionem e loco ſacro abire recuſant; vel divinis violenter ſeſe ingerunt officiis, præter graviſſimæ reatum culpæ, ipſo facto (3) excommunicationem majorem Romano Pontifici reſervatam incurrunt. 3. Clerici, & Regulares, ſive perſonale, ſive locale interdictum violantes, graviſſime peccant, & ſiquem ordinis actum exerceant (4), fiunt ipſo facto irregulares. Præterea privilegio privantur, quod cæteroquin haberent (5), ut in loco ſacro ſepeliri poſſint: Item nec

(1) Cap. *Sane*. cauſ. 24. qu. 2.

(2) Extrav. Martini V. *Ad evitanda*.

(3) Clem. 2. de ſententia excommunicationis.

(4) Cap. *Is, qui*. 18., & cap. *Is cui*. 20. de ſent. excom. in 6.

(5) Cit. cap. *Is, cui*, & cap. *Quod in te*. de pœnit., & remiſſ.

Digitized by Google

nec eligere (1), nec eligi, aut poſtulari (2) valent. In ſuſpenſionem etiam (3) ab officio, beneficio, ac juriſdictione incurrunt. 4. Qui extra caſus in Sacris Canonibus expreſſos, quorum ſuperius meminimus, interdictum aliquem in loco ſacro ſcienter tumulant (4), excommunicationis Epiſcopo reſervatæ vinculo innodantur. 5. Regulares etiam exempti, qui locale interdictum a Romano Pontifice, vel ab Ordinario latum non ſervant, quando idem ab Eccleſia Matrice, ſeu Parochiali illius loci, in quo habitant, ſervatur, præter ſuperius recenſitas pœnas (5), in excommunicationem incurrunt.

XXVII. Interdictum a Jure communi latum, per relaxationem, ſeu abſolutionem tollitur. Et quidem ſi generale ſit, ſive locale, ſive perſonale, neque ſit reſervatum, auferri, ſeu ad tempus ſuſpendi poteſt ab Epiſcopo, aut ab alio, qui in eum locum, vel Communitatem juriſdictionem habeat quaſi Epiſcopalem. *Quod enim (6) Legislator ſpecialiter ſibi non reſervavit, aliis Ordinariis Judicibus conceſſiſſe videtur*. At id fieri nequit a Parochis, aliiſque Confeſſariis etiam privilegiatis, qui ab aliis cenſuris poſſunt abſolvere, cum hi pro interno dumtaxat pœnitentiæ foro juriſdictionem habeant, cui certe neque locus, neque communitas ſubjiciuntur. Interdictum perſonale particulare, & non reſervatum, tolli a quolibet (7) approbato Confeſſario poteſt. Quod ſi reſervatum Romano Pontifici fuerit; abſolvere ab eo per ſe Romanus Pontifex; ex privilegio autem (ſi occultum ſit, neque deductum ad forum contentioſum) poteſt etiam Epiſcopus, aut alius, qui tali gaudeat privilegio, pro interno tamen dumtaxat foro. Tandem interdictum ſive locale, ſive perſonale ab homine latum per ſententiam ſpecialem, auferri dumtaxat (8) poteſt ab eo, qui ſententiam tulit, aut ab ejus Succeſſore,

(1) Cit. cap. *Is*, *cui*.
(2) Cap. 1. de poſtulat. Præl.
(3) Cap. *Tanta eſt*. de exceſſ. Prælator.
(4) Clem. 1. de Sepulturis.
(5) Clem. 1. de ſentent. excommunic.
(6) Cap. *Nuper*. de ſent. excommun.
(7) Cap. *Nuper*. de ſent. excommun.
(8) Cap. *Paſtoralis*. §. *Præterea*. de officio Ordinarii, cap. *Quærenti*. de officio delegati; & can. *Si Epiſcopus*. cauſ. 5. q. 3.

ſore, vel ab ejus delegato, vel ab ejus Superiore, qui plenam in illum juriſdictionem obtineat. Quamquam autem ſicuti excommunicationes, ita etiam interdicta relaxari ad cautelam valeant; Non tamen id locum habet in interdicto locali generali. Statutum enim habemus in Jure Canonico (1), *Beneficium relaxationis ad cautelam, quoad interdicti ſententias in Civitates, Caſtra, vel quælibet alia loca, ſeu terras aliquas generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere.*

De depoſitione, & degradatione.

XXVIII. Quamquam depoſitio, ac degradatio non cenſuræ, ſed meræ ſint pœnæ; paucis tamen innuendum cenſemus, quid eæ ſint, ut Clerici earum gravitate deterriti, ab enormibus criminibus, propter quæ infligi eædem ſolent, perpetrandis abſtineant. Depoſitio alia eſt verbalis, alia realis: prior ſimpliciter *depoſitio*, poſterior *degradatio* nuncupatur. Prior eſt pœna Eccleſiaſtica, per quam ob enorme crimen perpetratum Clericus vel ab Ordine, vel a Juriſdictione, vel a Beneficio, vel ab Officio ſimul, & Beneficio per ſententiam ſola voce prolatam in perpetuum removetur, ita tamen, ut ei Fori, & Canonis privilegium minime adimatur. Enormia autem crimina, propter quæ hujuſmodi irrogari poteſt pœna, ſunt furtum, homicidium, perjurium, violentum virginis ſtuprum, inceſtus, adulterium, ſodomia, manifeſtum hæreſis crimen, gravis calumnia proprio Epiſcopo inuſta &c. Poſterior, ſeu degradatio eſt pœna Eccleſiaſtica, qua propter admiſſi criminis atrocitatem Clericus ſolemniter, non modo Ordine, Beneficio, & Officio, ſed etiam privilegio fori, & Canonis ita privatur, ut inſtar Laici a Sæculari poteſtate carceribus mancipari, condemnari, & ſecundum Leges Civiles puniri, ac percuti abſque ullo excommunicationis periculo poſſit. Solemnitas degradationis in Pontificali Romano deſcribitur. Depoſitio verbalis eſt actus tantum Juriſdictionis, adeoque ab Epiſco-

(1) Cap. *Præſenti*. de ſent. excommun. in 6.

Epiſcopo etiam non conſecrato, a Capitulari Vicario, Sede Epiſcopali vacante, imo etiam a Generali Vicario, dummodo ad id ſpeciale Epiſcopi habeat mandatum, fieri valet. At degradatio, cum ſit Epiſcopalis Ordinis actus, nonniſi ab Epiſcopo conſecrato poteſt executioni demandari.

ARTICULUS XI.

De Sacramentali Pœnitentiæ ſigillo.

SAcramentale, quod vocamus, ſigillum eſt arctiſſima illa, quam in adminiſtrando Pœnitentiæ Sacramento Confeſſarius ſubit, obligatio, nemini umquam, ſine expreſſo, ac liberrimo Pœnitentis conſenſu, ſive directe, ſive indirecte ea revelandi, quæ in Sacramentali Confeſſione audivit. Ex naturali autem (1), ac divino, atque Eccleſiaſtico etiam Jure hujuſmodi obligatio promanat, ne videlicet Fideles peccata ſua, licet occultiſſima, graviſſimaque, ſincere, ac diſtincte Confeſſario detegere vereantur. Et primum quidem ex naturali oritur jure; tum quia naturalis ratio dictat, manifeſtanda nemini eſſe ea, quæ ſub arcani lege alicui committuntur, & ſine gravi committentis infamia, aut incommodo revelari nequeunt; tum quia in Sacramentali Confeſſione tacitum inter Sacerdotem, & Pœnitentem intercedit pactum, quo unus peccata ſua ſub ſecreti ſervandi conditione alteri aperit, alter vero facto ipſo, dum confitentem audit, ſecretum ſe ſervaturum pollicetur. Oritur etiam ex jure divino, non quidem ſcripto, ſed tradito: perpetua enim traditio, quæ ab Apoſtolis ad hæc uſque noſtra tempora dimanavit, ſecretum hoc religioſiſſime cuſtodiri jubet: Verbum autem Dei traditum eamdem, ac Verbum ſcriptum, obligandi habet vim. Et ſane, uti Senonenſis Concilii (2) ratiocinantur Patres, quo jure Confeſſio præcipitur, eodem quoque illorum, quæ in ea audiuntur, revelatio prohibetur. Non enim impoſſibilia Deus jubet. Cum itaque

(1) Synodus Senonenſis anni 1524.

(2) Cit. Conc. Senonen. anni 1524.

Digitized by Google

Confeſſionem Sacramentalem Chriſtus ipſe hominibus poſt Baptiſmum lapſis præceperit; Jam ne inane ſit, ac fruſtraneum mandatum ejuſmodi, fateamur neceſſe eſt, ex Chriſti quoque præcepto, adeoque divino jure Sacerdotibus interdictum fuiſſe, ne Sacramentalem umquam audeant Confeſſionem revelare. Quis enim ſua vellet occulta, pudendaque crimina Sacerdoti detegere, ſi huic eorum notitiam aliis communicare aliquando liceret? Eccleſiaſtico tandem jure hoc præſcribi ſecretum, certum eſt. Sic enim decrevit Concilium Lateranenſe IV. (1) *Caveat Sacerdos omnino, ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem. Sed ſi prudentioris conſilio indiguerit, illud abſque ulla expreſſione perſonæ caute requirat, quoniam qui peccatum in Pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monaſterium detrudendum.* Imo tam ſancte cuſtodiendum eſt hoc Sacramentale ſecretum, ut Prælatus quicumque, ſeu Superior, ſive Confeſſarius ad Prælaturæ gradum evectus, nulla ratione ad exteriorem gubernationem ea uti poſſit notitia, quam de aliorum peccatis in Sacramentali Confeſſione accepit. *Tam Superiores pro tempore exiſtentes* (2), ſtatuit Clemens VIII., *quam Confeſſarii, qui poſtea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuerint, ad exteriorem gubernationem utantur &c. Atque ita per quoſcumque Regularium Superiores obſervari mandamus.* In generali autem ſupremæ Inquiſitionis Congregatione (3) decretum eſt, *ne quis publice, aut privatim doceat, aut defendat, licere uti ſcientia ex Confeſſione acquiſita cum gravamine Pœnitentis, quamvis ſecluderetur quæcumque ejus revelatio, & quamvis multo majus gravamen ejuſdem Pœnitentis ex non uſu ſequeretur.*

II. Manifeſtum itaque eſt 1. Sigilli Sacramentalis violationem

(1) Cap. *Omnis utriuſque ſexus*. de pœnit., & remiſſ. (2) Clemens VIII. in decreto de caſibus reſervatis 25. Maii 1594.

(3) Congr. Gener. Sac. Inquiſit. 18. Novembris 1682.

Digitized by Google

nem ſcelus eſſe graviſſimum, & duplicem ſpecie diverſam continere malitiam, cum duabus opponatur virtutibus, videlicet Religioni, quam lædit, dum exoſum Fidelibus redditur Pœnitentiæ Sacramentum, hominibus poſt Baptiſmum lapſis quam maxime neceſſarium; & juſtitiæ, dum pactum de ſecreto ſervando tacite initum inter Confeſſarium, & Pœnitentem per ſummam injuſtitiam violatur. Manifeſtum eſt 2. Sacramentale non frangi ſigillum, quando Pœnitens juſta de cauſa expreſsam dat Confeſsario licentiam, ut eorum utatur notitia, quæ eidem in Sacramentali Confeſſione patefecit. Cum enim tanta ſecreti obligatio in favorem pœnitentis injuncta ſit, poteſt is cedere juri ſuo, & facultatem Confeſsario dare revelandi id, quod eidem in Pœnitentiæ foro manifeſtavit. Imo ſi forte ad ingens avertendum Reipublicæ damnum, puta ſeditionis, proditionis, cædium &c., neceſſaria omnino ſit criminis revelatio; adigi debet pœnitens, ut ſive per ſe, ſive per alium, ſi poſſit, periculum impendens avertat; ſin minus, facultatem det Confeſſario, ut illud prudenter, cauteque revelet: Secus abſolvi nequit, cum propter debitæ charitatis, & quandoque etiam juſtitiæ defectum ad Sacramentalem abſolutionem recipiendam non ſit diſpoſitus. Monemus tamen Confeſſarios omnes, ut iidem notitia in Confeſſione habita uti valeant, expreſſum requiri, liberumque Pœnitentis conſenſum, neque ſufficere præſumptum, aut interpretativum, quo forte judicarent, facultatem, ſi peteretur, illum eſſe conceſſurum. Nam hoc pacto exoſa adhuc fieret Confeſſio, cum adhuc pœnitentes non inaniter metuerent, ne ex ejuſmodi præſumptione aliquando peccata ſua aliis panderentur.

Cum autem in re graviſſima verſemur, in qua ſumma opus eſt prudentia, ac fidelitate; caveant Confeſſarii omnes diligentiſſime 1. ne umquam hanc, de qua loquimur, facultatem per fraudem, aut per injuriam a Pœnitentibus extorqueant, falſo iiſdem ſuadentes ad hanc concedendam illos obligari, cum minime obligentur. 2. ne pluribus perſonis, aut plura peccata ape-

Digitized by Google

riant, quam Pœnitens aperiri expreſſe voluerit. 4. ut raro, & nonniſi urgenti de cauſa facultatem hanc a pœnitentibus ſponte oblatam acceptent, eaque tam caute, ac tam prudenter utantur, ut numquam ſuſpicari quis merito poſſit, eos ſacramentalis fieri proditores arcani. 4. ut ne cum ipſo quidem Pœnitente abſque ejus venia extra Confeſſionem de iis, quæ ab eodem in Pœnitentiæ foro audierunt, colloquantur.

IV. Sigilli Sacramentalis obligatio ex ea omni, & ſola Confeſſione oritur, quæ Sacramentalis ſit, per quam videlicet aliquis de peccatis ſuis ad eorum abſolutionem obtinendam apud illum ſe accuſet, quem legitimum eſſe Judicem bona fide arbitratur, etiamſi mox quacumque de cauſa Sacramentalem non obtineat abſolutionem. Inde fit, ut, præter legitimum Confeſſarium, ad ſacramentale ſervandum ſecretum obligentur 1. Interpres, per quem forte Confeſſio facta ſit. 2. Laicus, qui Sacerdotem ſe eſſe ſimulans, Confeſſionem excepit. 3. ille, cui Confeſſarius ſigillum frangens, ſacrilege peccatum revelavit. 4. qui peſtis, aut naufragii tempore Confeſſionem publicam, aut qui caſu, ſeu dolo malo peccatum alicujus, dum is ſecreto confiteretur, audierunt. 5. ille, quem Confeſſarius circa pœnitentis peccatum conſulit, ſive is culpabiliter, ſive inculpabiliter in peccatoris notitiam devenerit. 6. Superior, ad quem caſus reſervatus, vel a Pœnitente, vel a Confeſſario deferatur, ut facultas ab eo abſolvendi impetretur. 7. qui peccata pœnitentis deſcripta legit, dum is peccata ſua ex ſcripto confitetur.

V. *Sigillum Confeſſionis*, uti docet S. Thomas (1), *directe non, niſi ad illa ſe extendit, de quibus eſt Sacramentalis Confeſſio; indirecte tamen id, quod non cadit ſub Sacramentali Confeſſione, etiam ad ſigillum Confeſſionis pertinet, ſicut illa, per quæ poſſet peccator, vel peccatum deprehendi*. Ad ſex autem claſſes tota revocari poteſt materia, in quam cadit ſigilli Sacramentalis obligatio. Ad primam pertinent peccata omnia lethalia tam in genere, quam in ſpecie,

(1) S. Th. in ſupplemento qu. 11. art. 2. in corpore.

Digitized by Google

ſpecie, ex quorum revelatione in perſonæ delinquentis notitiam deveniri poteſt. Ad ſecundam omnia peccata venialia in ſpecie, non autem in genere. Ad tertiam peccatorum circumſtantiæ, ex quibus eorumdem notitia poſſit hauriri. Ad quartam imperfectiones, & inhabilitates cum naturales, tum perſonales, quæ ex peccatorum Confeſſione cognoſcuntur, ex. gr. natalium defectus, irregularitas, impedimentum matrimonii &c. Ad quintam complicis peccata, ac defectus, quos pœnitens in Sacramentali Confeſſione manifeſtavit. Ad ſextam denique diſpoſitionis ad abſolutionem recipiendam in pœnitente defectus, ex. gr. defectus doloris, propoſiti &c. Cum itaque horum revelatio Sacramentum Pœnitentiæ exoſum redderet; hinc ſiquis eorum aliquid manifeſtaret, Sacramentale violare ſigillum cenſeretur, & Canonicis eſſet multandus pœnis.

VI. Cum ſacramentalis ſigilli violatio præcepto naturali, ac divino prohibeatur, ac ſemper ſit Pœnitentiæ Sacramento injurioſa; inde fit, ut eadem ſit intrinſece mala, adeoque nulla umquam utilitatis, aut neceſſitatis ratione cohoneſtari, & non ſecus, ac blaſphemia, in nullo umquam caſu licere poſſit. Subeundum idcirco eſt quodcumque vitæ diſcrimen, graviſſimaque potius perferenda mala, quam ſecreti hujus lex umquam infringenda. Quamobrem Confeſſarios omnes ſerio monemus, atque obteſtamur, ut ejuſmodi legis ſint cuſtodes vigilantiſſimi, ſibique ob oculos exemplum proponant fortiſſimi Chriſti Martyris S. Joannis Nepomuceni, qui ob invictum ſacramentale ſilentium nova martyrii corona Catholicam decoravit Eccleſiam. Eum præterea in peculiarem ſibi Patronum adſciſcant, & quotidiano aliquo cultu venerentur, ut ejus præſidio roborati linguam caute cuſtodiant, ne, quæ in ſacramentali Judicio credita ſibi ſunt, ullo modo Fidelium prodant arcana; Pœnitentiæ vero Sacramentum magna cum animarum utilitate peccata ſua confitentibus adminiſtrent. Probatos tandem conſulant Auctores, qui hac de re ſapienter, docteque ſcripſerunt, ut ex iis addiſcant, quid in difficillimis

Digitized by Google

cillimis quibuſdam caſibus ſibi faciendum ſit, ut, intacta prorſus ſecreti lege, muneri ſatisfaciant ſuo, atque æternæ proximorum conſulant ſaluti.

ARTICULUS XII.

De Confeſſariis ſollicitantibus ad turpia, atque inhoneſta, ac de obligatione eos denunciandi.

NIhil eſt tam ſanctum, tam religioſum, ac tam divinum, quo non tandem aliquando humana abutatur malitia. Quid ſanctius, ac divinius Pœnitentiæ Sacramento, quod in peccatorum remiſſionem, exſoluto ſui ſanguinis pretio, Chriſtus inſtituit, ut Fideles in peccata gravia poſt Baptiſmum lapſi, lethalibus, quibus animam ſauciarunt, vulneribus ſaluberrime mederentur? Et tamen uſuvenire aliquando videmus, ut, quod (1) poſt amiſſam Baptiſmi innocentiam datum eſt divina benignitate perfugium, per Dæmonum fraudem, hominumque divinis beneficiis perverſe utentium malitiam naufragis, ac miſeris peccatoribus luctuoſum evadat exitium, & quod in ſalutem, & curationem animarum a Deo inſtitutum eſt, execrabili ſceleſtorum quorumdam Sacerdotum improbitate in earum perniciem, interitumque vertatur. Hi enim audiendis Confeſſionibus deputati ſacrilego auſu pœnitentes ad turpia, atque inhoneſta ſollicitant, tantoque abutentes Sacramento, iiſdem pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro piſce ſerpentem, pro medicina porrigunt venenum.

II. Ut tanto huic malo pro Paſtorali vigilantia, qua Chriſtiani totius Gregis cuſtodiæ excubant, Romani Pontifices Pius IV., (2) & Paulus V. (3) occurrerent, peculiares edidere Conſtitutiones, quas mox confirmavit, ampliavitque, & ad omnes Fideles extendit Gregorius XV. (4) per ſuam Decretalem,

cujus

(1) Benedictus XIV. Conſtitut. *Sacramentum Pœnitentiæ*. 1. Junii 1741.

(2) Pius IV. Conſt. *Cum ſicut nuper*.

(3) Paulus V. Conſt. *Dilecte Fili*.

(4) Gregorius XV. Conſt. *Univerſi Dominici Gregis*. 30. Auguſti 1622.

Digitized by Google

cujus exemplar in Appendice *num.* 16. damus, ut à Confeſſariis omnibus Noſtræ Diœceſis ſive jam approbatis, ſive in poſterum approbandis, frequenter, ac ſedulo perlegatur, eaque omnia, quæ in eadem ſtatuuntur, executioni fideliſſime demandentur. Ad hujus Decretalis explicationem plura a Suprema Generalis Inquiſitionis Congregatione (1) prodiere decreta, & ne eorum vis a falſa quorumdam Auctorum doctrina eluderetur, Alexander VII. inter alias ab Evangelica veritate, Sanctorumque Patrum doctrina alienas, ac diſſonas propoſitiones, geminas, (2) quæ huc revocantur, damnavit, atque proſcripſit. Tandem ut tam neceſſarii Sacramenti ſublimitati, ac dignitati efficacius conſuleret, Benedictus XIV. Conſtitutionem (3) edidit, cujus exemplar dedimus in Appendice *num.* 13., & qua Gregorii XV. Conſtitutionem, atque omnia, & ſingula prædicta decreta ad ejus declarationem edita approbavit, confirmavit, atque innovavit.

III. Apoſtolicis hiſce Conſtitutionibus, ac decretis ſtatuitur 1. ut omnes, & ſinguli Sacerdotes, qui ad inhoneſta, ac turpia pœnitentes ſollicitant, ſive iidem Sacerdotes abſolvendi juriſdictione polleant, ſive careant, Inquiſitoribus, ſeu Locorum Ordinariis denuncientur. Statuitur 2. ut Confeſſarii omnes (4) moneant pœnitentes ſuos, quos ab aliis ſollicitatos fuiſſe noverint, de obligatione, quam habent, eoſdem denunciandi. Quod ſi iidem Confeſſarii hoc officium prætermiſerint, vel Pœnitentes docuerint, non teneri ad denunciandum Confeſſarios ſollicitantes, ſeu illicitos, & inhoneſtos ſermones, aut tractatus cum pœnitentibus habentes; Locorum Ordinarii, & Inquiſitores pro modo culpæ illos punire non negligant. Statuitur 3. *ut denuncientur omnes, & ſinguli Sacerdotes* (5) *tam Sæculares, quam*

(1) Sac. Inquiſit. Gen. Congr. 11. Februarii 1661.

(2) Alexander VII. in damn. propoſ. 6., & 7. die 24. Sept. 1665. (3) Bened. XIV. Conſt. cit. *Sacramentum Pœnitentiæ*.

(4) Gregorius XV. Conſt. *Univerſi Dominici Gregis*. §. 7.

(5) Gregorius XV. cit. Conſtit. *Univerſi Dominici Gregis*, & Benedictus XIV. cit. Conſt. *Sacramentum Pœnitentiæ*.

quam quorumvis, etiam quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectorum Ordinum, Inſtitutorum, Societatum, & Congregationum Regulares, cujuſcumque dignitatis, ac præeminentiæ, aut quovis privilegio muniti exiſtant, qui perſonas, quæcumque illæ ſint (adeoque ſive fœminæ, ſive mares) *ſive pro ſeipſo, ſive pro alia perſona, vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt Confeſſionem, vel occaſione, aut prætextu Confeſſionis, vel etiam extra occaſionem Confeſſionis in Confeſſionali, ſeu in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem Confeſſionem, ad inhoneſta, & turpia ſollicitare, vel provocare ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam, aut tunc, aut poſtea legendam tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint. Hi autem omnes denunciandi omnino ſunt, etiamſi mutua fuerit inter Confeſſarium, & Pœnitentem ſollicitatio, ſive ſollicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, & etiamſi longum tempus poſt ipſam ſollicitationem effluxerit.* Statuitur 4., ut Confeſſarii (1) caveant diligenter, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſollicitatos, Sacramentalem abſolutionem impertiant, niſi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti Judici, vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant. Statuitur 5. ut omnes hæreticæ pravitatis Inquiſitores, & Locorum Ordinarii contra prædictos ſuper his, prout in cauſis Fidei, juxta Sacrorum Canonum formam, necnon Officii Inquiſitionis hujuſmodi Conſtitutiones, privilegia, conſuetudines, & decreta, diligenter inquirant, & procedant. Proceſſus autem rite confectus mittendus Romam eſt ad Supremam Sacræ Inquiſitionis Congregationem, ut eadem, rebus omnibus mature perpenſis, ſi quos in aliquo ex hujuſmodi nefariis exceſſibus vere culpabiles eſſe ex proceſſu repererit, in eos pro criminum qualitate, & circumſtantiis, ſuſpenſionis ab executione Ordinis, privationis

(1) Benedictus XIV. Conſt. *Sacramentum Pœnitentiæ*.

Digitized by Google

nis beneficiorum, dignitatum, & officiorum quorumcumque, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis activæ, & paſſivæ, ſi Regulares fuerint, exilii, damnationis ad triremes, vel ad carceres etiam in perpetuum abſque ulla ſpe gratiæ, aliaſque pœnas decernat; eos quoque, ſi pro delicti enormitate graviores pœnas meruerint, debita præcedente degradatione, Curiæ Sæculari puniendos tradat. Sententiam enim in his cauſis ferre, non ad Inquiſitores ſeu natos, ſeu delegatos, ſed ad ſupremam pertinet Congregationem. Statuitur 6., ut S. R. E. Cardinales Generales Inquiſitores (1), ne delictum tam enorme, & Eccleſiæ Dei tam pernicioſum propter probationum defectum (cum difficilis ſit probationis) impunitum maneat, facultatem habeant, teſtibus etiam ſingularibus, concurrentibus tamen præſumptionibus, indiciis, aliiſque adminiculis, delictum probatum eſſe arbitrio ſuo judicandi, & Curiæ Sæculari, ut præfertur, reum tradendum eſſe pronunciandi.

IV. Quamquam Laicus, qui ſe Sacerdotem, & Confeſſarium ſimulans, confeſſionem audit, & ad inhoneſta, ac turpia pœnitentem ſollicitat, vi præmiſſarum Conſtitutionum denunciandus non ſit, cum eædem de Sacerdote dumtaxat ſollicitante loquantur; denunciandus tamen eſt, tamquam ſuſpectus de hæreſi, Inquiſitoribus, aut locorum Ordinariis ex aliis Pontificiis Conſtitutionibus, ac præſertim Gregorii XIII. (2), Clementis VIII. (3), & Benedicti XIV. (4), qui Laicos hujuſmodi denunciari juſſerunt, graviſſimiſque multari voluerunt pœnis. Fœminæ, quæ Confeſſarios in Pœnitentiæ Sacramento ſollicitant, denunciandæ non ſunt. Pontificiæ enim Conſtitutiones Confeſſarios quidem, non vero pœnitentes ſollicitantes denunciari mandant: pœnales autem leges extendendæ non ſunt ultra ea, quæ

(1) Cit. Conſt. *Univerſi Dominici Gregis*. §. 5.

(2) Gregorius XIII. Conſt. *Officii noſtri partes*.

(3) Clemens VIII. Conſt. *Alias*. 1. Decemb. 1601.

(4) Benedictus XIV. Conſt. *Sacerdos in æternum*. 12. Cal. Maii 1744.

in ipſis legibus exprimuntur. Quod ſi mulier aliqua, præſertim Nobilis, a Confeſſario ad turpia ſollicitata eum per ſe perſonaliter Inquiſitoribus, aut locorum Ordinariis denunciare nimium vereatur; tunc Confeſſarius Inquiſitorem, ſeu Loci Ordinarium (1) moneat, ut is, ſi id expedire judicaverit, aliquem, aut etiam Confeſſarium ipſum deleget, qui in ſcriptis, & cum juramento denunciationem recipiat. Quod ſi ne ad id quidem verecunda Pœnitens induci poſſit; tunc ex Urbani VIII. decreto Apoſtolica Sedes pro opportuno remedio conſulatur, & interim Pœnitenti utpote non diſpoſitæ abſolutio denegetur. Ne autem Confeſſarius, (ſi forte ad denunciationem aliquam ejuſmodi recipiendam ab Ordinario, ſeu ab Inquiſitore delegetur) quid ſibi faciendum ſit, ignoret, brevem ea ſuper re Inſtructionem damus in Appendice *num.* 17.

V. Pœnitentes ad Confeſſarium, a quo ſollicitati fuerint, denunciandum obligati, ſi abſque legitima cauſa, ac ſine vero impedimento intra præfixum a Jure tempus eumdem denunciare negligant, præter gravis culpæ reatum, ex decreto (2) Supremæ, atque Univerſalis Romanæ Inquiſitionis in excommunicationem latæ ſententiæ incurrunt, a qua, niſi prius denuncient, abſolvi per Confeſſarium, etiam privilegiatum, nequeunt, quamquam ſe ſtatim denunciaturos ſerio polliceantur: non enim abſolvi quis a cenſuris poteſt, niſi ſatisfactum parti prius fuerit, uti Eccleſiaſticæ præſcribunt leges. Facta autem denunciatione, juxta Supremæ Univerſalis Inquiſitionis decreta a quocumque ſimplici Confeſſario, qui approbatus ab Ordinario fuerit, abſolvi Sacramentaliter poſſunt. At Confeſſarii ſollicitantes ad turpia, qui ſalutari Pœnitentiæ Sacramento in animarum perniciem, & damnationem abutuntur, ſciant, Benedictum XIV. (3) in Generali Con-

(1) Urbanus VIII. in decret. Supremæ Inquiſit. Rom. edito 27. Septembr. 1624. & Sac. Congr. Inquiſit. 24. Januarii 1667., & 7. Julii 1725.

(2) Decretum Supremæ Univerſalis Inquiſit. 3. Jan. 1623.

(3) Decr. Supr. Rom. Inquiſit. editum jubente Benedicto XIV. 5. Auguſti 1745.

Digitized by Google

Congregatione Sanctæ Romanæ, & Univerſalis Inquiſitionis habita 5. Auguſti 1745. *decreviſſe, ut in poſterum Sacerdotes tam Sæculares, quàm Regulares cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, Congregationis, & Societatis etiam de neceſſitate exprimendæ, vel in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive illius occaſione, aut prætextu, ad turpia ſollicitantes, præter pœnas a Jure, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac ſignanter Sixti V., & Gregorii XV. contra eoſdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad divini Sacrificii celebrationem.*

VI. Verum ne improbi homines vel odio, vel ira, vel alia indigna cauſa commoti, vel aliorum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio poſthabito, & Eccleſiæ auctoritate contempta, innoxios Sacerdotes apud Eccleſiaſticos Judices falſo ſollicitationis inſimulent; Provido conſilio ſtatuit BenedictusXIV., ut (1), qui execrabili hujuſmodi flagitio ſe inquinaverit, vel per ſeipſum innocentes Confeſſarios impie calumniando, vel ſceleſte procurando, ut id ab aliis fiat, a nullo Sacerdote quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam a Romano Pontifice, niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, abſolvi poſſit.

ARTICULUS XIII.

De reliquis ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem pertinentibus.

EX his, quæ de Confeſſarii doctrina, fide, prudentia, ac integritate ſuperius diximus, facile intelligitur, quantum cuique ſtudium in optimo, probatiſſimoque ſibi eligendo Confeſſario ponendum ſit. Quamquam enim per manuum impoſitionem, atque Ordinis Sacramentum idem omnibus character, & par ſive doctis, ſive rudibus, ſive probis, ſive improbis ligandi, atque ſolvendi poteſtas tribuatur, neque ejus vis per Sacerdotis mores, atque ingenium augeatur, aut minuatur; Sicuti tamen

 in

(1) Benedictus XIV. Conſt. *Sacramentum Pœnitentiæ.*

Digitized by Google

in valetudinis periculo, nemo eſt, qui non a perito, atque exercitato Medico curari exoptet; ita in animi ſui morbis curandis nemo eſſe debet, qui non, niſi a ſcientiſſimo ejus medendi Magiſtro, vulneribus manum admoveri velit. Fidelibus itaque Parochus inſinuet, ut eum ſibi deligere Confeſſarium ſtudeant, qui eorum conſcientiam non vanis metibus, ſcrupuliſque agitari ſinat, ſed maculis omnibus, ac verorum peccatorum reliquiis expurgatam ita abluat, ut nihil in ea ſordium reſidere patiatur. Illud etiam conſilium adjungat, ut apud eumdem, quem ſibi delegerint, animi ſui Moderatorem, aut octavo quoque die, ſi fieri poſſit, aut ſaltem ſemel, ſeu bis in menſe peccata ſua *contrito, & humiliato corde* confiteantur. Sic enim eidem intimi quique eorum conſcientiæ patebunt receſſus, & aptiora ſanandis animi morbis adhiberi facilius poterunt remedia.

II. Sacerdos, cum ad pœnitentes audiendos eſt acceſſurus, animo parumper ſecum reputet auguſtam miniſterii, quod eſt obiturus, ſanctitatem, & Apoſtoli charitatem imitatus, qui neminem infirmari ajebat, quin ipſe quoque infirmaretur, non ſuis ſolum, ſed eorum etiam, quos auditurus eſt, peccatis commoveatur. Deinde ſuam probe intelligens indignitatem, flexis ad terram genibus, pauliſper Deum precetur, ut acceſſuris ad Pœnitentiæ Sacramentum verum delictorum ſuorum dolorem tribuat, quo & e malarum cupiditatum jugo elabantur, & Deo ex animo ſatisfaciant: ſibi vero cœleſtis gratiæ opem largiatur, ut ea roboratus in tam ſalutari miniſtrando Sacramento, neque muneri deſit ſuo, neque, dum aliorum animas a criminibus expiare ſtudet, ipſe aliqua peccati labe polluatur. Hæc precatus, ad Pœnitentiæ tribunal accedat, curamque omnem adhibeat, ne quid a ſe, quod ad Sacramentum rite, recteque adminiſtrandum pertineat, prætermittatur; quod quidem facile aſſequetur, ſi quæ hactenus de Pœnitentiæ Sacramento diximus, probe teneat, ac fideliter exequatur.

III. Ne quid autem, quod augere hujus Sacramenti venerationem

nem poſſit, omittatur; volumus, ac mandamus, ut non, niſi in Eccleſia (1), Fidelium, ac præſertim mulierum, Confeſſiones, exceptis infirmitatis, aut alterius occurrentis neceſſitatis caſibus, in privatis vero Oratoriis, non niſi de Noſtra, aut Vicarii Noſtri Generalis licentia, excipiantur. Sacerdotes autem, dum hoc Sacramentum in Eccleſia miniſtrant, ſi Sæculares ſint (2), ſuperpelliceo, ſtola, bireto, ac talari veſte utantur; ſi vero ſint Regulares, ſtolam violacei coloris ſaltem adhibeant. Nonniſi in ſedibus (3) ad Confeſſiones audiendas deſtinatis, & non ante ſolis ortum (4), neque poſt ejus occaſum, mulieres peccata ſua confitentes audiantur. Sedes, quas Confeſſionales vocant, neque in abditis, neque in ſubobſcuris Eccleſiæ locis collocentur, ſed in propatulo ſint, & ab utroque latere cratem habeant ſive ferream, ſive ligneam ſpiſſis rimulis perforatam, quæ Confeſſarium inter, ac Pœnitentem interpoſita, facilem quidem auditui, non tamen viſui aditum patefaciat. Crates utraque ex ea parte, quæ Confeſſarium reſpicit, ligneo obſeretur oſtiolo, quod in audienda Confeſſione reſeretur, ut neque audiri pœnitens, neque videri Confeſſarii vultus a circumſtantibus poſſit. Nequa in excipiendis populi Confeſſionibus, quibuſdam præſertim feſtis diebus, quibus major confluere ſolet pœnitentium multitudo, confuſio oriatur, aut perturbatio, & æque tam viris, quam mulieribus audiendis ſeſe paratum exhibeat Confeſſarius; detur opera, ut, ſi fieri poſſit, ab una Sacri Pœnitentiæ Tribunalis parte viri, ab alia mulieres alternis vicibus audiantur. Sedes Confeſſionalis, quæ patere anterius debet, ut Confeſſario præbeat aditum, ſuo inſtructa ſit oſtio, quod ſera, & clave munitum claudi optime poſſit, ne, Confeſſario abeunte, in ea Laici, ut non raro contingit, aſſideant.

IV. Quamquam vehementer cupiamus, & enixe etiam Parochos,

(1) Sac. Cong. Epiſ. 1. Julii 1606., in Neapolitana 29. Martii 1593., & Ritual. Rom. Ord. Miniſtr. §. *In Eccleſia*.

(2) Sac.Congr.Epiſc. 8.Novemb.1588., Rit.Rom. de Sacram.Pœnit. §.*Superpellic.*

(3) Sac. Congr. Epiſcop. 18. Decembr. 1693., & Sacr. Congr. Inquiſit. 4. Decembris 1694.

(4) Sac. Congr. Epiſc. 1. Jul. 1606.

rochos, cæteroſque Confeſſarios a Nobis approbatos rogemus, ut quandocumque opus ſit, alacriter, ac feſtine ad ægrotantium Confeſſiones in privatis eorum domibus excipiendas accurrant; Volumus tamen, ac diſtricte præcipimus, ut, dum iidem ægrotantes mulieres peccata ſua confitentes audiunt, linteolum, aut birretum inter ſe, ac Pœnitentem interponant, & cubiculi oſtium (1) ita pateat, ut a domeſticis quidem uterque videri, non tamen, quidquid ab utroque dicitur, audiri poſſit. Abſoluta vero Sacramentali ægrotantis Confeſſione, Sacerdos, qui illam excepit, ſive Sæcularis ſit, ſive Regularis, per ſchedulam ſuo charactere ſubſcriptam (2), ſive alia quacumque non abſimili ratione curet, ut Parochus de Sacramentali Confeſſione ab ægrotante peracta conſcius fiat. Ut omnis præterea avaritiæ ſuſpicio in hoc adminiſtrando Sacramento a Confeſſariis removeatur; diſtricte inhibemus, ne quis abſolutionis, aut ſacramentalis ſatisfactionis obtentu quidquam petere, aut exigere audeat. Optamus etiam, ut, ſi quid alteri reſtituendum Confeſſario tradatur, is quantocyus munus ſuum caute, ac prudenter exequi curet, & ab eo, cui rem, ſeu pecuniam ſibi traditam reſtituit, accepti ſyngrapham exigat, qua pœnitens de peracta ſolutione certior efficiatur. Incertorum autem bonorum reſtitutionem, cui forte pœnitens ſit obnoxius, exequendi onus, quoad fieri poſſit, Confeſſarius evitet, ſed ejuſmodi rerum, ſeu pecuniarum diſtributionem pœnitentis relinquat arbitrio, ne forte ſuſpicari is poſſit, ſibi Confeſſarium capere, ac retinere, quæ pauperibus eſſent eroganda. Verum cum in his, aliiſque hujuſmodi caſibus multa opus ſit prudentia, Confeſſarios monemus, ut, quoties ejuſmodi caſus occurrant, circumſtantias omnes mature perpendant, & id, quod non minus propriæ indemnitati, quam æternæ pœnitentis ſaluti magis expedire judicaverint, exequantur.

CAPUT

(1) Decr. Viſit. Apoſt. de mandato Urbani VIII. 20. Julii 1625., & Sac. Congreg. Epiſc. 20. April. 1611. & 21. Martii 1682.

(2) Clemens X. Conſtitution. *Superna* §. *Ad hac*.

CAPUT XI.

DE INDULGENTIIS, ET REMISSIONIBUS.

C*Hriſtiani hominis pœnitentia poſt lapſum*, uti recte nos docet Tridentina Synodus (1), *multo alia eſt a Baptiſmali, eaque continet non modo ceſſationem a peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum, & humiliatum, verum etiam eorumdem Sacramentalem Confeſſionem ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & Sacerdotalem abſolutionem, itemque ſatisfactionem per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur; ſed pro pœna temporali, quæ, ut Sacræ Litteræ docent, non tota ſemper, ut in Baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum Sanctum contriſtaverunt, & Templum Dei violare non ſunt veriti*. Verum cum perpauci ſemper fuerint, qui ſuis criminibus per pia opera, ſicuti oportet, ſatisfacere conarentur; Neceſſe fuit, ut ſuorum miſerata filiorum pia Mater Eccleſia, eorum proſpiceret calamitati, eoſque ad facilius, ſuaviuſque luendam promeritam pro criminibus pœnam materna providentia juvaret. Quod quidem ab antiquiſſimis etiam temporibus (2) præſtare non deſtitit, poteſtate conferendi Indulgentias a Chriſto ſibi conceſſa ita utens, ut debitam peccatis caſtigationem in opera faciliora commutans, pœnam temporalem iiſdem peccatis debitam aliquando minueret, aliquando etiam omnino remitteret. Hunc autem Indulgentiarum uſum Chriſtiano Populo maxime ſalutarem, quem Eccleſia retinuit, ac retinet, retinendum ſemper eſſe Tridentina Synodus (3) docet, eoſque *anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt Indulgentias, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant*. Quamobrem poſtquam de Pœnitentiæ Sacramento diſſeruimus, non abs re erit de Indul-

(1) Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. (2) Trid. ſeſſ. 28. decreto. De Indulg. (3) Trid. loc. cit.

Digitized by Google

Indulgentiis, ac remiſſionibus pauca innuere, quibus per Parochos Fideles edocti, Indulgentias plurimi facere addiſcant, eaſque lucrari ſumma cura, ſtudioque contendant.

ARTICULUS I.

De Indulgentiis pro Fidelibus vivis.

QUid ſint Indulgentiæ, quarum diſpenſatio Beato Petro Cœli Clavigero, ejuſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus commiſſa divinitus eſt, ſic a Clemente VI., (1) cui plures alii Romani Pontifices (2) conſonant, edocemur. *Unigenitus Dei Filius de ſinu Patris in uterum dignatus eſt deſcendere Matris, in qua, & ex qua noſtræ mortalitatis ſubſtantiam divinitati ſuæ in ſuppoſiti unitate ineffabili unione conjunxit, id, quod fuit, permanens, &, quod non erat, aſſumens, ut haberet, unde hominem lapſum redimeret, & pro eo ſatisfaceret Deo Patri. Ubi enim venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ſub lege, natum ex muliere, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem reciperent Filiorum. Ipſe namque factus nobis a Deo Sapientia, Juſtitia, ſanctificatio, & Redemptio, non per ſanguinem hircorum, aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa. Non enim corruptibilibus auro, & argento, ſed ſui ipſius Agni incontaminati, & immaculati pretioſo ſanguine nos redemit, qui in Ara Crucis innocens immolatus, non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſet, ſed copioſe velut quoddam profluvium noſcitur effudiſſe, itaut a planta pedis uſque ad verticem capitis nulla in ipſo ſanitas inveniretur. Quantum ergo exinde, ut non ſupervacua, inanis, aut ſuperflua tantæ effuſionis miſeratio redderetur, Theſaurum Militanti Eccleſiæ acquiſivit, volens ſuis theſaurizare*

(1) Clemens VI. in extravag. *Unigenitus*. inter commun. de pœnit. & remiſſ.

(2) Pius IV. Conſtitut. *Decet*, Leo X. Conſt. *Exurge*. 40., Conc. Later. IV. c. 62., Benedictus XIV. Conſt. *Apoſtolica*. §. 13.

zare filiis pius Pater, ut ſic ſit infinitus theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt, Dei amicitiæ participes ſunt effecti! Quem quidem theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum: ſed per Beatum Petrum Cæli Clavigerum, ejuſque Succeſſores, ſuos in Terris Vicarios, commiſit Fidelibus ſalubriter diſpenſandum, & propriis, & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quam ſpecialiter (prout cum Deo expedire cognoſcerent) vere pœnitentibus, & confeſſis miſericorditer applicandum. Ad cujus quidem theſauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, & omnium electorum a primo Juſto uſque ad ultimum merita adminiculum præſtare noſcuntur, de cujus conſumptione, ſeu imminutione non eſt aliquatenus formidandum, tam propter infinita Chriſti, uti prædictum eſt, merita, quam pro eo, quod quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tanto magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum. Unde patet, primario ex meritis, & ſatisfactionibus Chriſti Domini, quarum infinitum eſt pretium; ſecundario vero ex meritis, ac ſatisfactionibus Deiparæ Virginis, quæ nullam ſane, quam lueret, habuit culpam; & Sanctorum omnium, quorum ſatisfactiones peccatorum ſuorum expiationi ſuperfuerunt, & quotidie adhuc ſuperſunt, infinitum illum coaleſcere Indulgentiarum theſaurum, qui exhauriri numquam poterit, quamquam ex eo quotidie liberales a Romanis Pontificibus largitiones Fidelibus fiant.

III. Indulgentia vel plenaria eſt, vel partialis. Per plenariam tanta ex Eccleſiæ theſauro ſatisfactio Fidelibus applicatur, quanta ad totam temporalem pœnam peccatis debitam luendam requiritur; per partialem vero tanta dumtaxat, quanta ſufficiens eſt, ut certa pœnæ temporalis pars remittatur. Indulgentia autem hæc partialis alia quadragena, ſeu carena, alia ſeptena, & alia centum dierum, centum annorum &c. nuncupatur. Quadragena, ſeu carena eſt 40. dierum Indulgentia, per quam tanta fit pœnæ temporalis remiſſio, quanta fieret, ſiquis per quadraginta dies pœnitentiam pro certis peccatis per Canones Pœnitentiales

Ssss ſtatu-

Digitized by Google

ſtatutam perageret, quanta videlicet fieret, ſiquis quadraginta dierum jejunium ſolo pane, & aqua toleraret: ſic enim habemus in Jure Canonico (1), *quadraginta dies in pane, & aqua, quod carena vocatur..., pœniteas*. Septena eſt ſeptem annorum Indulgentia, tanta ſcilicet remiſſio pœnæ, quanta fieret, ſiquis per ſeptem annos Canonicam ſubiret pœnitentiam. Eumdem fere habet ſenſum Indulgentia centum dierum, centum annorum &c. Præterea perpetua dicitur Indulgentia, quæ diſertis verbis in perpetuum; temporalis, quæ ad certum dumtaxat tempus; indefinita, quæ nulla temporis facta mentione, conceditur. Item ſi pio loco Indulgentia adnectatur, quam Fideles lucrentur eum locum viſitantes, & in eo vel orantes, vel aliud bonum opus præſcriptum exercentes, localis nuncupatur. Si rebus mobilibus ex. gr. crucibus, ſacris numiſmatis &c. adjungatur, realis dicitur. Si demum alicui perſonæ, vel Communitati directe, atque immediate concedatur, ut eam vel in mortis articulo, vel quoties præſcriptum aliquod opus peregerit, conſequatur, dicenda eſt perſonalis.

IV. Quamquam inexhauſti hujus ærarii claves Apoſtolorum Principi Petro, ejuſque Succeſſoribus Romanis Pontificibus creditæ a Chriſto ſint; Non tamen illud diſpergere, & quodammodo diſſipare iis licet, cum ea tantum iiſdem conceſſa ſit facultas, ut, tamquam fideles Miniſtri, ac Diſpenſatores, juſta, ac rationabili de cauſa ſuo loco, & tempore hujus ærarii opes Chriſtifidelibus largiantur. Quænam autem juſta, ac rationabilis ſit ejuſmodi diſpenſationis cauſa, Romanorum dumtaxat Pontificum eſt dijudicare. Et olim quidem iidem non adeo liberales in his largiendis opibus fuere. Ut enim tradit S. Thomas (2), quinque dumtaxat annorum Indulgentiam concedere iis conſuevere, qui mare tranſuecti Romam ſe conferrent, Sanctorum Petri, & Pauli Sacra limina viſitaturi; trium annorum iis, qui eamdem ob cauſam,

(1) Cap. *Accuſaſti*. 8. de accuſationibus.

(2) S.Th. in 4. diſt.20. q.1. art.3. quæſtiuncula 2. ad 4.

cauſam, ſuperatis montibus, ad Urbem commearent; unius tantum anni, qui ex vicinis regionibus Romanam arriperent peregrinationem. At nunc (3), cum juſtis de cauſis Canonum Pœnitentialium uſus deſierit, nec inſtaurari facile poſſit; Indulgentias erogare largius ſolent, ut iis illecti Fideles, impenſius, cum neceſſitas poſtulat, ad Deum fundant preces, frequentius Deo, ac Sanctis ejus debitum præſtent cultum, facilius tandem animarum ſuarum conſulant ſaluti. Multas itaque Deo gratias agere, & habere nos oportet, qui hoc tempore vivimus, quo cœleſtis hic theſaurus facilius, ac liberalius erogatur, atque omnem curam, cogitationemque in eo ponere, ut cœleſtibus hiſce divitiis locupletemur. Neque vero quiſpiam ita deſipiat, ut per hanc Indulgentiarum frequentiam, ac facilitatem Fidelium ſocordiam foveri putet, eoſque in ſuis criminibus per alia pietatis opera expiandis ſegnes fieri arbitretur. Ut enim ſapienter monet Cardinalis Pallavicinus, primum quidem Chriſtiani homines (2), quibus plurimum æterna ſuarum animarum ſalus cordi eſt, cum non ignorent, quanta ad lucrandas Indulgentias animi pietas, ac demiſſio, quanta divinæ fidei, ac ſpei firmitas, quanta demum patratorum criminum deteſtatio requiratur, per multiplices, varioſque pœnitentiæ ſalutaris actus ad eas ſibi tutius comparandas multa vigilantia, ac labore ſe diſponere conſueverunt. Deinde cum Indulgentiæ non niſi certis, ac perſæpe pluribus pietatis operibus adnecti ſoleant; illud uſuvenire videmus, ut Indulgentiarum avidi Fideles in iis operibus exercendis verſentur, adeoque non modo Religionis, ac pietatis ſtudium in eorum animis augeatur, verum etiam ad ejuſmodi, ac ſimilia pia opera præſtanda alacriores iidem, ac paratiores fiant.

V. Parochi itaque, cæterique omnes, quibus animarum cura commiſſa eſt, non infrequenter, cum inter Miſſarum ſolemnia Dominicis diebus ſermonem habent ad Populum, eidem ex-

 plicent,

(1) Cardinalis Pallavicinus in Hiſtor. Conc. Trid. lib. 24. cap. 12. num. 6.
(2) Cardinalis Pallavicinus loc. cit.

plicent, quid ſit Indulgentiarum theſaurus, & quam utiles eæ ſint, ac neceſſariæ ad temporales delictorum pœnas, quæ luendæ ſuperſunt, expiandas. Fideles etiam edoceant ea omnia, quæ peragere eoſdem oportet, ut Indulgentias conſequantur, earumque fructum vere percipiant. Hæc autem requiruntur. 1. ut quis ſacro regenerationis lavacro ſit ablutus. 2. ut excommunicationis majoris vinculo non ſit innodatus; major enim excommunicatio hominem privat ſpiritualium communione bonorum. 3. ut voluntatem habeat, animumque lucrandi Indulgentias. 4. ut vel ſubditus ſit in ſpiritualibus ei, qui Indulgentiam largitur, puta Epiſcopo, vel in Territorio commoretur, quod ſpirituali eius juriſdictioni ſit ſubjectum. 5. ut opera omnia ad Indulgentiam conſequendam a Romano Pontifice, vel ab alio largitore præſcripta fideliter exequatur, & quidem immediate per ſeipſum, non vero per alium, una excepta eleemoſyna, quæ per alium erogari pauperibus poteſt. 6. ut quo tempore eſt Indulgentiam conſecuturus, divino ſit munere gratiæ ſanctificantis inſtructus, cum non, niſi remiſſa culpa, pœnæ reatus auferatur.

VI. Cum plurimæ olim ſuper Indulgentiis, atque operibus ad eas lucrandas præſcriptis controverſiæ excitatæ a Doctoribus fuiſſent; eas partim Romani Pontifices diremere, inter quos emicuit Benedictus XIV., qui occaſione Jubilæi univerſalis, ſeu Anni Sancti Epiſtolam Encyclicam (1) dedit ad Pœnitentiarios, & Confeſſarios in Urbe deputatos de quæſtionibus, & controverſiis circa opera injuncta pro Jubilæi acquiſitione, & circa facultates conceſſas, earumque uſum excitatis. Encyclica hæc Epiſtola in ejuſdem Pontificis Bullario extat. Ex eadem nos pauca delibabimus.

VII. 1. Romani Pontifices per litteras in forma Brevis Indulgentiam Plenariam concedentes hac uti ſolent formula; *ut eam conſequantur omnes, & ſinguli Chriſti Fideles utriuſque ſexus,* *qui*

(1) Benedictus XIV. Epiſt. Encyclic. *Inter præteritos*. 3. Dec. 1749.

qui vere pœnitentes, & confeſſi, Sacraque Communione refecti Eccleſiam N. devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia &c. pias ad Deum preces effuderinc &c. ſuper his verbis dubitarunt. 1. aliqui, utrum ad Indulgentiæ conſecutionem Confeſſio *in voto* ſufficiat, an Confeſſio *in re* requiratur? videlicet utrum neceſſe ſit peccata Sacerdoti actu confiteri, an ſatis ſit ea ſincero contritionis actu deteſtari, & confitendi propoſitum habere, Confeſſione in aliud tempus protracta? *Nos hac formula vere pœnitentes, & confeſſi* (quæſtionem dirimens inquit Benedictus XIV. (1)) *Confeſſionem actualem intelleximus, ſemperque intelligemus, quam inter præſcripta, & adimplenda opera ad conſequendas Indulgentias neceſſaria reponimus*. At quid, ſi quis non mortalibus, ſed venialibus dumtaxat peccatis ſe conſperſum intelligat? Tunc juxta ejuſdem Pontificis doctrinam (2) vel Sacramentalis Confeſſio præſcribitur, ut diſpoſitio ad obtinendum ſtatum gratiæ pro Indulgentiæ conſecutione neceſſarium; vel ut opus injunctum. Si primo modo præſcribatur; tunc is, qui nulla gravi culpa inficitur, ſine Sacramentali Confeſſione conſequi Indulgentiam poteſt, cum Pœnitentiæ Sacramento non indigeat ad ſtatum gratiæ obtinendum, in quo jam eſt conſtitutus. At ſi ſecundo modo injungatur; tunc confiteri omnino ſacramentaliter debet aut peccata venialia, aut mortalia jam olim per Confeſſionem remiſſa, ut opus ſibi ad Indulgentiam conſequendam injunctum exequatur. At noviſſime Sacra Congregatio (3) Indulgentiis præpoſita decretum edidit a Clemente XIII. approbatum, quo declaravit clauſulam illam in Indulgentiarum Brevibus inſeri ſolitam, *qui vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti Eccleſiam viſitaverint*, ita intelligendam eſſe, *ut ab iis etiam, qui ſibi*

(1) Benedictus XIV. cit. Encycl. Epiſtol. §. 7.

(2) Benedictus XIV. cit. Epiſt. Encycl. §. 77., & 78.

(3) Decr. Sac. Cong. Indulg. 31. Martii 1759., approbatum a Clemente XIII. 19. Maii 1759.

ſibi lethalis peccati conſcii non ſunt, ad Indulgentiam conſequendam Sacramentalis Confeſſio peragenda omnino ſit: eadem vero ſuffragari etiam poſſit, ſi in vigilia feſtivitatis expleatur. Cum autem mox quamplures ſupplices libelli tum Regularium Communitatum, ac præſertim Monialium, tum etiam Parochorum, & nonnullorum Epiſcoporum pro ſuis Diœceſibus eidem Sac.Congregationi porrecti fuiſſent, quibus maxima exponebatur difficultas, quæ perſæpe incidit pro Sacramentali Confeſſione, ſive in Feſto, ſive etiam in pervigilio peragenda; his permotus precibus, ex conſilio, & voto ejuſdem Sacræ Congregationis (1), Clemens XIII. *Indultum conceſſit omnibus Chriſtifidelibus, qui frequenti peccatorum Confeſſione animam expiare ſtudentes, ſemel ſaltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, niſi legitime impediantur, conſueverint, & nullius lethalis culpæ a ſe poſt peractam ultimam Confeſſionem commiſſæ ſibi conſcii ſunt, ut omnes, & quaſcumque Indulgentias conſequi poſſint, etiam ſine actuali Confeſſione, quæ cæteroquin juxta præfati decreti definitionem ad eas lucrandas neceſſaria eſſet: nihil tamen innovando circa Indulgentias Jubilæi tam ordinarii, quam extraordinarii; aliaſque inſtar Jubilæi conceſſas, pro quibus aſſequendis, ſicut & alia opera injuncta, ita & Sacramentalis Confeſſio, tempore in earum conceſſione præſcripto, peragatur.*

VIII. 2. Quoad Sacram Communionem, quæ pro Indulgentia aſſequenda præſcribitur; cum trium Communionum mentionem Tridentina Synodus (2) faciat, videlicet ſolius Sacramentalis, quæ Communio eſt illorum, qui eam in peccato lethali recipiunt; ſolius ſpiritualis, quæ illorum eſt, qui ſummopere cupientes Panem Euchariſticum guſtare, viva fide, *quæ per dilectionem operatur*, ſpiritualis illius fructus, atque utilitatis participes fiunt; & Sacramentalis ſimul, ac ſpiritualis, quæ eſt illorum, *qui prius ita ſe probant, & inſtruunt, ut veſtem nuptialem induti ad divinam menſam accedant*; quæri poteſt, quænam ex his

(1) Clemens XIII. in Decr. edito 9.Decembris 1763. (2) Trid. ſeſſ.13.c.8.

Digitized by Google

his tribus Communionibus præſcribatur ? *Nos ſub Sacræ Communionis nomine* (inquit Benedictus XIV. (1)) *Sacramentalem ſimul, ac ſpiritualem Communionem intelleximus, atque intelligimus, cum ſenſus verborum obvius hic plane ſit, neutiquam rati, rem tam abſurdam cuiquam in mentem venire poſſe, ut ſub nomine Sacræ Communionis ſola Sacramentalis Communio intelligi poſſit*. Et ſane cum nonniſi opera moraliter bona, ac pia ad Indulgentiam aſſequendam ab Eccleſia Fidelibus injungantur; ſacrilega vero Communio ſit opus moraliter malum, ac pietati, & Religioni maxime oppoſitum; evidens omnino eſt, ſolam Sacramentalem Communionem injungi ab Eccleſia nullatenus potuiſſe. Reliquum igirur eſt, ut, cum Sacram Communionem ad Indulgentiam aſſequendam Eccleſia præſcribit, Sacramentalis ſimul, ac ſpiritualis Communio præſcripta intelligatur: aliunde autem nobis conſtat, *Communionis* nomine juxta Eccleſiæ praxim, & uſum Euchariſtiæ ſuſceptionem intelligi.

IX. 3. Cum in Pontificio Brevi, inter opera ad Indulgentiæ conſecutionem injuncta, Eccleſiæ viſitatio poſtremo loco recenſeatur; dubitatum ab aliquibus fuit, an eadem vere fieri poſtremo loco neceſſario deberet ? Dubitationem tamen omnem abſtulit Sacra Congregatio Indulgentiis præpoſita in decreto (2) ſuperius laudato per hæc verba: *Quod autem ad Eccleſiæ viſitationem ſpectat, Sacra Congregatio fuit in voto, eam impleri poſſe ſive ante, ſive poſt aliorum piorum operum implementum*. Cum autem in eodem Pontificio Brevi præſcribi ſoleat, ut Eccleſia devote viſitetur; quod etiam in Bulla univerſalis Jubilæi ſolet exprimi; devotam hanc viſitationem de Jubilæo loquens ſic explicat (3) Benedictus XIV. *Ad injunctum viſitationum opus adimplendum neceſſe eſt, ut viſitatio fiat conſilio, atque animo exhibendi honorem Deo, aut Sanctis ejus*

(1) Benedictus XIV. cit. Conſt. *Inter præteritos*. §. 1.

(2) Sacra Congregatio Indulgentiarum 31. Martii 1759., cujus decretum Clemens XIII. approbavit 19. Maii. 1759

(3) Benedictus XIV. Conſt. cit. *Inter præteritos* §. 76.

Digitized by Google

ejus ; ut tam in itinere , quod ad Baſilicas habetur , quam in eaſdem ingrediendo , modeſte incedatur , atque in iis aliquis Religionis actus exerceatur . Ex quo deduci poteſt , quod ſiquis nullo pio fine , ſed mera ductus curioſitate , viſitatum Eccleſias ſe confert , aut animi relaxandi , ſeu , quod dicitur , deambulationis habendæ gratia iter conficit , Jubilæum minime conſequitur . Tandem ab illa quæſtione , utrum mentales, an vocales eſſe debeant piæ preces , quæ fundendæ ad Deum ſunt in Eccleſia , quæ viſitatur , pro Sanctæ Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione &c., ſic ſe idem Pontifex (1) expedit : *Nos itaque declaravimus , vocalem orationem pie adhibitam ad conſequendam Indulgentiam ſufficientem eſſe ; laudandum eum , qui ſpiritu , ac mente orat , dummodo tamen vocales aliquas preces orationi illi adjungat .*

X. 4. Cum nonniſi remiſſa culpa , pœnæ remiſſio fiat ; illud conſequitur , a peccatore , niſi prius cum Deo in gratiam redierit , plenariam, imo quamcumque Indulgentiam lucrifieri minime poſſe . At hinc gravis inter Doctores controverſia orta eſt , utrum videlicet ad Indulgentiam lucrandam neceſſe ſit , ut omnia , & ſingula opera injuncta fiant in ſtatu gratiæ , an ſufficiat , ut poſtremum opus , in quo acquiritur Indulgentia , in ſtatu gratiæ perficiatur ? Communis Doctorum ſententia eſt , opera injuncta , (excepta Pœnitentiæ , atque Euchariſtiæ ſuſceptione) etiamſi in ſtatu peccati fiant , ad Indulgentiam aſſequendam ſufficere , dummodo poſtremum opus , in quo Indulgentia acquiritur , in ſtatu gratiæ perficiatur . Quamquam enim ea opera non ſint æternæ vitæ meritoria , ſunt tamen moraliter bona , & opera ſunt inimici , qui ſe ad reconciliationem cum Deo præparat , ac diſponit , adeoque , ſi debitis cum circumſtantiis exerceantur , ſunt opera pia . Et ſane nonne prioribus Eccleſiæ ſæculis ii , qui in graves , publicoſque exceſſus prolapſi erant , antequam ab ipſis abſolutionem obtinerent , adeoque cum in ſtatu peccati adhuc eſſent , in publicis implendis pœnitentiis ſeſe exercebant ? Acce-

(1) Benedictus XIV. cit. Epiſt. Encycl. *Inter præteritos* . §. 83.

Accedit huc, quod tria ad Indulgentias lucrandas certe ſufficiunt, videlicet auctoritas in concedente, gratia in recipiente, ac pietas in cauſa. At quid eorum in caſu noſtro deeſt? Profecto nihil. Tandem communem hanc opinionem amplexus eſt Benedictus XIV. (1) in laudata Epiſtola Encyclica, in qua de Baſilicarum Urbis viſitationibus ad Indulgentiam Anni Sancti aſſequendam præſcriptis loquens, ſic inquit: *licet quoad Nos magis, ac magis ſemper in votis habeamus, ut viſitatio Eccleſiarum in ſtatu gratiæ fiat, ac proinde vel poſt fructuoſam Confeſſionem, vel ſaltem poſt contritionis actum; reputantes tamen, non omnia, quæcumque optamus, poſſe ſemper contingere, humanamque fragilitatem commiſerari opus eſſe, a fructu Indulgentiæ minime excludendos illos exiſtimavimus, qui non præmiſſa Confeſſione, viſitationem Eccleſiarum incipiunt, ac proſequuntur, dummodo quando opus ultimum perficiunt, in quo Indulgentia acquiritur, in ſtatu gratiæ ſint, ac dummodo viſitationes iſtæ cum ſenſu devotionis adimpleantur.*

XL. 5. Occaſione Jubilæi, ſive univerſalis, ſive particularis, Romani Pontifices Confeſſariis facultatem largiri ſolent abſolvendi Pœnitentes a cenſuris Apoſtolicæ Sedi reſervatis, necnon commutandi diſpenſando vota ſimplicia etiam juramento firmata, aut Romano Pontifici reſervata, votis tamen perpetuæ caſtitatis, atque ingreſſus in Religionem exceptis. At cum hæ omnes (2), quæ tribuuntur, facultates ad Jubilæi conſecutionem dirigantur, ac veluti ipſius præparatio ſint; conſequens eſt, illis uti Confeſſarios non poſſe, niſi cum eo, qui & ad conſequendum Jubilæum præparatus ſit, & certum habeat propoſitum adimplendi opera ad ejuſdem acquiſitionem injuncta. Verum hinc oritur dubium, num, ſi is, qui antea in animo ſibi propoſuerat omnia, quæ ad Jubilæi conſecutionem neceſſaria ſunt, adimplere, conſilium mutet, nec opera præſcripta adimpleat; num, inquam, is in cenſuras, a quibus abſolutus fuit, relabatur, obten-

Tttt taeque

(1) Benedictus XIV. in cit. Epiſt. Encyclic. *Inter præteritos*. §. 76.

(2) Benedictus XIV. cit. Epiſt. Encycl. §. 62.

Digitized by Google

tæque ab eo votorum commutationes, ac diſpenſationes aboleantur, ac prorſus extinguantur? *Quoniam abſolutio a cenſuris* (ſic dubium ſolvit (1) Benedictus XIV.) *in caſu, de quo agitur, minime quidem cum reincidentia, ſed abſolute data eſt, ac datur; idcirco declaravimus, illum nequaquam cenſuris, a quibus ſolutus fuerat, innodatum, aut gratiæ commutationum, ac diſpenſationum obtentarum expertem remanere*. Subdit tamen idem Pontifex præclariſſimorum Doctorum ſententiam ſecutus, eumdem hominem a lethali culpa non excuſari, tum quia in materia gravi Pontificis menti, atque intentioni adverſatur, tum quia tacito pacto a ſe inito, atque obligationi a ſe ultro contractæ non facit ſatis. Cum enim Romanus Pontifex facultates Confeſſariis largiatur tamquam medium ad Jubilæum conſequendum, adeoque illos velit eiſdem, nonniſi cum iis Pœnitentibus uti, qui ſinceram habeant Jubilæi conſequendi voluntatem, quique ex animo opera adimplendi ad ejuſdem conſecutionem injuncta ad confitendum accedat; Inde fit, ut Pœnitens, dum abſolutionem a cenſuris recipit, ac favores, & gratias per occaſionem Jubilæi datas in ſe ultro admittit, facto ipſo ad reliqua injuncta opera exequenda ſeſe obliget, eaque ſe præſtiturum ex oneroſo titulo polliceatur.

XII. Clauſulæ quædam Pontificiis Indulgentiarum Brevibus apponi ſolitæ pluribus occaſionem dedere quæſtionibus, quas a Sacra Congregatione dirimi oportuit. Aliqua ejuſdem Sacræ Congregationis decreta recenſeamus. 1. hæc aliquando clauſula Pontificio Brevi apponitur: *Præſentibus ad ſeptennium tantum valituris*. Jam vero hujus ſeptennii initium non a die publicationis, ſed a die datæ Brevis deſumendum eſſe (2) Sacra Congregatio declaravit. 2. ne ob immodicam Indulgentiarum largitionem Eccleſiaſtica enervaretur diſciplina, Pontificiis Brevibus, quibus Indulgentia Plenaria alicui Eccleſiæ pro certo aliquo die ad ſepten-

(1) Benedictus XIV. cit. Epiſt. Encycl. §. 86.

(2) Decretum Sac. Cong. Indulg. 18. Maii 1711. approbatum a Clemente XI. eodem menſe, & anno.

Digitized by Google

ſeptennium conceditur, apponi conſuevit hæc clauſula: *Volumus autem, ut ſi alias Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam qualibet anni die viſitantibus alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa fuerit, præſentes Litteræ nullæ ſint*. Verum cum ſuper hujus clauſulæ intelligentia plures exortæ fuiſſent difficultates, preces a Cameracenſi Archiepiſcopo porrectæ fuerunt Sacræ Congregationi Indulgentiis præpoſitæ, ut dictam clauſulam opportune explicaret. Ea autem (1) declaravit, *tali clauſula nullatenus comprehendi Altaria privilegiata pro Defunctis, neque Indulgentias, aut certo perſonarum generi conceſſas, ut Confraternitatibus, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in ipſa Eccleſia peragentibus, ut Litanias, aliaque hujuſmodi recitantibus, ac iis, qui Chriſtiana Doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti expoſitioni cum oratione quadraginta horarum interſunt, neque ſtationum Urbis, & ſeptem Altarium Indulgentias inſtar ſeptem Altarium Baſilicæ Vaticanæ conceſſas, neque demum quæ pro unica vice conceduntur. Cæterum ſi alia Indulgentia ſive plenaria, ſive non plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano Pontifice generatim Chriſtifidelibus Eccleſiam, vel aliquod ejus Altare, ſeu Capellam viſitantibus eodem die, vel diverſo conceſſa fuerit, de qua non fiat in Litteris Apoſtolicis mentio, has litteras ob dictam clauſulam eſſe prorſus irritas, ac nullas*. 3. quando plenaria Indulgentia a Romano Pontifice illis conceditur, qui præſcriptis diebus certam viſitaverint Eccleſiam; etiamſi pluries in die Eccleſiæ illius viſitatio fiat; unica tantum Indulgentia acquiri poteſt. Hoc enim decretum edidit Sacra Congregatio Indulgentiarum (2) ab Innocentio XI. approbatum, ac promulgatum; quo declaravit, *ſemel dumtaxat in die plenariam Indulgentiam in certos dies Eccleſiam viſitantibus conceſſam, vel aliud pium opus per-*

(1) Decr. Sac. Cong. Indulg. 23. Junii 1676., approbatum ab Innocentio XI. 18. Martii 1677.

(2) Decr. Sac. Cong. Indulg. approbatum, & promulgatum ab Innocentio XI. 7. Martii 1678., & Benedictus XIV. in Epiſt. Encycl. *Inter præteritos*. §. 84.

agentibus lucrifieri. Dies autem lucrandæ ejuſmodi Indulgentiæ deſtinatus non a media nocte præcedenti ad ſequentem metiendus eſt, ſed a Veſperis diei præcedentis ad Veſperas diei ſubſequentis, ideſt uſque (1) ad principium noctis, ſive ad horam vigeſimam quartam, quoniam Completorium orationum diei complementum eſt.

XIII. Aliqua nunc Parochi, & Confeſſarii monendi a Nobis ſunt, ut recte iis uti facultatibus ſciant, quas iiſdem occaſione Jubilæi ſive Univerſalis, ſive particularis, ſive Indulgentiæ Plenariæ inſtar Jubilæi conceſſæ largiri Romani Pontifices ſolent; cujuſmodi ſunt facultates abſolvendi a peccatis, & cenſuris Apoſtolicæ Sedi etiam in Bulla Cœnæ reſervatis, vota commutandi diſpenſando, commutandi opera ad Indulgentiam aſſequendam injuncta &c.

XIV. Primo itaque ſciant, ſi rationabili de cauſa commutanda ſint injuncta ad Indulgentiæ conſecutionem opera (quæ tamen commutatio fieri a Confeſſario nequit, niſi ea opera commutandi facultas in Brevi Indulgentiæ a Romano Pontifice Confeſſariis expreſſe concedatur) (2), fieri ejuſmodi commutationem non poſſe in ea opera, ad quæ is, qui commutatione indiget, ex alio titulo obligetur. Cum enim de ſubrogatione agatur; id autem, quod ſubrogatur, ejuſdem qualitatis, ac naturæ eſſe omnino debeat, cujus eſt opus ipſum, cui fit ſubrogatio; manifeſte inde deducitur, quoniam opera, quæ injungi ſolent, ex nullo ſive juſtitiæ, ſive obedientiæ, ſive alterius virtutis præcepto præſtari debent, ſed novum ſunt onus ad conſequendam Indulgentiam impoſitum, in eorum locum ſubrogari non poſſe ea opera, ad quæ præſtanda Indulgentiam conſecuturus ex alio titulo obligatur. Extra caſum vero commutationis diſputatur inter Doctores, an quis conſequi Indulgentiam poſſit per ea opera, ad quæ ex aliquo alio titulo obligetur? ex. gr. ſi eleemoſyna inter

(1) Benedictus XIV. Epiſt. Encycl. *Inter præteritos*. §. 12.

(2) Bened. XIV. Epiſt. Encycl. §. 53.

inter opera injuncta recenſeatur, quæritur, an quis Indulgentiam lucrari valeat per eleemoſynam, quam pauperibus erogare debet vel ratione juſtitiæ, vel vigore teſtamenti, aut Legati? *Verior opinio eſſe videtur* (inquit Benedictus XIV. (1)) *quod acquiri nequeat Indulgentia per opus, ad quod præſtandum ex alio titulo quis obligatur, niſi qui Indulgentiam concedit, nominatim dicat, quod per prædictum opus acquiri poſſit. Id enim ſæpe contingit, cum inter injuncta opera trium dierum jejunium præſcribitur, ac dies nominatim indicando ex. gr. dicitur, quod eſſe debeant tres dies quatuor temporum Septembris.*

XV. 2. In prædictarum facultatum uſu, quod attinet ad abſolutionem a caſibus reſervatis, manifeſtum eſt, eam extra Sacramentalem Confeſſionem dari non poſſe. Certum quoque eſt, nonniſi in actu Sacramentalis Confeſſionis abſolutionem a Cenſuris eſſe impertiendam, ſi in facultatis conceſſione hæc, aut æquivalens habeatur clauſula: *eorum Confeſſionibus diligenter auditis*. At quid, ſi ejuſmodi clauſula in Pontificia conceſſione non habeatur? Tutiorem eſſe opinionem affirmat Benedict. XIV. (2), quæ docet, non poſſe ejuſmodi abſolutionem extra Sacramentalem Confeſſionem dari, cum facultas abſolvendi a cenſuris detur, tamquam prævia diſpoſitio ad abſolutionem a peccatis. Major eſſe poteſt difficultas quoad votorum commutationem, aliarumque diſpenſationum uſum, quæ neque ex natura ſua, neque ex Pontificis voluntate ullo pacto ad Pœnitentiale Forum referri poſſe videntur. At idem Benedictus XIV. in toties laudata Epiſtola hanc quæſtionem pertractans, ſic concludit: *Nos vero ad omnem difficultatem tollendam in inſtructione injunximus, non poſſe a Confeſſariis deputatis ullas abſolutiones, commutationes, ac diſpenſationes dari extra actum Sacramentalis Confeſſionis, idque nobis & congruum eſſe, & materiæ gravitati, ac miniſterii qualitati conveniens viſum eſt, atque præterea omnem controverſiæ anſam eripit, & conforme eſt praxi Pœnitentiariæ Noſtræ Apoſtolicæ*. Ex his verbis liquido

(1) Bened. XIV. cit. Epiſt. Encycl. §. 53.

(2) Bened. XIV. cit. Epiſt. Encycl. §. 63.

Digitized by Google

quido conſtat, quænam fuerit in hac diſcutienda, dirimendaque controverſia Pontificis mens, cui proinde Nos omnes adhærere volumus in tota Noſtra Diœceſi Confeſſarios, quoties iiſdem occaſione Jubilæi, vel Indulgentiæ Plenariæ inſtar Jubilæi conceſſæ ſupradictas ex Pontificio oraculo facultates largiemur.

XIV. 3. Quoad votorum commutationem, aut diſpenſationem diligenter Confeſſarii verba conceſſionis advertant: diverſæ (1) enim res ſunt commutatio, ac diſpenſatio. Nam diſpenſatio obligationem voti ſine ulla ſubrogatione adimit: Simplici vero commutatione non extinguitur voti obligatio, ſed materia tantum voti in aliam aut majorem, aut ſaltem æqualem commutatur. Quando autem (ut ſæpe fit) facultas datur vota *commutandi diſpenſando*; in ejuſmodi facultate (2) ut principale ponitur *commutare*, ut acceſſorium jungitur *diſpenſando*. Quare ejus facultatis uſus eſſe debet eſſentialiter commutatio, quæ de ſe eſt vel in majus, vel in æquale; ita tamen, ut per acceſſoriam diſpenſationem a naturæ ſuæ rigore aliquantiſper recedat. Inde fit, ut moderata eſſe debeat inæqualitas materiæ in voti commutatione ſubrogatæ, cum acceſſoria diſpenſatio ſequi debeat naturam ſui principalis, videlicet commutationis, ejuſque naturam haud multum immutare, ne quod acceſſorie ponitur, locum habeat principalis. Id enim eſſet contra Pontificis mentem, qui facultatem dat, ut vota poſſint diſpenſando commutari, non commutando diſpenſari.

XVII. Cum plenariam aliquam Indulgentiam in aliqua Noſtræ Diœceſis Eccleſia acquirere Fideles certo aliquo die poterunt; volumus, ac mandamus Parochis, aliiſque Eccleſiarum Cuſtodibus, ut a primis veſperis diei præcedentis uſque ad veſperas diei ſubſequentis, ideſt uſque ad horam vigeſimam quartam, ante ejuſdem Eccleſiæ fores affixam pendere tabellam curent cum hac inſcriptione *Indulgentia Plenaria*, ut tali pacto de Indulgentia, quam

(1) Benedictus XIV. cit. Epiſt. Encycl. §. 45.

(2) Syrus de facult. Min. Pœnitent. par. 1. cap. 6. dub. 2.

Digitized by Google

quam lucrari poſſunt, prætereuntes Fideles admoneantur. Illud tamen eos monemus, quod ſi forte feſtum, cujus gratia conceſſa eſt Indulgentia, transferatur (1), non proinde ipſa quoque Indulgentia transfertur, niſi in Pontificia Bulla, ſeu Brevi id ipſum expreſſe concedatur. Nemo autem Indulgentias ſive in perpetuum, ſive ad tempus de novo conceſſas publicare in Noſtra Diœceſi audeat, niſi prius (2) a Nobis, vel a Vicario Noſtro Generali licentiam ad id obtinuerit, cum nonniſi ad Ordinarium Indulgentias recognoſcere, eaſque publicandi licentiam dare pertineat.

ARTICULUS II.

De Indulgentiis pro Fidelibus defunctis.

CUM inter eos Fideles, qui hujus uſura fruuntur lucis, atque eos, qui in Chriſto defuncti, ſed nondum ad plenum purgati, temporalem, quæ luenda iis ſupereſt, in Purgatorio igne perſolvunt pœnam, tanta intercedat communio, ut hi illorum precibus, ac ſuffragiis juvari poſſint; Inde fit, ut non modo pro vivis, verum etiam prò defunctis Chriſtifidelibus Romanus Pontifex Apoſtolica auctoritate Indulgentias concedere poſſit, ac ſoleat. *Per præſentes tibi ſignificandum duximus*, inquit Leo X. (3), *Romanam Eccleſiam, quam reliquæ tamquam Matrem ſequi tenentur, tradidiſſe, Romanum Pontificem Petri Clavigeri Succeſſorem, & Jeſu Chriſti in Terris Vicarium, poteſtate clavium, quarum eſt aperire Regnum Cœlorum tollendo illius in Chriſtifidelibus impedimenta, culpam ſcilicet, & pœnam pro actualibus peccatis debitam; culpam quidem mediante Sacramento Pœnitentiæ, pœnam vero temporalem pro actualibus peccatis ſecundum divinam Juſtitiam debitam, mediante Eccleſiaſtica Indulgentia, poſſe pro rationabilibus cauſis concedere iiſdem Chriſtifidelibus, qui, charitate jungente, membra ſunt Chriſti, ſive in*

(1) Sac. Rit. Cong. 30. Septemb. 1679., & 10. Junii 1690.

(2) Trident. ſeſſ. 25. cap. 11., & Sacra Congreg. Immunit. 12. Junii 1703.

(3) Leo X. Conſtitut. *Exurge Domine.* contra Lutherum.

ve in hac vita ſint, ſive in Purgatorio, Indulgentias ex ſuperabundantia meritorum Chriſti, & Sanctorum, & tam pro vivis, quam pro defunctis Apoſtolica auctoritate Indulgentiam concedendo, theſaurum meritorum Jeſu Chriſti, & Sanctorum diſpenſare, & per modum abſolutionis Indulgentiam ipſam conferre, & per modum ſuffragii illam transferre conſueviſſe; ac propterea omnes tam vivos, quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujuſmodi conſecuti fuerint, a tanta temporali pœna ſecundum divinam Juſtitiam pro peccatis ſuis actualibus debita liberari, quanta conceſſæ, & acquiſitæ Indulgentiæ æquivalet. Et ita ab omnibus teneri, & prædicari debere ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna &c., auctoritate Apoſtolica decernimus.

II. Illud tamen inter Indulgentias,quæ pro vivis,atque illas,quæ pro defunctis Fidelibus conceduntur, intercedit diſcrimen, quod Fidelibus vivis Romanus Pontifex immediate, ac directe per modum abſolutionis ſimul, ac ſolutionis; Defunctis vero indirecte, & mediate, videlicet per modum dumtaxat ſuffragii, ſeu piæ ſolutionis, ac exhibitæ ſatisfactionis, temporalem pœnam pro peccatis jam remiſſis debitam condonat. Cum enim Chriſtifideles, quamdiu mortalem degunt vitam, ſint Eccleſiæ Filii, ac ſpirituali ejuſdem juriſdictioni ſubdantur; Inde fit, ut Romanus Pontifex, cum Indulgentias iiſdem impertitur, non modo judiciariam exerceat poteſtatem, pœnam temporalem peccatis debitam vere remittens juxta illud Chriſti (1) Domini: *Quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis*, verum etiam abſolutioni ſolutionem adjungat, cum tantum de Eccleſiæ theſauro exhibeat, quantum pro temporali eadem pœna luenda requiritur. At Chriſtifidelibus vita functis, qui Purgatorio igne expiantur, *non tamquam ex poteſtate judiciaria* (2) (nullam quippe in illos juriſdictionem habet Eccleſia), *ſed modo tantum ſuffragii*, Indulgentiæ, quæ pro ipſis conceduntur, proſunt, per eas quippe Romanus Pontifex tantum ex Eccleſiæ theſauro Deo exhibet, quantum illi pro culpis ſuis luere deberent pœnæ.

III. Du-

(1) Matth. cap. 16.

(2) Benedictus XIV. Inſtit. 56. n. 15.

III. Dupliciter (1) a Romano Pontifice Indulgentia pro Defunctis concedi poteſt, ac ſolet: primo quidem directe, & immediate, cum ea videlicet ita conceditur, ut nonniſi in Defunctorum ſuffragium acquiri a Fidelibus poſſit: ſecundo vero indirecte, cum nimirum Fidelibus vivis Indulgentia, quam ſibi lucrentur, directe conceditur, cum facultate tamen, ut illam, ſi velint, Defunctis per modum ſuffragii applicare libere valeant: quam quidem facultatem Fideles non habent, niſi in Indulgentiarum conceſſione iis expreſſe a Pontifice tribuatur, quemadmodum Indulgentiam pro mortuis directe conceſſam applicare ſibi nulla ratione poſſunt, niſi id ipſum (quod tamen fieri non ſolet) nominatim concedatur. Quacumque autem ejuſmodi ratione Indulgentiæ pro Defunctis concedantur; Si rite fuerint a Pontificibus conceſſæ, ac veraciter a Fidelibus acquirantur; juxta ordinariam Dei legem defunctis illis, quibus applicantur, omnino proſunt vel ad omnimodam pœnæ remiſſionem, ſi plenaria ſit Indulgentia, vel ad aliquam, ſi ea ſit partialis. Cum enim Leo X. (2) Catholicam adverſus Lutherum ſtatuens de Indulgentiis doctrinam, tum iis, quæ defunctis applicantur, tum iis, quas vivi conſequuntur, Indulgentiis eumdem effectum iiſdem prorſus verbis polliceatur; ait enim, *omnes tam vivos, quam defunctos, qui veraciter omnes Indulgentias hujuſmodi conſecuti fuerint, tanta temporali pœna ſecundum divinam Juſtitiam pro peccatis ſuis actualibus debita liberari, quanta conceſſæ, & acquiſitæ Indulgentiæ æquivalet; & ita ab omnibus teneri, & prædicari debere, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna &c. auctoritate Apoſtolica decernimus*; Inde fit, ut Indulgentiæ rite conceſſæ, & acquiſitæ, quemadmodum Fidelibus vivis, qui eas ſibi lucrantur, omnino proſunt, ita etiam omnino defunctis, quibus applicantur, prodeſſe debeant.

IV. Inter Indulgentias pro Defunctis celeberrima eſt plenaria illa Indulgentia, quæ ex Apoſtolico privilegio vel in perpetuum, vel

(1) Benedictus XIV. cit. Epiſtol. Encycl. §. 23. & 24.

(2) Leo X. Conſtit. *Exurge, Domine*.

vel ad tempus, Altaribus quibuſdam adnectitur, *ut quandocumque Sacerdos aliquis* diebus in conceſſionis Brevi præſcriptis *Miſſam defunctorum pro anima cujuſcumque Fidelium Defunctorum ad præfatum Altare celebrabit, anima ipſa de theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii Indulgentiam conſequatur, itaut Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſuffragantibus meritis a Purgatorii pœnis liberetur*. Hujus Apoſtolici privilegii, a quo *Altaria Privilegiata* nuncupantur, uſus eſt antiquiſſimus. Nam, ut inquit Bellarminus, (1) *Paſchalis* 1. (qui anno Chriſti 817. Romanum obtinebat Pontificatum) *Indulgentiam ita conceſſit, ut qui pro anima Patris, vel alicujus particularis perſonæ defunctæ tot Miſſas celebraverit in Capella Sancti Zenonis, quæ eſt in Eccleſia Sanctæ Praxedis, animas illas de Purgatorii pœnis eripiat*. Is autem uſus frequentior mox fuit, communior, & amplior, itaut ſub Paulo V. opportunum viſum fuerit normam aliquam ſuper hac re conſtituere. Quare in particulari Congregatione, cui celeberrimi Cardinales Bellarminus, Baronius, du Perron, & Aſculanus interfuere, ſancitum fuit, ut Altaria privilegiata iis tantum Eccleſiis permitterentur, quæ inſigniores eſſent, & in quibus quotidie præſcriptus ab eadem Congregatione Miſſarum numerus haberetur. Sub Clemente vero XI. in alia particulari Congregatione decretum fuit, ut iis ſolum Eccleſiis Altare privilegiatum ſemel in hebdomada concederetur, in quibus quotidie Miſſæ ſaltem quinque, quæ certæ eſſent, non adventitiæ, celebrarentur. Si vero decem Sacra quotidie fierent, bis in hebdomada; ſi quindecim, ter in hebdomada privilegiatum Altare concedi poſſet; Si demum quadraginta, privilegium etiam quotidianum Apoſtolica Sedes largiretur. Nihil tamen de privilegiatis Altaribus ſtatutum eſt, quæ Fidelibus in ſacra ſodalitia adſcitis, aliiſque peculiaris Inſtituti viris a Pontifice tribuuntur. Ortas poſtmodum difficultates circa præſcriptum hunc Miſſarum numerum, & decreti intelligentiam, ſuis declarationibus enodavit Sacra

(1) Bellarminus in tract. de Indulgentiis lib. 1. cap. 14., & Benedictus XIV. Inſtit. 56. num. 15.

Digitized by Google

Sacra Congregatio Concilii, quas damus in Appendice *num.* 18. Mox Benedictus XIII. Altare privilegiatum quotidianum perpetuum conceſſit ſingulis Patriarchalibus, Metropolitanis, & Cathedralibus totius Orbis Catholici Eccleſiis, quibus illud a Romanis Pontificibus conceſſum hactenus non fuiſſet, atque altare illud ejuſmodi privilegio decorari voluit, quod a Patriarchis, Archiepiſcopis, atque Epiſcopis reſpective locorum ſemel deſignaretur. Pontificias litteras in forma Brevis damus in Appendice *num.* 19. Aliquando tamen privilegiatum Altare alicui Eccleſiæ ab Apoſtolica Sede conceditur, quin præſcriptus Miſſarum numerus exigatur. Propterea hac in re ſemper eſt advertendum, quid in conceſſionis Brevi Romanus Pontifex præſcribat.

V. Apoſtolicum, de quo loquimur, Privilegium dividi vulgo ſolet in locale, & perſonale. Locale illud eſt, de quo hactenus diſſeruimus. Perſonale vero tunc habetur, quando Romanus Pontifex Sacerdoti alicui facultatem impertitur, ut, ſi Miſſam defunctorum pro anima alicujus Fidelis defuncti ad Altare quodcumque præſcriptis in conceſſione diebus celebret, anima illa de theſauro Eccleſiæ per modum ſuffragii plenariam Indulgentiam conſequatur, itaut Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium ſuffragantibus meritis a Purgatorii pœna liberetur. Hujuſmodi perſonale privilegium quibuslibet Sacerdotibus, cum Sæcularibus, tum Regularibus pro ſecunda Novembris die, qua omnium Fidelium Defunctorum memoria recolitur, Clemens XIII. univerſali decreto perpetuis futuris temporibus valituro conceſſit, itaut Miſſa Defunctorum, quæ a Sacerdote quolibet ea die celebratur, privilegio gaudeat, ac ſi in Altari Privilegiato celebraretur, dummodo nonniſi conſuetam eleemoſynam Sacerdos celebrans pro dicta Miſſa, licet privilegiata, accipiat, & in ea tantum quantitate, quæ a Synodalibus Conſtitutionibus, ſeu a loci conſuetudine fuerit regulariter præfinita, uti ex decreto Sacræ Congregationis pa-

 tet,

(1) Benedictus XIII. in Brevi: *Omnium ſaluti*. edito die 20. Julii 1724.

tet, cujus exemplar damus in Appendice *num.* 20. Æquiſſima autem hæc conditio recipiendi pro Miſſa Privilegiata conſuetam dumtaxat eleemoſynam a Synodalibus Conſtitutionibus, ſeu a loci conſuetudine præfinitam, Privilegii ſive localis, ſive perſonalis conceſſioni adjungi ſemper ſolet; & ſi aliquando non exprimatur, adjuncta ſubintelligitur, ne videlicet turpi quæſtui fiat locus, ac venales eſſe Indulgentiæ videantur. Aliud etiam idem Pontifex ſaluberrimum defunctis Fidelibus, in Purgatorio detentis igne, decretum edidit, quo nimirum omnes, & ſingulas Parochiales totius orbis Eccleſias ſpeciali quotidiani Altaris Privilegiati gratia ad ſeptennium decorari voluit, ea tamen adjecta lege, ut Epiſcopus quilibet pro ſua Diœceſi ejuſmodi gratiam poſtulet, atque unum dumtaxat Breve pro omnibus uniuſcujuſque Diœceſis Parochialibus Eccleſiis ſuffragetur; *expirato vero ſeptennio, Sede plena, ipſimet Epiſcopi; Sede autem vacante, Vicarii Capitulares pro ejuſdem privilegii renovatione preces porrigant*. Decreti hujus exemplar damus in Appendice *num.* 21.

V. Verum cum ejuſmodi plenaria pro Defunctis Indulgentia nonniſi iis Sacerdotibus concederetur, qui Miſſam Defunctorum ad Altare Privilegiatum, ſi privilegium eſſet locale, ad Altare vero quodcumque, ſi privilegium eſſet perſonale, pro anima alicujus Defuncti celebrarent; Miſſæ vero Defunctorum diebus Feſtis ſub Ritu Duplici, certiſque aliis diebus celebrari non poſſent; Conſulta hac ſuper re Apoſtolica Sedes, de conſilio Sacræ Rituum Congregationis plures decurſu temporis edidit Conſtitutiones, quibus mentem ſuam aperuit, & privilegium, de quo loquimur, ampliavit. Et primum quidem Alexander VII. (1) decrevit, ut in Altaribus perpetuo privilegiatis, & in quibus quotidie ex Fundatorum, ſeu Benefactorum voluntate Miſſæ de Requiem, ut vocant, celebrandæ eſſent, per celebrationem Miſſarum de Feſto currenti cuilibet obligationi fieret ſatis, eamdemque

(1) Alexander VII. Conſt. *Credita nobis*. edita die 22. Januar. 1667.

que celebrans, Indulgentiam pro anima alicujus Defuncti lucraretur, ac ſi ad formam Privilegii Miſſam Defunctorum celebraret. Hanc Alexandri VII. diſpoſitionem Clemens IX. (1) extendit ad Altaria privilegiata non perpetua, nec quotidiana, & ad Miſſas, quæ non ex obligatione, ſed ex ſola Fidelium devotione, ac pietate celebrarentur. Tandem Innocentius XI. (2) præfatas Alexandri VII., & Clementis IX. Conſtitutiones ampliavit ad dies Dominicos, ad dies infra Octavas Paſchatis Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, alioſque dies, quibus, licet Feſtum Duplex non occurrat, Miſſæ tamen Defunctorum juxta Eccleſiæ Ritum, ac morem celebrari nequeunt. Trium iſtorum Romanorum Pontificum Conſtitutiones, quarum exemplar in Appendice exhibemus *num.* 21., Clemens XI. die 29. Septembris 1714. Apoſtolica iterum auctoritate confirmavit. Quoties ergo ad Sacrorum Rituum normam celebrari Miſſa Defunctorum poteſt, ea celebranda omnino eſt, ut Altaris privilegiati ſive localis, ſive perſonalis uſus fiat, atque Indulgentiam per modum ſuffragii anima illa conſequatur, pro qua incruentum Deo offertur Sacrificium.

VI. Parochos itaque, ac Sacerdotes reliquos, qui in hac Noſtra Diœceſi verſantur, paterna charitate monemus, ut, quoties privilegiati Altaris Indulto uti poſſunt, ejuſdem uſum non prætermittant, omnique ſtudio curent Fidelium Defunctorum animabus, quæ Purgatorio expiantur igne, opem, ſibi tam facilem, illis vero adeo ſalutarem ſuppeditare. Cum Purgatorius ignis, teſte S. Cæſario Arelatenſi (3), *durior ſit, quam quidquid pœnarum in hoc ſæculo aut cogitari, aut videri, aut ſentiri poteſt*; ſollicite ſtudeant animas, cæteroqui Deo charas, ſibique fortaſſe aut cognationis, aut amicitiæ fœdere junctas, ex eo tenebricoſo pœnarum

(1) Clemens IX. Conſt. *Cum felicis.* edita die 23. Septembris 1669.

(2) Innocentius XI. Conſt. *Alias*. edita die 4. Maii 1688.

(3) Sanctus Cæſarius Arelatenſis ſermon. 104. Tom. 3. oper. S. Auguſtini ann. 1683.

narum loco, quantocyus poſſunt, eripere. Ut autem rectus ſit ejuſmodi Apoſtolici Indulti uſus, Pontificias Conſtitutiones ea ſuper re editas, quas ſuperius recenſuimus, quam diligentiſſime ſervare curent.

CAP. XII.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Clementiſſimus Redemptor Noſter (1) tanto ſervos ſuos amore proſequitur, ut iis quovis tempore voluerit de ſalutaribus remediis adverſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum. Quamobrem, quemadmodum ſapienter diſpoſuit, ut iidem ſtatim in hanc editi lucem, primumque vitæ curſum ingredientes, per Sacram baptiſmalium aquarum ablutionem ab originis culpa expiarentur; ac præterea auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus conſervare ſe integros, dum viverent, ab omni graviore Spiritus incommodo poſſent; Ita etiam provide inſtituit, ut iidem ad ultimum demum progreſſi terminum, atque eo tranſituri, ubi ſine termino æterna eos aut remuneratio manet, aut pœna, Extremæ Unctionis Sacramento, tamquam firmiſſimo quodam præſidio, muniti recrearentur. De hoc Sacramento, adultis Fidelibus ex hac vita exeuntibus utiliſſimo, dicturi hic ſumus, & leges in eo miniſtrando ſervandas præſcripturi.

II. Sacramentum hoc, quamquam modo *Unctio infirmorum, modo Sacramentum exeuntium* appelletur a Patribus, ex Eccleſiæ (2) tamen conſuetudine *Extrema Unctio* nuncupatur, quia ultima eſt earum Sacrarum Unctionum, quas Chriſtus Eccleſiæ ſuæ commendavit. Sexies enim juxta Sacros Eccleſiæ ritus ungi Fideles poſſunt; primo ſcilicet dum Catechumeni fiunt; ſecundo dum baptizantur; tertio dum Sacramentum Confirmationis ſuſcipiunt;

(1) Trid. ſeſſ. 14. de Sacram. Extremæ Unctionis.

(2) Catechiſmus Romanus par. 2. c. 6. de Sacramento Extremæ Unctionis. §. 2.

Digitized by Google

piunt; quarto dum Reges coronantur; quinto dum Sacerdotes, aut Epiſcopi conſecrantur; poſtremo cum gravi, ac periculoſo morbo decumbentes, aut etiam extremo jam in mortis articulo conſtituti, Sacro hoc oleo obliniuntur. Extremam hanc Unctionem eſſe verum novæ legis Sacramentum, a Chriſto Domino inſtitutum, a S. Marco inſinuatum, & a S. Jacobo Apoſtolo Fidelibus promulgatum Tridentina Synodus definivit, ubi inquit (1): *Si quis dixerit, Extremam Unctionem non eſſe vere, & proprie Sacramentum, a Chriſto Domino inſtitutum, & a Beato Jacobo Apoſtolo promulgatum, anathema ſit.*

III. Quænam ſit hujus Sacramenti materia, quænam forma, quinam Miniſter, & quinam effectus, quos producit, a S. Jacobo (2) ſic docemur: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Ex his verbis, uti nos docet Tridentinum (3), Eccleſia ex Apoſtolica traditione per manus accepta didicit, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum; formam eſſe illa verba, quæ in hoc miniſtrando Sacramento adhibentur: *Per iſtam Sanctam Unctionem &c.*, Miniſtrum eſſe aut Epiſcopum, aut Sacerdotem ab Epiſcopo rite ordinatum per impoſitionem manuum Presbyterii; ac tandem effectus, qui a Sacramento producuntur, eſſe 1. ut delicta, ſi qua ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergat. 2. ut ægroti animam alleviet, & confirmet, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus morbi incommoda, laboreſque levius ferat; 3. ut tentationibus Dæmonis, calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtat; 4. ut ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequatur. Singula diſertius explicemus.

IV. Materia itaque remota Extremæ Unctionis ex Chriſti inſtitu-

(1) Trid. ſeſſ. 14. de Sacram. Extremæ Unctionis can. 1., & eadem ſeſſ. cap. 1.

(2) Jacobi cap. 5.

(3) Trid. ſeſſ. 14. cap. 1., 2., & 3. de Extrema Unctione.

inſtitutione eſt oleum ab Epiſcopo benedictum, & quidem ex olivarum (1) tantum baccis expreſſum, quippe illud ſolummodo juxta communem loquendi modum, niſi alterius vocis fiat additio, *Olei* nomine deſignatur. Materia vero proxima eſt unctio, per quam a Sacerdote ægrotantis corpus oleo illinitur. Unctio enim aptiſſime Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat. Quamquam hoc oleum, ex Eccleſiæ ſaltem præcepto, eſſe debeat ſimplex, & abſque ulla alterius liquoris admixtione; Doctores tamen omnes Sacramenti validitati officere negant, quod aliquid balſami eidem, contra communem cæteroqui, & perpetuam Eccleſiæ praxim, admiſceatur, dummodo tanta non ſit admixtio, ut, exteriore deſtructa olei ſpecie, non oleum, ſed unguentum potius, aut artificiale alterius generis mixtum cenſeatur. Debet præterea hoc oleum eſſe prius Epiſcopi benedictione conſecratum, uti ex antiquiſſima Patrum (2) traditione accepimus. Utrum autem ex Chriſti inſtitutione, an ex Eccleſiæ ſolum præcepto neceſſaria ſit Epiſcopi benedictio, inter Theologos diſputatur. Nos quæſtionem intactam relinquentes, tria dumtaxat ſtatui poſſe cenſemus; nimirum primo aliquam ex Chriſti inſtitutione conſecrationem in oleo requiri, ut apta fiat hujus Sacramenti materia: ſecundo numquam ægrotantes in Eccleſia Latina oleo inunctos fuiſſe, quod non fuerit ab Epiſcopo conſecratum: tertio ad Sacramenti validitatem ſufficere oleum a ſimplici Sacerdote benedictum. Inficiari enim nemo audebit, ex Romani Pontificis ſive expreſſa, ſive tacita commiſſione, materiam aptam ad conficiendum hoc Sacramentum a ſimplici Sacerdote præparari poſſe, cum a mille (3), & amplius annis mos in Eccleſia Orientali vigeat, ut ipſi Presbyteri Extremam Unctionem collaturi, oleum in ea adhi-

(1) Benedictus XIV. de Synodo Diœceſana lib. 8. cap. 1. 2. 3.

(2) Innoc. I. in Epiſt. ad Decentium, Eugenius IV. in Decr. pro inſtr. Armen., Trid. loc. cit., Bened. XIV. loc. cit. n. 4.

(3) Joannes XXII. in Epiſt. ad Officium Armenorum Regem, Arcudius lib. 5. cap. 2., Benedictus XIV. de Synodo lib. 8. cap. 1. num. 4.

adhibendum benedicant. Quam quidem conſuetudinem Apoſtolica Sedes non ſemel ratam habuit, & approbavit. Nam, omiſſis reliquis, Clemens VIII. in ſuo decreto, quo Italo-Grecis permittit, ut in ſuo ritu perſeverent, ſic habet: *Circa Oleum Sanctum Infirmorum, non ſunt cogendi Presbyteri Græci Olea Sancta, præter Chriſma, ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere, cum ejuſmodi Olea ab eis in ipſa Oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, ac benedicantur*. Quod quidem decretum renovavit, confirmavitque peculiari (1) Conſtitutione Benedictus XIV.

V. At Nos in Noſtra Diœceſi perpetuum Eccleſiæ Latinæ uſum conſtantiſſime retineri volumus, diſtricteque præcipimus, ac mandamus, ut non aliud in Extrema Unctione conferenda oleum adhibeatur, niſi quod ab Epiſcopo Feria quinta in Cœna Domini fuerit ſolemni ritu conſecratum. Quod ſi Parochus aliquis oleum ejuſmodi ab Epiſcopo ſibi traditum ex frequenti uſu ita imminui videat in dies, ut deficere omnino poſſit, opportune curet, ut aliud ejuſmodi oleum ab Eccleſia Cathedrali, in qua aſſervari ſolet, ſibi ſuppeditetur. In caſu autem urgentis neceſſitatis (2), in qua plurimi ungendi eſſent infirmi, nec in promptu ſufficiens olei benedicti copia haberetur, licebit Sacro Oleo præexiſtenti oleum addere benedictum, in minori tamen quantitate, ne per improvidam mixtionem dubia reddatur materia Sacramenti. Aptiſſime (3) autem hæc materia vim, atque effectum Sacramenti ſignificat. Quemadmodum enim oleum liniendis, mitigandiſque corporis doloribus recte adhiberi ſolet; ita Sacramenti hujus vis maxima in eo eſt, ut animæ dolorem, triſtitiamque ſoletur, ac levet, & nos ad mortem erecto, conſtantique animo ſubeundam, ac Dæmonis calcaneo noſtro inſi-

Xxxx diantis

(1) Benedictus XIV. Conſt. 57. §. 4. in ejus Bullario tom. 1. pag. 172.

(2) Cap. *Quod in dubiis*. 3. de conſecrat. Eccleſ., Rituale Romanum tit. de Extrema Unctione, & Sac. Cong. Supremæ, & Univerſ. Inquiſitionis ad dubium ſibi propoſitum 23. Septemb. 1682.

(3) Catechiſmus Romanus loc. cit. §. 5.

Digitized by Google

diantis dolos eludendos excitet, atque confirmet. Ab iis vero, ad quos pertinet, detur opera, ut oleum maxime purum, liquidumque, nec male olens, quemadmodum debita erga Sacramentum Religio poſtulat, Feria quinta majoris hebdomadæ Epiſcopo conſecrandum proponatur.

VI. Forma hujus Sacramenti (1), ut a Concilio Tridentino, ac Rituali Romano docemur, eſt ſolemnis illa, quam Sacerdos ad ſingulas unctiones adhibet, precatio: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam Miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum &c. deliquiſti*; quæ quidem forma ad ſingula, quæ unguntur, membra eſt repetenda; ſed ſimul exprimendus eſt ſenſus, qui in illa corporis parte, quæ inungitur, reſidet. Hinc non omnes ungendæ ſunt corporis partes, ſed eæ tantum, in quibus maxime ſenſuum noſtrorum ſedem natura poſuiſſe videtur, videlicet oculi propter viſum, aures propter auditum, nares propter odoratum, os propter guſtum, manus propter tactum, pedes propter inceſſum, renes denique propterea quod in iis voluptatis, ac libidinis vis potiſſimum ſita eſſe exiſtimatur. Is autem ungendi ritus, qui conſtanter in Eccleſia univerſali retinetur, naturæ hujus Sacramenti, quod medicamenti inſtar eſt, optime convenit. Quemadmodum enim in corporis morbis, quamvis univerſum male affectum ſit corpus, tamen illi tantum parti curatio adhibetur, a qua, tamquam a fonte, & origine, morbus manat; ita in hujus Sacramenti adminiſtratione non totum corpus, ſed ea membra, in quibus potiſſimum ſentiendi, & agendi vis eminet, & quibus homo, cum peccat, abuti ſolet, unguntur.

VII. Deprecativam eſſe hujus Sacramenti formam, ex ipſis ejuſdem verbis unuſquiſque facile intelligit. Ratio autem, cur ex omnibus Sacramentis ſola extremæ unctionis forma precatione abſolvatur, hæc a Catechiſmo Romano (2) profertur. *Cum hoc Sacra-*

(1) Conc. Trid., Rituale Rom., Catechiſmus Romanus locis citatis.

(2) Catechiſmus Romanus loc. cit. §.7.

Sacramentum propterea adhibeatur, ut præter ſpiritualem gratiam, quam tribuit, ſanitatem etiam reſtituat ægrotis; tamen quia non ſemper ſequitur, ut ægroti a morbis convaleſcant; ob eam cauſam precatione forma conficitur, ut a Dei benignitate id impetremus, quod Sacramenti vis conſtanti, & perpetuo ordine efficere non ſolet. Quamquam autem Sacramentum hoc per plures unctiones adminiſtretur, in quarum ſingulis ſua adhibetur forma; non tamen multiplex, ſed unum eſt Sacramentum, non quidem partium continuatione, quæ dividi non poſſint, ſed perfectione, cujuſmodi ſunt cætera omnia, quæ ex pluribus rebus conſtant.

VIII. Quoad particulares iſtas unctiones aliqua hìc ad rectam hujus Sacramenti adminiſtrationem adnotanda eſſe cenſemus. Primo ſiquis aliquo ex iis membris, quæ ungenda eſſe diximus, careat, puta manu, aut pede; tunc ei parti adhibenda eſt unctio, quæ amiſſo membro erit proximior. Secundo renum unctio in fœminis propter decorem, & honeſtatem ſemper omittitur: imo etiam in viris ipſis omittenda eſt, ſi id gravitas morbi poſtulare videatur. Tertio, in ungendis manibus illud ſervandum eſt diſcrimen, ut, in reliquis Fidelibus interior earum pars, in Sacerdotibus autem exterior obliniatur: eorum enim manus palma oleo Sacro fuit inuncta, cum Sacerdotio initiarentur. Quarto, tempore peſtis, aut quando ita æger in extremis laborat, ut periculum immineat, ne, antequam præſcriptæ ab Eccleſia unctiones abſolvantur, decedat, ungendus eſt in eo ſenſuum organo, in quo inungi facilius poteſt, ſub hac forma: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam Miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum, greſſum, & lumborum delectationem deliquiſti. Amen*. Alia hujuſmodi plura in Rituali Romano Parochi reperient, ac proinde illud attente, ac ſæpe perlegant. Eos (1) tamen hìc ſerio monemus, a grauis culpæ reatu non excuſari illum, qui extra recenſitos caſus vel unam ex quinque ſenſuum unctionibus prætermittat.

Xxxx 2 IX. Ex-

(1) Benedictus XIV. de Synodo lib. 8. cap. 3. §. 5.

Digitized by Google

IX. Extremæ Unctionis Miniſtros eſſe ſolos Sacerdotes ab Epiſcopo valide ordinatos, contra Novatores Tridentina (1) Synodus definivit, ubi ait: *Si quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos B. Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed etiam ſeniores in quavis Communitate, & ob id proprium extremæ Unctionis Miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit*. Verum, etſi quilibet Sacerdos extremam unctionem conferre valide poſſit, ordinarius tamen ejuſdem Miniſter eſt ſolus Parochus, vel alter, cui ille ejus muneris fungendi poteſtatem fecerit. Quare nemini licet, extra urgentem neceſſitatem, ſine ejuſdem Parochi, aut Epiſcopi licentia Sacramentum hoc adminiſtrare. Imo Sacerdotes Regulares ſine Epiſcopi, aut Parochi licentia, aut ſine expreſſo Romani Pontificis privilegio Sacramentum extremæ Unctionis adminiſtrantes, præter gravis culpæ reatum, in excommunicationem (2) incurrunt Sedi Apoſtolicæ reſervatam, etiamſi ii (3), quos Sacro inungunt Oleo, ſint advenæ in eorum Monaſterio, aut Conventu ægrotantes. Conferre tamen hoc Sacramentum poſſunt abſque ulla licentia famulis (4), domeſticis, & commenſalibus, qui intra eorum Monaſteriorum, aut Conventuum ſepta degunt, & vivunt. At ſi, deficiente Parocho, infirmus ſit in proximo mortis periculo conſtitutus; integrum cuilibet Sacerdoti eſt Sacro Oleo ægrotantem inungere. Cum enim Eccleſia, urgente mortis periculo, cuilibet Sacerdoti poteſtatem fecerit abſolvendi a quibuslibet cenſuris, & peccatis; veroſimile non eſt, quod cuipiam Sacerdoti interdixerit, ne ægroto, qui in eodem vitæ diſcrimine ſit conſtitutus, abſente Parocho, Unctionem extremam adminiſtret, quæ perfectio eſt, & complementum Pœnitentiæ, & quæ ad ſui validitatem in Miniſtro juriſdictionis poteſtatem

(1) Trid. ſeſſ. 14. can. 4. de Extrema Unctione.

(2) Clement. 1. de privilegiis.

(3) Sac. Cong. Concil. in Monopolitana 27. Septembris 1670. lib. 26. decret. pag. 444.

(4) Clemens X. in Conſtit. *Superna*; Trid. ſeſſ. 24. cap. 11.

Digitized by Google

ſtatem non requirit. Hinc S. Carolus Borromæus in Concilio (1) Mediolanenſi V. ſic decrevit: *Ne alius Sacerdos, niſi Parochus, hoc Sacramentum miniſtret. Si porro is impeditus, aut alias in mora eſt, mortiſque periculum inſtat; tunc Sacerdos alius miniſtret, licet.* Nos certe S. Caroli veſtigiis inhærentes poteſtatem in Noſtra Diœceſi facimus cuilibet Sacerdoti, ut, quoties Parochus, ejuſque adjutor, aut viceſgerens abſit, & ægro mortis impendeat periculum, eidem extremæ Unctionis Sacramentum libere, ac licite miniſtrare poſſit, ac valeat.

X. Ex iis Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini*, quæri poſſet, utrum ad hoc Sacramentum valide conficiendum unus ſufficiat, an plures requirantur Presbyteri? Verum quæſtionem omnem ſuſtulit Alexander III. (2), qui ſic definivit: *Nos itaque tibi taliter duximus reſpondendum, quod Sacerdos, uno præſente Clerico, & etiam ſolus, poteſt infirmum ungere*. Cui quidem definitioni conſonat, qui jamdiu in Eccleſia Latina viget, uſus. Cæterum cum novum non ſit, ſicuti monet S. Auguſtinus (3), in Sacris Litteris numerum pluralem poni pro ſingulari; dicendum (4) eſt, S. Jacobum per verba illa *Presbyteros Eccleſiæ* aliquem ex Eccleſiæ Presbyteris ſignificare. Si tamen plures ſimul Sacerdotes re ipſa hoc Sacramentum conficerent, eſſet profecto validum, dummodo ſinguli diverſos ungerent ægroti ſenſus, & quilibet congruentem inuncto ſenſui formam pronunciaret. Verum (5) cum nemini liceat in Sacramentis adminiſtrandis a norma in Rituali Romano præſcripta recedere; in hoc autem præſcribatur, ut non plures, ſed unus Sacerdos extremam Unctionem conferat; inde fit, ut illicitum nunc ſit, ſecluſa neceſſitate, ejuſmodi Sacramentum a pluribus ſimul adminiſtrari. Non

(1) In Conc. Mediol. V. Actor. Eccl. Mediol. par. 1. pag. 223.

(2) Cap. *Quæſivit*. de verbor. ſignificat., S. Thom. lib. 4. contra Gentes cap. 73.

(3) S. Auguſtinus lib. 3. de conſenſu Evangeliſt. cap. 16.

(4) Benedictus XIV. de Synod. lib. 8. cap. 4. num. 4.

(5) Benedictus XIV. loc. cit. num. 5.

Digitized by Google

Non loquimur hìc de Eccleſia Græca, pro qua Conſtitutionem (1) edidit Benedictus XIV. in ejus Bullario videndam.

XI Ex allatis Jacobi verbis (2), ex decreto Eugenii IV. (3), ex Tridentina Synodo (4), ex Catechiſmo Romano, & ex perpetua, conſtantique Eccleſiæ Latinæ traditione (5), quæ omnium Theologorum conſenſione firmatur, edocemur, extremam Unctionem ſolis Infirmis eſſe miniſtrandam, & quidem eo morbo laborantibus, ex quo juxta peritorum judicium mors ſecutura prudenter timeatur. Denegandum (6) proinde eſt hoc Sacramentum iis, qui, cum ſano ſint corpore, probabile, aut etiam certum adeunt vitæ periculum, cujuſmodi ſunt, qui aut mare tranſgreſſuri, aut commiſſuri prælium, aut ultimo ſunt plectendi ſupplicio. Denegandum quoque eſt fœminis partui proximis, niſi alia inſuper iiſdem acceſſerit extraordinaria, & lethalis corporis ægritudo. Denegandum præterea eſt 1. pueris (7), qui nullum adhuc rationis uſum habent, etiamſi in gravi verſentur vitæ diſcrimine, quia, cum hi nondum ulla vel levi culpa fœdari potuerint, vera in iis eſse non poteſt hujus Sacramenti forma: *Indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum, auditum &c. deliquiſti*: Pueri tamen, ſtatim ac rationis compotes (8), & doli, culpæque capaces cenſentur, ſi in gravem incidant morbum, infirmorum oleo poterunt illiniri. 2. amentibus, & furioſis (9), qui ab ipſo ortu numquam mentis, & rationis compotes fuere, cum etiam iſti nulla gravi, aut levi culpa ſe contaminare potuerint, ad cujus abſtergendas reliquias hoc Sacramentum, prout eſt inſtitutum,

(1) Benedictus XIV. Conſtit. 57. §.5. in ejuſdem Bullario tom. 1.

(2) Jacobi cap. 5.

(3) Tom. 9. Collectionis Harduini.

(4) Seſſ. 14. cap. 3. de Extrem. Unct.

(5) Catechiſmus Romanus de Extrem. Unct. §. 9.

(6) Conc. Mediol. V. ſub S. Carolo anno 1576. par. 2. tit. 6., & S. Th. lib. 4. contra Gentes cap. 73.

(7) S. Th. in 4. diſt. 23. qu. 2. art. 2., S. Carolus Borromæus par. 4. Act. Eccl. Mediol. pag. 543., & Catech. Rom. loc. cit. num. 9., Rit. Rom. de Extr. Unct.

(8) Benedictus XIV. de Synodo lib. 8. cap. 6.

(9) S. Carolus Borromæus in Act. Eccl. Mediol. loc. cit., Catech. Rom. loc. cit., Benedictus XIV. loc. cit. num. 4.

tutum, adhibeatur. Secus vero dicendum eſt de adultis (1), qui uſu aliquando rationis præditi, poſtea in phreneſim, aut amentiam inciderunt: iis enim miniſtrandum eſt, dummodo & abſque irreverentia Sacramenti fieri id poſſit, & ægrotus, antequam inſaniret, expreſse, aut tacite illud petierit, aut petiturus fuiſset, ſi meminiſset, neque in peccato mortali notorio inſanierit. 3. publicis, ac notoriis peccatoribus, quos nulla præteritorum criminum pœnitentia tangi conſtiterit. His enim non modo extrema Unctio, ſed Sacramenta etiam reliqua ſunt deneganda; & ſi in eo ſtatu deceſserint, Eccleſiaſtica quoque privandi ſunt ſepultura.

XII. Quamquam iis dumtaxat infirmis Extrema Unctio ſit conferenda, qui deceſſuri prudenter timeantur; non tamen ita ejuſdem adminiſtratio eſt differenda, ut tunc ſolum Sancto Oleo liniantur, cum in eum ſtatum devenerint, ut jam jam ſpiritum ſint exhalaturi. Graviſſime enim peccant (2) ii, qui illud tempus ægroti ungendi obſervare ſolent, cum omni ſpe ſalutis amiſſa, vita, & ſenſibus carere incipiat. Conſtat enim ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam plurimum valere, ſi ægrotus, cum in eo adhuc integra mens, & ratio viget, fidemque, & religioſam animi voluntatem afferre poteſt, Sacro Oleo liniatur. Quare animadvertant Parochi, ut eo potiſſimum tempore cœleſtem medicinam, vi ſua ſemper ſalutarem, adhibeant, cum ex eorum etiam, qui curandi ſunt, pietate, ac religione magis profuturam intellexerint. Cum autem humani generis hoſtis hanc pleriſque rudibus, & ignaris mentem iniiciat, ut actum eſſe credant de illius vita, qui Sancto unctus eſt Oleo, eique ſolum ſupereſſe ſepulchrum; & inde fiat, ut a Sacra Unctione perinde, ac ab ipſa morte abhorreant; Curent (3) Parochi crebris monitio-

(1) Concilium Arauſicanum can. 13., S. Th. in 4. diſt. 23. qu. 2. art. 2. quæſtiunc. 3., Benedictus XIV. loc. cit.

(2) Catechiſ. Rom. loc. cit. §. 9., Conc. Mediol. I. anni 1565., Burdigalenſe, & Rhemenſe an. 1583., Bituricenſe an. 1584.

(3) Synodus Burdigalenſis anni 1583. tit. 13.

tionibus Populum a tam inani, atque impia opinione abducere, cum certum ſit ex Apoſtoli doctrina, Deum non animæ tantum, verum etiam corporis, ſi expedierit, ſalutem vi hujus Sacramenti conferre. *Sanitatem corporis interdum*, inquit Tridentina Synodus (1), *ubi ſaluti animæ expedierit, infirmus conſequitur*; & uti diſerte prius declaraverat Eugenius IV. (2), *effectus hujus Sacramenti eſt mentis ſanatio, &, in quantum expedit, ipſius etiam corporis*. Non itaque ad inungendum infirmum ultima expectanda eſt ejus vitæ periodus, qua Extremum agat ſpiritum. Hunc enim effectum (3) reſtituendæ valetudinis Sacramentum non operatur per modum miraculi (quod ſane in illis circumſtantiis neceſſario requireretur) ſed virtute quadam, ſupernaturali quidem, ſed quodammodo ordinaria, qua naturales cauſæ adjuvantur.

XIII. Verum cum ita comparati ſimus, ut omnia fere noſtris commodis metiamur; Hinc ut efficacius alliciantur Fideles ad extremam Unctionem celeriter petendam, eamque recipiendam, antequam ſenſibus, ac mente deſtituantur; Parochus iis recenſeat, ac explicet alios nobiliores effectus, quos eadem in decumbentium anima operatur, & quorum haud facile ægrotus eſſe poteſt particeps, ſi ſenſuum, & rationis uſu ſit deſtitutus. Prima igitur utilitas (4), atque effectus hujus Sacramenti eſt, ut, ſi ægrotus in peccatis ſit, dimittantur ei, & delicta, ſi qua ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias, Sacramentum hoc, tamquam Sacramenti Pœnitentiæ complementum, abſtergat. *Peccati* autem *reliquiæ, peccata, ac delicta*, quæ per hoc Sacramentum Jacobus remitti, Tridentina vero Synodus abſtergi docet, primum quidem peccata venialia ſignificant, quæ multis ſane remediis, at potiſſimum per Extremam Unctionem, expiari poſſunt: *ſunt*

(1) Trid. ſeſſ. 14. cap. 2. de Extrema Unctione.

(2) Eugenius IV. in Decreto unionis ad Armenos.

(3) Benedictus XIV. de Synodo lib. 8. cap. 8. num. 2.

(4) Jacobi cap. 5., Trid. loc. cit. cap. 2., S. Carolus Borromæus in Actis Eccleſ. Mediol. par. 4. pag. 541., S. Th. lib. 4. contra Gentes cap. 73., & in Supplem. 3. par. qu. 80. art. 1., Benedictus XIV. de Synodo lib. 8. cap. 8. num. 3.

Digitized by Google

ſunt etiam quotidiana (1) *peccata, ſine quibus præſens vita non agitur, a quibus oportet hominem in ſuo exitu per hoc Sacramentum emundari*, ut inquit S. Thomas, cui unanimiter Doctores omnes conſentiunt. Deinde peccata etiam lethalia ſignificant, quæ aliquando poſt aliorum Sacramentorum ſuſceptionem in ægroto ſuperſunt: fieri enim poteſt, ut inquit S. Carolus Borromæus (2), ut alicujus peccati, quod admiſit, notitiam, vel memoriam ægrotus non habeat, vel ſi habeat, confiteri Sacramentaliter illud nequeat: *in hoc autem delendo peccato ita per hoc Extremæ Unctionis Sacramentum juvatur, ut fieri poſſit, eum per hoc Sacramentum ſalvari, qui alioqui fuiſſet damnatus. Si enim Extrema Unctio invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quoad culpam illud tollit, dummodo ex parte recipientis non ponatur obex*, uti ait Angelicus Doctor (3). Jam vero neutrum effectum (4) poteſt Extrema Unctio operari ſine pio aliquo ipſius ſuſcipientis actu: neque enim peccata venialia remittit abſque aliqua eorumdem diſplicentia; neque lethalia delere valet ſine eorumdem deteſtatione, atque illa ſaltem imperfecta contritione, quæ neceſſaria eſt ad veniam, & juſtificationem in Pœnitentiæ Sacramento aſſequendam, uti optime doctiſſimus Pontifex Benedictus XIV. in ſuo Opere de Synodo lib. 8. cap. 7. num. 3. ratiocinatur. At cum ejuſmodi actus certe elici ab eo nequeant, qui jam eſt ſenſibus, ac mente deſtitutus, niſi forte illos antea jam elicuerit; Inde fit, ut utroque hoc Sacramenti effectu fraudetur æger, qui tunc ſolum ſacro inungitur oleo, cum vita, & ſenſibus carere incipit.

XIV. Altera eſt, & quidem magna Sacræ Unctionis utilitas (5), quod animam ab infirmitate, & languore ex peccatis contracto, atque a mortis impendentis, futurique divini judicii metu ſollicitam, ac trepidantem confirmat, ac ſublevat. Non

Yyyy modo

(1) S. Thom. loc. cit.

(2) S. Carolus Borromæus in Act. Eccl. Mediolan. loc. cit., & S. Th. loc. cit.

(3) S. Th. in Supplem. 3. par. qu. 80. art. 1.

(4) Benedictus XIV. de Synodo lib. 8. cap. 7. num. 3.

(5) Catechiſmus Romanus de Sacram. Extrem. Unction. num. 14.

modo enim homini inſitum a natura eſt, ut nihil in humanis rebus æque, ac mortem pertimeſcat; ſed hunc præterea timorem magnopere auget præteritorum ſcelerum recordatio, juxta illud (1): *Venient in peccatorum ſuorum cogitationem timidi, & traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum*: paulo enim poſt ſtare illum oportet ante Tribunal Dei, a quo ſeveriſſime eſt judicandus, & vel æternam pro benefactis mercedem, vel æternum pro malefactis ſupplicium recepturus. Quare, dum inter ſpem, ac metum hæret anceps, multo terrore perculſus, miris exagitatur modis, contrariiſque affectibus diſcruciatur. Verum ſi æger Extremæ Unctionis Sacramento muniatur, ejus virtute recreatus, pio, ſanctoque repletur gaudio, & ad magnam divinæ Miſericordiæ fiduciam excitatus, triſtitiam abiicit, lætoque animo (2) Domini adventum expectat, paratus (3) depoſitum ſuum, quandocumque illud ab eo repetere voluerit, libenter reddere.

XV. Tertia tandem, ut reliquas omittamus, utilitas ea eſt, & ſane maxima, ut adverſus Dæmonis calcaneo inſidiantis tentationes vires ægro, animumque ſuppeditet, atque arma ſubminiſtret, quibus earum vim, atque impetum frangat, atque repellat. Nam etſi (4) adverſarius noſter occaſiones per omnem vitam quærat, & captet, ut devorare animas noſtras quoquo modo poſſit; nullum tamen tempus eſt, quo vehementius ille omnes verſutiæ ſuæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, ſi poſſit, divinæ Miſericordiæ deturbandos, quam cum impendere nobis vitæ exitum perſpicit. Quamobrem tunc uberiori Dei gratiæ indigemus auxilio, quo roborati dimicemus alacrius, & infenſiſſimi hoſtis artificium, & calliditatem facilius eludamus. Hæc autem uberiora auxilia, ac præſentiſſimum divinæ opis patrocinium nobis ſane non deerunt, ſi tempeſtive hujus ſaluberrimi Olei Sacramento ea, qua par eſt, pietate, ac religio-

(1) Sapientiæ cap. 4.
(2) Ad Titum cap. 2.
(3) Ad Timoth. cap. 12.
(4) Trident. ſeſſ. 14. de Sacram. Extrem. Unct.

Digitized by Google

ligione muniamur. *Obumbrabit* (1) *enim Dominus caput noſtrum in die belli: ſcuto circumdabit nos veritas ejus: Cadent a latere noſtro mille, & decem millia a dextris noſtris: ad nos autem non appropinquabit: nobiſcum erit Altiſſimus in tribulatione: eripiet nos, & glorificabit nos, & oſtendet nobis ſalutare ſuum.*

XVI. Verum ut tot, ac tam ſalutares ex hoc Sacramento percipi ab ægroto fructus poſſint, ſedulo curabit Parochus, ut is, niſi aliud præceps, ac repentina morbi vis poſtulare videatur, Sacramentali prius expietur Confeſſione, cum Extremæ Unctionis gratiæ, fructibuſque conſequendis nihil æque impedimento ſit, ac lethalis alicujus peccati conſcientia. Mox, niſi mortis urgeat periculum, ſacro reficiatur Viatico. Tandem de Extrema recipienda Unctiône admonitus, a Parocho inſtruatur, ut primum, & maximum Sacramenti beneficium, animæ videlicet ſalutem, expetat, deinde etiam corporis, ſi modo id ſibi ſit ad æternam ſalutem profuturum; ſibique futurum ſuadeat, ut, ſi ejus votum ab hac Chriſtiana fiducia, ac pietate proficiſcatur, aut morbi depulſio ſequatur, aut certe animus adverſus mali Dæmonis inſidias, ac mortis inſtantis terrores erigatur magnopere, & confirmetur. Quamquam autem Extrema Unctio characterem non imprimat, ſemel tamen adhibita, non eſt in eodem iteranda morbo, niſi forte hic diuturnus ſit, & æger, poſtquam recreatus ab eo fuerit, in mortis iterum periculum relabatur.

CAP. XIII.

DE TESTAMENTIS, ET LEGATIS PIIS.

SI filii lucis eſſent, ut oporteret, hujus ſæculi filiis prudentiores; profecto non ignorantes ſibi ſemel eſſe moriendum; tempus autem, quo ſunt morituri, omnino neſcientes; tempeſtive diſponerent domui ſuæ, nec extrema vitæ momenta expectarent, ut ultimum Teſtamentum conderent, ſupremaque ederent

(1) Pſalm. 90.

rent mandata. Verum cum ægerrime a ſubſtantiis ſuis, quas immodice diligunt, avellantur; uſuvenire plerumque ſolet, ut de edendo Teſtamento tunc cogitent, cum in proximo moriendi periculo ſe conſtitutos intelligunt. Unde non raro fit, ut, cum Teſtamentum nuncupant, aut mens illis auferatur, aut ipſa morbi vi ita perturbentur, ut mentem ſuam, ultimamque voluntatem explicare minime poſſint. Non abs re itaque, nec improvide facturus videtur Parochus, ſi, poſtquam ex Medicorum ſententia ingraveſcere ægroti morbum intellexerit, illum, dum mens integra eſt, ad condendum, ſi velit, Teſtamentum hortetur, præſertim ſi neceſſarii eidem hæredes deſint, ac verendum prudenter ſit, ne graves, ac diuturnæ inter hæredes ab inteſtato lites ſuboriantur.

II. Cum autem aliquando ægrotus in ultimis conficiendis tabulis Parochi conſilium, operamque expoſcat, paratus videlicet ad cauſas pias ſuum condere Teſtamentum; Pauca proinde hac de re Parochos, & Confeſſarios monendos eſſe arbitramur. Ac primum quidem illud ſedulo caveant, ne ab ægro, vel impudentibus precibus, vel ſtudioſa quadam ſuæ egeſtatis enarratione ſibi, vel conſanguineis ſuis, aut hæreditatem ipſam, aut pingue aliquod legatum expiſcari conentur. Id enim Chriſti Miniſtros, ac diſpenſatores Myſteriorum ejus maxime dedecet, cum in illis rerum circumſtantiis ſacro miniſterio ad temporale compendium ſibi procurandum uti quodammodo viderentur. Caveant præterea, ne ſi de eleemoſyna indigentibus perſonis leganda agatur, cujuſquam aut ſtudio, aut malevolentia ſe duci ſinant, adeoque alium improbent, ut alium Teſtatori commendent. Neque etiam Eccleſiæ ſuæ paupertatem doloſis quibuſdam artibus, & circumventionibus oggerant, ne avaritiæ potius, quam animarum ſaluti inhiare videantur contra id, quod in Cabillonenſi III. Synodo (1) ſancitum fuit per hæc verba: *Animarum ſalutem inquirere debet Sacerdos, non lucra terrena, quoniam Fideles ad res ſuas dandas*

(1) Synodus Cabillonenſis III. cap.6., & 7.

dandas non ſunt cogendi, neque circumveniendi: Eccleſia vero Sancta non ſolum Fideles ſpoliare non debet, quin potius inopibus opem ferre. Quoties ergo ægrotus Parochi conſilium expoſcat, is eidem in memoriam pia aliqua loca, aut opera, quæ, penſatis omnibus, utiliorá communiter exiſtimentur, dumtaxat revocet, nulli privatim ſtudens, ſed omnia ex æquo commendans, itaut ægrotus intelligat, liberum ſibi eſſe quodcumque ex iis, quæ proponuntur, amplecti, nec aliud quidquam a Parocho ſpectari, niſi ut æternæ ægrotantis ſaluti utiliter conſulatur. Tandem cum non ſine magno Fidelium ſcandalo, neque ſine turpiſſima Chriſtianæ Charitatis inverſione adiri hæreditates poſſint, quarum Eccleſiæ (conſanguineis, ac neceſſariis, licet indigentibus, prætermiſſis) falſo licet pietatis obtentu, vero tamen furoris, aut odii impetu, vel importunis Sacerdotum ſuggeſtionibus, inſtituuntur hæredes; Parochi proinde nullam hujuſmodi conſcribendis Teſtamentis opem, aut conſilium præbeant; imo vero ſiquem videant in ea eſſe voluntate, ut tam improvidum, ac tam injuſtum teſtamentum condat, illum a propoſito ſuo removere piis hortationibus, ac ſuaſionibus ſtudeant. Juſtitiæ, & æquitatis legibus præſcribi dicant, ut parentibus, ac liberis, aliiſque neceſſariis opportuna non deſint vitæ ſubſidia: Deum non quærere de fame parentum ſibi dona conferri, veramque miſericordiam a domeſtico progredi debere pietatis officio. Exemplum, ac verba proferant S. Auguſtini (1): *Quicumque vult, exhæredato filio, hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum, qui ſuſcipiat, non Auguſtinum; imo Deo propitio nullum inveniet.*

III. Cum teſtamenta ad pias cauſas juxta Canonici Juris (2) diſpoſitionem coram duobus, vel tribus teſtibus valide nuncupentur; ac propterea non raro Parochi operam in ultimis conficiendis tabulis ægrotantes expoſcant; Pauca quædam de teſtamen-

(1) S. Auguſtinus Sermon. 2. de vita Clericorum relatus in can. ult. cauſ. 17. quæſt. 4.

(2) Cap. *Relatum*. de teſtamentis, & Concil. Roman. ſub Benedicto XIII. tit. 20. cap. 1.

mentis, ac Legatis Piis innuenda hic a Nobis eſſe cenſemus. Teſtamenta, ac Legata, in quibus Eccleſia, aut alia quæcumque pia cauſa hæres, aut legataria inſtituitur, *Pia* nuncupantur, eaque Eccleſiaſticæ leges, quibus Civiles hac in re famulari neceſſe eſt, ita privilegiata eſſe voluerunt, ut ad illorum validitatem nonniſi ea, quæ Jure naturæ, ac gentium ad actus validos ſufficiunt, requirantur. Quamobrem valida eadem in utroque foro ſemper ſunt, dummodo (1) de voluntate Teſtatoris conſtet, niſi is, aut rationis uſu careat, aut furioſus ſit, ac mente captus, aut impubes, aut tandem prodigus, cui interdicta rerum ſuarum fuerit adminiſtratio. Solemnitates enim omnes a Jure Civili præſcriptas Jus Canonicum in hoc Teſtamentorum genere abrogavit per celeberrimam illam Decretalem *Relatum*, quam univerſo terrarum orbi ſervandam Alexander III. propoſuit (2) ſic ſtatuens. *Mandamus, quatenus cum aliqua cauſa talis* (videlicet de Teſtamentis, ac Legatis Piis) *ad veſtrum fuerit examen deducta, eam non ſecundum Leges, ſed ſecundum Decretorum ſtatuta tractetis, tribus, aut duobus legitimis teſtibus requiſitis, quoniam ſcriptum eſt: in ore duorum, vel trium teſtium ſtat omne verbum*. Ut ergo ejuſmodi Teſtamenta, ac Legata in interno valeant foro, Teſtatoris dumtaxat ſufficit plena, ac deliberata voluntas, quam proinde etiamſi ſolus, ac ſine Teſtibus hæres ab inteſtato audierit, eam ſub reatu culpæ executioni demandare jubetur. Teſtes enim, quorum laudata Decretalis meminit, ad naturalem dumtaxat Teſtamenti pro foro externo probationem exiguntur, & quidem, ſi nonniſi per Teſtes probari defuncti voluntas poſſit. Nam ſi de ea aliunde conſtet, puta ex teſtamento propria Teſtatoris manu ſcripto, aut ſubſcripto, aut ſi eam (3) hæres ab inteſtato ſe vere audiviſſe in foro externo fateatur; nullis eſt opus teſtibus, ut Teſtamentum in utroque foro cum externo, tum interno, cum Civili, tum

(1) Cap. *Indicante*. de Teſtamentis.

(2) Cap. *Relatum*. 11. de Teſtamentis.

(3) Arg. L. *Non dubium*, Cod. *de teſtamentis*, & L. *Etſi*, Cod. *De fideicommiſſis*.

tum Canonico plenum habeat robur, ac firmitatem. Inde fit, ut Teſtamenta ad pias cauſas in utroque valeant foro, licet vel ſolis nutibus,& ad alterius interrogationem condita ſint; vel incertus (1) ſit hæres in iis inſtitutus; ex. gr. ſi Teſtator dicat: *Hæredes inſtituo pauperes*, *animas Purgatorii*, *Eccleſiam &c.*, vel tandem ſi in iis Teſtator hæreditatem, aut legata arbitrio (2) alterius diſtribuenda committat ex. gr. dicat: *Hæredes bonorum meorum inſtituo pauperes*, *quos Titius elegerit &c.* Quæ tamen omnia a Jure (3) Civili prohibentur, irritumque reddunt Teſtamentum.

IV. Si ergo de voluntate Teſtatoris ſatis aliunde non conſtet, neceſſe tunc eſt, ut duo legitimi Teſtes in Teſtamento condendo adhibeantur. Uni enim dumtaxat Teſti (4), licet is omni ſit exceptione major, ſuumque teſtimonium jurejurando confirmet, ne in foro quidem interno hæres ab inteſtato habere tenetur fidem, cum inconcuſſa ſit Juris regula (5), unicum Teſtem non ſatis eſſe, ut quidquam cum alterius detrimento probatum cenſeatur: ſecus enim innumeris fraudibus immenſus aditus aperiretur. Quare improvide agunt & Teſtator, & Parochus, ſi ille ſoli Parocho ſuam pandat voluntatem, hic vero ſolus illam excipiat hæredibus ab inteſtato referendam. Hoc enim pacto Teſtamentum ejuſmodi ex defectu probationis nullum ſortietur effectum. Propterea Parochos, omneſque Confeſſarios monemus, ut ultimas haſce diſpoſitiones ad pias cauſas non excipiant, niſi duobus advocatis Teſtibus, aut ſaltem uno; tunc enim alterius Teſtis, cum duo tantum ſufficiant, Parochus ipſe, aut Confeſſarius ſupplebit vices. *In Legatis (6) etiam piis*, *quæ ab ægrotantibus ad Parochorum aures fieri quandoque ſolent*, *ut fraudes*, *liteſque evitentur*, *teſtes etiam in eodem numero* (duo videlicet, aut tres) *adhibeantur*, *coram quibus Teſtator*, *ſe quædam ad pias cauſas erogari*,

(1) Cap. *Cum tibi*. 13. de Teſtament.

(2) Cit. cap. *Cum tibi*.

(3) L. *Jubemus*. cod. *De teſtamentis*. L. *Illa*, & L. *Si quis*. ff. de hæred. inſtit.

(4) Cit. cap. *Relatum*.

(5) Cap. *Licet univerſis*. de teſtibus.

(6) Concil. Rom. ſub Benedicto XIII. tit. 20. cap. 1.

ri, prout Parocho, ſeu Confeſſario ſuo injunxit, ita velle declaret, taliqúe declaratione pia Teſtatoris diſpoſitio ſuum ſemper ſortiatur effectum. Teſtes autem in piis hiſce teſtamentis adhibendi, neceſse non eſt, ut ſint rogati, cum ſufficiat, ut mentem ſuam intendant, ac verba Teſtatoris intelligant: *Nam coram Titio aliquid facere juſſus*, ut ajunt leges (1), *non videtur præſente eo feciſſe, niſi is intelligat*. Præterea eſse poſsunt Teſtes, quicumque de Jure naturæ, & gentium a ferendo teſtimonio non repelluntur. Quamobrem omnes, ſive viri, ſive mulieres, dummodo neque ſint infames, neque mentis impotes, neque ratione peculiaris alicujus criminis reprobentur, intereſse, tamquam Teſtes, ejuſmodi diſpoſitionibus poſsunt, adeoque etiam Parochus (2), Confeſsarius, Beneficiatus, Religioſus &c., quamquam Eccleſiæ propriæ, ſeu Monaſterio, aut tota hæreditas, aut ejus pars a Teſtatore relinquatur. Nequis vero in his ſcribendis teſtamentis error obrepat, formulam aliquam damus in Appendice *num.* 22., qua Parochi, & Confeſſarii, cum ſeſe occaſio dederit, mutatis mutandis, uti facile poſſint.

V. Cum Chriſto detur, quidquid piæ cauſæ impenditur (ut enim Chriſtus inquit in Evangelio (3): *quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*); Inde fit, ut quidquid etiam cauſæ piæ detrahitur, Chriſto ſurripiatur. Cum autem Epiſcoporum (4), qui Chriſti, ac pauperum patrimonii vindices ſunt, ac diſpenſatores, peculiare munus ſit piarum diſpoſitionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos ſecuritati, atque executioni ſollicita cura invigilare; Noſtras eſſe partes ducimus aliquas hic ad Sacrorum Canonum normam leges condere, quibus teſtamentorum ad pias cauſas libertatem tueamur, exactamque piorum legatorum obſervantiam urgeamus.

VI. Ac

(1) L. *Coram Titio*. ff. de V. S.

(2) Cap. *Inſuper* 6., & cap. *Cum nuncius*. 12. de teſtibus, & atteſtationibus.

(3) Matth. cap. 25.

(4) Cap. *Nos quidem*, cap. *Si hæredes*, cap. *Tua nobis*, & cap. *Joannes*. de Teſtamentis; Trid. ſeſſ. 22. cap. 8., & L. 1. cod. *De Epiſcopis, & Clericis*.

Digitized by Google

VI. Ac primum quidem, ubi quis, vel appetente morte, vel etiam dum integra valetudine fruitur, religioſæ, veræque pietatis impulſu hæredem, aut legatariam Eccleſiam, aliamve piam cauſam nuncupat, nemo ſe ejuſmodi teſtamenti libertati audeat opponere, atque a pio legato ſive directe, ſive indirecte ita diſponentem deterrere, ut liberum ei non ſit teſtamentum ad piam cauſam condere, aut conditum ſive ex integro, ſive ex parte, ſi velit, immutare. Quicumque auſus id fuerit, noverit, ſe acrem divini, Eccleſiaſticique (1) judicii ultionem eſſe ſubiturum, Eamdem quoque comminamur ultionem iis omnibus, qui injuſte ſive directe, ſive indirecte piorum legatorum executionem ſive vi, ſive dolo, aut omnino impedient, aut ſaltem remorabuntur. Pœnam tamen multo ſeveriorem ſubibunt Notarii, Parochi, & Confeſſarii, ſi pias Teſtatorum voluntates, quas oretenus acceperunt, aliquid iis addendo, vel minuendo, in ſcriptis adulterabunt.

VII. Quia vero ſæpe ex malitia, plerumque ex negligentia piæ diſpoſitiones, ac legata executioni minime demandantur; Nos autem earum obſervantiam urgere nullo modo poſſumus, niſi eædem nobis innoteſcant; Primum Notariis quibuſcumque, Parochis, Confeſſariis, aliiſque omnibus ſive Eccleſiaſticis, ſive Laicis, qui ad hanc uſque diem vel pia Teſtamenta exceperint, vel alias quaſcumque ſcripturas de piis legatiis conſcripſerint, aut in iis condendis Teſtes fuerint, ſub pœnis etiam ſpiritualibus arbitrio Noſtro infligendis diſtricte præcipimus, ac mandamus, ut piarum ejuſmodi diſpoſitionum notitiam, niſi delata jam fuerit, intra tres menſes a die promulgationis hujus Synodi ad Noſtram Curiam ejuſdem Actis inſerendam deferant, expreſſis Defunctorum, atque hæredum nomine, & cognomine, legatorum qualitate, & quantitate, bonis relictis, oneribus impoſitis, die, menſe, & anno exceptæ ſcripturæ, cæteriſque omnibus, quæ neceſſaria erunt, ut exacta legati, aut piæ diſpoſitionis

(1) Cap. *Si hæredes*. de teſtamentis, & Clem. 1. de privilegiis.

tionis notitia habeatur. Cancellario autem Noſtro ſub gravi ad Noſtrum arbitrium, etiam amotionis ab officio, pœna diſtricte præcipimus, ut delatam ejuſmodi legatorum, ſeu diſpoſitionum notitiam in regeſto ſuo deſcribat, & intra menſem locorum piorum, in quorum commodum diſpoſitiones factæ fuerint, Adminiſtratores moneat, ut earum executionem pro ſui muneris debito apud Hæredes, ſeu Teſtamentarios Executores urgere non deſinant. In poſterum vero ii omnes, quos recenſuimus, ſi quas forte diſpoſitiones ad pias cauſas excipient, aut ſcribent, earum notitiam ad Noſtram Curiam deferant intra menſem ab obitu Teſtatoris, vel a die factæ inter vivos donationis. Si quis eorum notitiam deferre contumax detrectaverit, pœna multabitur pecuniaria, & a Nobis, ſi opus fuerit, anathematis gladio ferietur. Legatorum, piarumque diſpoſitionum (1) nomine intelligimus, quidquid vel per ultimam voluntatem, vel quocumque donationis actu inter vivos relinquitur, aut donatur Eccleſiis, Monaſteriis, Hoſpitalibus, Seminariis, Pauperibus, pro dotandis puellis, alendis Orphanis, redimendis captivis, paranda ſacra ſupellectili, accendendis luminibus, Miſſis celebrandis &c., uno verbo, quidquid in pios uſus, aut in commune bonum relinquitur impendendum.

VIII. Diuturna compertum eſt experientia, pia legata, ultimaſque Fidelium ad pias cauſas voluntates, niſi mature, & accurate impleantur, intercidere, & quandoque etiam penitus dilabi. Cum igitur non pauci ſint, qui & ſuæ, & alienæ ſalutis immemores, piorum legatorum executionem negligunt, & prorogant; Nos, ut tantum a Noſtra Diœceſi avertamus malum, volumus primum, ut adverſus hos pauperum, animarumque tortores, in concionibus habendis ad populum, Parochi nec raro, nec leniter invehantur, itaut, ſi forte adſint, intelligant, quantum & vivis, & defunctis Fidelibus contra omnes juſtitiæ, ac pietatis leges ſocor dia ſua, culpabilique mora afferant detrimen-

(1) Rota Recent. par. 13. deciſ. 302., & par. 2. diverſ. deciſ. 74.

mentum. Præcipimus deinde, diſtrićteque mandamus hæredibus, ac ultimarum voluntatum executoribus, ut intra tempus a Teſtatore præfixum legata pia, reliquaſque defunćtorum diſpoſitiones omnino exequantur. Quod ſi certum temporis ſpatium non fuerit a Teſtatore præfixum, quamprimum ea exequi curent, & niſi intra annum a Teſtatoris obitu de piorum legatorum executione Nobis conſtet, illos (1) per multam pecuniariam, &, creſcente contumacia, per Eccleſiaſticas etiam cenſuras, aliaſque pœnas ad eorum executionem cogemus. *Si hæredes* (ſic in jure Canonico (2) ſtatutum legimus) *juſſa Teſtatoris non adimpleverint, ab Epiſcopo loci illius omnis res, quæ eis relićta eſt, canonice interdicatur cum frućtibus, & cæteris emolumentis, ut vota defunćti adimpleantur.* Neque vero Nobis quidquam oberit, quod in ſua ultima voluntate vetuerit Teſtator, ne dićtis legatis Epiſcopus manum apponat. Ejuſmodi enim clauſula, utpote Juri Canonico contraria, nullius eſt ponderis, & aućtoritatis. *Cum in omnibus piis voluntatibus* (celebre eſt reſcriptum Gregorii IX. (3), *ſit per locorum Epiſcopos providendum, ut ſecundum defunćti voluntatem univerſa procedant; licet etiam a Teſtatoribus id contingeret interdici; Mandamus, quatenus executores teſtamentorum hujuſmodi, ut bona ipſa fideliter, & plenarie in uſus prædićtos expendant, monitione præmiſſa compellas.* Datum quidem eſt pii operis Fundatori (4), ut certum aliquem deſignare, & conſtituere valeat executorem, atque huic, ſi concreditum ſibi munus ſegniter obeat, alium ſubrogare; & tunc immiſcere ſe nequit Epiſcopus, niſi cum ſubſtitutus quoque in executione ſegnis, ac negligens eſſe deprehendatur. Sed in hoc demum caſu ad Epiſcopum devolvitur onus, & cura id exequendi, quod alii neglexerunt. *Epiſcopi, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati*, (uti Tridentina Synodus (5)

Zzzz 2 decre-

(1) Cap. *Tua*, cap. *Nos*, & cap. *Si hæreditas*. de teſtamentis.

(2) Cap. *Si hæredes*. de teſtamentis.

(3) Cap. *Tua nobis*. de teſtamentis.

(4) Benedićtus XIV. de Synodo lib. 13. cap. ultimo §. 1.

(5) Trid. ſeſſ. 22. cap. 8. de reform.

decrevit), *in caſibus a Jure conceſſis omnium piarum diſpoſitionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos ſunt executores.*

IX. Parochos prætere, ac piorum locorum Adminiſtratores ſedulam adhibere curam jubemus, ut legata ſuis Eccleſiis, lociſve piis deſtinata debitæ executioni demandentur, ac moroſos Executores Nobis denuncient, ut in Domino eos monere, & ad executionem ſalutaribus hortationibus excitare, ac, ſi opus fuerit, opportunis qua juris, qua facti remediis compellere valeamus. Quod ſi hac in re ſive ex fraude, ſive ex oſcitantia, Parochi, aliique Rectores, ſeu Adminiſtratores ſocordes fuerint, & ex hac culpabili mora in deteriorem conditionem res legata deducatur; eoſdem ad illata detrimenta ære ſuo reficienda compellemus.

X. Cum piarum diſpoſitionum non modo executor ſit, verum etiam moderator Epiſcopus; proinde ſi forte incerta (1) ſint pia legata, vel ex parte rei legatæ, vel ex parte piæ cauſæ, cui res legata relinquitur; judicio Noſtro quæſtio dirimatur, totaque auferatur ambiguitas. Siqua præterea pia diſpoſitio ob aliquod ſive facti, ſive juris impedimentum executioni demandari nequeat juxta præſcriptam Teſtatoris voluntatem (2), non proinde caduca fiat, neque hæredibus accreſcat, ſed hæredes, aut Executores Nos conveniant, & conſulant, ut in alium pium uſum, qui Teſtatoris menti ſit proximior, aut pro loci, ac temporis conditione Nobis eſſe videatur utilior, pro arbitrio Noſtro eadem pia diſpoſitio commutetur. Qua quidem in re invigilare plurimum volumus Parochos, ac Vicarios Foraneos, ut, quandocumque ejuſmodi caſus occurrat, notitiam Nobis deferant, ne inhumani hæredes ſub inani impotentiæ hujus obtentu *comedant* (3) *Sacrificia mortuorum, & carnibus* (4) *eorum ſaturentur*, ea

(1) Cap. *Cum tibi*. de teſtamentis.

(2) Cap. *Tua nobis*. de teſtament., Clem. *Quia contingit*. de Religioſis Domibus, Trid. ſeſſ. 22. cap. 6., & ſeſſ. 25. cap. 8., Sac. Cong. Concil. in Sorana 25. Junii 1620.

(3) Pſalm. 105. verſ. 28.

(4) Job. cap. 19. verſ. 22.

Digitized by Google

ea ſibi retinentes bona, quæ piis uſibus, atque operibus deſtinata a Teſtatoribus fuerant.

XI. Nemo eſt, qui ignoret, per hæreditatis aditionem quaſi contractum fieri, & per legati, vel donationis acceptationem onera quoque acceptari, quæ legato, aut donationi a Teſtatore, ſeu donante fuerunt impoſita. Verum cum ſæpenumero oneribus ejuſmodi nimium graventur Eccleſiæ, aut loca pia, ac non leve ex iiſdem hauriant detrimentum; Rectoribus proinde Eccleſiarum, locorumque piorum Adminiſtratoribus interdicimus, ac prohibemus, ne abſque Noſtra expreſſa in ſcriptis obtenta facultate donationes, hæreditates, aut legata acceptare pro Eccleſiis ſuis, locisve piis audeant, quando iiſdem onera ſint adjuncta. Si ſecus fecerint, præter acceptationis, aditionis, alteriuſve actus hujuſmodi nullitatem, damnum quodcumque, quod in Eccleſiam, Locumque Pium exinde redundaverit, ipſi ante quamcumque declaratoriam Noſtram ſententiam ſubeant, propriiſque ſumptibus reparent; ac præterea ſe obnoxios eſſe noverint Eccleſiaſtico Interdicto, quod Innocentius XII. (1) in ſua Conſtitutione tulit, qua decreta Sacræ Congregationis Concilii ſuper Miſſarum celebratione Apoſtolica Auctoritate confirmavit. Hæc autem omnia locum etiam habere volumus, quandocumque Parochi, Eccleſiarum Rectores, aliique Piorum Locorum Adminiſtratores, Nobis inconſultis, & abſque Noſtra in ſcriptis obtenta licentia, hæreditates, aut legata Eccleſiis, Locisve Piis delata repudiare præſumant.

XII. Ut autem onerum, quæ piis diſpoſitionibus injunguntur, memoria numquam intereat; volumus, ac diſtricte mandamus, ut ſtatim ac eadem acceptata rite fuerint (2), in tabella publica, quæ in Sacrario cujuslibet Eccleſiæ ſuſpenſa patere omnibus debet, atque in peculiari libro ad id deſtinato, qui in ejuſdem

(1) Innocentius XII. Conſt. 159. *Nuper* §. *Ad hæc*. de celebratione Miſſarum.

(2) Sac. Cong. Concil. in Novarien. 14. Maii 1729., & Benedictus XIV. de Synodo lib. 13. §. 4.

dem Eccleſiæ Archivio diligenter eſt cuſtodiendus, fideliter deſcribantur una cum indicatione teſtamenti, aut alterius legalis actus a pio Teſtatore exarati, ac deſignatione loci, nimirum Eccleſiæ, in qua peragenda ſint ſacra, aut aliæ Eccleſiaſticæ functiones exercendæ, ſicuti etiam numeri Miſſarum, aut functionum, ac temporis, quo eas oporteat celebrari. Quoties vero cenſus, aut alia capitalia, ut vocant, piarum diſpoſitionum oneribus obnoxia, extinguantur, aut rite diſtrahantur; eorum pretium, ſub Eccleſiaſticis pœnis ab Innocentio XII. (1) conſtitutis, aliiſque arbitrio Noſtro infligendis, penes Epiſcopalem Pietatis Montem (2) deponatur. Quod ſi reinveſtiendum idem ſit, nonniſi Noſtra accedente in ſcriptis licentia (3) reinveſtiatur: Licentiam autem non concedemus, niſi in precibus, quæ Nobis offerentur, expreſſum fuerit onus, cui pecuniæ reinveſtiendæ ſubjiciuntur, idque toties repetatur (4), quoties idem recurret caſus. Nullus etiam ſuper ejuſmodi piis diſpoſitionibus contractus fiat, tranſactio, compoſitio, aut reductio, Nobis, & Apoſtolica Sede inconſultis: Si ſecus fiat, nulla, atque irrita (5) eo ipſo ſint Acta, etiamſi hæredum, vel Teſtatoris expreſſus accedat conſenſus.

CAP. XIV.

DE FUNERIBUS, AC SEPULTURIS.

Nihil eſt, quod Paſtorum vigilantiam, ac ſedulitatem tantopere requirat, quam lubrica illa, periculoſæque aleæ plena conditio, quam ſubeunt ii, qui gravi morbo oppreſſi vita periclitantur, ſeu quod de ſumma rei tunc temporis agatur, ſeu quod hominum hoſtis teterrimus, qui, teſte Apoſtolo, *tamquam*

(1) Innocentius XII. cit. Conſt. *Nuper* §. *Præterea*.

(2) Sac. Cong. Concil. in Firmana Legatorum 21. Junii 1721.

(3) Sac. Cong. Concil. in S. Marci plurium 16. Januar. 1723.

(4) Cit. Conſt. *Nuper* §. *Ac ſi*.

(5) Benedictus XIV. de Synodo lib. 5. cap. 10. §. 2., & lib. 13. cap. ult. §. 19.

quam leo rugiens circuit quærens, quem devoret, ſciens, quod modicum tempus habet, inflammatus ſcelere, & furore, omnes nequitiæ ſuæ artes tunc verſet, machinaſque omnes ad noſtram expugnationem intendat. Ut igitur nullum tempus eſt homini magis periculoſum, ſic nullum eſt, quod magis Paſtorum opera indigeat, & aſſiſtentia, propterea quod ſi res in extremo diſcrimine bene, feliciterque tranſigatur, beatiſſimi, ſin autem male, ſimus oportet ſemper miſerrimi. Itaque ut in hoc tanto negotio populorum Nobis concreditorum ſecuritati proſpiciamus; Pauca hic Parochis, aliiſque animarum Curatoribus facienda præſcribimus, quorum exactam ab iiſdem obſervantiam ſumma cura, vigilantiaque repoſcemus.

II. Poſtquam ægroto graviter, ac periculoſe decumbenti extremæ Unctionis Sacramentum rite fuerit adminiſtratum; ſi eum Parochus ruere in pejus, ac, urgente morbi vi, ad obitum properare intelligat, facultate utens ſibi a Nobis tradita (Nobis autem, ſicuti & Epiſcopis reliquis, qui illam poſtulaverint, a Romano Pontifice delegata) eidem una cum Indulgentia Plenaria benedictionem, quam in articulo mortis vocant, impertiatur. In ea autem impertienda, non alia utatur formula, quam quæ in eum finem a Benedicto XIV. præſcripta eſt, ſuæque inſerta Conſtitutioni (1), qua Epiſcopis omnibus hujus impertiendæ benedictionis facultatem ampliavit, itaut eam nunc aliis valeant in ſuis Civitatibus, ac Diœceſibus ſubdelegare. Hujus formulæ, ac Pontificiæ Conſtitutionis exemplar damus in Appendice *num.* 24. Ut autem ægrotus Indulgentiæ fructum certius conſequi valeat, Parochus, antequam illi benedictionem impertiatur, omni ratione ſtudeat illum excitare ad novos de admiſſis peccatis doloris actus eliciendos, concipiendoſque ferventiſſimæ in Deum charitatis affectus, præſertim vero ad ipſam mortem æquo, ac libenti animo de manu Domini ſuſcipiendam. *Hoc enim*

(1) Benedictus XIV. Conſt. *Pia mater*. edita 5. Aprilis 1747.

Digitized by Google

enim præcipue opus, inquit Benedictus XIV. (1) in laudata ſua Conſtitutione, *in hujuſmodi mortis articulo conſtitutis imponimus, & injungimus, quo ſe ad Plenariæ Indulgentiæ fructum conſequendum præparent, atque diſponant.*

III. Quemadmodum adverſarius noſter diabolus, cum ſupremus nobis inſtat dies, tunc potiſſimum multiplici, variaque nos arte infeſtus oppugnat; ita tunc ad omnes ejus frangendos impetus vigilantiori cura Parochus conetur occurrere. Cum autem tria communiter ſoleant in eo rerum diſcrimine ab hoſte maligno tentationis tela torqueri, quibus videlicet ægrotum vel a Catholica Fide dejiciat, vel ad æternæ ſalutis deſperationem inducat, vel ad relabendum impellat (ſi non opere, ſaltem animo) in aliquod peccati genus, in quo diutius olim inſorduit; hæc proinde tela retundere a Parocho ſtudioſius edoceatur. Is itaque primum ad ſinceras Deo gratias referendas excitetur pro immortali illo beneficio, quo datum ei fuit in Catholicæ Religionis ſinu, extra quem eſſe non poteſt ſalus, non modo naſci, ac enutriri, verum etiam ad illam uſque diem conſtanter perſeverare. Moneatur deinde, ut palam teſtetur, atque edicat, velle ſe, divina adjutum ope, in Catholica Romana Eccleſia ultimum deponere ſpiritum, eaque omnia ſe ex corde credere profiteatur, quæ eadem credit, ac docet Eccleſia. Tum actum divinæ Fidei, Parocho præeunte, eliciat, quem mox ſub brevi formula ad obitum uſque frequenter iterare jubeatur, ut eo, veluti impenetrabili clypeo, inſtructus, improviſam quamlibet hoſtilem incurſionem infringat. Quod ſi cui Dæmon in memoriam revocans, quantis ſe ſceleribus obſtrinxerit, & quam ſæpe, & quam turpibus perpetratis flagitiis cœleſtem in ſe iram provocaverit, illum anxium, mortiſque inſtantis perturbatione conflictatum, in æternæ ſalutis deſperationem conjicere tentet; Parochus tunc uberes divinæ miſericordiæ fontes aperiat, profuſumque

(1) Benedictus XIV. cit. Conſtit. *Pia mater*.

Digitized by Google

que pro nobis Jeſu Chriſti Sanguinem commemoret, oſtendatque ſuavibus verbis, nullum eſſe tantum nefas, quod non ille abluat ſanguis, ſi, dum ſupereſt ſpiritus, peccator intimo animi ſui dolore, ac ſenſu veniam pie, atque humiliter deprecetur. Expanſa Reparatoris noſtri e Cruce pendentis brachia eidem oſtendat, quibus prodigum filium, poſt ſubſtantiam ſuam luxurioſe vivendo diſſipatam, ad ſe cum fletu revertentem, amice excipere ſolet, ac paterna benevolentia complecti. Illum proinde ad maximum admiſſorum criminum dolorem, ac deteſtationem excitet, & ad Dei implorandam benignitatem, ejuſque miſericordiæ fidendum traducat. Quem quidem anteactæ vitæ doloris, ac deteſtationis actum una cum propoſito non peccandi de cætero ab ægroto quolibet iterari frequenter jubeat; ut ſic idem obfirmato, conſtantique animo violentas Dæmonis aggreſſiones retundat, atque omne relabendi, ſolaque etiam mente peccandi periculum longius amoveat.

IV. Cum ægri mortem appropinquare, eumque in extremo agone jam conſtitui Parochus intelliget, ejus rei ſignum conſueto campani æris pulſu Fidelibus dari curabit, ut piis eorum precibus Deo commendetur morientis exitus, ac requies. Eos præterea, quicumque adſunt, precari Dominum jubebit, ut excedentem e corpore animam placatus, propitiuſque ſuſcipiat. Ipſe quoque, poſitis humi genibus, præſcriptiſque in Romano Rituali precationibus utens, proficiſcentem de hoc Mundo creaturam Creatori, ac Reparatori ſuo pari ſtudio, ac pietate commendabit. Sæpe autem ſuas abrumpens preces, modo aqua luſtrali moribundum aſpergat, modo eidem Chriſti e Cruce pendentis imaginem porrigat oſculandam, modo perbrevem precatiunculam, ſeu Chriſtianæ virtutis actum lenibus, ſuavibuſque ſuggeret verbis. Quod ſi morientis integri adhuc ſenſus maneant, ejus miſeratus languores amice illum ſoletur, & ad deſiderium vitæ cœleſtis accendat. Caveat tamen quam maxime, ne pluribus, quam ſit opus, verbis, aut nimio vocis fragore in ex-

Aaaaa tremis

tremis laborantem defatiget. Verendum enim eſt, ne, ſi mortis, quibus premitur, doloribus, novum hoc, & non leve accedat incommodum (non raro enim fit, ut, cum reliqui deficere incipiant ſenſus, acuatur auditus) conſolationem, ac opem reſpuat, & moleſto conſolatori iraſcatur. Poſtquam æger obierit, Parochus de more præſcriptas recitet preces, omnibuſque adſtantibus, defunctique propinquis ſalutare aliquod monitum inſinuet, quo eos ſoletur ſimul, ac ad rerum humanarum contemptum, æternæque felicitatis amorem inflammet. Curet præterea, ut conſueto nolæ pulſu de ſecuto ægrotantis obitu Fideles moneantur, eorumque pietas ad ſuffragiorum opem mortuo deferendam excitetur. Hunc autem æris campani ſonum eſſe decet moderatum, quo videlicet in viventium quidem mentes mortis recordatio revocetur, non tamen ita, ut eorum aures triſti illo, diuturnoque ſonitu inutiliter obtundantur. Feſtivus vero, non lugubris campanarum ſonus parvulorum obitum comitetur, qui cum ſacro regenerationis lavacro mundati ante rationis uſum deceſſerint, Cœlitum choro protinus admixti ipſum (1) ſequuntur Agnum ſine macula, & ſine macula ſunt ante thronum Dei.

V. Nemo in curando defuncti corpore quacumque ex cauſa illud exenterare, aut incidere, aut aperire audeat, niſi, præter juſtam cauſam a Nobis approbandam, Noſtra in ſcriptis interceſſerit facultas, quam tamen nonniſi ſub ea conditione largiemur, ut id fiat poſt vigeſimamquartam, aut etiam trigeſimam ab interitu horam. Poſtquam curatum cadaver fuerit, Parochus cum mortui propinquis de celebrando funere conſtituat, prænunciatoque cadaveris efferendi tempore, ab hæredibus ſciſcitetur, quos adeſſe funeri placuerit, ut invitari tempeſtive poſſint. Duo etiam tunc potiſſimum curet; primum ne defunctum, ſi aliquo ex ſacris Ordinibus fuerit inſignitus, aliis, quam quæ ſuo congruunt Ordini, veſtibus indui patiatur, quemadmodum

(1) Apocal. cap. 14.

dum in Rituali Romano præſcriptum legimus; deinde ut quandiu corpus domi detinetur, honeſte compoſitum in loco decenti cum accenſo lumine exponatur, ejuſque cuſtodiæ ſemper aliquis excubet; interdum etiam aqua luſtrali aſpergatur; demum qui adſunt, vel adveniunt, pias pro ejus anima ad Deum fundant preces. Quod quidem ſervari etiam volumus, quando ad Eccleſiam delatum in ea cuſtoditur, donec ſepulturæ tempus advenerit. Tunc autem cuſtodes a ludis omnino abſtineant, a comeſſationibus, a jocis, a confabulationibus, aliiſque actibus, quos Eccleſiæ ſanctitas refugit, & pia officii mœſtitia averſatur. Mos efferendi ſub noctem ad clancularium veluti ſepulturam calentia adhuc cadavera diſplicuit tandem filiis lucis, & obſolevit. Quamobrem non noctu, ſed interdiu eadem ad Eccleſiam deduci jubemus. Quod ſi honeſtam aliquam ob cauſam noctu efferenda eſſe videantur, id omnino non fiat ſine Noſtra (1), aut Vicarii Generalis licentia: ſecus arbitrariam Nobis luent pœnam tam decreti hujus contemptores, quam Eccleſiæ cuſtodes, qui ejuſdem fores intempeſta nocte reſeraverint.

VI. Non apud Hebræos modo, quorum vera erat religio, ſed apud Ethnicos etiam populos, barbaraſque nationes tanti momenti ſemper fuit defunctorum corpora ſepelire, iiſque honorifice parentare, ut immane inferri dedecus ei crederent, qui inſepultus jaceret, & duriſſimis eum dignum pœnis putarent, qui inhumata Defunctorum oſſa relinqueret. Hunc hominum animis a natura inditum religionis, ac pietatis ſenſum Catholica Eccleſia exemplis, præceptiſque ſuis ſemper fovit, & auxit. Certa enim ex una parte, quod *mortale hoc induere debet immortalitatem, & corruptibile hoc incorruptionem*; ex alia vero in ſpem erecta futurum, ut filii ſui, qui viventes Templum Dei fuere, reſurrecturi ſint cum gloria, exemplum, legemque dedit, ut eorum corpora poſt obitum ſepulcri honore donarentur. Hinc vetuſtiſſima illa Cœmeteria extiterunt, & adhuc extant, e quibus tot

Aaaaa 2 millium

(1) Sac. Rit. Congreg. 15. Maii 1704.

millium Chriſti Martyrum exuviæ, a primis Fidelibus religioſe in iis reconditæ, erutæ jam ſunt, atque eruuntur in dies. Non omnium quidem (1) Fidelium corpora in Eccleſia ſepeliri vetus diſciplina patiebatur, cum ſpectatiſſimæ dumtaxat ſanctitatis viri in Eccleſia, reliqui vero in Cœmeteriis tumularentur. Verum cum optatiſſimum Fidelibus foret (2) juxta Sanctorum corpora ſepeliri, quod crederent, ſe ex eorum vicinia, & Fidelium ad eos venerandos confluentium precibus (3) poſſe juvari, factum inde eſt, ut primum Principes viri, mox cæteri omnes (4) humo mandarentur in Templis. Verum cum nihil ſit tam ſanctum, ac tam religioſum, quo non hominum aliquando abutatur malitia, ad varios, qui ſive ex ſuperbia, & faſtu, ſive ex avaritia, ac lucri cupiditate hac in re irrepſerant, auferendos abuſus, plures a Romanis Pontificibus, ſacriſque Urbis Congregationibus conditæ ſunt leges, quarum præcipuas præſtat hìc paucis recenſere, ut exactam earum obſervantiam urgere facilius valeamus.

VII. Ac primum quidem præſcriptum eſt, qualia eſſe debeant ſepulcra, quæ excitantur in Templis, & cujus auctoritate, ac facultate excitari poſſint. Sepulcra itaque juxta ſancitas leges alte infra terram effodienda ſunt, ita tamen, ut muro undique circumvallentur, ac ſuperne fornicato opere muniantur. Sola enim Summorum Pontificum (5) corpora in eminentibus ſupra terram tumulis Canonicæ leges ſepeliri patiuntur. Hinc peculiari ſua Conſtitutione (6) ſic ſtatuit S. Pius V.: *Ut in Eccleſiis nihil indecens relinquatur; Ordinarii provideant, ut capſæ omnes, & depoſita, ſeu alia cadaverum conditoria ſuper terram exiſtentia omnino amoveantur, prout alias ſtatutum fuit, & Defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur*; qua tamen lege non prohibetur,

(1) Can. *Precipiendam* 15., & can. *Nullus* 18. cauſ. 13. quæſt. 2.

(2) Baronius ad ann. Chriſti 226.

(3) Can. *Cum gratia*. cauſ. 13. qu. 2.

(4) Cap. *Fraternitatem*, cap. *Ex parte*, & cap. *Cum libe rum*. de ſepulturis.

(5) Cardinalis Petra tom. 2. Commentar. ad Conſt. 3. Cœleſtini III. ſect. 1. num. 13.

(6) S. Pius V. Conſt. 5. incip. *Cum primum Apoſtolatus*. §. 8. edita ann. 1566.

betur, quominus, ſepultis infra terram Fidelium cadaveribus, marmorea, æneave monumenta prope Eccleſiæ parietes, aut columnas erigantur in eorum memoriam ſempiternam, uti Sacra Epiſcoporum Congregatio (1) Epiſcopo Mantuano reſcripſit. Sepulcri os, ne malus cadaveris putreſcentis odor afflare aerem poſſit exteriorem, duplici, ſi fieri poſſit, aut ſaltem uno lapideo, integroque integumento obſtruatur, quod ita æquabile ſit, ac expolitum (2), ut Eccleſiæ ſolo penitus exæquetur, & cum ſepulcri ore tam apte cohæreat, ut nulla prorſus pateat rima, per quam malus odor in Eccleſiam erumpat. Non modo Altaribus proxime non adhæreat ſepulcrum, ſed ab eorum etiam ligneis ſuppedaneis per tres ſaltem cubitos diſtet: ſecus, amotis a ſepulcro, ſi quæ ſint, defunctorum oſſibus, injecta terra repleatur, muroque, ac pavimento ſuperinducto obturetur. Multo autem minus ſub Altari (3), aut ejuſdem gradibus, ſeu ſuppedaneis cadaver ullum tumuletur: ſi ſecus fiat, nonniſi aliò translatis cadaveribus, Sacrum facere (4) in eo Altari licebit. Imo nullum (5) etiam intra Chori, ſeu Presbyterii, majorisve Capellæ fines ſepulcrum effodi permittitur. In marmoreis ſepulcrorum operimentis, quæ incedentium per Eccleſiam Fidelium pedibus teruntur, nulla ſacra incidatur effigies. Nulla etiam ſepulcrali lapidi emblemata, aut inſcriptiones inſculpere liceat, niſi a Nobis, aut a Vicario Noſtro Generali lecta prius fuerinr, & approbata.

VIII. Tria ſaltem in Parœciali (6) qualibet Eccleſia eſſe oportet Sepulcra, in quorum uno ſoli Eccleſiaſtici, in altero duntaxat Laici, in tertio parvuli (7) tantum, qui ſacro abluti Baptiſmate

(1) Sac. Congr. Epiſc., & Regul. 13. Octobr. 1579.

(2) Concil. Mediol. I. par. 2. tit. *De Sepulturis*.

(3) Can. *Præcipiendum*. cauſ. 13. q. 2. Sac. Congr. Concil. in Milevitana Synodi 7. Maii 1707. ad 10.

(4) Sac. Cong. Epiſc. in Interamnen. 14. Sept. 1573., & in Meſſanen. 2. Maii 1601.

(5) Sac. Cong. Epiſc. in Tranenſi 10. Novembr. 1599.

(6) Rit. Rom. de exequiis §. *Sepulcra*.

(7) Synod. Tuſculan. anno 1690. ſub Cardinali Brancatio in Appendice ad c. 6. §. 2., & alia ſub Cardinali Urſino 1703. cap. 15.

mate ante rationis uſum deceſſerint, ſepeliantur. At præſtaret his tribus, ſi Eccleſiæ reditus patiantur, quartum adjungere, in quo ſeorſim a viris mulieres tumulentur. In Eccleſia vero Noſtra Cathedrali, & in Eccleſia S. Mariæ de Vivario Tuſculi ſervari volumus decreta edita in Diœceſana Synodo Tuſculana anno 1703. ſub Eminentiſſimo Urſino, poſtmodum Benedicto XIII. Nemo ſub gravibus pœnis arbitrio Noſtro infligendis Eccleſiæ (1) pavimentum rumpere, atque effodere audeat, ut in eo defuncti cadaver ſepeliatur, niſi a Nobis ſpecialis ad id in ſcriptis facta fuerit facultas: Hoc autem decreto eas etiam Eccleſias, & Capellas, quas patronatas nuncupant, complectimur. Nulla in Eccleſiis, quæ (2) Noſtræ Jurisdictioni ſubduntur, nova conſtruantur ſepulcra ſine Noſtra in ſcriptis obtenta licentia: qui ſecus fecerint, pecuniaria a Nobis pœna multabuntur. Quamquam olim (3) in ſolis Cathedralibus, Collegiatis, ac Parœcialibus Eccleſiis de jure communi Sepulturæ conſtrui poſſent; conceſſum tamen deinde eſt ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ (4) privilegio pluribus Regularibus Ordinibus, ut in ſuis etiam Eccleſiis Sepulcra conderent, in quibus Fideles, quicumque vellent, tumularentur. Quod quidem privilegium nunc ad omnes fere Regulares Ordines ſive per communicationem, ſive peculiaribus conceſſionibus protenſum eſſe non ignoramus. In Monialium vero Eccleſiis (5) ſine peculiari Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium licentia, ac ſine expreſſo ipſarum Monialium conſenſu nulla pro Laicis, cujuſcumque ſint dignitatis, ac ſexus, ſepulcra fieri, aut cadavera tumulari poſſunt,

iis

(1) S. Pius V. cit. Conſtit. *Cum primum*. §. *6.*, Act. Mediolanen. Eccleſ. par. 2. tit. de ſepult., & Sacr. Congr. Conc. in Fundana ſepultur. 19. Maii 1708.

(2) Concil. Mediol. I. tit. de ſepult. num. 2. verſ. *Verum curetur*, S. Pius V. cit. Conſt. *Cum primum*.

(3) Cap. *In noſtra*. de ſepulturis, & cap. *Cum quis*. eod. tit. in *6.*

(4) Clem. *Dudum*. §. *Hujuſmodi*. de ſepulturis, & Extrav. *Super Cathedram*. §. *Hujuſmodi*. de ſepulturis.

(5) Sac. Cong. Epiſc. in monte Feltrinen. 21. Novembr. 1603., in Gravinen. 1. Octobr. 1650., in Vercellen. 18. Maii 1695., in Mantuana 14. Maii 1697. & in Camerinen. 6. Martii 1713.

Digitized by Google

iis exceptis (1), qui ab immemorabili familiæ Sepulcrum in prædictis habeant Eccleſiis. Solet autem Sacra Congregatio tum ad conſtruendum in Monialium Eccleſiis Sepulcrum, tum ad eligendam in iis Sepulturam, licentiam non denegare iis, qui de iiſdem (2) Monialium Eccleſiis, aut Monaſteriis benemeriti ſint, aut qui ſaltem iiſdem eleemoſynam judicio Sacræ Congregationis ſatis idoneam largiuntur.

IX. Cum ſepultura ſit quid religioſum, adeoque in hominum cadere commercium nequeat; inde fit, ut a nemine ſepulturæ dominium (3), ac proprietas acquiri, aut poſſideri valeat. Acquiri tamen poteſt ſepulturæ (4) uſus, ac ſepeliendi jus, itaut qui tale jus acquiſierit, non modo in eo tumulo ſepeliri poſſit, ſed cæteros etiam, ne ibi ſepeliantur, prohibere. Ad hoc jus, & privativum ſepulturæ uſum (5) acquirendum requiritur, ut quis, legitima obtenta ab Eccleſiaſticis Superioribus ſepulcrum conſtruendi licentia, illud re ipſa conſtruxerit. Non enim jus ejuſmodi ex ſolo decennii lapſu (6), & cadaverum tumulatione acquiſitum cenſetur; ſicuti neque privative quoad alios intelligitur acquiſitum (7) ex eo tantum, quod quis Eccleſiæ, ſeu Capellæ ſit Patronus, niſi in jurepatronatus acquirendo hæc appoſita fuerit clauſula: *cum facultate, ſeu jure funerandi*; vel niſi obtenta Capella, in patenti ejus loco ſepulcrum Patronus effodiat, & Epiſcopus, ac Rector Eccleſiæ non contradicant, nam tunc tacita quædam adeſſe licentia præſumitur. Quamquam Tuſculana Communitas Cathedrale Templum ære ſuo conſtruxerit, ſeſeque ad ejus conſervationem, &, cum opus fuerit, reparationem obligarit, Noſtrum

(1) Sac. Cong. Epiſc. 18. Maii 1696.

(2) Sac. Cong. Epiſcop. in Ferrarien. 13. Julii 1604., in Meſſan. 6. Auguſti 1601., in Camerinen. 6. Martii 1713.

(3) L. *Si Sepulcrum*. cod. de Relig., & ſumptibus funerum.

(4) L. *Familiaria*, & ſeq. ff. de Relig., & ſumptib. funer., & L. *Jus ſepulcri*. cod. eod. tit.

(5) Rota Rom. in Burgen. Sepulturæ 9. Decemb. 1605. coram Ottembergo.

(6) Rota Rom. in Calaguritana ſepulturæ 2. Maii 1616. coram Coccino.

(7) Rot. Rom. in Toletana Capellaniæ, & ſepulturæ uſus 27. Julii 1616. coram Ubaldo, & in Avenionen. conceſſionis Capellarum 13. Januar. 1587. coram Litta.

Digitized by Google

ſtrum tamen eſt ſepulturæ jus in eodem Templo concedere vel iis, quibus a Nobis Capellam inibi erigendi, aut dotandi cum jurepatronatus facultas fiet, vel aliis, ſi Nobis in Domino viſum fuerit expedire, ſervato tamen Decreto Congregationis (1) Viſitationis de Urbe, ac Synodi Tuſculanæ (2), videlicet, ut rei totius Tuſculanus Magiſtratus particeps a Nobis fiat.

X. Liberum (3) cuique eſt, etiam uxori, inconſulto viro, ac filio, irrequiſito patre, in quocumque malit, etiam Religioſorum Templo, aut Cœmeterio ſibi ſepulcrum eligere, in quo tumuletur, totumque firmitatis robur habet electio, ſeu in teſtamento fiat, ſeu citra teſtamentum, ſeu integra valetudine, ſeu morte imminente, ſeu ſcripto, ſeu voce, ſeu etiam nutibus, dummodo per eos eligentis voluntas ſatis innoteſcat: probatam autem electionem ejuſmodi cenſeri volumus, ſi eligentis Parochus (4), aut Confeſſarius, etiam Regularis, ſuum de ea (dummodo non ad proprium, vel ad propriæ Eccleſiæ commodum) teſtimonium ferat, vel ſi de eadem duo idonei teſtes deponant, etiamſi ſint ſingulares, non quidem obſtativa, ſed adminiculativa, ut ajunt, ſingularitate. Quamquam hanc ſepulcrum eligendi libertatem incolumem, & ab omni vi, ac dolo immunem Sacri Canones eſſe vellent; cum tamen per ſordidam avaritiam alieni dolores (5) quibuſdam veniſſent in pretium, ac proinde ii de alieno luctu facere ſtudentes compendium, circumventionibus, ac dolis libertatem ejuſmodi evellere conarentur; ut eorum cupiditatem coerceret (6) Bonifacius VIII., *univerſis Religioſis, & ſæcularibus Clericis, cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſtant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictiſſime probibuit, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel*

(1) Congreg. Viſitationis de Urbe 2. Octobr. 1638.

(2) Synod. Tuſcul. ann. 1703. cap. 15. de ſepulturis.

(3) Cap. *Nos*, cap. *Fraternitatem*, cap. *Cum liberum ſit*, cap. *De uxore*. de ſepulturis, & cap. *Licet pater*. eod. tit. in 6.

(4) Sac. Cong. Conc. in Neapolitana S. Joa. Majoris 13. Februarii 1666. lib. 25. decret. fol. 29.

(5) Caſſiodorus lib. 3. epiſt. 19.

(6) Cap. *Animarum*. de ſepulturis in 6.

Digitized by Google

vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Si ſecus actum fuerit, eam electionem irritam eſſe decernit; ac prætereà ſtatuit, ut hi, qui ſic elegerint, nec apud Eccleſias ſic electas ullatenus ſepeliri, nec alibi eligere poſſint ſepulturam, ſed apud illas Eccleſias omnino ſepeliantur, apud quas ſepeliendi de jure fuiſſent, ſi non electa ſepultura deceſſiſſent. Si vero iidem Religioſi, vel Clerici prædictos in ſuis Eccleſiis, vel Cœmeteriis ſepelire præſumpſerint, ad reſtitutionem tam ſepultorum corporum, ſi petantur, quam etiam omnium, quæ occaſione ſepulturæ illorum quomodolibet ad eoſdem pervenerit, infra decendium integraliter faciendam ipſos obligatos eſſe voluit: quam niſi fecerint, Eccleſiæ ipſæ, apud quas ſepulti fuerint, necnon & Cœmeteria earumdem eo ipſo ſint, & tamdiu maneant Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ab eis omnium prædictorum plenaria facta fuerit reſtitutio. Hanc Bonifacii VIII. Decretalem Clemens V. (1) Apoſtolica iterum auctoritate confirmavit, ejuſdemque tranſgreſſores, præter pœnas in ea ſtatutas, excommunicationem majorem ipſo facto incurrere voluit, a qua nonniſi ab Apoſtolica Sede, excepto mortis articulo, abſolvi poſſint. Ut itaque Clerici ſive ſæculares, ſive Regulares, ab omni dictarum pœnarum abſint metu, caveant, ne ab ægroto doloſis ſuggeſtionibus ſciſcitentur, utrum in ſua, an in alia certa quadam Eccleſia ſibi eligat ſepulturam? ſed eum generatim dumtaxat interrogent, in quo condi velit tumulo? Ejus autem electioni ſtatim acquieſcant.

XI. Quod ſiquis, non electa Sepultura, deceſſerit; in gentilitio Majorum ſuorum ſepulcro, quemadmodum Canonicæ Leges, ac inſtituta Majorum poſtulant, tumuletur. *Nos inſtituta Majorum Patrum conſiderantes*, (inquit (2)) Leo III. *ſtatuimus, unumquemque in Majorum ſuorum ſepulcris jacere, ut Patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus propriam eligere ſepulturam*. Profecto

(1) Clem. *Cupientes*. de pœnis.

(2) Cap. 1. *De ſepulturis*, cap. *Is, qui*. eod. tit. in 6., Sac. Congr. Concil. 10. Januarii 1673.

fecto Sanctorum Patriarcharum in Veteri Teſtamento mos fuit, ut in Majorum ſuorum tumulo ſepeliri maxime vellent. Sic Jacob (1) appropinquare cernens diem mortis ſuæ, dixit ad Filium ſuum Joſeph: *Si inveni gratiam in conſpectu tuo, facies mihi miſericordiam, & veritatem, ut non ſepelias me in Ægypto; ſed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condaſque in ſepulcro majorum meorum*. At Uxor, ſi ſepulturam non elegerit, cum Viro ſuo, (2) &, ſi pluribus nupſerit, cum ultimo eſt ſepelienda. *Unaquæque enim Mulier*, ut inquit S. Auguſtinus (3), *ſive in vita, ſive in morte ſequatur virum ſuum; & quos unum conjunxit conjugium*, uti ſubdit S. Hieronymus, (4) *unum quoque conjungat ſepulcrum*. Hinc Sacra Congregatio (5) Concilii, excitata ſuper hac re controverſia, *cenſuit, quatenus electa non fuerit ſepultura, Uxorem in ſepulcro ultimi Viri ſepeliendam, filios vero in ſepulcro Majorum, ſervos autem in Parochia*. Quod attinet ad Filios, certum eſt, puberes filios eligere ſibi poſſe ſepulturam, & ſi eam non elegerint, in Majorum ſuorum ſepulcro, eoque non extante, in Parœciali Eccleſia eſſe ſepeliendos. At de impuberibus, cum hi ſepulturam eligere nequeant, ſic in Jure Canonico (6) ſtatutum eſt: *Licet Pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere ſepulturam, poſſit (ſi conſuetudo terræ id habeat) quo voluerit, ſepelire; hoc tamen non poteſt, ubi conſuetudo hujuſmodi non habetur; ſed ſunt cum ſuis Majoribus, vel in Parochiali Eccleſia tumulandi*. Hanc autem facultatem Patri conceſſam, ubi legitima adſit ejuſmodi conſuetudo (quæ ſane in hac Civitate (7), ac Diœceſi non viget,) Pater non poſt obitum Filii, ſed eo dumtaxat vivente, exercere poteſt,

(1) Geneſ. cap. 47. verſ. 29.

(2) Sac. Cong. Concil. in Neapolitana 16. Maii, & 19. Decembr. 1682.

(3) Can. *Unaquæque*. cauſ. 13. qu. 2.

(4) Can. *Ebron*. cauſ. 13. quæſt. 2.

(5) Sacr. Cong. Concil. 13. Februarii 1666. in reſponſ. ad 3.

(6) Cap. *Licet*. de ſepulturis in 6., & Sac. Congr. Concil. in Placentina 27. Novembr. 1649., & in Alexanen. Funerum 13. Julii 1743. in reſponſione ad 4. & 5. dubium.

(7) Synod. Tuſcul. ann. 1669. cap. 6. de ſepulturis.

Digitized by Google

poteſt, uti Sacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium (1) non ſemel declaravit. Quod ſi Pater impuberi filio præmortuus fuerit; Sacra Congregatio Concilii (2) ſtatuit, *etiam Matrem, cum Pater non adeſt, poſſe impuberi filio ſepulturam eligere, vivente tamen Filio*.

XII. Tandem quicumque neque ſibi ſepulturam viventes elegerint, neque gentilitium, ac familiare monumentum habeant, in quo tumulentur (3), in ſua Parœcia ſepeliri eos oportet; exceptis tamen Canonicis, quos licet non electa ſepultura demortuos, non tamen in Avorum, neque in Parœciali ſepulcro, ſed in eo, quod humandis Canonicis in Cathedrali Eccleſia deſtinatum eſt, ſepeliendos eſſe decernimus. Idem quoad Sacerdotes, & Clericos ſervandum eſſe ſtatuit Sacra Congregatio Epiſcoporum (4), quoties in Eccleſia Matrice ſepulcrum adſit iiſdem tumulandis deſtinatum. Peregrinos, & advenas (5), etiamſi in Regularium Domibus hoſpitantes deceſſerint, non in Regularium Eccleſia, niſi eam ante obitum expreſſe elegerint, ſed in Parœciali Templo ſepeliri jubemus. Regularibus omnibus interdicimus, ne Tertiarios (6) in ſuis Eccleſiis tumulent, niſi ii vel in ea ſepulturam elegerint, vel ad Regularum formam, quas profeſſi ſunt, Religioſa vota emiſerint, ac vere ſub illa Religione militaverint. Oblatos tamen, qui vere in Clauſtro ſub obedientia vixerint, ſeſeque una cum bonis omnibus irrevocabili inter vivos donatione Monaſterio dederint, in propriis Regularium Eccleſiis eſſe tumulandos edicimus. Regulares Profeſſos, ſi extra ſuum Monaſterium, aut Conventum decedant, & ad

 ipſum

(1) Sac. Cong. Epiſc. in Fulginaten. 27. Octob. 1587., & in una Montis Peluſii 6. Junii 1659.

(2) Sac. Cong. Concil. in Avellinen. 15. Septembris 1605.

(3) Can. *Ubicumque*. cauſ. 13. qu. 2. cap. *Is, qui*. de ſepulturis in 6.

(4) Sac. Cong. Epiſcop. in Foroſempronien. 1. Septembris 1690., cap. *In noſtra*. de ſepulturis.

(5) Sac. Cong. Epiſcop. 9. Junii 1692., Sac. Cong. Conc. in Ripana 3. Februarii 1652., in Ravennaten. 20. Jan. 1674., & in Gerunden. 3. Februarii 1694.

(6) Concil. Lateranen. ſub Leone X., Sac. Cong. Conc. 11. Decemb. 1614.

ipſum deferri commode poſſint, in eo ſepeliendos eſſe declaramus, quemadmodum ſtatuit Bonifacius VIII. (1) per ea verba: *Religioſi, niſi a propriis Monaſteriis adeo forſitan ſint remoti, ut ad ea, cum moriuntur, commode portari non poſſint, nequeunt [cum velle, vel nolle non habeant] ſibi eligere ſepulturam, ſed ſunt apud ſua Monaſteria tumulandi*. Quamquam autem Regularibus, qui in ſæcularium domibus ad mortem ægrotant, a Parocho loci extrema miniſtranda ſint Sacramenta, quemadmodum non ſemel Sacra Concilii Congregatio (2) declaravit; Huic tamen Parocho quarta funeralis danda non eſt, quando ejuſmodi Regularium cadavera (3) ad proprium Monaſterium tumulanda deferuntur. Quod ſi in locis adeo remotis Regulares intereant, ut ad propria Monaſteria commode deferri nequeant, ſpatio videlicet unius diei, tunc eligere ſibi poſſunt ſepulturam, ut ex allatis Bonifacii VIII. verbis liquido conſtat: niſi vero eam elegerint, in Eccleſia Parochiali, intra cujus fines moriuntur, tumulandi ſunt, & quidem proprii Monaſterii ſumptibus, ſi tamen ab eo bona in communi poſſideantur. *Quid*, inquit Gloſſa in cap. *Religioſi*. de ſepulturis in 6., *ſi moriatur, non electa ſepultura? Communis opinio Doctorum eſt, quod ſepeliendus eſt in Eccleſia Parochiali, in cujus Parochia mortuus eſt*.

XIII. Præter ſepulcra alte in Parœcialibus Templis effoſſa, Cœmeteria deeſſe non debent, quæ vel Templis ipſis adhæreant, vel non procul ab iis diſtent, ut videlicet intra eorum ſepta, in munitiſſimo ad id conſtituto loco, albentia conſumptorum cadaverum oſſa, quæ, cum neceſſitas poſtulat, e ſepulcris eruuntur, in ſtrues, congerieſque compoſita religioſe aſſerventur. Cum olim nonniſi in Cœmeteriis Fidelium Defunctorum corpora tumulari ſolerent; eorum autem pium obitum primi illi Chriſtianæ Fidei cultores quemdam eſſe ſomnum non ignorarent, a quo

(1) Cap. *Religioſi*. 5. de ſepult. in 6.

(2) Sac. Cong. Concil. in Collen. 11. April. 1609., & in Meſſanen. 20. Sept. 1698.

(3) Sac. Cong. Epiſc. in Puteolana. 22. Maii 1615. apud Barboſam de officio, & poteſt. Paroch. cap. 6. num. 68.

Digitized by Google

quo ad immortalem vitam expergiſci eos tandem oporteret in reſurrectione mortuorum; ea proinde loca humandis corporibus ſtatuta, *Cœmeteria*, ideſt quieſcendi, ac dormiendi loca (id enim *Cœmeterii* nomen Græce ſignificat) appoſite nuncuparunt. Qua quidem in re eos exemplo ſuo Apoſtolus præiverat, cum de Fidelibus Defunctis ad Theſſalonicenſes ſcribens, inquit: *Nolumus autem* (1) *vos ignorare, fratres, de dormientibus*; quem locum S. Hieronymus ſic interpretatur: *eos dormientes appellat, quia certum eſt eos eſſe ſurrecturos*. Cœmeteria hæc, cum loca religioſa ſint, & ſacris precibus, ac benedictionibus conſecrata, debito in honore haberi volumus, ac diligentiſſime cuſtodiri. Murus igitur, quo ad debitam altitudinem undequaque ſepienda ſunt, ſi qua ex parte corruerit, aut reparatione indigeat, reparetur. Oſtium firmis valvis, clavibus, peſſuliſque ſit ſemper clauſum, nec niſi, cum uſus poſcit, aperiatur. In ſummo oſtio vel Crucis imago coloribus expreſſa rutilet, vel lignea Crux juſtæ magnitudinis aſſurgat, in cujus ima parte humani capitis calvaria, ſeu cranium collocetur. In medio quoque Cœmeterio aut ænea Crux marmoreæ columnæ impoſita emineat, aut lignea certe in altum ſublata conſpiciatur. Frugiferæ in Cœmeteriis arbores, ſi quæ forte adſint, ad radices ſuccidantur: arbuſta, frutices, ſtirpes, ſpinæ, vepreſque, vel radicitus evellantur, vel igne devorentur. Non eo Parochi ſordes ullas abiici ſinant, non ibi ligna, aut ſaxa, aut cæmenta coacervari, non ventilari frumenta, non trituram fieri, aut paleas, frugeſve expandi, aut lineas telas lixivio madidas ſiccandas ſole explicari, non denique quidquam fieri, quod loci ſanctitati, ac religioni adverſari videatur. Conentur tamen omni vi, ſtudioque ſuadere Fidelibus, ut quoties Cœmeteria intuentur, aut prope illa gradiuntur, pias aliquas pro Fidelibus Defunctis ad Deum fundant preces.

XIV. Nemo, ſive Parochus, ſive alius quicumque, etiam Regu-

(1) Ad Theſſalon. cap. 4.

Digitized by Google

Regularis, ſub pœnis per Sacros Canones inflictis, aliiſque arbitrio Noſtro infligendis, in ſua Eccleſia, vel Cœmeterio ſepelire aliquem eorum audeat, quibus Sacri Canones, Pontificiæque Conſtitutiones Eccleſiaſticam denegant ſepulturam. Hi autem ſunt 1. Hebræi (1), Turcæ, ac Infideles omnes non baptizati. 2. Hæretici (2), eorumque in hæreſi receptores, defenſores, fautores &c., etiamſi detecta ſolum poſt obitum fuerit eorum hæreſis, dummodo non ejurata hæreſi interierint. 3. excomunicati notorii (3), qui nulla in obitu dederint veræ pœnitentiæ ſigna. Si enim, antequam decederent, reſipuerint, neque per eos ſteterit, quo minus abſolverentur, tunc etiam poſt mortem (4) præſcripto ab Eccleſia ritu ſunt abſolvendi, ſacroque in loco tumulandi. 4. interdicti (5), ac ſuſpenſi ab ingreſſu Eccleſiæ notorii, ac denunciati. 5. publici, ac manifeſti uſurarii (6), niſi ante obitum vel rem alienam reſtituerint, vel idoneam ſaltem de reſtituendo dederint cautionem. 6. manifeſti raptores (7), atque Eccleſiarum violatores, niſi ante obitum ſatisfecerint, aut de ſatisfaciendo *præſtiterint* ſecuritatem. 7. ii omnes, qui vel in Torneamentis (8) decedunt, vel ex vulnere accepto in duello, aut in loco duelli, & conflictus, aut etiam extra illum deceſſerint, ſive duellum publice, ſive privatim indictum fuerit, ac etiamſi ante mortem non incerta pœnitentiæ ſigna dederint, atque a peccatis, & cenſuris abſolutionem obtinuerint, quemadmodum Conſtitutione edita decrevit (9) Benedictus XIV. 8. quicumque in notorio,

(1) Can. 26., & 27. diſt. 1. de conſecr.

(2) Cap. *Sicut*, cap. *Excommunicamus*. §. *Crederes*. de hæreticis; & cap. *Quicumque*. eod. tit. in 6.

(3) Cap. *Sacris*. de ſepulturis.

(4) Cap. *A nobis*. de ſent. excomm. in 6., & Sacr. Cong. Epiſc. in Nolana 19. Julii 1619.

(5) Clemen. 1. de ſepulturis, cap. *Et plantare*. de privilegiis, & cap. *Is qui*. de ſent. excomm. in 6.

(6) Cap. *Quia*. de uſuris, & cap. *Quamquam*. eod. tit. in 6.

(7) Cap. *Super eo*. de raptoribus.

(8) Cap. *Felicis*, & cap. *Ad audientiam*. de torneamentis.

(9) Benedictus XIV. Conſt. *Deteſtabilem*. edita 4. Idus Novembr. 1752.

notorio, certoque peccato mortali (1) impœnitentes occumbunt, cujuſmodi ſunt Meretrices &c. 9. qui ex impatientia (2), ira, deſperatione, aliave ſimili cauſa mortem ſibi ultro conſciſcunt. Verum in his, aliiſque caſibus, qui in Rituali Romano (3) recenſentur, ne quid temere, aut præcipitanter admittatur, volumus, ac præcipimus, ut nihil Parochi, niſi Nobis prius conſultis, moliantur. Cadavera autem hujuſmodi, quæ judicio Noſtro ad Eccleſiaſticam non ſunt deferenda ſepulturam, volumus, ut in terra non ſacra alte effoſſa recondantur, procul adeo ab Eccleſia, ut inde Clericorum officia divina pſallentium voces audiri nequeant; & ſi forte ſepulta in loco ſacro fuerint, & a cæteris ſecerni poſſint, inde extrahi, ac in profanum locum aſportari jubemus. Pueris tandem ſine Baptiſmo decedentibus Eccleſiaſtica deneganda eſt ſepultura; ita tamen, ut, ſi in defunctæ prægnantis Matris utero obierint, tamquam viſcerum ejus pars una cum Matre in Eccleſia ſepeliantur: Si vero mortui ex utero emerſerint, aut, licet viventes in lucem prodierint, antequam tamen ſacro regenerationis lavacro abluerentur, occubuerint, non in Eccleſia, ſed prope illam in loco non ſacro ad id deſtinato tumulentur. Is autem locus probe cuſtodiatur, ne morticina hominum fiant eſca canibus, ac beſtiis terræ.

XV. Singulare ſemper fuit proborum Chriſtifidelium ſtudium, ut quæ ad funera, ac ſepulcra mortuorum ſpectant, religioſa, atque officioſa pietate curentur. Sacras itaque cæremonias, ac ritus, quibus ex antiquiſſima Patrum traditione, ac piis Sanctorum Pontificum inſtitutis Eccleſia in filiorum ſuorum exequiis uti ſolet, Parochi ea modeſtia, pietate, ac religione exerceant, ut ſancti ejuſmodi ritus non minus ad vivorum pietatem excitandam, quam ad opem mortuis deferendam, quemadmodum vere ſunt, inſtituti eſſe videantur. Primum itaque Parochi, cæterique Sacerdotes magnopere caveant, ne occaſione funeris, & exe-

(1) Can. *Quibus peccata*, can. *Non æſtimemus*..cauſ. 13. quæſt. 2.

(2) Can. *Placuit*. cauſ. 23. quæſt. 5.

(3) Ritual. Rom. tit. de exequiis.

Digitized by Google

& exequiarum in ſordidæ cupiditatis ſuſpicionem veniant; quod futurum certe erit, ſi ejus rei gratia quidquam cum defunctorum hæredibus paciſcantur, aut ab iis tamquam pretium exigant. Nihil igitur petant, niſi id, quod antiqua, pia, & probata conſuetudo ſolvendum induxit; & quoniam propter diverſas circumſtantias non eadem quoad hoc in tota Noſtra Diœceſi viget conſuetudo; ne quid proinde inordinatum contingat, unde aut venalis fieri Eccleſia, aut de ovium interitu Paſtor gratulari videatur; diſtricte præcipimus, ac mandamus, ut in quolibet Diœceſis Oppido ea ſervetur taxa, quam propria loci conſuetudo invexit, & quam Nobis oblatam, cum Diœceſim viſitaremus, ſervari juſſimus. Ejus autem exemplar, ne fraudi locus pateat, in Epiſcopali Noſtra Cancellaria cuſtodiri jubemus. Conſueta igitur oblatione contenti Fidelibus potius ſuadeant, ut in curandis funeribus honeſtus modus ſumptibus adhibeatur, atque illæ ſupervacaneæ præcidantur expenſæ, quæ, ut inquit S. Ambroſius (1), *damna viventium ſunt, non ſubſidia defunctorum*. Siquid autem eleemoſynæ nomine Parochis, aliiſque Sacerdotibus a defunctorum hæredibus ultro deferatur, id eos accipere permittimus.

XVI. Cum jus funeris, quod olim voluntaria fuit pietatis largitio, ex laudabili, probataque conſuetudine factum nunc fuerit pendendum neceſſario tributum; Neminem ita expertem Chriſtianæ charitatis futurum exiſtimamus, ut ſuorum ſepulturam, ac pium exequiarum inſtitutum penitus negligat, in eamque rem facere ſumptum recuſet. Verum ſiquis forte umquam tam inhumanus, ac illiberalis reperiatur; ea de re ſtatim Nos Parochus admoneat, ut tam inofficioſum, ac irreligioſum hominem ad ea, quæ neceſſaria ſunt funeri, comparanda, præſtandaque opportunis juris, factique remediis cogere valeamus. At quorum (2) tanta egeſtas fuerit, ut ſepulturæ ſumptus non ſuppetant; Parochi expenſis honeſte, ut par eſt, efferantur, ac tumulentur.

(1) S. Ambroſius de Naboth. cap. 1.

(2) Can. *In Eccleſiaſtico*, can. *Præcipiendum*. cauſ. 13. qu. 2., Sac. Congr. Epiſc. in Caſſanen. 5. Maii. 1617.

lentur. Neque vero quiſquam audeat, pro ejuſmodi hominum exequiis eleemoſynas a Fidelibus colligere, quæ Parocho, aliiſque Clericis juſta perſolventibus erogentur. Nimis enim indecorum eſt, ac prorſus indignum, ut Samaritanorum miſericordia requiratur, ubi Levitarum, propriique Sacerdotis viſcera debent potiſſimum commoveri. Si quis autem doloſo ingenio paupertatem ſimularet, nihil Parochus dure, aſpereque extorqueat, ſed rem ad Nos deferat, ut ſine judicii ſtrepitu ea, quæ juris erunt, decernamus. Nolumus proinde, ut ſeu ob exortam (1) aliquam controverſiam, ſeu ob dilatam conſuetæ eleemoſynæ ſolutionem ſepultura, aut funus differatur, aut etiam ut, antequam humetur cadaver, pignora, aut fidejuſſiones pro exequiarum emolumentis exigantur. Cum hoc mercenariæ vilitatis opprobrium ſit ab omni pietatis regula, atque ab Eccleſiæ honeſtate nimis alienum; ſiquis huic Noſtro decreto non paruerit, gravi arbitraria pœna a Nobis punietur. Ut tandem omnis omnino avaritiæ, ac turpis quæſtus ſpecies a funeribus, & exequiis removeatur, Parochis præcipimus, ac mandamus, 1. ut, præter conſueta Parochialia Jura (2), nihil audeant ab hæredibus exigere titulo conſenſum præſtandi, ut cadaver in eo ſepulcro humetur, quod ſibi defunctus elegit. 2. ut ne plus ab exteris (3), quam ab incolis recipere, aut petere pro funeris emolumentis præſumant. 3. ne quidquam exigant (4) ſub prætextu Terræ Sanctæ, quæ in Parœciali Eccleſia, aut Cœmeterio habeatur. 4. ne a viventibus, qui in aliam Parœciam (5) commigrare, ſuumque in ea figere domicilium velint, aliquid ſepulturæ nomine petant.

Ccccc XVII. Cum

(1) Concil. Lateranen. III. can. 2., Sac. Cong. Epiſc. in cit. Caſſanen. & in Contronen. 18. Sept. 1617., & Sac. Cong. Conc. 15. Maii 1638.

(2) Cap. *Nos*, cap. *Cum liberum*. de ſepulturis, Extrav. *Deteſtandæ*. de ſepult., Urbanus VIII. Conſt. *Cum ſicut*. 11. Martii 1636.

(3) Sac. Cong. Conc. 27. Maii 1617., in Theleſina 28. Januar. 1673., in dub. Funeralium 28. Julii 1673., & Sac. Cong. Epiſc. in cit. Caſſanen.

(4) Cap. *Abolendæ*. de ſepulturis.

(5) Cap. *Significavit*. de Parochis, & cap. 2., & 3. de ſepulturis in 6.

XVII. Cum juxta antiquam univerſæ Eccleſiæ conſuetudinem Defuncti Fideles, nonniſi adhibitis precibus, & pſalmis, ſepulturæ tradendi ſint; Ea proinde, quæ in Rituali Romano in Funeribus, exequiis, & ſepulturis ſervanda præſcribuntur, in omnibus accurate ſervari jubemus. Pompam funeris, quemadmodum mos ſemper fuit, eſſe volumus in poteſtate tumulandi, aut hæredis ejuſdem: quare Parochus, qui (1) unus neceſſario intereſſe debet, rem totam hæredum libertati relinquat. Verum, cum ad Parochum, qui defunctum, dum viveret, per baptiſmum Eccleſiæ genuit, cæteriſque Sacramentis enutrivit, pertineat ultima eidem præſtare pietatis officia; Idcirco nemo ex Clero (2) ſive Sæculari, ſive Regulari, cujuſcumque privilegii, aut conſuetudinis obtentu, multoque minus Laici audeant e domo defuncti cadaver efferre, niſi accerſitus proprius defuncti Parochus, vel per ſe, vel per alium interſit, aut aſſenſum præbeat, ut efferri poſſit; etiamſi non ad Parœcialem, ſed ad Regularium, aut aliam exemptam Eccleſiam cadaver ſit traducendum. At ſi vocatus Parochus, intervenire, aut alium mittere renuat; tunc Regularibus licet abſque Parocho cadavera deferre in ſuis Eccleſiis tumulanda, uti ſæpius declaravit non minus Sacra Rituum (3), quam Sacra Epiſcoporum (4) Congregatio, cujus decretum Conſtitutione edita Alexander Septimus (5) confirmavit.

XVIII. Cum tempus ducendi funeris advenerit, quotquot ad illud acciti a defuncti hæredibus fuerint, (ad eos enim id (6) ſpectat) ſive Sodalitatum Alumni, ſive Sacerdotes, & Clerici tam Sæculares, quam Regulares, in Parœcialem (7) defuncti Eccle-

(1) Sac. Congr. Epiſc. in una Montis Piloſi anno 1581.

(2) Leo X. in Conc. Later. Conſt. 22. *Dum intra*. 13. Dec. 1516., Sac. Cong. Epiſc. in decr. gen. 12. Jan. 1604., Sac. Congr. Conc. 11. Septembr. 1615., & ſæpe Sacra Rituum Congregatio.

(3) Sac. Rit. Congr. in Senogallien. 22. Jun. 1675. in reſponſ. ad 6., & 13. Julii 1678.

(4) Sac. Cong. Epiſc. 14. Januar. 1639.

(5) Alexander VII. Conſt. *Alias pro parte*. 30. April. 1660.

(6) Sac. Cong. Rit. 2. Auguſti 1698.

(7) Sac. Congreg. Rit. in Bononien. 9. Decemb. 1617., & in Tropien. 16. Februarii 1631.

Eccleſiam conveniant; unde mox, dato per Parochum procedendi ſigno, ad lugubrem æris campani ſonum in ſuas claſſes diſtributi domum defuncti adeant. Nullus itaque Sacerdos, aut Clericus, ſive Sæcularis, ſive Regularis, Sodalitas nulla, nulluſque cœtus (1) ſive in via, ſive in defuncti domo, ſive alibi funebrem pompam procedentem expectet, ut eidem ſeſe comitem adjungat: qui ſecus fecerint, neque conſueta eleemoſyna, neque cereis donentur candelis. At ſi Cathedralis Eccleſiæ Capitulum fuerit invitatum ad funus, in Cathedrale Templum (2) convenire omnes debent, & ex eo funebris pompa procedere. Ad Parochum ſpectat vias (3) indicere, ac deſignare, per quas aſportetur cadaver, licet ad Regularium Eccleſiam ſit deferendum. Is tamen illud per longum viarum circuitum circumferri non ſinat, ne vana quædam funeris oſtentatio, quæ ſane luctuoſam, ac piam ejuſmodi functionem dedecet, fieri videatur. In funebri pompa una (4) tantum haſtata Crux Eccleſiæ tumulantis deferatur, ſub qua incedere omnes debent; niſi forte Capitulum Cathedralis interveniat, cui dignior concedendus eſt locus, & cujus Crux unica in iis circumſtantiis eſt erigenda, niſi alicubi immemorialis in contrarium vigeat conſuetudo. Hic autem in procedendo ſervetur Ordo. Clericus ſuperpelliceo indutus, & Crucem deferens anteibit, quem primum Confraternitatum Sodales ſuo induti ſacco, mox Religioſi Choralem geſtantes habitum, tandem Sacerdotes, Clericique Sæculares talari veſte, candidoque amicti ſuperpelliceo, & birreto obtecti caput, non

Ccccc 2 pileo

(1) Sac. Cong. Conc. 16. Jan. 1649., Sac. Congr. Rit. in Æſina 31. Julii 1665., 29. Jan. 1671., & 22. April. 1690.

(2) Sac. Cong. Rit. in Nicien. 9. Auguſti 1670., & in Æſina 29. Jan. 1671.

(3) Sac. Cong. Epiſc. in Caſtellanaten. 3. Jan. 1594., & in Milevitana Synodi 3. Sept. 1707. ad 3., Sac. Cong. Conc. in Cathacen. 12. Octobr. 1619., Sac. Congr. Rit. in Andrien. 12. Novembr. 1631.

(4) Sac. Congreg. Rit. in Piſauren. 22. Martii 1632., in Averſana 15. Septembris 1640., in Foſſanen. 21. Julii 1645., in Aretina 22. Decemb. 1697., in Volaterrana 16. Martii 1726., & in Sabinen. 29. Jan. 1735.

Digitized by Google

pileo (1) (niſi ejus uſum imber decidens, aut aeris intemperies exigat, aut, Noſtra accedente licentia, noctu ducatur funus) bini procedentes comitentur. Omnium poſtremus incedat Parochus ſuperpelliceo, ſtolaque nigri coloris ornatus. Poſt ipſum geſtabitur feretrum, in quo cadaver eſt collocandum.

XIX. Cum deventum ad mortui ædes fuerit, diſtributis, accenſiſque cereis facibus, & candelis, Parochus cadaver aqua luſtrali aſpergat, & antiphonam præcinens, procedere omnes jubeat. In itinere a Cantoribus, aliiſque funus comitantibus pſalmi a Rituali Romano præſcripti alternatim lugubri cantu pie, devoteque recitentur. Duæ ſaltem cereæ accenſæ faces haſtatam præeant Crucem: aliæ vero feretrum circumambiant, quas pro hæredum (2) arbitrio plures, aut pauciores eſſe permittimus. Parentes, & cognati quicumque cum ineptis clamoribus, acerbiſque queſtubus funus ſociare prohibeantur; ſed domi ſe contineant, piaſque ad Deum pro mortuo fundant preces, neque immodico conficiantur mœrore, *ſicuti & cæteri qui ſpem non habent*, ut inquit Apoſtolus (3). Si cadaver ad Regularium Eccleſiam deducatur (4), in ejus limine Parochus ultimum vale defuncto dicere recitatis precibus debet, niſi contraria alicubi vigeat conventio, aut conſuetudo (quod quidem de aliis etiam Eccleſiis dicendum eſt, quæ proprium habent Rectorem) adeoque ipſo in Eccleſiæ limine Parochus ſtolam deponat, eamque illius Eccleſiæ Rector ſive Sæcularis, ſive Regularis aſſumat, & officium funebre, cæteraque munia, quæ in exequiis, juſtiſque ſolvendis peragi conſueverunt, proſequatur. Servandum autem id quoque eſt, etiamſi funeri Capitulum Cathedralis interſit: cadaver enim in Re-

(1) Edictum Card. Vicarii de Urbe ex mandato Clementis XI. 9. Decembris 1704.

(2) Sac. Cong. Conc. 15. Martii 1704.

(3) 1. ad Theſſal. c.4. v.12.

(4) Clemens X. Conſtit. 57. *Nuper*. edita 18. Janua. 1672., Alexander VII. Conſt. 95. *Alias*; cap.1. de ſepulturis, Sac. Congreg. Conc. 22. April. 1625., 28. Febr., & 26. Martii 1711., Sac. Cong. Rit. in Neapolit. 26. Januar. 1641., 8. Jun. 1669., approbante Clemente IX., 2. Septemb. 1741., & ſæpe etiam Sacra Congregatio Epiſcoporum.

in Regularium juriſdictionem tranſit, quando ad eorum Eccleſiæ fores iiſdem traditur tumulandum, adeoque ad eos pertinet in propria Eccleſia defuncto parentare, antequam ſepulturæ cadaver demandetur. Ubicumque tamen divina mortuis perſolvantur officia; quotquot pium obeunt munus, ita ſint toto corpore, animoque compoſiti, ut in eorum vultu modeſtia, religio, ac miſeratio renideat, & ex corde eæ, quas ad Deum pro mortuo fundunt, preces erumpant: unde fiat, ut ab eorum exemplo populus, qui circumſtat, ad deprecandum pariter Deum commoveatur. Cavere enim diligentiſſime eos oportet, ne, dum propere, ac negligenter Dei opem defuncto implorant, ipſi ſibi ob irreligioſam precandi rationem divinam provocent iram.

XX. Religioſas omnes cæremonias, Sacroſque Ritus, quibus in filiorum ſuorum exequiis Catholica uti ſolet Eccleſia, tamquam vera Religionis Myſteria, ſaluberrimaque Fidelium mortuorum ſuffragia, Parochi omnes, cæterique Eccleſiarum Rectores vigili obſervent cura, atque inſtitutum illud potiſſimum, quoad fieri poteſt, retineant, ut Miſſa, quam de *Requiem* nuncupant, pro defuncto, præſente ejus cadavere, celebretur, antequam Eccleſiaſticæ Sepulturæ tradatur. Quod ſi vel hæredes non adſint, vel tanta rerum premantur inopia, ut conſuetam pro Sacro Eleemoſynam erogare nequeant; ejuſmodi ſubſidium Parochi a pia Fidelium liberalitate obtinere facile poterunt, aut ſaltem, ſicubi aliquis adſit pius locus juvandis per ſuffragia defunctis deſtinatus, inde eadem eruatur. Eumdem ob finem ſæpe Fideles curæ ſuæ commiſſos hortentur Parochi, ut pietatis, ac humanitatis officia erga defunctos exerceant, cum eadem inter miſericordiæ opera Deo gratiſſima a Sacris Paginis recenſeantur. *Mortuo non prohibeas gratiam*: ita Eccleſiaſt. c.7. *Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur*: ita Machab. lib.2 cap.12. Sodalitatum, quæ in Noſtra Diœceſi, vel Apoſtolica, vel Ordinaria auctoritate erectæ jam ſunt, Alumnis omnibus enixe commendamus, ne proprii cœtus defunctorum obli-

oblivio eos capiat, ſed modis omnibus curent, ut, quibus, dum viverent, mutui amoris ſigna dederunt, eos, cum deceſſerint, piis ſuffragiis juvent, parem & ipſi poſt obitum retributionem habituri. Societatis Mortis Sodales, qui in Urbe Tuſculana in mortuorum, præſertim pauperum, corporibus ad Eccleſiam deferendis, tumuloque donandis laudabiliter adlaborant, debitis proſequimur laudibus, plurimumque hortamur in Domino, ut pium, quod amplexi ſunt, inſtitutum religioſiſſime ſervent, memores eorum, quæ dixit Angelus ad Tobiam (1): *Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos; ego obtuli orationem tuam Domino, & quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.*

XXI. Cum nòn raro Fideles plurimi extra Parœcialem Eccleſiam tumularentur, vel quòd in gentilitio Majorum ſuorum ſepulcro tumulandi eſſent, vel quod ipſi ſibi in alia Eccleſia ſepulturam elegiſſent; atque inde fieret, ut eorum Parochi quolibet funeris emolumento carerent; ex naturali quadam æquitate Sacri Canones (2) ſtatuerunt, ut ex funeralibus emolumentis quarta pars, quam *portionem Canonicam*, ſeu *quartam funeralem* nuncuparunt, defunctorum Parochis ſolveretur, quoties non in Parœciali, ſed in alia Eccleſia eorum exequiæ fierent, & cadavera tumularentur. Quamquam autem quartam dumtaxat ejuſmodi emolumentorum partem Parocho dari Sacri Canones juſſerint; Ex legitima tamen (3), juſtaque conſuetudine induci poteſt, ut tertia etiam, & adhuc major pars danda ſit. Quamobrem attendi hac in re maxime debet (4) legitima, & rationabilis cujuſque loci, ac Provinciæ conſuetudo. Ex iis itaque, quæ ratione funeris a defunctorum hæredibus præbentur, portio Canonica

(1) Tobiæ cap.12. v.12.

(2) Cap. *Nos inſtituta*; cap. *Relatum*. cap. *De his*; & cap. *Cum ſuper*. de ſepulturis; & Clem. *Dudum*. eod. tit.

(3) Can. *Antiquos*. cauſ. 10. qu. 1., & cap. *Explicari*. de ſepulturis.

(4) Cap. *Explicari*; & cap. *Cum tanto*. de conſuetud., Sac. Congr. Concil. in Ebredunen. 25. Jul. 1695. ad 12., & in Mantuana 18. Junii 1699.

nica (1) ſolvi Parochis debet. Cum autem quamplures Romani Pontifices Regularibus fere omnibus decurſu temporis privilegium illud conceſſiſſent, ut canonicam portionem, ſeu quartam funeralium emolumentorum partem pro perſonis, quæ in eorum Eccleſiis ſibi ſepulturam eligerent, Parochis perſolvere minime tenerentur; atque inde acerbæ exortæ fuiſſent Parochorum querelæ, innumeræque inter eos, ac Regulares contentiones, ac lites; Ut iis tandem aliquando modum imponeret Benedictus XIII., & Parochorum, quibus cæteroqui Sacri Canones, & priſca Eccleſiæ diſciplina aperte ſuffragantur, indemnitati opportune conſuleret; Conſtitutionem (2) edidit, cujus exemplar damus in Appendice *num. 25.*, atque Epiſcopis omnibus Italiæ, & adiacentium Inſularum præcepit, ut eam ſtatim publicari curarent, ac pro ejus obſervantia, etiam tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati, vigilem adhiberent curam.

XXII. In hac Conſtitutione laudatus Pontifex, revocatis, abrogatiſque privilegiis omnibus, per quæ Regulares quicumque a quartæ funeralis ſolutione eximerentur, provide ſtatuit, *ut in Italia, eique adjacentibus Inſulis, Parochis defunctorum, qui in quorumcumque Regularium Eccleſiis tumulentur, quarta perſolvatur pars omnium intorticiorum, & candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad Eccleſiam tumulantem aſſociatur, eorumque etiam omnium, quæ in eadem Eccleſia circa cadaver, & in Altaribus in die funeris accenduntur; non tamen earum candelarum, quas Sacerdotes etiam Regulares, & piarum Sodalitatum Confratres funus aſſociantes, manualiter per viam accenſas deferunt.* Quod ſi ad diverſam diem vel ad longius tempus funus differatur; Parocho tamen *danda eſt quarta pars intorticiorum, & candelarum, quæ in funeris die in Eccleſia, in qua defunctus humatus fuit, circa cænotaphium, ſeu honorarium tumulum, & in Altaribus ejuſdem Eccleſiæ accenduntur.* A quarta

(1) Extrav. comm. *Inter cunctas.* de privileg., Sixtus IV. Conſt. *Regimini.* & S. Pius V. Conſt. *Etſi Mendicantium.*

(2) In Conc. Rom. Benedictus XIII. Conſt. *Romanus Pontifex.* edita 4. Cal. Maii 1725., Conc. Rom. tit. 8. cap. 5.

Digitized by Google

quarta tamen funerali expreſſe excipit laudatus Pontifex *legata Miſſarum ; & Anniverſariorum , hiſque pia ſimilia relicta ad favorem Eccleſiæ tumulantis , vel exponentis a defuncto diſpoſita* . Tandem ubi conſuetudines legitime probatæ, conventiones, concordiæ, vel ſtatuta vigeant, quæ præfatis Parochis pinguiorem prædicta quarta emolumentorum funeralium portionem aſſignent, ea in iis locis, in quibus vigent, inconcuſſe ab omnibus obſervari mandat, ac jubet. Ejuſmodi Conſtitutionis obſervantiam, quam Nos, ſi opus ſit, etiam ut Apoſtolicæ Sedis Delegati urgebimus, Regularibus omnibus in Noſtra Diœceſi degentibus commendamus.

XXIII. Eorum cadavera, qui violenta morte occubuerint, non prius ad Eccleſiam deferantur, quam Parocho innotuerit, vel a Noſtræ, vel a Laicalis Curiæ Miniſtris, prout opus erit, extra locum ſacrum, & immunem inſpecta de more fuiſſe, illatæque mortis ſigna oculari inſpectione recognita. Quod ſi iidem Curiæ Miniſtri moniti, atque acciti, plus æquo cunctentur, ad Eccleſiam afferatur cadaver, conſuetoque Eccleſiaſtico ritu ſepeliatur. In Eccleſia tamen, aliove loco ſacro numquam ejuſmodi inſpectio fiat, multoque minus eum in finem ſepulta cadavera exhumentur. Quod ſi legitima Sacræ Congregationis Immunitatis facultas acceſſerit (1), facultas quoque per Nos fiet, ut exhumentur, ſed ſub ea conditione, ut extra locum ſacrum inſpiciantur : qui ſecus fecerit, excommunicationem majorem latæ ſententiæ, tamquam Eccleſiaſticæ Immunitatis violatæ reus, incurret. Corpora quæcumque perpetuæ tradita ſepulturæ, Nobis inconſultis, neque exhumentur, neque de uno in alium locum transferantur. Orationes funebres, aut defunctorum laudationes, niſi a Nobis permiſſæ, probatæque fuerint, nullo modo in Eccleſiis recitentur. Quamquam enim apud veteres etiam Patres exequialia ejuſmodi elogia reperiamus;

(1) Sac. Cong. Immun. in Maceraten. 8. Auguſti 1645., & in Anagnina 21. Januarii 1659.

mus; Non in omnium tamen funere, neque paſſim recitata eadem ſunt, ſed in eorum dumtaxat obitu, quorum excelſa virtus, & eximia in Chriſtianam Religionem merita hanc honoris prærogativam ſibi merito vindicabant. Siquæ igitur ejuſmodi orationes, Noſtro accedente conſenſu, habendæ ſint, eas tantum probabimus, ac permittemus, quæ potiſſimam habebunt rationem virtutum, quibus non minus mortui, dum viverent, eximiæ ſuæ pietatis teſtimonium dederint, quam Fideles auditores ad religioſam imitationem excitari poſſint. Parochi tandem in libro ad hunc finem bene compacto, juxta Romani Ritualis formulam, defunctorum nomina, & cognomina, mortiſque, ac tumulationis diem, & annum, nec non & Eccleſiam, in qua ſepulti fuerint, diligenter deſcribant; illudque etiam adnotent, an extremis muniti Sacramentis deceſſerint; & ſi eadem ante obitum non ſuſceperint, cauſam indicent, propter quam muniri iiſdem non potuerint.

CAP. XV.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

ARTICULUS I.

De Natura, excellentia, atque effectibus Sacramenti Ordinis.

NON ſatis aliorum Sacramentorum dignitati eorum auctor Chriſtus Dominus conſuluiſſe videretur, niſi per Ordinis Sacramentum idoneos ſibi conſecraret Miniſtros, ſine quibus eadem aut nullo modo confici, atque adminiſtrari poſſent, aut ſolemni cæremonia, ac religioſo ritu, cultuque carerent. Quamobrem divino ſane conſilio Sacramentum Ordinis inſtituit, in eoque plures veluti gradus collocavit, per quos electi ad id muneris Miniſtri ad ſummum faſtigium, ideſt ad Sacerdotium, ordinatim proveherentur. Hujus autem tantam eſſe vo-

luit nobilitatem, atque excellentiam, ut quamquam omni tempore ſummam dignitatem obtinuerint, novi tamen Teſtamenti Sacerdotes honore cæteris omnibus longe antecellerent. Illis enim tum Corpus, & Sanguinem Chriſti conficiendi, tum peccata Fidelibus poſt baptiſmum lapſis remittendi contulit poteſtatem, quæ humanam omnem rationem, atque intelligentiam ſuperat, & qua nulla major in terris inveniri, aut etiam excogitari poteſt. Ipſius itaque Dei perſonam gerentes, merito in Sacris Litteris non ſolum *Angeli*, ſed etiam *Dii* appellantur.

II. Cum tanta ſit Sacerdotii dignitas, atque ſublimitas, neceſſe eſt, ut, quemadmodum Salvator (1) Noſter a Patre, Apoſtoli autem (2), ac Diſcipuli in univerſum mundum a Chriſto Domino miſſi ſunt, ita Sacerdotalis officii munus nonniſi iis imponatur, *qui vocantur a* (3) *Deo tamquam Aaron*, & qui proinde tantum onus ſanctitate vitæ, doctrina, fide, prudentiaque ſuſtentare poſſint. At quis non intelligat, a Deo minime vocari eos, qui ob eum finem ſacris initiari volunt, ut pauperiem vitent, & ſibi, quæ ad victum, veſtitumque neceſſaria ſunt, parent, vel ut divitiis affluant opulentum aliquod Sacerdotium conſecuti, vel denique ut honorum cupiditate, ambituque tumentes dominari tandem aliquando poſſint in Clero? Hi certe ſunt, quos Chriſtus Dominus in Evangelio *Mercenarios* appellat, & quos paſcere ſemetipſos, & non oves, Ezechiel prophetico ſermone pronunciavit. At ii, tamquam Aaron, vocantur a Deo, qui Ordinis Sacramento initiari ejus unius rei cauſa volunt, ut non modo Dei gloriam in omnibus rebus quærant, (id enim Fidelibus omnibus commune eſt) ſed etiam ut alicui certo Eccleſiæ miniſterio addicti, in ſanctitate, & juſtitia illi ſerviant, & a reliquo populo ſegregati, præcipua quædam munera, & functiones in Eccleſia exequantur.

III. Quamquam autem ii, qui ad Sacerdotale munus aſſumun-

(1) Jo. c.3. v.17., & c.5. v.23. (2) Jo. c.10. v.22., & Matth. c.28. (3) Ad Hebr. c.5. v.4.

Digitized by Google

muntur, oneri ſubjiciantur Angelicis etiam humeris formidando; Ne tamen deſpondeant animos, neque deficiant, ſed in magnam erigantur ſpem futurum, ut cœleſtibus gratiæ donis adjuti, impoſito oneri ferendo ſint pares. In eorum enim anima ſanctificationis (1) gratiam Ordinis Sacramentum efficit, qua idonei, habileſque ad recte munere ſuo fungendum, ſacramentaque adminiſtranda reddantur. *Admoneo te*, inquit ad Timotheum (2) ſcribens Apoſtolus, *ut reſuſcites gratiam Dei*, *quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Et ſane, præter gratiæ ſanctificantis incrementum, quod ii, qui rite ordinantur, accipiunt, gratia quoque iis divinitus confertur, quam Sacramentalem vocant, jus videlicet ad gratias actuales, ut ajunt, obtinendas, quibus ad Eccleſiaſtica munia rite, utiliterque exercenda apti fiant. Aliam præterea gratiam hoc Sacramento tribui perſpicuum eſt, uti Catechiſmus Romanus (3) nos docet, præcipuam videlicet poteſtatem, quæ ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum refertur, in Sacerdote quidem plenam, & perfectam, ut qui Domini Noſtri Corpus, & Sanguinem unus poteſt conficere; in aliis vero inferiorum Ordinum Miniſtris majorem, minoremve, quo quiſque miniſterio ſuo magis, minuſve ad Altaris Sacramentum accedit. Ad hanc autem poteſtatem ſignificandam character ſpiritualis, qui nec deleri, nec auferri poteſt, rite ordinatis per hoc Sacramentum imprimitur. Quamobrem qui Ordinibus ſunt initiati, per interiorem quamdam notam, animæ impreſſam, ab aliis Fidelibus diſtinguuntur, divinoque arctius ſervitio mancipantur. Unde etiam illud fit, ut ſine gravi ſacrilegio (4) Sacramentum Ordinis iterari non poſſit.

(1) Trid. ſeſſ.23. c.3. (2) 2. ad Tim. c.1. (3) Catechiſm. Rom. de Sacram. Ordinis n.34. (4) Trid. loc. cit.

ARTICULUS II.

De variis Ordini. gradibus, materia, & forma.

CUM divina res ſit Sacerdotii Novæ Legis adminiſtratio, conſentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri poſſet (1), ut in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures eſſent, ac diverſi Miniſtrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deſervirent, atque ita diſtributi, ut qui jam Clericali Tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent: unde ex omnibus debita ſubordinatione unitis Eccleſiaſtica Hierarchia, quæ eſt caſtrorum acies ordinata, ex Epiſcopis, Presbyteris, ac Miniſtris compoſita conſtitueretur. *Ad hoc diſpenſationis divinæ proviſio*, uti appoſite ad Epiſcopos Galliæ ſcripſit S. Gregorius Magnus (2), *gradus diviſos, & Ordines conſtituit eſſe diſtinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordiæ fieret ex diverſitate contextio, & recte officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum.* Hos autem Ordines ſeptenario omnes numero, unoque univerſos Sacramento contineri, quod in Sacerdotio perficitur, & conſummatur, perpetua Catholicæ Eccleſiæ traditio Nos docet. Horum Ordinum nomina hæc ſunt *Oſtiarius*, *Lector*, *Exorciſta*, *Acolythus*, *Subdiaconus*, *Diaconus*, *Sacerdos*, atque eorum omnium munia eodem ſpectant, ut ſcilicet ab iis aut divinum Euchariſtiæ Sacrificium conficiatur, aut conficienti miniſtretur. Priores quatuor, quos recenſuimus, Ordines dicuntur *Minores*, *Majores* vero, & *Sacri* reliqui tres. Antequam vero quiſquam ad ullum Ordinem promoveatur, prima Tonſura initiari eum oportet, conſuetiſque ritibus Clericali militiæ adſcribi. Quare non abs re erit pauca hìc de ſingulis innuere, ut, qui in poſterum Ordines erunt ſuſcepturi, opportune a Nobis inſtituantur.

De

(1) Catechiſm. Rom. de Sacram. Ordinis n.11.

(2) S. Gregorius Magnus lib.4. ep.52. ad Epiſcopos Galliæ.

Digitized by Google

De prima Tonſura.

II. Quemadmodum homines Exorciſmis ad Baptiſmum, & Sponſalibus ad matrimonium præparari ſolent; ita iiſdem, cum tonſis ab Epiſcopo capillis Deo dedicantur, quidam veluti aditus ad Ordinis Sacramentum aperitur. Unde fit, ut prima Tonſura ſit quidem præparatio ad Ordines ſuſcipiendos, non tamen Ordo, & Sacramentum, quamobrem neque characterem imprimat, neque gratiam conferat, ſeu quam ſanctificantem, ſeu quam ſacramentalem vocant, neque ſacrilegii reum illum efficiat, qui lethali crimine ſordidus eadem initietur. Suis tamen non caret bonis, quibus illum, a quo ſuſcipitur, locupletet. Is enim, cum Eccleſiaſtica inſignitur Tonſura, 1. peculiari quadam ratione Divino Miniſterio, Eccleſiæque addicitur ſervitio. 2. habilis fit, atque idoneus, qui non modo ad Ordines Minores, Majoreſque gradatim aſcendat, verum etiam Eccleſiaſtica aſſequatur Beneficia. 3. demum duplici, fori videlicet, & Canonis, privilegio decoratur. Verum, dum tribus hiſce cumulatur bonis, ad tria quoque onera ſubeunda compellitur. Et primum quidem Clericalem Tonſuram, habitumque jugiter deferre jubetur. *Etſi habitus non facit Monachum*, inquit Tridentina Synodus (1), *oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes Ordini ſemper deferre, ut per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant*; & Sixtus V. peculiari ſua Conſtitutione ſic decrevit (2): *Præcipimus, & mandamus omnibus, & quibuſcumque Clericis, non ſolum in Sacris, ſed etiam in aliis Minoribus Ordinibus conſtitutis, & Clericali tantum Tonſura inſignitis, Tonſuram, & habitum Clericalem aſſumere, & jugiter deferre.* 2. quemadmodum Laicales deponens veſtes, Clericales aſſumit; ita veterem exuens hominem, induere novum debet; & cum propter ipſum vitæ, quod amplectitur, genus, Chriſti eſſe Miniſter incipiat, carnem ſuam cruci-

(1) Trid. ſeſſ.14. de ref. c.6.

(2) Sixtus V. Conſt.92. de habitu, & tonſura Clericali.

cifigere eum oportet cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis. 3. Eccleſiæ illi, cujus ſervitio in ſui ordinatione ſecundum Tridentinæ Synodi, & Concilii Romani ſanctiones adſcribitur, fideliter, jugiterque deſervire jubetur.

III. Quamquam non divinæ, ſed Eccleſiaſticæ ſit inſtitutionis Tonſura; ejus tamen uſum invectum in Eccleſiam a vetuſtiſſimis temporibus fuiſſe, cum communi Patrum, ac Theologorum ſententia docent Concilii (1) Aquiſgranenſis Patres. Quamobrem vetuſtiſſimi ſunt, ſedulaque meditatione digniſſimi, ac pleni myſteriis ritus, qui in ea conferenda adhibentur. Æquum igitur, rectumque eſt, ut qui eadem initiari velint, iis omnibus ſint inſtructi, quæ tum ad validam, tum ad licitam ejuſdem ſuſceptionem requiruntur. Ad eam autem valide recipiendam neceſſe eſt. 1. ut initiandus vir ſit, & non mulier. 2. ut ſacro ſit lavacro regenerationis ablutus. 3. ut uſu rationis polleat. 4. ut prima initiari tonſura velit, ac intendat. Ad licitam vero ſuſceptionem requiritur 1. (2) ut ſit Confirmationis Sacramento munitus. 2. ut ſit ſeptennio major. 3. ut probe ſit Fidei rudimentis imbutus. 4. ut legere, & ſcribere ſciat. 5. ut irregularitate, aut alio canonico impedimento non ſit irretitus. 6. ut ab eo, non Sæcularis Judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem præſtet cultum, hoc vitæ genus eligatur. Quicumque igitur prima Tonſura initiari poſtulat, per menſem ante Ordinationis tempus in Noſtra Cancellaria una cum ſupplici libello authentica proferat documenta, e quibus conſtet, nihil ſibi deeſſe, quo minus valide, liciteque initietur. Quod quidem ſervari etiam volumus, ac decernimus ab iis omnibus, qui vel ad minores, vel ad majores Ordines erunt promovendi. Elenchum autem requiſitorum, ad quæ probanda proferri debent in medium authentica documenta, dabimus tum pro prima Tonſura, tum pro minoribus, ac majoribus Ordinibus in fine hujus capitis.

IV. Ii

(1) Concil. Aquiſgran. ann.816. lib.1. cap.1. (2) Trid. ſeſſ.23. c.4. de ref.

IV. Ii vero, qui per Tonſuram, qua initiantur, Clerici fiunt, audiant, ſerioque perpendant, quæ S. Hieronymus ad Nepotianum (1) ſcribit: *Clericus, qui Chriſti ſervit Eccleſiæ, interpretetur primo vocabulum ſuum, & nominis definitione prolata, nitatur eſſe, quod dicitur. Si enim Cleros Græce, ſors latine appellatur, propterea vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, ideſt pars Clericorum eſt: qui autem vel ipſe pars Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, ut & ipſe poſſideat Dominum, & poſſideatur a Domino. Qui Dominum poſſidet, & cum Propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt. Quod ſi quidpiam aliud habuerit præter Dominum, ex. gr. ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem; cum iſtis partibus Dominus pars ejus fieri non dignabitur.*

De Minoribus Ordinibus.

V. Qui Minores dicuntur Ordines, non eo donantur nomine, quod leve aliquid ſint, minimoque habendi in pretio (cum enim juxta communem Theologorum ſententiam, rationem habeant Sacramenti (2), ac rite ſuſcipientibus non modo una cum Sacramentali, gratiam conferant ſanctificantem, ſed etiam in eorum anima indelebilem imprimant characterem, jam terrenas quaslibet dignitates, atque honoris prærogativas longe antecellunt;) ſed quod cum majoribus, ſacriſque Ordinibus comparati, neque ad divina tam prope accedunt Myſteria, neque ad ſolemne perpetuæ caſtitatis votum obligant, neque Sacra unctione, aut Conſecratione, aut manuum impoſitione conferuntur. Quamobrem quicumque ad hos promovendi ſunt Ordines, iis inſtructos eſſe dotibus oportet, quæ ad ſacras eorum functiones rite exercendas requiruntur, ut ad majores poſtea Ordines aſſequendos digne ſe, utiliterque diſponant. Optimo proinde conſilio

(1) S. Hieronymus epiſt. 2. ad Nepotianum.

(2) S. Th. in 4. diſt. 24. qu. 2. art. 1. quæſtiunc. 3., & in ſupplem. 3. par. qu. 37. art. 2., S. Bonaventura in 4. diſt. 24. art. 2. qu. 4., Bellarminus lib. 1. de Sacram. Ord. cap. 7., aliique communiter Doctores.

Digitized by Google

ſilio Tridentina Synodus (1) decrevit, ut Minores Ordines iis, qui ſaltem linguam latinam intelligant, per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videatur, conferantur; ut accuratius, quantum ſit hujus diſciplinæ pondus, edoceantur, ac in unoquoque munere juxta præſcriptum Epiſcopi ſe exerceant in ea, cui adſcripti erunt, Eccleſia, niſi forte ex cauſa ſtudiorum abſint, atque ita de gradu in gradum aſcendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina major accreſcat; quod & bonorum morum exemplum, & aſſiduum in Eccleſia miniſterium, atque major erga Presbyteros, & Superiores Ordines reverentia, & crebrior, quam antea, Chriſti Corporis communio maxime comprobabunt: Cumque hinc ad altiores gradus, & ſacratiſſima Myſteria ſit ingreſſus, nemo iis initietur, quem non ſcientiæ ſpes majoribus Ordinibus dignum oſtendat.

VI. *Cum mens Chiſto dedita*, ut inquit S. Hieronymus (2), *æque & in majoribus, & in minoribus intenta eſſe debeat, ſciens etiam pro otioſo verbo reddendam eſſe rationem*; Diligenter curabimus, ut nemo poſthac a Nobis ad Minores Ordines promoveatur, niſi eum & vitæ probitas, & ſufficiens pro ratione Ordinis ſuſcipiendi litteratura commendet, & niſi in ea Eccleſia, cujus ſervitio a Nobis in Ordinatione adſcribetur, ſedulo, fideliterque inſervierit, ac in ſuis Ordinibus alacriter miniſtraverit. Sic enim fiet, ut in probitate, doctrina, atque Eccleſiaſtico Miniſterio diu verſati, paratiores ad Sacros Ordines ſuſcipiendos, iiſque rectius adminiſtrandis aptiores a Nobis inveniantur. *Qui enim bene miniſtraverint*, ut inquit Apoſtolus (3), *gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu*. Quilibet igitur Clericus alicui Eccleſiæ a Nobis adſcriptus, ubi Ordinis a ſe ſuſcepti functiones obeat (4), memor complurium Sanctorum, qui vel toto vitæ tempore, vel multis ſaltem annis in alicujus etiam

(1) Trid. ſeſſ.23. c.11. de ref.
(2) S. Hieronym. ep.3. ad Heliodorum.
(3) 1. ad Timoth. c.3. v.13.
(4) Concil. Mediol. V. part.3. tit.3. de initiandis Ord. Sacram.

etiam minoris Ordinis Miniſterio, aut munere religioſe verſati ſunt, eorum recordatione, exemploque excitatus, illud ſedulo curet, atque efficiat, ut Ordinis, quo proxime initiatus eſt, præſcriptas functiones non elate, ſed humiliter, non raro, ſed frequenter, non negligenti ſtudio, ſed accurata, vereque Clericali ſollicitudine, & diſciplina, pie, rite, recteque exerceat. Alioqui ſi in ſanctis his functionibus negligenter, ac male ſe geſſerit, illud norit, eo voluntatis ſuæ teſtimonio ſibi apud Nos aditum præcludi, ut ad altiorem gradum promoveatur.

De Oſtiariatu.

VII. Poſt primam Tonſuram ad Oſtiarii Ordinem primus gradus fieri conſuevit. Oſtiarii autem ſunt (1), qui in veteri Teſtamento *Janitores Templi* vocabantur, qui præerant portis Templi Jeruſalem, quique ordinati per vices ſuas omnia interiora Templi, atque exteriora cuſtodiebant. Idem igitur & nomen, & munus nunc quoque manet, ſed longe ſanctius, atque excellentius, quemadmodum ſanctiora, & auguſtiora ſunt Templa, in quibus nunc ſub Euchariſticis ſpeciebus Deus noſter vere abſconditus nobiſcum habitat uſque ad conſummationem ſæculi. Ordinato enim poteſtas datur Eccleſiam cuſtodiendi, & in illam quidem dignos admittendi, arcendi vero indignos, quibus ab Eccleſiaſtica Poteſtate aditus eſt intercluſus. Hinc materia remota hujus Ordinis ſunt claves, ex quacumque tandem materia conflatæ, dummodo ad aperiendum, & claudendum ſint aptæ; materia proxima eſt earum traditio; forma denique ſunt ea verba, quæ ab Epiſcopo, dum claves tradit, proferuntur: *ſic age, quaſi Deo redditurus rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.* Quod autem Oſtiarius in ſui ordinatione tintinnabulum quoque pulſare jubeatur; id ex eo fit, quia poteſtas etiam ei confertur, populum non minus campanarum ſonitu ad Eccleſiam convocandi, quam per tintinnabuli pulſum admonendi, ut Euchariſtiam,

Eeeee cum,

(1) Conc. Aquiſgran. ann.816. lib.1. cap. 2.

Digitized by Google

cum in Miſſæ Sacrificio a celebrante in altum attollitur, ea, qua par eſt, reverentia veneretur.

VIII. Functiones ab Oſtiario vi ſui Ordinis exercendæ, ſic eidem ab Epiſcopo Ordinante indicuntur (1): *Videte, quæ in domo Dei agere debeatis. Oſtiarium oportet percutere cymbalum, & Campanam, aperire Eccleſiam, & Sacrarium, & librum aperire ei, qui prædicat. Providete igitur, ne per negligentiam veſtram illarum rerum, quæ intra Eccleſiam ſunt, aliquid depereat, certiſque horis domum Dei aperiatis Fidelibus, & ſemper claudatis Infidelibus.* Quæ quidem miniſteria, licet a Laicis fere ſemper exerceri videamus, non tamen ab iis ex officio, ac poteſtate fiunt, quemadmodum ab Oſtiariis fierent, ſi ab iiſdem exercerentur. Neque vero vilia eſſe ejuſmodi miniſteria quiſquam putet: *Quæ enim per ſe vilia ſunt*, ut Sancti Leonis utamur verbis, *fides efficit pretioſa*. Regi enim Regum, ac Domino Dominantium, cui ſervire regnare eſt, famulantur ii, qui in Domo Dei his occupationibus detinentur. Accedit huc, quod eas Salvator Noſter, cum mortalis verſaretur in terris, exercuit, exemploque ſuo quodammodo conſecravit. Sic enim in Evangelio (2) ſcriptum eſt. *Cum introiſſet in Templum, cœpit ejicere vendentes, & ementes in templo, & menſas nummulariorum, & Cathedras vendentium columbas evertit. Et non ſinebat, ut quiſquam transferret vas per Templum.* Cum autem Oſtiarium oporteat indignos, videlicet Hæreticos, Infideles, excommunicatos vitandos, ac publice interdictos aut e Templo ejicere, aut ejuſdem aditu prohibere, imo & Fideles ipſos in officio continere, ne in Eccleſia quidquam ab iis fiat, quod a loci religione alienum videatur; is cavere potiſſimum debet, ne in ſuo explendo munere nimiam auſteritatem induat, & Chriſtianæ manſuetudinis obliviſcatur. Nam, uti monet S. Hieronymus (3), nihil eſt fœdius præceptore furioſo, qui, cum debeat

(1) Pontificale Romanum in Ordine Oſtiar.

(2) Marci cap.11.

(3) S. Hieronymus in cap.1. epiſt. ad Titum.

beat eſſe manſuetus (ſcriptum eſt enim: ſervum Domini non oportet rixari, ſed humilem eſſe ad omnes, doctorem patientem, in manſuetudine erudientem eos, qui contra veniunt); *ille e diverſo, torvo vultu, trementibus labiis, rugata fronte, effrænatis conviciis, facie inter pallorem, ruboremque variata, clamore perſtrepat, & errantes non tam ad bonum revocet, quam ad malum ſua ſævitia præcipitet.*

De Lectoratu.

IX. Proximus Oſtiariis eſt Lectorum gradus. Horum eſt officium Novi, Veteriſque Teſtamenti libros in Eccleſia, clara, diſtinctaque voce perlegere, præſertim vero eos, qui in nocturna Pſalmodia Pſalmis interſeruntur, & qui in Miſſæ Sacrificio Sabbatis quatuor temporum, Sabbato Sancto, aliiſque ab Eccleſia præſcriptis diebus legi ſolent. Ad eos quoque pertinet (1) Antiphonas in Choro præcinere; Dominicis diebus doctrinam Chriſtianam in ea Eccleſia, cui adſcriptus eſt, aut in alio loco, qui ſibi deſtinetur a Parocho, pueros edocere; concionanti, cum opus eſt, de libro legere; Epiſcopi edicta, aut Litteras Paſtorales populo recitare &c. Hæc autem peragendi poteſtas iis per hunc confertur Ordinem, cujus proinde materia remota eſt liber, in quo Sacræ Lectiones ſive Novi, ſive Veteris Teſtamenti continentur; proxima ejuſmodi libri traditio; forma tandem ſunt hæc verba, quæ Epiſcopus librum tradens pronunciat: *Accipite, & eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter, & utiliter impleveritis officium veſtrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene miniſtrarunt ab initio.*

X. Lectoris munus ipſe Salvator Noſter exercuit. Ingreſſus enim in Synagogam *ſurrexit legere*, uti habemus in Evangelio (2), *& traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ, & ut revolvit librum, invenit locum, ubi ſcriptum erat: Spiritus Domini ſuper me &c. Et cum plicuiſſet librum, reddidit Miniſtro, & ſedit; & omnium in Synagoga*

Eeeee 2

(1) Statuta Johannis Bonhomii Vercellenſis Epiſcopi.

(2) Lucæ c.4. v.16., & 17.

Digitized by Google

goga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere &c. Videant ergo Lectores, quanto cum religionis ſenſu ſuum obire debeant miniſterium, & quantam, ſi illud rite obeant, a Deo polliceri ſibi merito poſſint retributionem. Quamobrem qui ad Lectoris provehitur gradum, ſenſuum, ac verborum ſcientia ſit præditus, itaut ſententias diſtinguat, & ſciat, ubi finiatur orationis membrum, ubi pendeat oratio, ubi ſententia extrema claudatur. Vim pronunciationis teneat, & pronunciationum genera diſcernat. Accentuum quoque vim calleat, ut noverit, in qua ſyllaba vox pronunciantis protendi debeat. Plerumque enim imperiti Lectores in verborum accentibus errant, eorumque imperitiam irridere ſolent ii, qui ea, quæ leguntur, intelligunt, jurantes, Lectorem ſummo cum Ordinis ſui dedecore penitus neſcire, quod legit. Ad hæc illud etiam accedat, ut quod ore legunt, corde credant, atque opere compleant: Sic enim Auditores ſuos verbo pariter, & exemplo, ut par eſt, edocebunt. *Dum legitis*, ſic Lectores in Ordinatione hortatur Epiſcopus (1), *in alto loco Eccleſiæ ſtetis, ut ab omnibus audiamini, & videamini, figurantes poſitione corporali, vos in alto virtutum gradu debere converſari, quatenus cunctis, a quibus audimini, & videmini, cæleſtis vitæ formam præbeatis.*

De Exorciſtatu.

XI. Unigenitus Dei Filius, qui exinanivit ſemetipſum formam ſervi accipiens, *ut opera (2) diaboli diſſolveret*, & nos ab ejus ſervitute liberaret, non modo mirum in Dæmones, quamdiu in terris vixit, exercuit imperium, verum etiam, antequam reverteretur ad Patrem, Sacramentum Ordinis inſtituit, quo Miniſtris ſuis illud rite ſuſcipientibus poteſtatem confert manus ſuper Energumenos imponendi, legendique exorciſmos, quorum ope, ac vi a corporibus eorum, qui ab immundis ſpiritibus obſidentur, tenebrarum rectores, ac poteſtates, ſi Deo placuerit, ejician-

(1) Pontif. Rom. in ordinat. Lector. (2) 1. Joa. c.3. v.18.

Digitized by Google

ciantur. Quare Epiſcopus, cum eos inſtituit, librum, in quo Exorciſmi continentur (hic liber eſt materia remota) eis porrigit (hæc traditio eſt materia proxima) ea verborum formula uſus: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem manus imponendi ſuper Energumenos, ſive Baptizatos, ſive Catechumenos.* E quibus verbis illud manifeſte eruitur, Exorciſtas non poſſe ſuper eos Energumenos manus imponere, qui neque baptizati ſint, neque Catechumeni, quemadmodum legere ſuper baptizandos nequeunt exorciſmos illos, qui, antequam baptiſmus conferatur, a Sacerdote legi ſolent, ac debent: ii enim ad poteſtatem Dæmonis coercendam pertinent, quam hoſtis teterrimus non in corpus, ſed in animam baptizandi non infrequenter exercet.

XII. Exorciſtarum munus eſt 1. *ut ſint* (1) *ſpirituales Imperatores ad Dæmones per impoſitionem manuum, & oris officium de corporibus obſeſſis abjiciendos.* 2. *ut nuncient iis, qui non communicant, locum dent communicantibus.* 3. *ut aquam fundant in miniſterio*, videlicet ut abluendis poſt offertorium Sacerdotis celebrantis manibus aquam affundant; ut curent (2), ne umquam in vaſis aqua benedicta deficiat, utque ea in tempore renovetur, & a Sacerdote benedicatur; ut ejus benedictioni aſſiſtant, aut miniſtrent, & aquam ad benedictionem parent, vaſis ipſis primum bene lotis, ac diligenter abſterſis; ut, cum Baptiſmus miniſtratur a Parocho, eorum aliquis adſit, ſal ipſi in tempore exhibiturus, ac librum, de quo exorciſmos legat, ante illius oculos ſuſtentaturus. Neque vero ſtatim ac quis ad Exorciſtatus Ordinem promotus eſt, exorciſmos ſe legere poſſe ſuper energumenos arbitretur, tum quia hodie propter refrigeſcentem Clericorum charitatem exorcizandi officium nonniſi Sacerdotibus committi tuto poſſe videtur, tum quia ad hoc exercendum munus, præter poteſtatem, quæ in Ordinatione recipitur, Epiſcopi quoque facultas accedat oportet. Nos autem volumus, decernimus, ac mandamus, ne ullus

(1) Pontif. Rom. in ordin. Exorc. (2) Statuta Johannis Bonhomii Vercellenſis Epiſcopi.

Digitized by Google

lus in tota Noſtra Diœceſi (1), ſive Exorciſta, ſive Sacerdos, ſive Sæcularis, ſive Regularis, ſive in ſua, ſive in aliena Eccleſia, ſive intra, ſive extra Cœnobium exorcizare audeat, quin prius approbatus a Nobis ſit, & exorcizandi licentiam in ſcriptis obtinuerit. Per Nos vero nonniſi iis Sacerdotibus ejuſmodi facultas fiet, qui probitate, prudentia, doctrinaque plurimum commendentur. Tunc enim recte Exorciſta Dæmonibus imperat, cum prius in ſe multimodam eorum nequitiam Chriſtiana virtute fregerit, ac ſuperaverit. *Credite mihi experto*, inquit S. Athanaſius (2), *pertimeſcit Satanas recte viventium vigilias, orationes, jejunia, ac præſertim cordis puritatem, ſincerumque erga Chriſtum amorem.*

XIII. Ut autem, cum opus fuerit, hoc exorcizandi munus Sacerdotes a Nobis deputati ſancte, religioſeque obeant, perbrevem ſubnectere hic juvat Inſtitutionem ab ea excerptam, quam Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtaurator S. Carolus Borromæus (3) in ſua Diœceſi, ac Provincia munus hoc obeuntibus ſervandam propoſuit. Nulli Sacerdoti, Clericove aut Sæculari, aut Regulari in Noſtra Diœceſi exorciſmum energumenis adhibere liceat, niſi is exorcizandi facultatem ſcripto exaratam a Nobis impetrarit. Antequam autem exorcizare aggrediatur, perquirat in primis energumeni, aut energumenæ vitam, ac mores; tum actiones exploret; ac ſi id expedire videatur, Medicum etiam conſulat, ut videat, an quod ab iis agitur, fiat morbi alicujus, aut atræ bilis vi; an ſponte, ac ſimulate; an denique dæmonis, malorumque ſpirituum vexatione. Percontetur etiam, an Energumenus excommunicationis vinculo irretitus umquam fuerit, & an abſolutus ab eadem ſit. Pro exorcizandi munere ne minimum quidem munuſculum capiat: non illud in ædibus laicalibus, locisve privatis exerceat, ſed in Eccleſiæ aperto, & conſpicuo loco, & in iis ſolum Eccleſiis, quæ præ-

(1) Benedictus XIV. epiſt. encycl. ad Primatem, Archiepiſcopos, atque Epiſcopos Poloniæ. 2. Junii 1751.

(2) S. Athanaſius in Vita S. Antonii Abbatis.

(3) Concil. Mediol. IV. par. 2. tit. 1.

præſcriptæ a Nobis fuerint; neque in conſpectu multitudinis, ſed coram viris honeſtis, atque ætate gravibus, & uno ſaltem, aut duobus Eccleſiaſticis hominibus. Cum exorciſmum Mulieri Energumenæ adhibet, id præſtet coram duobus ætate, ac vita probatis viris, probatiſque etiam fœminis, iiſque omnibus, ſi fieri poſſit, energumenæ conſanguineis, aut affinibus: Alios autem adeſſe viros, præter unum Eccleſiaſtici Ordinis hominem, omnino non patiatur. Neque ante ortum, neque poſt occaſum Solis, neque duos ſimul, ſed unumquemque ſeorſim exorcizet. In hujus muneris functione graviter, pie, ac religioſe ſe gerat. Pridie illius diei, quo exorciſmis eſt uſurus, ſe jejunio, & oratione muniat. Tum Sacramentali Confeſſione expiatus, ſi commode poſſit, Sacris operetur. Poſt Miſſæ Sacrificium, memor poteſtatis, quam a Domino accepit, expellendi Dæmones, magna cum humilitate, ac fide ad id munus obeundum accedat. Energumenos quoque hortetur, ut omnis anteactæ vitæ peccata, poſt exactam conſcientiæ diſcuſſionem, confiteantur, antequam exorcizari incipiant. Eos etiam moneat, ut orationi, ſanctiſque meditationibus, ac piis operibus vacent; religioſas Eccleſias, ubi Sanctorum aſſervantur reliquiæ, certis diebus pie viſitent, jejunia, ſexta præſertim feria, religioſe amplectantur. Caveat, dum exorcizat, ne energumenæ capiti, corporive, niſi cum honeſtate, & cautela, manum imponat, neve aliis exorciſmis, precibus, aut ritibus ad id munus utatur, niſi in Exorciſmorum libro præſcriptis, quibus nihil addere, aut detrahere, aut mutare audeat.

De Acolythatu.

XIV. Quartum, ac digniorem inter Minores Ordines locum tenet Acolythatus, per quem duplex ſuſcipienti[illegible]is hunc Ordinem confertur poteſtas, una videlicet accendendi, geſtandique accenſa luminaria in Eccleſiaſticis functionibus, altera urceolos aqua, vinoque plenos ad Subdiaconum in Miſſa ſolemni miniſtrantem afferendi. Ad hanc autem duplicem ſignificandam, confe-

conferendamque poteſtatem, duplicem ei, qui in hunc Ordinem cooptatur, Epiſcopus materiam tradit, duplicique utitur forma. Et primum quidem candelabrum cum extincto cereo ei præbet dicens: *Accipe ceroferarium cum cereo, & ſcias, te ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari*. Deinde vacuos urceolos eidem porrigens inquit: *Accipe urceolos ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti in nomine Domini*; quæ duæ ſane materiæ, ac formæ partiales, uti loquuntur Theologi, unam totalem materiam, formamque conſtituunt.

XV. Hæ autem ſunt, in quibus Acolythi verſari debent, functiones. Diaconum, & Subdiaconum ad miniſterium procedentes Acolythus (1) debet anteire, eiſque, prout res exigit, miniſtrare; candelas in altari accendere; in proceſſionibus accenſa luminaria ante Crucem deferre; urceolos aqua, vinoque plenos, & pelviculam pro Miſſæ Sacrificio præparare, ac Subdiacono in Miſſa ſolemni miniſtranti porrigere. Cum ad ſolemne Sacrum peragendum proceditur, duo Miniſtris reliquis præire debent Acolythi candelabra cum accenſis candelis præferentes; Diacono Evangelium legenti cum iiſdem ardentibus luminaribus aſſiſtere; cum Sanctiſſimum Chriſti Corpus in altum a celebrante effertur, ut adoretur a Populo, duas, aut etiam plures cereas accenſas faces flexis genibus ſuſtentare. Acolythorum quoque cura eſt acerram, ac thuribulum, ignemque præparare; Subdiacono, cum opus eſt, deſervire; Sacramentorum adminiſtrationi intereſſe; & celebranti Sacerdoti in omnibus, in quibus opus ſit, miniſtrare. Jam vero cum Acolythus præ reliquis Clericis ad Altare propius accedat, cumque in Eccleſia viſibile lumen circumferat; tot eum proinde, tantiſque decet Chriſtianarum virtutum exemplis coruſcare, ut Jeſu Chriſti (2), cujus typum in accenſo lumine geſtat in manibus, fidem geſtet in mente, confeſſionem in ore, imitationem in opere.

(1) Statuta Franciſci Bonhomii Epiſcopi Vercellenſis. (2) Petrus Bleſenſis.

De

De Majoribus, ſeu Sacris Ordinibus.

XVI. Reliqui tres, de quibus locuturi ſumus, Ordines eam ob cauſam *Majores* nuncupantur, quia majora eos ſuſcipientibus miniſteria committuntur, Sacerdoti videlicet poteſtas incruentum Deo offerendi Sacrificium, conficiendique ſub utraque ſpecie Eucharistiam; Diacono vero, & Subdiacono munus Sacerdoti, cum divina operatur Myſteria, proximius miniſtrandi. Dicuntur autem *Sacri*, tum quia adnexum iis eſt ſolemne caſtitatis votum, tum quia res Sacras, qui in his Ordinibus ſunt conſtituti, in ſuo explendo munere contrectant, tum quia per Sacrorum Ordinum ſuſceptionem homines Deo, diviniſque miniſteriis ſolemnius conſecrantur. Quare optime inquit Angelicus Doctor: *In Baptiſmate Chriſto, tamquam capiti noſtro; in Confirmatione, tamquam Duci; in Ordinatione, tamquam Legislatori, Summoque Pontifici conformamur.* Qui Sacris itaque initiantur Ordinibus, quemadmodum ad altiorem dignitatis gradum aſcendunt, ita probitatis, ac doctrinæ quodam quaſi aſcenſu, ac progreſſione antecellere alios debent. Ad tantum autem honoris faſtigium nonniſi ii ſunt aſſumendi (1), qui maxime digni fuerint, & quorum prior vita, omniſque ætas a puerilibus exordiis uſque ad perfectiores annos per diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtipendia laudabiliter acta, luculentum virtutum præbeat teſtimonium. *Melius enim eſt*, ut ſapienter inquit Benedictus XIV. (2), *pauciores habere Miniſtros, ſed probos, ſed idoneos, ſed utiles, quam plures, qui in ædificationem Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, nequidquam ſunt valituri.*

De Subdiaconis.

XVII. Primus in Majoribus Ordinibus gradus eſt Subdiaconorum. Hi Diaconis ad Altare operantibus deſerviunt; ſacra lintea, & vaſa, vinumque, & panem ad uſum Sacrificii parant; Sa-

Fffff cer-

(1) Trid. ſeſſ.6. de ref. c.1. (2) Benedictus XIV. Conſt. *Ubi primum*. edita 3. Dec. 1740.

Digitized by Google

cerdoti ſolemniter celebranti, dum inter ſacrificandum manus lavat, aquam infundunt; Epiſtolam in ſolemni ſacro elata, & canora voce recitant; prohibent etiam, ne quis Sacerdotem divinæ rei operam dantem interturbet; vaſa demum, & ſacra lintea, cum opus eſt, lavant. Ut autem iidem hæc obeundi miniſteria poteſtatem aſſequantur, de Epiſcopi manu in Ordinatione vacuum calicem, ac patenam accipiunt, ab Archidiacono vero urceolos vino, & aqua plenos, & cum his lebetem, ac linteolum, quo manus abſterguntur. Quibus ſic traditis, Epiſcopus inquit: *Videte, cujuſmodi miniſterium vobis traditur. Ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere poſſitis*. Poſtquam vero Epiſcopus eoſdem manu ſua ſacris veſtibus ſolemni ornavit ritu, dat illis Epiſtolarum librum dicens: *Accipite librum Epiſtolarum, & habete poteſtatem legendi eas in Eccleſia Sancta Dei tam pro vivis, quam pro defunctis*. Unde colligitur, duplicem eſſe remotam hujus Ordinis materiam, calicem videlicet vacuum cum vacua patena, ac Epiſtolarum librum; utriuſque vero traditionem eſſe materiam proximam; formam demum eſſe verba, quæ in traditione ab Epiſcopo proferuntur.

De Diaconis.

XVIII. Subdiaconis ſuperiores gradu ſunt, ac dignitate Diaconi, quorum nomen a Græca voce derivatum Latine *Miniſtrum* ſignificat. *Oportet enim Diaconum miniſtrare ad Altare, baptizare, & prædicare*, quemadmodum illos Epiſcopus (1) monet, cum ad Leviticum Ordinem ſunt provehendi. Diaconatus etiam *Leviticus Ordo*, Diaconi vero *Levitæ* a Tribu Levi, e qua Sacrorum Miniſtri in Veteri Lege petebantur, nuncupari ſolent. In Veteri enim Lege una Tribus Levi ex duodecim electa eſt, quæ Tabernaculo Dei, ejuſque Sacrificiis ritu perpetuo deſerviret, tantaque eidem conceſſa eſt dignitas, ut nullus, niſi ex ejus ſtirpe, ad divinum illum cultum, atque officium miniſtraturus

(1) Pontificale Romanum de ordinat. Diaconi.

Digitized by Google

turus aſſurgeret, ita ut grandi quodam privilegio eſſe Tribus Domini mereretur, ac dici. Levitarum nunc & nomen, & officium Diaconi habent, cum ad miniſterium Tabernaculi teſtimonii, ideſt Eccleſiæ Dei, in officio Levitico eliguntur. Quare ſic eos Epiſcopus, antequam conſecrentur, alloquitur (1): *Et vos, filii dilectiſſimi, qui ab hæreditate paterna nomen accipitis, eſtote aſſumpti a carnalibus deſideriis, a terrenis concupiſcentiis, quæ militant adverſus animam. Eſtote nitidi, mundi, puri, caſti, ſicut decet Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei, ut digne addamini ad numerum Eccleſiaſtici gradus; ut hæreditas, & Tribus amabilis Domini eſſe mereamini. Et quia Comminiſtri, & Cooperatores eſtis Corporis, & Sanguinis Domini, eſtote ab omni illecebra carnis alieni, ſicut ait Scriptura: Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Quibus ſane verbis perſpicue etiam edocentur, quanta animi, corporiſque munditie præditos eſſe oportet, ſi rite, recteque fungi munere velint ſuo.

XIX. Munus Diaconorum eſt, ut Epiſcopum perpetuo comitentur, concionantem cuſtodiant, ſacra facienti aſſiſtant, Sacramenta miniſtranti præſto adſint. Eorum quoque eſt in ſolemni Miſſa Evangelium alta voce, ut omnes audiant, recitare, & ſi Epiſcopus, ac Sacerdos abſint (de Epiſcopi tamen licentia) Evangelium Populo explanare: Sacerdoti item ſolemniter celebranti panem, vinumque porrigere debent conſecrandum, totoque Sacrificii tempore eidem ſedulo inſervire. Alia plura olim obibant munera, quæ nunc in deſuetudinem abierunt, inter quæ præcipuum illud erat, ut in iis Eccleſiis, in quibus Euchariſtia populo ſub utraque ſpecie diſtribuebatur, Diaconi ſanguinem miniſtrarent.

XX. Pluribus, & ſanctioribus cæremoniis, precibuſque Diaconi, quam Subdiaconi, ab Epiſcopo conſecrantur, & ſua obeundi munera accipiunt poteſtatem. Primum enim Epiſcopus ritu utens, quem Apoſtoli, cum primos Diaconos inſtituerent, uſur-

(1) Pontificale Romanum de ordinat. Diaconi.

Digitized by Google

uſurparunt, dexteram ſuper cujuſque eorum caput imponit dicens: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini*: Mox certis quibuſdam illos induit ſacrarum veſtium ornamentis. Tandem Evangeliorum volumen ſingulis tradens dicit: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini*.

De Presbyteris.

XXI. Supremus honore, ac poteſtate gradus eſt Sacerdotum, quos veteres Græco vocabulo *Presbyteros* appellarunt, quod latine *Seniores* ſignificat. Quemadmodum enim ſenibus, omnium prope gentium more, præcipuus ob gravitatem, prudentiæque opinionem honor tribuitur; ita divino hoc Sacerdotio præditis, quia antecellere omnes doctrina, vitæ integritate, & gravitate morum debent, hoc nomen, cui veneratio quædam debetur, indiderunt. Quamobrem ii non alio nunc, quam *Presbyterorum* nomine vocitantur. Porro Presbyteratus ille Ordo eſt, in quo Sacramentum Ordinis perficitur, & conſummatur; cujus dignitas omne humanæ amplitudinis culmen longe ſuperat; cujus poteſtas cœlum ipſum quodammodo attingit, cum per illum Sacerdos Mediator Dei, & hominum miro divinæ largitatis munere conſtituatur. Duplicem enim in ſui conſecratione Sacerdos ex alto accipit poteſtatem, primam videlicet in verum, alteram in Myſticum Domini Noſtri Jeſu Chriſti Corpus. Hinc Epiſcopus, cum Sacerdotem aliquem inſtituit, primum quidem manus ei una cum omnibus Sacerdotibus, qui adſunt, imponit: deinde ſtolam humeris aptans, eam ante pectus in Crucis formam collocat: poſtea manus ſacro oleo inungit: tum vero calicem cum vino, & patenam cum hoſtia tradit, dicens: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, Miſſaſque celebrandi tam pro vivis, quam pro defunctis*. Quibus ritibus, ac verbis, qui Sacerdotio initiatur, poteſtatem accipit conſecrandi panem, & vinum, ut per ejuſmodi

modi conſecrationem (1) converſio fiat totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini Noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus, & per hoc ſub viſibilibus ſignis Redemptor Noſter, qui in ara Crucis ſemel ſeipſum cruente obtulit, incruente immoletur. Tandem manibus (2) iterum ejus capiti impoſitis; *Accipe*, inquit Epiſcopus, *Spiritum Sanctum: quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt*; eique ſecundam, cœleſtem nimirum illam, quam Dominus Diſcipulis ſuis dedit, peccata retinendi, ac remittendi poteſtatem tribuit. Munus ergo Sacerdotum eſt rem divinam facere, Deo Sacrificium offerre, & Sacramenta omnia miniſtrare, præter Ordinem, & Confirmationem, quorum ſolis Epiſcopis credita eſt adminiſtratio. Presbyteratus Ordinem quoad poteſtatem conficiendi Corpus, & Sanguinem Chriſti Salvator Noſter in ultima cœna inſtituit, cum panem, & vinum in ſuum Corpus, & Sanguinem convertit, deditque Apoſtolis ſuis dicens: *Accipite, & comedite, hoc eſt Corpus meum: hoc facite in meam commemorationem*; quoad poteſtatem vero abſolvendi a peccatis Fideles inſtituit, cum poſt reſurrectionem apparens Diſcipulis ſuis in Cœnaculo congregatis, inſufflavit in eos dicens: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.*

ARTICULUS III.

De Miniſtro Sacramenti Ordinis.

Ordinarius Sacramenti Ordinis Miniſter ſolus eſt Epiſcopus. Is enim unus ex divina Inſtitutione, dum per ſolemnem conſecrationem Epiſcopali charactere inſignitur, una cum eo jus, ac poteſtatem accipit omnes tam minores, quam majores Ordines conferendi. Unde fit, ut, quemadmodum deleri character numquam poteſt, ita & hæc poteſtas, quæ, uti loquuntur

(1) Trid. ſeſſ. 13. cap. 4., & ſeſſ. 22. cap. 1., & 2.

(2) Catechiſm. Rom. de Sacram. Ordinis §. 25.

quuntur Theologi, in charactere radicatur, auferri, atque aboleri nullo modo poſſit. Quamobrem valida ſemper eſt, quæ ab Epiſcopo fiat, Ordinatio, etiamſi is Epiſcopatum depoſuerit, aut cenſura quacumque, ſeu irregularitate ſit irretitus, aut propter capitale facinus de gradu ſuo dejectus fuerit, aut etiam per ſummum ſcelus a Catholica Religione deſciverit. Proinde Tridentina Synodus (1) declaravit, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, eſſe Presbyteris ſuperiores, Sacramentum Confirmationis conferre, miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque peragere poſſe; quarum functionum poteſtatem reliqui inferiores Ordines nullam habent. Extraordinarius vero Miniſter quoad primam Tonſuram, ac Minores Ordines eſſe poteſt ex Apoſtolica diſpenſatione, ac privilegio ſimplex Sacerdos, uti patet in Abbatibus, quibus jus mitræ geſtandæ ſit, aut, qui territorium ſeparatum, ac in eo juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant: hi enim Monachis, aut ſubditis ſuis primam Tonſuram, ac Minores Ordines conferre poſſunt.

II. Quamquam ad validam Ordinationem ſufficiat, ut quis ab Epiſcopo ordinetur; ad licitam tamen præterea requiritur, ut ab Epiſcopo ſuo ad Ordines promoveatur. *Unuſquiſque a proprio Epiſcopo ordinetur*, (ita ſtatuit Tridentina (2) Synodus). *Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur, niſi ejus probitas, ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur. Si ſecus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, & Ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.* Quadrupliciter (3) autem poteſt quis eſſe Epiſcopi ſubditus, & ab eo, tamquam proprio, & ſuo, & valide, & licite ad omnes Ordines promoveri. 1. videlicet ratione *originis*, 2. ratione *domicilii*, 3. ratione

(1) Trid. ſeſſ. 23. c. 4.

(2) Trid. ſeſſ. 23. c. 8. de ref.

(3) Cap. *Cum nullus*. de temporib. ordinat. in 6., & Trid. ſeſſ. 23. cap. 9. de reformat.

Digitized by Google

tione *beneficii*, 4. demum ratione *triennalis cum Epiſcopo familiaritatis*, *ſeu commenſalitatis*, uti decernitur in Sacris Canonibus, ac Pontificiis Conſtitutionibus, ac præſertim in Conſtitutione Innocentii XII. (1), cujus exemplar in Appendice damus *num.* 27. Singula paucis, ut par eſt, perſtringamus.

III. Primo: Ut quis ratione *originis* ſubditus Epiſcopi ſit, & ordinari ab eo licite poſſit, requiritur (2), ut in ea Diœceſi naturaliter ortus ſit, in qua ad Ordines promoveri deſiderat, dummodo natus ibi non fuerit ex accidenti, occaſione nimirum itineris, Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ ejus Patris in illo loco; in quo caſu non fortuita ejuſmodi nativitas, ſed vera tantum, & naturalis Patris origo erit attendenda. Si quis autem tanto temporis ſpatio in eo loco, in quo ex accidenti natus eſt, moram traxerit, ut ibidem aliquo potuerit Canonico impedimento irretiri; tunc etiam ab ejus loci Ordinario obtinere litteras teſtimoniales debet, quibus ab omni Canonico impedimento ibidem contracto declaretur immunis, eaſque Epiſcopo Ordinanti exhibere, ut in Actis Curiæ ſuæ conſervari jubeat, earumque faciat in collatorum Ordinum teſtimonio mentionem. Quod ſi Pater in eo loco, in quo ex accidenti natus eſt filius, tamdiu, eoque animo permanſerit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit; tunc non Patris origo, ſed contractum ab eo domicilium pro Filii ordinatione attendi debet. Hæc tamen de filio legitimo procedunt: ſi enim illegitimus ſit filius, & ſuper defectu natalium quoad Ordines ſuſcipiendos diſpenſationem obtinuerit; tunc non Patris, ſed Matris attenditur origo: filii (3) enim illegitimi Matrem, ejuſque originem ſequuntur.

IV. Secundo: Ut quis ratione *domicilii* ſubditus Epiſcopi cenſeatur, ut quamquam alibi natus fuerit, ab eo tamen Ordines licite

(1) Innocentius XII. Conſt. *Speculatores*. edita 4. Nov. 1694.

(2) Conſt. *Speculatores*. §.9., & 10.

(3) L. *Cum legitime*. ff. de ſtatu hominum, L. *Municipem*. ff. de municip.

cite ſuſcipiat; domicilium adeo ſtabiliter (1) in aliquo loco conſtituiſſe debet, ut vel per decennium ſaltem in eo habitando, vel majorem rerum, ſuorumque bonorum partem cum inſtructis ædibus in hujuſmodi locum transferendo, ibique præterea per conſiderabile aliquod tempus commorando, ſuum perpetuo ibidem permanendi animum ſatis, ſuperque demonſtraverit; imo etiam ulterius in utroque caſu vere eum ſe animum habere jurejurando affirmet. Quod ſi a propriæ originis loco in ea ætate diſceſſerit, ut Canonico alicui impedimento obnoxius effici potuerit; teſtimoniales quoque Ordinarii ſuæ originis Litteras Epiſcopo domicilii exhibere debet; qui mox expreſſam earum mentionem in ſuſceptorum Ordinum atteſtatione faciet. Unde perſpicuum fit, eos, qui ſtudiorum cauſa in aliqua Academia commorantur, a qua abſoluto ſtudiorum curriculo ſunt diſceſſuri, & eos, qui ad aliquod tempus Reipublicæ cauſa in aliqua Regione verſantur, ab eorum locorum Epiſcopis ordinari non poſſe, quia vere in iis locis domicilii jus non habent. *In eodem loco*, ut in ipſo Jure Civili ſtatutum habemus, *ſingulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem, rerumque, ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit; unde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet; unde cum profectus eſt, peregrinari videtur; quod ſi redit, peregrinari jam deſtitit.*

V. Tertio: Quoad ſubjectionem *ratione beneficii* tria ſtatuit in laudata ſua Decretali Innocentius XII. Primum (2), ut nulli Ordinario, quamquam Cardinalitia dignitate conſpicuo, liceat aliquem, qui neque originis, neque domicilii ratione ſibi ſit ſubditus, ad Clericalem Tonſuram promovere ſub obtentu cujuſvis Eccleſiaſtici beneficii eidem conferendi, ſtatim ac Tonſura fuerit inſignitus, vel ad quod præſentatus a Patronis fuerit, etiamſi beneficium de novo ea lege fundatum ſit, ut quis poſt Clericalem ſuſceptam Tonſuram in ipſo inſtituatur. Deinde ut Clericus a proprio Epiſcopo ad Tonſuram, aut Minores Ordines legitime promo-

(1) Conſt. *Speculatores*. §.11., & 12. (2) Conſt. *Speculatores*. §.6., 7., & 8.

Digitized by Google

promotus, ad ulteriores Ordines promoveri ab alio Epiſcopo nequeat ratione beneficii in illius Diœceſi obtenti, niſi ante eorumdem ſuſceptionem teſtimoniales litteras proprii Epiſcopi tam originis, quam domicilii ſuper ſuis natalibus, ætate, moribus, & vita obtinuerit, eaſque Epiſcopo Ordinanti in Actis illius Curiæ conſervandas exhibuerit. Tandem ut, licet Clericus ratione beneficii in aliena Diœceſi obtenti ſubjici juriſdictioni dicatur illius Epiſcopi, in cujus Diœceſi ſitum eſt Beneficium; ab eo tamen Epiſcopo ordinari nequeat, niſi tot ſint Beneficii reditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, ſive juxta Taxam Synodalem, ſive, ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per ſe ſufficiant; ac niſi Beneficium ab Ordinando pacifice poſſideatur; ſublata quacumque facultate ſupplendi redituum defectum per patrimonii etiam pinguis adjectionem, quod Ordinandus ſive in illa, ſive in alia Diœceſi obtineret. Epiſcopus autem ſic Ordinans tam de prædictis teſtimonialibus litteris, quam de beneficii reditu expreſſam in conſueta collatorum Ordinum atteſtatione mentionem facere jubetur.

VI. Quarto: Quoad triennalem cum Epiſcopo familiaritatem, & commenſalitatem, duo item ſtatuit idem Pontifex (1) 1. ut nullus Epiſcopus Familiarem ſuum, qui non ſuæ ſit Diœceſis, ad Sacros, aut Minores Ordines, aut etiam primam Tonſuram promovere audeat ſine Teſtimonialibus (2) Epiſcopi originis, aut domicilii litteris, & niſi juxta legem Tridentini Familiarem prædictum per integrum, completumque triennium in ſuo actuali ſervitio ſecum retinuerit, ſuiſque ſumptibus aluerit. 2. ut idem Epiſcopus beneficium ad vitam ſuſtentandam juxta ſuperius dicta ſufficiens, ſaltem intra terminum unius menſis a die habitæ Ordinationis reipſa illi conferat, ac in Ordinationis teſtimonio expreſſam tum familiaritatis, tum Litterarum prædictarum faciat mentionem. Hac facultate ordinandi triennales familia-

(1) Conſt. *Speculatores*. §.13. (2) Trid. ſeſſ.23. c.9. de ref.

miliares ſuos minime gaudere Titulares Epiſcopos, expreſſe decrevit Tridentina Synodus (1), ubi inquit: *Nemo Epiſcoporum, qui Titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Diœceſis, etiam exempto, aut aliquo Monaſterio cujuſvis Ordinis reſederint, aut moram traxerint, vigore cujuſvis privilegii ſibi de promovendo quoſcumque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ, abſque ſui proprii Prælati expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſoriis, ad aliquos Sacros, aut minores Ordines, vel primam Tonſuram promovere, ſeu ordinare valeat.*

VII. Ab alieno Epiſcopo ordinari licite poteſt is, qui Epiſcopi ſui litteras, quas dimiſſorias vocant (2), obtinuerit, vel ad illum Epiſcopum, vel ad quemlibet Catholicum Antiſtitem directas; quibus facultatem det, ut eidem ab iis Ordines conferantur. Sed in hoc etiam caſu ſervanda ſunt ea, quæ Innocentius XII. in laudata ſua Conſtitutione præſcripſit. Has dimiſſorias, Epiſcopali Sede vacante, Vicarius Capitularis concedere infra annum a die vacationis nequit, niſi iis, qui beneficio vel recepto, vel recipiendo arctantur: Si ſecus fiat, Vicarius Capitularis Eccleſiaſtico ſubjacet interdicto; promoti ad minores Ordines nullo Clericali privilegio, præſertim in criminalibus, gaudent; promoti vero ad Majores ab Ordinum ſuſceptorum executione ad futuri Prælati beneplacitum ſunt ipſo jure ſuſpenſi, uti Tridentina Synodus (3) ſtatuit, quæ, licet de Capitulo loquatur, de Capitulari Vicario eſt intelligenda. Cum enim Capitulum infra octo dies ab Epiſcopi deceſſu conſtituere Vicarium (4) debeat; jam, eo electo, non per ſeipſum, ſed per Vicarium (5) dumtaxat concedere dimiſſorias poteſt tam arctatis intra annum, quam non arctatis poſt annum a prima vacationis die. Capitularis enim Vicarius non cumulative, ſed privative (6) quoad Capitulum

(1) Trid. ſeſſ.14. c.2. de ref.

(2) Cap. *Nullus*. de temporibus ordinationum in 6.

(3) Trid. ſeſſ.7. c.10. de ref.

(4) Trid. ſeſſ.24. c.16. de ref.

(5) Sac. Cong. Epiſcop., & Regul. in Neapolitana 12. Jan. apud Ferraris.

(6) Sac. Cong. Epiſcop. in Neritonen. 17. Septemb. 1655., & in Hydruntina 1. Octob. 1655.

lum acceptam juriſdictionem exercet; neque in ipſa Vicarii electione Capitulum reſervare ſibi aliquid poteſt, aut electi poteſtatem limitare, uti Sacra Epiſcoporum, ac Regularium Congregatio (1) perſæpe declaravit. Arctatus autem beneficio recepto cenſetur is, qui beneficium obtinet, perſonale requirens ſervitium, propter quod de Jure, aut conſuetudine, aut Eccleſiæ ſtatuto intra annum promoveri ad aliquem Ordinem debeat. Sic qui ad Parœciale beneficium aſſumitur, intra annum ad Sacerdotium (2) eſt promovendus; & qui Canonicatum habeat (3), aut dignitatem, cui aliquis ſit adnexus Ordo, ad illum intra annum aſcendere cogitur. Arctatus vero beneficio recipiendo ille eſt, qui jus habet, ſeu vocatus eſt ad beneficium vacans, quod certum Ordinem requirit, quo ille caret. Huic enim concedere Vicarius Capitularis (4) poteſt dimiſſorias ad eum Ordinem recipiendum.

VIII. Prælati quoque Regulares concedere Subditis (5) ſuis Regularibus poſſunt dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos. Controverſum tamen diu fuit, utrum ad Epiſcopum eorum originis, an ad Epiſcopum eorum domicilii dimiſſorias litteras dare deberent, an potius ad quemlibet Catholicum Antiſtitem, uti Regulares contendebant, dare poſſent? Sacra Congregatio Concilii decreto edito controverſiam diremit, ejuſque Decretum Clemens VIII. (6) per hæc verba Apoſtolica Auctoritate confirmavit: *De mandato SS. D. N. Clementis Divina Providentia Papæ VIII. tenore præſentium mandatur omnibus, & ſingulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cætero obſervent, & obſervari faciant, quæ in Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini continentur,*

Ggggg 2 *cujus*

(1) Sac. Cong. Epiſcop. in Cajetana 20. Octob. 1587., in Brunduſina 16. Julii 1606., in Salernitana 16. Jun. 1628., in Tudertina 11. Dec. 1654., & in Venuſina 14. Nov. 1698.

(2) Cap. *Licet*. de elect. in 6.

(3) Trid. ſeſſ. 22. cap. 4. de reformatione, & ſeſſ. 24. c. 12. de reformatione.

(4) Trid. ſeſſ. 7. c. 10. de ref.

(5) Cap. *Abbates*. de privileg. in 6., Trid. ſeſſ. 23. de ref. c. 10.

(6) Clemens VIII. decreto edito 15. Martii 1596.

cujus tenor eſt talis. Congregatio Concilii cenſuit, Superiores Regulares poſſe ſuo ſubdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis Ordines ſuſcipere voluerit, Litteras Dimiſſoriales concedere, ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius Monaſterii, in cujus Familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis poſitus fuerit: & ſi Diœceſanus abſuerit, vel non eſſet habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, & dum ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria conceſſionem Dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus Diœceſanus, vel abſuturus, vel nullas habiturus eſſet Ordinationes: Verum cum a Superioribus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel Ordinationes non habente, Litteræ Dimiſſoriæ dabuntur, ab eis utique hujuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani Epiſcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam eſſe. Quod qui non fecerint, Officii, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ privationis, ac alias arbitrio ejuſdem SS. D. N. Papæ reſervatas pœnas incurrant. In quorum fidem &c. Datum Romæ die 15. Menſis Martii 1596.

IX. Cum vero Regulares ab hujuſmodi Clementini Decreti obſervantia eximi ſe putarent vigore Apoſtolici Privilegii, quod ſibi conceſſum eſſe affirmabant, ut a quolibet Catholico Antiſtite ordinari poſſent; Innocentius XIII., peculiari coacta Congregatione, ejuſque audito conſilio, Apoſtolicis litteris (1) declaravit, ad eximendos Regulares a Clementini Decreti obſervantia ſatis eſſe, ut ejuſmodi Apoſtolica Privilegia poſt Concilium Tridentinum conceſſa fuerint, quamvis præfato Clementino Decreto poſteriora non ſint, dummodo tamen directe conceſſa fuiſſe conſtet, non vero ex communicatione privilegiorum de uno in alium Ordinem derivata aſſerantur. Has autem Apoſtolicas Innocentii XIII. Litteras peculiari ſua Conſtitutione approbavit, confirmavitque Benedictus XIII. (2)

X. Tan-

(1) Innocentius XIII. Conſt. *Apoſtolici Miniſterii*. edita 30. Maii 1723.

(2) Benedictus XIII. Conſt. *In ſupremo*. edita 23. Sept. 1724.

Digitized by Google

X. Tandem Benedictus XIV. Decretalem (r) edidit, in qua cum totam controverſiarum ſeriem hoc ſuper negotio recenſuiſſet, & decreta omnia Prædeceſſorum ſuorum Pontificum confirmaſſet, roboraſſet, atque innovaſſet, duo addidit, quæ ſervari in poſterum tum ab Epiſcopis, tum a Regularibus omnino decrevit. Primum eſt, ut Superiorum Regularium dimiſſoriæ, quæ ideo ad alium Antiſtitem directæ fuerint, propterea quod Epiſcopus Diœceſanus extra Diœceſim commoretur, vel Ordinationem non ſit habiturus, nullius ſint roboris, & momenti, niſi illis juncta fuerit authentica atteſtatio Vicarii Generalis, vel Cancellarii, aut Secretarii ejuſdem Epiſcopi Diœceſani, ex qua conſtet, vel ipſum a Diœceſi abeſſe, vel Clericorum Ordinationem habiturum non eſſe proximo legitimo tempore per Eccleſiaſticas leges ad hunc effectum ſtatuto. Quod ſi aliquis Antiſtes Regularem virum in ſua Diœceſi proprium domicilium non habentem ſolis ipſius Superioris Dimiſſorialibus Litteris contentus, ſine adjuncta præfata atteſtatione in forma probante ad Ordines promovere præſumpſerit, decrevit, ac declaravit illum ipſo facto incurrere in pœnas Canonicas adverſus eos conſtitutas, qui alienum ſubditum legitimis Dimiſſoriis deſtitutum ordinaverint. Alterum, quod addidit circa aliquorum Regularium privilegia, eſt hujuſmodi. *Quemadmodum eorum Ordinum Regularium privilegia firma, & rata eſſe volumus, quibus ab Apoſtolica Sede reperitur indultum, ut eorum Alumni a quolibet Catholico Antiſtite ipſius Sedis gratiam, & communionem habente ordinari valeant, dummodo hujuſmodi privilegia poſt Tridentinum Concilium, & ipſis Ordinibus nominatim, atque directe, non autem per communicationem conceſſa fuerint; Ita porro omnia ſimilia privilegia, quæ aliis Ordinibus ante præfatum Concilium Tridentinum ab ipſa etiam Apoſtolica Sede, & ſub quibuſcumque tenoribus, & formis indulta ſint, vel etiam poſt ipſum Concilium non ipſis directe conceſſa, ſed per communicationem ad eos extenſa eſſe dicantur, iiſdem auctoritate, & tenore nulla, & irrita, omni-* que

(r) Benedictus XIV. Conſt. *Impoſiti nobis*. edita 3. Cal. Martii 1747.

que vigore, ac robore ad effectum, de quo agitur, penitus deſtituta, & vacua eſſe volumus, & ſtatuimus; decernentes hujuſmodi privilegia nequaquam poſt Concilium Tridentinum indulta cenſeri, niſi vel poſt ipſius Concilii confirmationem reipſa fuerint conceſſa, vel, quatenus antea conceſſa, & poſterius confirmata eſſe aſſerantur, hujuſmodi confirmationes in forma ſpecifica cum litterali veteris indulti inſertione, ejuſque expreſſa innovatione facta dignoſcantur, ac declarantes alterius generis confirmationes, quæ in forma communi nuncupantur, nemini ad præmiſſum effectum ullo pacto ſuffragari. Hujus Pontificiæ Decretalis, cujus exemplar damus in Appendice *num. 26.*, exactam obſervantiam Regularibus omnibus etiam, atque etiam commendamus; ex ea vero parte, quæ Nos reſpicit, nullo umquam tempore negligemus.

ARTICULUS IV.

De titulo ad Sacros Ordines ſuſcipiendos requiſito.

CUM non deceat, eos, qui divino miniſterio adſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere; ſancitum proinde eſt per Sacros Canones, atque Apoſtolicas Romanorum Pontificum Conſtitutiones, ut nemo ſine legitimo ſuſtentationis titulo ad Sacros Ordines promoveatur; ac, ſi ſecus fiat, tam Ordinans, quam Ordinatus graviſſimas ſubeant pœnas. Triplex autem eſſe poteſt ejuſmodi titulus, videlicet aut Eccleſiaſtici Beneficii, quod pacifice poſſideatur, aut patrimonii, quod ad honeſtam vitæ ſuſtentationem ſufficiat, aut Evangelicæ Paupertatis, cujus ſolemne emiſſum fuerit votum, dum Profeſſio Religioſa ederetur. De ſingulis pauca dicamus.

II. Ea a vetuſtiſſimis temporibus viguit lex, ut nemo Clericus fieret, niſi certæ alicui Eccleſiæ adſcriberetur, in qua ſacra obiret miniſteria, & ex cujus reditibus, atque oblationibus ſuſtentaretur. Hic eſt beneficii titulus, de quo loquimur, præ-

ter

ter quem non alium agnovit Eccleſia ante Concilium Lateranenſe III. ſub Alexandro III., in cujus can. 5. titulus patrimonii (1) ex benigna quadam diſpenſatione admitti primum cœpit, itaut ordinarentur etiam ii, qui de ſua, vel de paterna hæreditate congruum poſſent habere vitæ ſubſidium. Verum cum poſtmodum hic patrimonii titulus nimia facilitate ſoleret admitti, adeoque non ſine Eccleſiaſticæ Militiæ detrimento Clericorum numerus in immenſum augeretur; Tridentina Synodus (2) antiquam inſtaurare cupiens diſciplinam, ſtatuit, *ne quis deinceps Clericus Sæcularis, quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, niſi prius legitime conſtet, eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere....... Patrimonium vero, vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum.* Nos itaque neminem Sacro Subdiaconatus Ordine initiabimus, niſi ad titulum Eccleſiaſtici Beneficii, quod eidem honeſte alendo ſufficiat, cujus videlicet annui reditus, detractis oneribus, (non tamen Miſſarum (3): de Miſſarum enim onere, utrum detrahendum ſit, annon, Sacra Congregatio Concilii, re mature diſcuſſa, Ordinariorum conſcientiæ, & arbitrio reſervavit judicium: Nos autem illud in peculiari quolibet caſu, penſatis omnibus circumſtantiis, proferemus) juxta antiquiſſimam hujus Noſtræ Diœceſis taxam triginta ſex Romanorum ſcutorum ſummam conficiant. Quam quidem Taxam ſervari volumus, quoties beneficium in Noſtra Diœceſi ſitum ſit, aut ſi in aliena Diœceſi, non tamen continuam, perpetuamque reſidentiam expoſcat: ſecus, exigemus, ut Taxa ſervetur Diœceſeos, in qua ſitum eſt beneficium. In ea enim controverſia, utrum beneficii reditus præfiniendi ſint juxta Taxam vigentem in Diœceſi domicilii,

(1) Cap. *Epiſcopus*. de præbend.

(2) Trid. ſeſſ.21. c.2. de ref.

(3) Sac. Cong. Concil. in Ariminen. 17. Julii 1723., in Firmana Capellaniæ 14. Jan. 1708., Benedictus XIV. de Synodo lib.12. c.9. §.6.

cilii, an in Diœceſi, ubi eſt Beneficium? Sacra Congregatio Concilii (1) hanc ſemper adhibuit diſtinctionem: Si beneficium continuam, perpetuamque reſidentiam poſtulet, taxa ſervanda eſt præſcripta in Diœceſi, in qua ſitum eſt beneficium: ſecus ſervanda eſt Taxa Diœceſeos, in qua ſuum Beneficiarius habet domicilium. Hanc diſtinctionem ſuprema auctoritate confirmavit Innocentius XIII. in ſua Conſtitutione *Apoſtolici Miniſterii*, in qua §. 7. inquit: *Cum etiam juxta memoratam* Innocentii *XII. Conſtitutionem, ratione, ac titulo beneficii in aliena diœceſi obtenti non aliter liceat Ordines ab Epiſcopo ejuſdem Diœceſis ſuſcipere, quam ſi beneficium prædictum ſit ejus reditus, ut ad congruam vitæ ſuſtentationem, detractis oneribus, per ſe ſufficiat; declaramus, ſufficientiam ejuſmodi præfiniendam eſſe non juxta Taxam Synodalem, ſive morem pro promovendis ad Sacros Ordines vigentem in loco prædicti beneficii, niſi tamen illud continuam, & præciſam reſidentiam requirat, ſed juxta taxam, vel, ea deficiente, juxta morem in alio loco domicilii vigentem.* Volumus præterea, ut Nobis certo conſtet, Beneficium vere, & pacifice poſſideri, & ut ad normam Tridentini (2) idem Beneficium reſignari ab Ordinato nequeat, niſi facta mentione, quod ad illius Beneficii titulum ſit promotus, neque reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliunde vivere commode poſſit: aliter facta reſignatio nullius ſit roboris, ac firmitatis. Quod ſi beneficium, etiam de jure patronatus, ad congruam vitæ ſuſtentationem juxta Taxam prædictam non ſufficiat; patrimonii ſupplementum non admittemus (3), niſi eæ conditiones concurrant, quæ requiruntur, ut quis ad titulum patrimonii licite valeat ordinari. Si quis autem, præter beneficium ad ſui ſuſtentationem ſufficiens, habeat etiam pingue patrimonium, ſciat, ſe ad bene-

(1) Sac. Congreg. Conc. in Alatrina 9. Julii 1701., in Ariminen. Ordinationis 10. Jan. 1708., & in Romana, ſeu S. Agathæ Gothorum 27. Maii 1713., Benedictus XIII. in Concil. Rom. tit. 6. c. 4., Bened. XIV. de Synodo lib. 12. c. 9. §. 2.

(2) Trid. ſeſſ. 21. c. 2. de ref.

(3) Sac. Congreg. Concil. in Signina 18. Septemb. 1683., & in Civit. Pleb. 10. Junii 1684.

beneficii *(1)*, non vero ad patrimonii titulum omnino eſſe promovendum.

III. Quod ſi eximia perſonæ virtus, ſacrarumque diſciplinarum ſcientia, aut Eccleſiæ neceſſitas, aut utilitas Nobis ſuadeat, ut aliquis ad patrimonii titulum Sacris Ordinibus inſigniatur, ejus quidem precibus annuemus, dummodo hæ omnes omnino conditiones accedant. 1. ut patrimonium, ſive proprium, ſive a Genitoribus, vel Fratribus, aut Patruis, aut aliis conſtitutum, vere, ac pacifice ab Ordinando poſſideatur. 2. ut conſtitutum ſit in bonis immobilibus, ac frugiferis, nullo alieno ære gravatis, nullaque affectis hypotheca. 3. ut annui eorum bonorum reditus, detractis omnibus tum publicis, tum privatis oneribus, ex jurato peritorum judicio ad triginta ſex romana ſcuta perveniant, & quidem ſine Sororum, ac Fratrum, ſi qui ſunt, detrimento, ne patrimonium tamquam inofficioſum redarguatur. 4. ut, ſi patrimonium in cenſibus conſtituatur, illud conſtituentes *(2)* ſeſe in forma Juris valida obligent ad ſufficientem, quoties cenſus redimantur, victum ordinato ſubminiſtrandum, donec cenſuum pecunia, vel in novis cenſibus, vel in fundis frugiferis collocetur. 5. ut inter bona immobilia non recenſeatur domus, quam Ordinandus incolit, imo nulla alia, niſi ſita ea ſit in Oppidis, aut Pagis, in quibus facile locari poſſit, ac ſoleat. 6. ut periti de ſingulorum bonorum, e quibus patrimonium conſtituitur, pretio, annuoque reditu jurati teſtentur. 7. ut tam conſtituens, quam Ordinandus, interpoſita jurisjurandi religione, verum, ac reale eſſe patrimonium, nullique obligationi obnoxium, ac in plena Clerici poteſtate poſitum affirment: item non vi *(3)*, aut metu, aut dolo, ſed libera Conſtituentis voluntate conſtitui, aut fuiſſe conſtitutum, nullumque inter eos pactum, aut tacitam, ſeu expreſſam intercedere conventionem jurent, qua in-

(1) Sac. Cong. Conc. in Sorana 26. Januarii *1669.*, & in Camerinen. 4. Auguſti 1685.

(2) Sac. Congreg. Concil. in nullius 21. Julii 1629. lib. 14. Decret. pag. 109.

(3) Sacr. Congr. Conc. 16. Martii 1630.

ſtrumentum ſuper patrimonii conſtitutione confectum ullo umquam tempore, aut modo labefactari poſſit. 8. ut patrimonium his legibus conſtitutum in Eccleſia Cathedrali, & in Parochiali ejus loci, in quo bona ſita ſunt, inter Miſſarum ſolemnia coram populo de more publicetur. 9. ut Ordinandus juramento polliceatur, ſe numquam alienaturum, aut (1) permutaturum dictum patrimonium, niſi eidem, Noſtro accedente conſenſu, expreſſe ſubrogetur vel Eccleſiaſticum Beneficium, cujus pacificam poſſeſſionem adierit, & cujus reditus ad honeſtam ſuſtentationem ſufficiant, vel alia immobilia bona, quorum certum dominium, ac pacificam habeat poſſeſſionem. 10. ut horum omnium publicum inſtrumentum in Noſtra Epiſcopali Cancellaria fiat, ac in ea diligentiſſime cuſtodiatur.

IV. Ex illis Tridentini Concilii verbis: *Atque illa* (videlicet patrimonium, & penſio) *deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere poſſint*, inferri declaravit Sacra Concilii Congregatio, Ordinatum, niſi expreſſus Epiſcopi conſenſus accedat, non poſſe 1. patrimonium alienare (2), licet beneficium ſufficiens ſit aſſecutus. 2. de patrimonio diſponere (3), etiamſi ejuſdem uſumfructum ſibi, quamdiu vixerit, reſervet. 3. illud in emphyteuſim concedere, annuo ſibi reſervato (4) Canone, qui patrimonii reditus exæquet. 4. fidejubere, ſuumque in fidejuſſione patrimonium obligare. Hac enim in re, cum die 5. Februarii 1604. in Sac. Congregatione Concilii ſuper patrimonio in fidejuſſione obligato controverſia diſcuteretur, *Sacra Congregatio cenſuit, neque in hujuſmodi patrimonio, neque in ejus fructibus ad Clericum alendum neceſſariis executioni locum eſſe poſſe: licere autem capere in cauſam judicati eam fructuum portionem, quæ quotan-*

nis

(1) Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. de reform., Sacr. Congr. Conc. in Terracinen. 8. Auguſti 1602., & 20. Junii 1619., & 12. Julii 1687., & Senogallien. 20. Junii 1705.

(2) Sac. Congr. Conc. 16. April. 1622. lib. 24. Decr. pag. 231.

(3) Sac. Congr. Conc. 10. Oct. 1670.

(4) Sac. Cong. Conc. in Parmen. 20. Julii 1641., & in Aquilana 24. Feb. 1652.

nis ſupereſt, ultra eam, quæ ad Ordinati ſuſtentationem non laute, ſed tenuiter vivendo, Judicis Eccleſiaſtici arbitrio fuerit neceſſaria: poſſe autem ipſum creditorem accipere in ſolutum, atque vendere jus ſibi competens ad hujuſmodi patrimonium, quod poſt mortem ipſius promoti ad creditorem, uti res hæreditaria, pertinebit. Hoc autem decretum eadem Sacra Congregatio die 11. Martii 1642. confirmavit.

V. Ut fraudibus, quæ in patrimoniis conſtituendis adhiberi ſolent, aditus omnis, quoad fieri poteſt, intercludatur, volumus, ſtatuimus, ac ſancimus, ut ſi periti, quorum opera in æſtimandis patrimonii pretio, annuiſque reditibus utemur, fraudulenter ſe geſſerint, ſupplere (1) ex ære proprio teneantur, quidquid patrimonio ſecundum Taxam ſuperius præſcriptam deeſſe comperietur. Patrimonium autem, quod rite fuerit conſtitutum, non ante, ſed ſolum poſt Subdiaconatus ſuſceptionem (2) ab oneribus Laicalibus exemptum eſſe declaramus. Hanc tamen exemptionem, ſi poſtmodum beneficium patrimonio legitime ſubrogetur, omnino ceſſare edicimus, quoties beneficium toti congruæ ſuſtentationi ſufficiat; ſin minus, pro ea tantum rata parte perſeverare, quæ beneficii reditibus ad integram patrimonii ſummam complendam deeſt, quemadmodum a Sacra Immunitatis Congregatione docemur. Quod ſi Clericus aliquis falſum, fictum, aut fiduciarium patrimonium ſcienter ſupponat, & ad Sacros Ordines promoveatur; ipſo jure ſuſpenſionis (3) vinculo irretitur ſine ſpe diſpenſationis obtinendæ, niſi vero, legitimoque patrimonio conſtituto, uti a Sacris Canonibus ſtatutum eſt, quos Tridentina Synodus innovavit.

VI. Ad titulum Paupertatis nonniſi Regulares, qui in aliqua Religione approbata ab Apoſtolica Sede ſolemnem Profeſſionem emiſerint, Sacris Ordinibus initiari licite poſſunt, exceptis Patri-

 bus

(1) Synod. Sublacen. ann. 1674. c. 13., & Synod. Fulginaten. Battiſtelli c. 11. §. 15.

(2) Sacra Congregatio Immunit. in Aquilana 4. Auguſti 1627., & in Auximana 28. Septembris 1666.

(3) Can. *Neminem*; Can. *Sanctorum*. diſt. 70.; cap. *Per tuas*; & cap. *Si quis*. de ſimonia.

bus Societatis Jeſu, quos Gregorius XIII. (1), Benedictus XIII. (2), aliique Romani Pontifices (3) eo ſpeciali privilegio donarunt, ut iidem poſt tria ſimplicia vota, & ante emiſſam ſolemnem Profeſſionem poſſint ad Sacros Ordines promoveri, quamvis omni prorſus patrimonio, ac beneficio deſtituantur. Novitii ergo, niſi beneficii, aut patrimonii, aut penſionis habeant titulum, promoveri ad Majores Ordines nequeunt. Et ſane Tridentini Concilii decretum, de quo ſuperius locuti ſumus, licet de ſæcularibus Clericis expreſſe procedat, extendi quoque ad Religioſos, qui, antequam Profeſſionem emittant, Sacris Ordinibus inſigniri velint, peculiari ſua Conſtitutione (4) S. Pius V. declaravit. Cum autem non infrequenter controverſiæ ſuper nullitate Profeſſionis oriantur; Nos, ut cuilibet occurramus periculo, S. Caroli Borromæi veſtigiis, ac plurimarum Diœceſum Synodis, & praxi inhærentes volumus, ut Regulares (5) ad titulum Religioſæ Paupertatis Sacris Ordinibus per Nos initiandi, præter Dimiſſoriales Litteras, teſtimonium proprii Superioris Nobis exhibeant, qui eos in Religione, cui adſcripti ſunt, expreſſam Profeſſionem rite emiſiſſe teſtetur: ipſi vero Ordinandi ſub eodem teſtimonio jurati ſcribant, ſe prædictam profeſſionem libere, ac ſine vi, & metu nuncupaſſe, eamque libere nuncupatam ſe tunc ex animo ratam habere, & hunc in finem ſe ſubſcribere.

(1) Gregorius XIII. Conſt. *Aſcendente Domino*.

(2) Benedictus XIII. Conſt. *Injuncti nobis*.

(3) Benedictus XIV. de Synodo lib.13. cap.11. §.24.

(4) S. Pius V. Conſt. 75. *Romanus Pontifex*, & Benedictus XIV. de Synodo lib.13. c.11. §.24.

(5) Synodus Amerina Gratiani c.218., Iſclan-Trapan. p.160. §.20., Æſin. Fidel. p.29. decr. 27., Anagnin. Baſſi p. 55. n.9., Auximan. Spada p. 75. num.18., Fulginaten. Battiſtelli c.11. n.22.

AR-

ARTICULUS V.

De qualitatibus Ordinandorum.

DE qualitatibus Ordinandorum verba facturi, primum eas, quæ ad valide, tum eas, quæ ad licite ſuſcipiendos Ordines requiruntur, recenſebimus. Et primo quidem, ut quis ad Ordines valide promoveatur, requiritur (1), ut Sacro ſit lavacro regenerationis ablutus. Cum enim baptiſmus (2) ſit fundamentum omnium Sacramentorum; inde fit, ut nullum aliud ante baptiſmum ſuſcipi valide poſſit Sacramentum; *quoniam ubi fundamentum non eſt, ſuperædificari non poteſt*. Et ſane in Concilio apud Compendium (3) ita ſtatutum legimus. *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit, ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur*. Innocentius vero III., cum ei Presbyter expoſuiſſet, poſt ſuſceptum Sacerdotium innotuiſſe ſibi, ſe non fuiſſe ſecundum Evangelii formam baptizatum, eum rite baptizari juſſit, ac re mature diſcuſſa, Concilio apud Compendium celebrato adhærens, Decretalem (4) ſcripſit ad Ferrarienſem Epiſcopum, in qua ſic habet: *Mandamus, quatenus ipſum* (videlicet Sacerdotem, quem jam baptizari juſſerat) *per ſingulos Ordines uſque ad Sacerdotium promovere procures, & permittas eum in Sacerdotio miniſtrare*. Ad valorem præterea Ordinationis neceſſe eſt, ut, ſi adultus ſit is, qui Ordinem eſt ſuſcepturus, ordinari intendat, ac velit. Si enim animo vere repugnaret, ac nollet, ficteque ſolum, ac ſimulate Ordinem reciperet, profecto valide non ordinaretur. Hæc ad Ordines valide ſuſcipiendos in Ordinando neceſſario requiruntur.

II. At multo plura in eodem Sacri Canones, ac præſertim Tridentina Synodus, poſtulant ad licitam Ordinum ſuſceptionem. Nam præter ſtatum gratiæ, qui ad dignam, utilemque Sacra-

(1) Can. *Cum itaque*. §. fin. de conſecr. diſt.4.

(2) Cap. *Veniens*. de Presbytero non baptizato.

(3) Cap. *Si quis Presbyter*. de Presbytero non baptizato.

(4) Cap. *Veniens*. de Presbytero non baptizato.

cramenti cujuslibet ſuſceptionem eſt omnino neceſſarius, (ſecus enim immane ſacrilegium perpetratur) requiritur. 1. ut Ordinandus ſit Confirmationis Sacramento munitus. *Prima Tonſura*, ſic Tridentina Synodus ſtatuit (1), *non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint*. 2. ut ſit in ætate Canonica conſtitutus, cum per Sacros Canones ſua cuique Ordini ſtatuta ſit ætas, quam attigiſſe neceſſe eſt, ut quis Ordinibus licite initietur. Sic pro prima Tonſura (2), Oſtiariatu, Lectoratu, & Exorciſtatu annum ætatis ſuæ octavum, Acolythatu (3) regulariter decimumtertium, pro Subdiaconatu vigeſimum ſecundum, pro Diaconatu vigeſimum tertium, pro Presbyteratu vigeſimum quintum attigiſſe Ordinandum oportet. *Nullus in poſterum*, inquiunt Tridentini Patres (4), *ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatum ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratum ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur*. Si cui præſcripta ad aliquem Sacrum Ordinem ætas deſit, nonniſi ex Pontificia diſpenſatione ordinari licite poteſt: Secus & Epiſcopus illum ſcienter ordinans, & Clericus ſcienter Ordinem recipiens, Canonicas ſubibunt pœnas; Epiſcopus quidem ſuſpenſionem (5) ab omnium Ordinum collatione, non latæ quidem, ſed ferendæ ſententiæ, per quam tamen a nullo alio Ordinum actu ſuſpenditur; Clericus vero ſuſpenſionem latæ ſententiæ (6) ab Ordinum ſuorum executione perpetuo duraturam, niſi ab ea abſolutionem obtineat, *& ſi hujuſmodi ſuſpenſione durante, in iiſdem Ordinibus miniſtrare præſumpſerit, eo ipſo irregularitatem incurret, ac præterea Eccleſiaſticis beneficiis jure privari poterit*. 3. ut gradatim, & ordinate, non vero per ſaltum, ad Ordines promoveatur. Quamobrem ſiquis ex. gr., Diaconatu prætermiſſo, ad Presbyteratum ſcienter convolet, eoque initia-

(1) Trid. ſeſſ.23. c.4. de ref.

(2) Can. *In ſingulis*. diſt. 77.

(3) Can. *De iis*. diſt.28., & cap. *Nullus*. de temporibus ordinandorum in 6.

(4) Trid. ſeſſ.23. cap.12. de reformatione.

(5) Cap. *Sane*. cap. *Vel non eſt compos*. de tempor. ordinat., Pius II. Conſtitut. *Cum ex Sacrorum*; & Clemens VIII. Conſt. *Romanum Pontificem*.

(6) Pius II. Conſtitut. *Cum ex Sacrorum*.

initietur; quamquam ejuſmodi Ordinum collatio valeat (1) (uno excepto Epiſcopatu, qui, cum Presbyteratum eſſentialiter præſupponat (2), invalide confertur, niſi Presbytero jam ordinato conferatur;) per ſaltum tamen promotus, ipſo facto ab Ordine ita ſuſcepto ſuſpenſionem incurrit, & ſi in eo miniſtrare audeat, fit irregularis. 4. ut Ordinem furtive non ſuſcipiat. Furtive autem ordinari quis dicitur, ſi abſque Epiſcopi conſenſu, ac licentia ſeſe aliis Ordinandis immiſceat, & cum iis aliquo donetur Ordine, a cujus proinde executione eſt ipſo jure ſuſpenſus, neque ſine diſpenſatione ad ſuperiorem Ordinem promoveri poteſt. Quod ſi præterea Ordinem furtive ſuſceptum exercere audeat, irregularitati ſubjicitur. 5. ut nulla ſit irretitus cenſura (3); niſi enim ab ea fuerit abſolutus, illicite quemlibet Ordinem ſuſcipit. 6. ut ab Epiſcopo ſuo, vel etiam ab alieno, ſed de expreſſa Epiſcopi ſui licentia, cujus teſtes ſint litteræ dimiſſoriæ ab eodem datæ, ordinetur. 7. ut pro ratione Ordinis, quem eſt ſuſcepturus, ſufficienti ſit inſtructus litteratura. Deus enim, & cum Synagogam formavit, & cum Chriſti Eccleſiam inſtituit, utriuſque Miniſtros ſapientia præditos eſſe voluit, & in veteri quidem Teſtamento per Oſeam (4) inquit: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi*: In conſtituendis vero novi Teſtamenti Miniſtris, præcepit eis (5), *ut euntes docerent*, deditque eis (6) noſſe myſterium Dei, eoſque omnes replevit Spiritu Sancto, qui Spiritus eſt ſapientiæ, & intellectus. Quamobrem ipſa ſola inſcitia ſufficientiſſima eſt cauſa, ut quis ab Ordinibus recipiendis repellatur: *Illiteratos*, inquit Gelaſius Papa (7), *nullus præſumat ad Clericatus Ordinem promovere, quia litteris carens, ſacris non poteſt eſſe aptus officiis*. Tridentina vero Synodus ſtatuit (8), ut

(1) Cap. unico, de Clerico per ſaltum promoto.

(2) Cap. 10. de exceſſibus Prælatorum.

(3) Cap. *Cum illorum*. de ſent. excomm., & cap. *Sepe contingit*. de tempor. ordinat. in 6.

(4) Oſeæ cap. 4.

(5) Matth. cap. 28.

(6) Lucæ cap. 4.

(7) Can. 1. diſt. 39.

(8) Trid. ſeſſ. 23. c. 4. de ref.

ut prima Tonſura non initientur , qui ..... fidei rudimenta edocti non fuerint , quique legere , & ſcribere neſciant ; pro minoribus Ordinibus poſtulat (1) , ut ad eos promovendi *ſaltem latinam linguam intelligant , & ſciant , quæ ad officium ſuum ſpectant* ; pro Subdiaconatu , & Diaconatu requirit (2) , *ut ſint litteris iis , quæ ad Ordinem exercendum pertinent , inſtructi* ; tandem pro Presbyteratu exigit (3) , *ut ad populum edocendum ea , quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem , ac miniſtranda Sacramenta , diligenti examine præcedente idonei comprobentur* . 8. denique , ut Ordinandus nulla ſit irregularitate innodatus . Cum enim irregularitas ſit Canonica inhabilitas ad Ordines ſuſcipiendos , ſuſceptoſque miniſtrandos ; jam nemo (4) , quamdiu eſt irregularis , ordinari licite poteſt , aut in ſuſceptis Ordinibus miniſtrare . Verum cum multiplici ex cauſa incurri irregularitas poſſit , pauca de eadem innuamus .

ARTICULUS VI.

De Irregularitate , quæ Canonicum eſt ad Ordines ſuſcipiendos impedimentum .

QUamquam irregularitas ſit inhabilitas ad Ordines ſuſcipiendos , ſuſceptoſque exercendos ; Si tamen irregularis aliquis Ordines aut ſuſcipiat , aut exerceat ; valide , ſed illicite , eos ſuſcipit , aut exercet . Hæc autem inhabilitas non ab homine , ſed a ſolo Jure (5) induci poteſt : unde fit , ut nulla umquam irregularitas , niſi in Jure ſit expreſſa , incurratur . *Licet in hoc temerarie agat* , diſerte inquit Bonifacius VIII. (6) , *irregularitatis tamen , (cum id non ſit expreſſum in Jure) laqueum non incurrit* . Irregularitas omnis ad duplex revocari poteſt genus : ea enim vel ex defectu oritur , vel ex delicto . Prior ſine culpa , poſte-

(1) Trid. ſeſſ.23. c.11.

(2) Trid. ſeſſ. cit. c.13.

(3) Trid. ſeſſ. cit. c.14.

(4) Cap. *Sæpe contingit* . de tempor. ordinat. in *6*.

(5) Benedictus XIV. de Synodo lib.12. cap.3. n.7.

(6) Cap. *Is , qui* . de ſentent. excommunic. in *6*.

poſterior nonniſi ex culpa contrahitur, actumque externum conſummatum (1) poſtulat, ut contrahatur. Singulas recenſeamus.

II. Multiplex eſt irregularitas ex defectu. Prima eſt ex defectu animi; qua quidem laborant amentes (2), lunatici, furioſi, epileptici, & obſeſſi a Dæmone. Hi tamen omnes (3) de licentia Epiſcopi exercere ſuſceptos Ordines poſſunt, ſi ab eo, quo laborant, morbo per annum integrum correptos non fuiſſe conſtet. Ex defectu quoque animi irregulares ſunt illiterati (4), qui ne mediocrem quidem habent ſcientiam, & Neophyti (5), qui jam adulti ab Ethniciſmo, aut Judaiſmo recenter ad Catholicam ſunt Religionem converſi, *ne in ſuperbiam (6) elati in laqueum incidant Diaboli, & ne Magiſtri (7) fiant, qui nondum eſſe Diſcipuli didicere*. Secunda eſt ex defectu corporis, qua innodantur homines corpore ita vitiati (8), ut vel nullo modo, vel non ſine ſpectantium horrore peragere valeant Ordinis miniſteria, cujuſmodi ſunt ii (9), quibus vel alterutra manus, vel palmæ medietas cum duobus digitis fuit abſciſſa, aut oculus ita erutus, ut ſine gravi deformitate legere Canonem nequeant, vel ſunt enormiter gibboſi, aut ita claudi, ut ſine baculo incedere minime poſſint. Quod ſi ejuſmodi defectus ad Ordines jam promoto ſuperveniant (10), is irregularis evadit quoad illum dumtaxat actum, quem nullo modo, vel ſaltem non ſine gravi deformitate exercere poteſt. Tertia eſt ex defectu lenitatis, propter quam irregulares ſunt ii (11), qui ad alicujus mortem, aut mutilationem, etiam juſtam, directe concurrunt effectu ſecuto; cujuſmodi ſunt Judices ſententiam mortis, vel mutilationis pro-

Iiiii nuncian-

(1) Can. *Si quis non iratus*. cauſ.15. quæſt.1.

(2) Can. *Maritum*; Can. *Clerici*. diſt33.

(3) Can. *Communiter*. diſt.33.

(4) Can. *Illiteratos*. diſt.36.

(5) Can. *Sicut Neophytus*. diſt.48., & can. *Neoph.ti*. de conſecr. diſt.5.

(6) 1. ad Timoth. c.3.

(7) Can. *Miſerum*. diſt.61.

(8) Cap. *Preſbyterum*; & cap. *Tua Nos*. de Clerico ægrotante.

(9) Cap. *Expoſuiſti*. de corpore vitiatis, can. *Hinc etiam*. diſt.49., can. *Nullus Epiſcopus*. de conſecr. diſt.1.

(10) Cap.2. de Clerico ægrotante.

(11) Can. *Si quis viduam*. diſt.50., & can. *Aliquantos*. diſt.51.

Digitized by Google

nunciantes, Miniſtri eam exequentes &c. Quamquam enim hi nullum admittant crimen; non tamen omnino Chriſti lenitatem imitantur, qui mulierem, licet in adulterio deprehenſam, morte tamen dignam noluit pronunciare, & qui pro perfidis Judæis Patrem moriturus oravit. Si tamen mortis, aut mutilationis ſententia executioni demandata non fuerit, tunc neque Judex, neque Notarius, neque reliqui irregularitatem incurrunt, uti Sacra Congregatio (1) Concilii ſæpius declaravit. Quarta eſt ex defectu natalium, ac proinde irregulares ſunt filii illegitimi (2), ſive naturales ſint, ſive nothi, ſive ſpurii. At irregulares non ſunt illegitimi, qui per Matrimonium (3) ſubſequens fuerint legitimati; ſicuti etiam, ſi in approbatam aliquam Religionem ingrediantur, licet ad Prælaturas evehi nequeant, ad Sacros tamen Ordines promoveri poſſunt. *Filii Presbyterorum* (4), ut in Concilio Pictavienſi decernitur, *ut cæteri ex fornicatione nati, ad Sacros Ordines non promoveantur, niſi aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viventes; Prælationem vero nullatenus habeant*. Quinta eſt ex defectu ſignificationis Sacramenti Matrimonii, ratione cujus bigami (5) tum veri, tum interpretativi, tum ſimilitudinarii ſunt irregulares. Cum enim per Matrimonium Fidelium conſummatum (6) Chriſti cum Eccleſia ſignificetur conjunctio; Chriſtus autem unicam, eamque immaculatam, neque ab alio aſſumptam Eccleſiam in Sponſam ſibi copulaverit; jam, qui matrimonium vel cum pluribus ſucceſſive uxoribus, vel cum vidua, aut ab alio corrupta contraxit, & conſummavit, hac Sacramenti ſignificatione caret, adeoque eſt irregularis. Bigamus verus (7) ille eſt, qui cum pluribus ſucceſſive uxoribus; bigamus interpretativus (8), qui cum vidua, vel ab alio corrupta;

Biga-

(1) Sac. Cong. Concil. in Ceſenaten. ann. 1615., & in Spoletana 14. Dec. 1630.

(2) Cap. *Per venerabilem*. qui filii ſint legitimi, & Trid. ſeſſ. 22. de ref. c. 20., & ſeſſ. 23. c. 5.

(3) Cap. *Tanta*. qui filii ſint legitimi.

(4) Cap. 1. de filiis Presbyt.

(5) Cap. *Ut bigami*; cap. *Super eo* de bigamis.

(6) Ad Epheſ. c. 5.

(7) Cap. *Debitum*. de bigamis non ordin.

(8) Can. *Maritum*. diſt. 33.

Bigamus tandem ſimilitudinarius (1), qui poſt Religioſam Profeſſionem, vel poſt Sacrum Ordinem ſuſceptum, Matrimonium, licet invalidum, contraxit, & conſummavit. Sexta eſt ex defectu libertatis, propter quem irregulares ſunt Servi (2) proprie dicti, ſeu mancipia; & obligati ad ratiocinia (3), qui videlicet, cum generalem aliquam rerum Sæcularium adminiſtrationem habeant, vel habuerint, reddere rerum Dominis ſuæ adminiſtrationis rationem debent, adeoque, niſi adminiſtratione (4) dimiſſa, redditaque ratione, ordinari non poſſunt.

III. Multiplex quoque eſt irregularitas ex delicto. Nam irregulares 1. ſunt Hæretici (5), & Apoſtatæ a Fide, eorumque receptores, fautores, ac defenſores, imo & eorum filii (6) ad ſecundam generationem, ſi Pater; ad primam, ſi Mater hæreſi laboret, niſi tamen iidem parentes ante (7) obitum Catholicam amplexi ſint Religionem. 2. baptiſmum ſerio, ſcienterque iterantes (8), & rebaptizati miniſtrantes, & adulti (9), qui extra neceſſitatis caſum ſe ab Hæreticis baptizari ſcienter ſinunt. 3. Clerici, qui cenſuras, quibus forte illigantur, temere violant (10), Ordinum ſuorum munera exercentes; aut in loco interdicto in caſibus non permiſſis ſcienter Miſſam audent celebrare. 4. Clerici in iis Ordinibus temere miniſtrantes, quos indebite, ac male ſuſcepere, videlicet (11) vel furtive, vel per ſaltum, vel ſine legitima ætate, vel extra tempora a Jure ſtatuta, vel ſine dimiſſoriis Epiſcopi ſui Litteris, vel aliqua irretiti cenſura. Item qui

Iiiii 2 ab

(1) Cap. ultimo. de bigamis non ordinandis.

(2) Cap. *Conſuluit*. de ſervis non ordinandis.

(3) Cap. unico. de obligatis ad ratiocinia.

(4) Cit. cap. unico. de obligatis ad ratiocinia.

(5) Can. *Presbyteros*. diſt. 50., can. *Qui in aliquo*. diſt. 51., cap. *Quicumque*. de hæreticis in 6.

(6) Cap. *Statutum*. de hæreticis in 6.

(7) Sac. Congreg. Conc. in Romana 21. Maii 1718. ad 2.

(8) Cap. *Ex litterarum*. de apoſtatis, & iterantibus Baptiſma.

(9) Can. *Afros*. diſt. 98.

(10) Cap. *Is, qui*; & cap. *Is, cui*. de ſent. excomm. in 6.

(11) Pius II. Conſtitut. *Cum ex Sacrorum*.

ab Epiſcopo (1) cenſuris innodato, Hæretico, aut Schiſmatico, aut juriſdictionem non habente Ordines recepere; aut qui matrimonio contracto, licet non conſummato (2), ſine debitis conditionibus in Jure Canonico præſcriptis Sacro aliquo Ordine initiati ſunt; aut qui ad plures Sacros Ordines (3) eodem die ſunt promoti. 5. quicumque ſcienter, ac ſolemniter actum Sacri Ordinis exercent, quem non habent. *Si quis baptizaverit*, inquit Summus Pontifex Hormiſda (4), *aut aliquod divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur de Eccleſia, & numquam ordinetur*. 6. enormiter criminoſi, quorum crimina adnexam habeant infamiam, & notoria, publicaque ſint, cujuſmodi ſunt Adulterium, Simonia, perjurium in judicio, aliaque ejuſmodi, quæ recenſentur in can. *Infames*, cauſ. 6. qu. 1. Quod *ſi crimina (5) ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint; non debent hi, (præter reos homicidii) poſt pœnitentiam in jam ſuſceptis, vel ſuſcipiendis Ordinibus impediri*. 7. homicidæ voluntarii, quamvis occulti (6); homicidium mandantes (7); illud efficaciter conſulentes (8); vel ad illud cooperantes &c. Hac de re Theſaurus lib. de Pœnis Eccleſiaſticis noviſſimæ editionis conſulatur.

IV. Quicumque ad Ordines ſunt promovendi, caveant, ne aliqua ejuſmodi ſive ex defectu, ſive ex delicto irregularitate notentur. Quod ſi forte quis aliquam incurriſſe ſe noverit; antequam ad Ordines ſuſcipiendos accedat; opportunam ab Apoſtolica Sede (vel etiam a Nobis in iis caſibus, in quibus per Sacros Canones diſpenſare Nobis licet) diſpenſationem petant, atque obtineant, ne gravi ſe crimine alligent, turpiſſimoque ſacrilegio Sacramentum Ordinis dehoneſtent.

AR-

(1) Cap. *Cum Clericis*. de ordinatis ab Epiſcopo, qui &c.

(2) Extrav. *Antiquæ conſecrationi*. de voto, & voti redemptione.

(3) Can. *In ſingulis*; & can. *Quicumque*. diſt. 57.

(4) Cap. 1. de Clerico non ordinato miniſtrante.

(5) Cap. ult. de temporib. ordin.

(6) Trid. ſeſſ. 14. c. 7. de ref.

(7) Can. *Si quis viduam*. diſt. 50.

(8) Cap. *Sicut*. §. ult. de homicidio.

Digitized by Google

ARTICULUS VII.

De Temporibus Ordinationum.

QUamquam prima Tonſura quolibet anni die, & qualibet diei hora conferri poſſit; ſua tamen ſive minoribus, ſive majoribus conferendis Ordinibus per Sacros Canones conſtituta ſunt tempora, quæ nemini ſine Apoſtolica diſpenſatione prætergredi umquam licet. Minores igitur Ordines (1), præter conſueta generalium Ordinationum tempora, Feſto quolibet de præcepto die, etiam extra Miſſæ celebrationem, conferre Epiſcopo licet. Majores vero Ordines (2) conferri dumtaxat poſſunt, dum ab Ordinante Miſſa celebratur, ſtatutis generalium Ordinationum temporibus, videlicet in Sabbatis quatuor Temporum, in Sabbato ante Dominicam Paſſionis, & in Sabbato Sancto; neque induci poteſt conſuetudo (3), ut aliis temporibus conferantur; ſed ſolum id licebit ex Romani Pontificis privilegio, qui ſecundum ſuæ poteſtatis plenitudinem (4) de Jure poteſt ſupra Jus diſpenſare. Quod ſi privilegium ejuſmodi concedatur, poterunt quidem extra dicta tempora conferri, ſed feſto dumtaxat de præcepto die, ac intra Miſſæ Sacrificium, quod ab Ordinante celebretur. Ratio autem, cur pro Majorum Ordinum collatione diem Sabbati Jus commune ſtatuerit, ea videtur eſſe, ut, quemadmodum die ſeptimo, qui dies Sabbati eſt, requievit (5) Deus ab omni opere, quod patrarat, ita qui ad Sacros Ordines aſſumuntur (6), a ſæculi laboribus ad requiem Domini ſe transferri intelligant, cum illis ad Sæculares curas, ac labores (7) redire, & a ſuſcepto Eccleſiaſticæ vitæ propoſito reſilire non

(1) Cap. *De eo*. de tempor. ordinat., & Pontif. Rom. tit. de minoribus Ordinibus.

(2) Cit. cap. *De eo*; & cap. *Litteras*. de tempor. ordin.

(3) Cap. *Sane*. de tempor. ordin.

(4) Cap. *Propoſuit*. de conceſſione præbend.

(5) Geneſ. c.2.

(6) Gloſſa in cap. *Litteras*. de temporib. ordin.

(7) Can. *Fornicari*. diſt.88.

non liceat; quod tamen iis, qui in minoribus dumtaxat Ordinibus ſunt conſtituti (1), minime prohibetur.

II. Interdictum quoque eſt a Sacris Canonibus (2), ac præſertim a Tridentina Synodo (3), *ne duo Sacri Ordines eodem die, etiam Regularibus, conferantur, privilegiis, ac indultis quibuſvis conceſſis non obſtantibus quibuſcumque*. Imo vetitum etiam eſt, ne Ordines Minores una cum Subdiaconatu eadem die conferantur, quemadmodum Sacra Congregatio Concilii (4) declaravit. Quædam enim temporis interſtitia, ſeu intervalla ſecundum Jus commune inter unius, & alterius Ordinis ſuſceptionem intercedere debent, ut accuratius Clerici (5), quantum ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ pondus, edoceri, ac in unoquoque munere ſe exercere poſſint. Quænam inter unius, & alterius Minoris Ordinis ſuſceptionem ſervanda ſint interſtitia, ſtatutum expreſſe in Jure non eſt, quare id Epiſcopi arbitrio relinquitur, qui ex quacumque honeſta cauſa poteſt in iis diſpenſare; ſic enim inquit Tridentinum (6): *Minores Ordines per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo expedire magis videretur, conferantur*. Pro ſacris vero Ordinibus expreſſe cautum eſt (7), ut nonniſi elapſo integro anno, poſſit quis ab Acolythatu ad Subdiaconatum, & ſic deinceps uſque ad Presbyteratus Ordinem promoveri. Verum in his etiam diſpenſare cum ſuis ſubditis Epiſcopus poteſt, ita tamen, ut major cauſa requiratur, ut in interſtitiis diſpenſet inter Ordines minores, & Subdiaconatum, quam inter Subdiaconatum, & Diaconatum, & major etiam, ut inter Diaconatum, & Presbyteratum. Nam ad diſpenſandum in interſtitio inter Subdiaconatum, & Diaconatum requirit ſolum Tridentina Synodus (8) prudens Epiſco-

(1) Can. *Si qui*. diſt. 32., cap. *Joannes*. de Clericis conjugatis.

(2) Cap. *Litteras*; & cap. *Dilectus*. de tempor. ordin.

(3) Trid. ſeſſ. 23. c. 13. de ref.

(4) Sac. Cong. Conc. in una Bovenſi . Maii 1707., in Neapolitana 6. Auguſti 1711., & in Melevitana 12. Maii 1714.

(5) Trid. ſeſſ. 23. c. 11. de ref.

(6) Trid. loc. cit.

(7) Trid. ſeſſ. 23. c. 11., 13., & 14. de reform.

(8) Trid. ſeſſ. 23. c. 13.

Epiſcopi arbitrium: *niſi aliud Epiſcopo videatur*. At ut diſpenſet in interſtitio inter Ordines minores, & Subdiaconatum, disjunctive requirit vel neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ: *niſi* (1) *neceſſitas, aut Eccleſiæ utilitas judicio Epiſcopi aliud expoſcat*. Ad diſpenſandum vero inter Diaconatum, & Presbyteratum copulative poſtulat & neceſſitatem, & utilitatem Eccleſiæ: *niſi* (2) *ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem aliud Epiſcopo videatur*.

III. Nos hiſce Sacrorum Canonum, ac Tridentinæ Synodi decretis obſequentes omni opera, ſtudioque curabimus, ut Clericus quilibet per diſtinctos Ordines in Eccleſiaſticis exerceatur officiis, & per conſtituta interſtitiorum tempora ad ſupremum Sacerdotii gradum contendat, ut militare aſſueſcat (3) in Domini caſtris, ut diſcat, quod doceat, ut videat, quod imitetur. Sacris igitur neminem admovebimus, niſi in Minoribus Ordinibus Sacra noſſe, & exercere didicerit, ſtataque in Ordinum ſuſceptione temporum intervalla ſervaverit. Si juſta de cauſa indulgendum cum aliquo erit, nemo Nobis aures precibus feſtinis, atque importunis impudenter obtundat. Interſtitia, etiam non requiſiti, minuemus, ſi eadem minui exigat non privata hominis, ſed Eccleſiæ utilitas, aut neceſſitas, cui Noſtrum eſt opportuno conſilio providere. Cum autem Noſtra oneretur conſcientia, Noſtroque committatur arbitrio Apoſtolica exequi Indulta ſuſcipiendi Ordines extra conſueta tempora, quæ nonniſi ex certis, legitimiſque cauſis conceduntur; ſedulo cavebimus, ne eadem falſis precibus, dolove malo ſint ab Apoſtolica Sede impetrata.

(1) Trid. ſeſſ. 23. c. 11. (2) Trid. ſeſſ. 23. c. 14. (3) S. Greg. lib. 7. ep. 100.

ARTI-

ARTICULUS VIII.

De obligationibus ſuſceptioni Sacrorum Ordinum adnexis.

TRIA ſunt potiſſimum onera, quæ Majoribus Ordinibus Sacri Canones adnexuere, & quibus ſeſe ultro Clerici ſubjiciunt, cum eadem non ignorantes, ad Sacros Ordines poſtulant promoveri. Primum eſt onus perpetui ſervandi cœlibatus: Alterum recitandi quotidie Horas Canonicas: Tertium tandem numquam non procedendi in habitu, & Tonſura. Pauca de ſingulis innuamus.

II. Quod ad perpetuum ſervandum cœlibatum attinet; erat quidem in primitiva Latina Eccleſia ejuſmodi onus Presbyteratus, ac Diaconatus adnexum Ordinibus, non tamen Subdiaconatui, qui, cum inter Minores Ordines accenſeretur (1), Clericis, nullo edito continentiæ, ac cœlibatus voto, conferebatur, ac proinde Subdiaconi, ſaltem alicubi, nubere poterant, & uxoribus, quibus nupſerant, licite utebantur. Cautum poſtmodum fuit a Romanis Pontificibus, ne quiſquam poſt ſuſceptum Subdiaconatum nuptias contrahere auderet. Sic Stephanus Papa (2) in prima actione Synodi ab eodem in Baſilica Lateranenſi celebratæ inquit: *Aliter ſe Orientalium traditio habet Eccleſiarum, aliter hujus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ...... Iſtius Eccleſiæ, vel Occidentalium nullus Sacerdotum a Subdiacono uſque ad Epiſcopum licentiam habet conjugium ſortiendi*; Et S. Leo I. ad Anaſtaſium ſcribens ait (3): *Ad exhibendam perfectæ continentiæ puritatem ne Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur.* At mox S. Gregorius I. non modo cœlibatum, perfectamque continentiam Subdiaconis præcepit, verum etiam edita Conſtitutione præſcripſit, ut nemo in poſterum, niſi caſtitatem, ac cœlibatum voveret, ab Epiſcopis ad Subdiaconatus Ordinem promoveretur. En Sancti Pontificis verba

(1) Can. *Ante triennium*. diſt.31. (2) Can. *Aliter*. diſt. 31. (3) Can. *Omnium*. diſt.32.

verba (1): *Nullum facere Subdiaconum præſumant Epiſcopi, niſi qui ſe victurum caſte promiſerit*. Gregorii I. Conſtitutionem Urbanus II. confirmavit, atque innovavit, uti ab Innocentio III. edocemur (2), qui inquit: *Subdiaconatus, licet Sacer Ordo non reputaretur in Eccleſia primitiva, tamen a Conſtitutione Gregorii, atque Urbani ſecundum moderna tempora ſacer gradus eſſe minime dubitatur*. Et optimo quidem jure uterque Pontifex Subdiaconatui perpetuæ caſtitatis votum adnexuit. Cum enim Subdiaconi ſint Altaris Chriſti Miniſtri, eos eſſe totos Chriſti, & Eccleſiæ ſervitio mancipatos oportet. Apoſtolo (3) autem teſte, *qui ſine uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt*.

III. Quicumque igitur ad Subdiaconatum promoventur, non quidem explicite, ac verbis, ſed implicite, & facto ipſo perfectæ continentiæ votum emittunt. Cum enim ejuſmodi votum eſſe Subdiaconatui adnexum non ignorent; jam Subdiaconatum recipientes, votum caſtitatis tacite emittunt: nam, uti habet commune Juris proloquium, *qui vult principale, vult etiam acceſſorium*. Neque vero hujus voti ignorantiam obtendere iidem poſſunt. In ipſa enim Ordinatione Epiſcopus, antequam Subdiaconatus Ordinem iiſdem conferat, ſic eos alloquitur (4): *Filii dilectiſſimi, ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem promovendi, iterum, atque iterum conſiderare debetis attente, quod onus hodie ultro appetitis. Hactenus enim liberi eſtis, licetque vobis pro arbitrio ad ſæcularia vota tranſire. Quod ſi hunc Ordinem ſuſceperitis, amplius non licebit a propoſito reſilire, ſed Deo, cui ſervire regnare eſt, perpetuo famulari, & caſtitatem, illo adjuvante, ſervare oportebit, atque in Eccleſiæ miniſterio ſemper eſſe mancipatos. Proinde, dum tempus eſt; cogitate, & ſi in ſancto propoſito perſeverare placet, in nomine Domini*

Kkkkk *huc*

(1) Can. *Nullum*. diſt. 28., & can. *Ante triennium*. diſt. 31.

(2) Cap. *Miramur*. de ſervis non ordinandis.

(3) 1. ad Cor. c.7. v.32.

(4) Pontif. Roman. tit. de ordinatione Subdiaconi.

huc accedite. Dum ergo poſt hanc monitionem accedunt, ac Subdia conatum recipiunt, perfectam Deo, & Eccleſiæ continentiam, & caſtitatem pollicentur.

IV. Hoc autem caſtitatis votum Sacris Ordinibus adnexum ad eum ſolemnitatis gradum Eccleſia provexit, ut per illud dirimi voluerit, quodcumque Matrimonium poſt Sacri Ordinis ſuſceptionem contrahatur. *Quod votum debeat dici ſolemne*, inquit Bonifacius VIII. (1) Epiſcopo Biterenſi reſcribens, *ac ad dirimendum Matrimonium efficax, nos conſulere voluiſti. Nos igitur attendentes, quod voti ſolemnitas ex ſola conſtitutione Eccleſiæ eſt inventa; matrimonii vero vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite rerum omnium conditore ipſam in Paradiſo, & in ſtatu innocentiæ inſtituente unionem, & indiſſolubilitatem acceperit; Præſentis declarandum duximus oraculo ſanctionis, illud ſolum votum debere dici ſolemne quantum ad poſt contractum Matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem Sacri Ordinis &c.* Cum itaque tanta ſolemnitate donatum ab Eccleſia fuerit hoc caſtitatis votum, quod in Sacrorum Ordinum ſuſceptione facto ipſo nuncupatur; Subdiaconi, Diaconi, ac Presbyteri diligentiſſime caveant, ne ulla impudicitiæ labe commaculentur. Eorum enim culpa duplici malitia ſpecifice diverſa inficeretur, iique impudici forent, atque ſacrilegi. Mentis igitur, corporiſque caſtitatem ſummopere diligant, quæ omnibus (2) quidem neceſſaria eſt, ſed maxime Miniſtris Altaris, & Chriſti, quorum vita aliorum debet eſſe eruditio. Imo quamcumque etiam vel levem a ſe impudicitiæ ſuſpicionem arceant, memores, neminem umquam Apoſtolis, teſte Chryſoſtomo (3), aut fornicationis, aut impudicitiæ crimen objeciſſe. Propterea diligenter, ac ſæpe legant, attenteque non meditentur ſolum, ſed etiam exequantur, quæ in ſecunda harum Conſtitutionum parte *cap. 6.* de vita, & honeſtate Clericorum, *& cap. 3., 4., & 5.* de virtute

(1) Cap. unico. de voto, & voti redemptione in 6.

(2) S. Aug. ſerm. 249. de temp.

(3) S. Joan. Chryſoſtom. homil. 10. in 1. Timoth.

tute Temperantiæ, ac de affectuum internorum, externorumque ſenſuum cuſtodia diſſeruimus.

V. Quod autem ad reliqua duo onera ſpectat [recitandi videlicet quotidie Horas Canonicas, & numquam non incedendi in habitu, & Tonſura] quæ ſuſcipientibus Sacros Ordines imponuntur, de iis ſatis diximus in prima harum Conſtitutionum parte *cap.9. art.4.*, & in ſecunda parte *cap.6. art.5.* Solum itaque Clericis omnibus, qui jam ſunt in Sacris Ordinibus conſtituti, aut in poſterum conſtituentur, conſiderandas, ſervandaſque proponimus regulas quaſdam, quas ad religioſam habendam Horarum Canonicarum recitationem Concilium II. Trevirenſe(1) præſcripſit. Omnes itaque, qui Horis Canonicis perſolvendis deputati ſunt, dent operam, ut collectis animis, quoad fieri poteſt, debitum penſum abſolvant, ne dum voce pſallunt, quidvis potius, quam Deum, animo cogitare videantur, ſemper caventes, ne propheticum illud audiant: *Labiis quidem me honorant, cor autem eorum longe eſt a me*. Quid autem eſt voce quidem pſallere, mente autem domum, aut forum circumire, niſi homines fallere, & Deum irridere? Grave admodum eſt, quod Scriptura dicit: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter*. Caveant igitur, qui extra Chorum privatim Horas legunt, ne ſomnolente, aut truncatis verbis, aut intra fauces compreſſo ſpiritu preces demurmurare, vel, ut Ethnicus quidem ait, rabioſa ſilentia rodere videantur, ſed articulate, diſtincte, diſerte, & cum attentione integre omnia pronuncient. Curent, ne deambulando Horas dicant, ſed in locum aliquem orationi aptum tantiſper ſecedant, ne mentis evagatio, quæ ex tumultuaria deambulatione naſci ſolet, fructum orationis intercipiat. Neque vero quemquam pigeat, curam omnem adhibere, ut immolans Deo Hoſtiam laudis, ſenſum jungat verbis, uti monet S. Bernardus (2), *affectum ſenſui, exultationem affectui, gravitatem exultationi*. *Spiritus* (3) *enim eſt*

Kkkkk 2 *Deus*,

(1) Conc. Trevir. II. ann. 1549. cap.6. de Horis Canonicis.

(2) S. Bernardus. . . . . .

(3) Joa. cap. 4. v. 24.

Deus, *& eos*, *qui adorant eum*, *in ſpiritu*, *& veritate oportet adorare*. Et ſane ſiquis Principem ſæculi rogaturus, habitu honeſto, geſtu decenti, prolatione non præcipiti, ſed diſtincta, attenta quoque mente, ſeipſum, ac verba ſtudet componere; quanto diligentius Omnipotentem oraturus Deum, hæc omnino facere debet!

ARTICULUS IX.

Elenchus requiſitorum, *quæ ad ſingulos Ordines in Tuſculanæ Diœceſi ſuſcipiendos exhibenda ab Ordinandis erunt*.

Pro prima Tonſura.

UT videamus, & probemus, quo quis ſpiritu ductus ad petendos Ordines rapiatur; antequam prima initietur Tonſura; ſaltem per ſex menſes Clericalem geſtet habitum, & in Parœciali Eccleſia divinis interſit Officiis. Si, qua par eſt, aſſiduitate, ac pietate primum hoc Eccleſiaſticæ Militiæ Tirocinium obierit, tum Tonſura donabitur, dummodo cœleſtis vocationis non levia exhibeat documenta, & exploratum ſit attonderi ſe velle eo animo, ut ad Sacros Ordines aliquando promotus, Deo, & Altari perpetuam impendat ſervitutem. Qui autem Eccleſiaſticæ Militiæ per Tonſuram nomen dare deſiderat, de his authentica proferat teſtimonia,

1. *De Legitimis Natalibus*, *Baptiſmo*, *Confirmatione*, *& ætate*, *quæ ſeptennio ſit major*.

2. *De vita*, *& moribus*, *frequentatione Doctrinæ Chriſtianæ*, *frequenti Sacramentorum uſu*, *de nullo corporis*, *animi*, *aut famæ defectu a Parocho*, *aut de diſciplina exactiſſime ſervata a Seminarii Rectore*, *ſi in Seminario degat*.

3. *De profectu in litteris*, *& modeſtia in Scholis a ludi Magiſtro*.

4. *De domicilio in Noſtra Diœceſi legitime contracto*, *aut de beneficio ibi obtento*.

5. De

5. *De Spe, quam præbet, ſe in Clericalis Ordinis diſciplina permanſurum, & non ad effugiendum judicium ſæculare, ſed ut Deo fidelem cultum præſtet, hoc vitæ genus elegiſſe. Hoc teſtimonium Parochus det, aut alius, qui fide dignus ſit, Sacerdos.*

6. *Tandem atteſtationem exhibeat datam a Foro Criminali locorum, ubi habitat, ex qua conſtet, illum numquam fuiſſe inquiſitum, neque, ut ajunt, proceſſatum, neque ullo crimine condemnatum.*

Pro Minoribus Ordinibus.

II. Minores Ordines iis non conferemus, quos vel ad Sæcularia vota redire, vel in inferioribus gradibus ſeneſcere velle, gravis aliqua ſit conjectura. Qui promoveri ad Minores Ordines amant, ſpem ſatis certam faciant futurum, ut ad ſuperiores quandoque ſint progreſſuri, & per aliquod temporis ſpatium non obſcuris probent indiciis, ſe vere exuiſſe veterem hominem cum actibus ſuis, & novum induiſſe, qui ſecundum Deum creatus eſt. Qui igitur ad aliquem Minorem Ordinem aſſumendi erunt, Teſtimoniales litteras exhibeant,

1. *De Tonſura, vel Minore Ordine ſuſcepto.*
2. *De vita, & moribus, aliiſque, ut ſupra.*
3. *De Clericali habitu numquam dimiſſo, & Tonſura ad Tridentini Concilii, & Synodalium Noſtrarum Conſtitutionum præſcriptum.*
4. *De ſervitio Eccleſiæ, & exercitio ſuſcepti Ordinis a Parocho, vel a Præfecto Chori.*
5. *De Cantu Gregoriano a Magiſtro cantus.*
6. *De profectu in Litteris, & modeſtia in Scholis a Ludi Magiſtro.*
7. *De frequentia, qua Lectioni Sacræ Scripturæ interfuit.*

Pro Majoribus, & Sacris Ordinibus.

III. Ubi quis per ſtata temporum intervalla in Minoribus Ordinibus ſubſtiterit, piaque aſſiduitate acceptum miniſterium impleverit; ſi ad Sacros Ordines aſcendere, fierique Subdiaconus

nus cupit; Nos duos ante Ordinationem menſes adeat, ut Eccleſiarum Rectoribus facultatem faciamus denunciandi de more inter Miſſarum ſolemnia in Parœciali Eccleſia ejus nomen, ac deſiderium. Parochus præterea eos, quos magis fide dignos noverit, de illius vita, moribus, natalibuſque interroget, & ſiquis defectus, aut Canonicum impedimentum eidem innotuerit, quam citiſſime Nos ſecreto moneat, ut ii tantum, qui maxime digni fuerint, ad ſacros Ordines aſſumantur. Promovendus igitur ad Ordinem Subdiaconatus hæc deferat documenta,

1. *De ætate legitima annorum 22. inceptorum.*
2. *De Titulo ſufficienti, ſeu patrimonii, ſeu beneficii ad normam harum Noſtrarum Conſtitutionum legitime probato.*
3. *De denunciationibus factis tum Ordinandi, tum tituli.*
4. *De Ordine proxime ſuſcepto, & exercitio ejuſdem Ordinis.*
5. *De interſtitiis ſervatis, aut cauſa ſuper iiſdem diſpenſandi.*
6. *De Exercitiis Spiritualibus per decem dies in Domo Miſſionis de Urbe laudabiliter peractis.*
7. *De frequentia, qua Congregationi caſuum conſcientiæ, & Lectioni Sacræ Scripturæ interfuit.*
8. *De Cantu Gregoriano, de profectu in Litteris, de vita, & moribus, aliiſque, ut ſupra, ad Minorum Ordinum ſuſceptionem requiſitis.*
9. *De Studio Philoſophiæ abſoluto, aut de inchoato Theologiæ ſtudio.*

Qui inaugurandus eſt Diaconus, præter ea, quæ Subdiaconis præſcripta ſunt, doceat,

1. *De ætate annorum 23. ſaltem inceptorum.*
2. *De Subdiaconatus Ordine proxime ſuſcepto, ac de ejuſdem Ordinis exercitio.*
3. *De frequentiore Sacramentorum uſu, & perceptione Sacræ Euchariſtiæ per manus Sacerdotis ſolemniter celebrantis, ubi miniſtravit Altari.*
4. *De ſervatis interſtitiis, aut cauſa ſuper iiſdem diſpenſandi.*
5. *De ſtudio Theologiæ.*

Demum

Demum ad Presbyteratus Ordinem promovendus, præter ea documenta, quæ a Diacono, & Subdiacono exhibenda ſunt, teſtimonium habeat,

1. *De ætate legitima 25. annorum inceptorum.*

2. *De ſervitio præſtito Eccleſiæ in Ordine Diaconatus.*

Documenta hæc Ordinandi in Noſtra Cancellaria proferant, antequam coram Nobis, aut Vicario Noſtro Generali examini ſuper doctrina ſubiiciantur: ſecus repellentur ab examine.

IV. Cum autem ab Apoſtolo (1) moneamur, ut nemini cito manum imponamus, ne alienis communicemus peccatis; Ut tam diſtricti judicii fugiamus ultionem; oves Noſtras ſummo ſtudio cognoſcere curabimus. Verum quia multa quandoque Paſtoris oculos fugere poſſunt; idcirco in partem Noſtræ ſollicitudinis Parochos, alioſque vocamus, a quibus ſuperius enunciata exigimus teſtimonia, eoſque in viſceribus Jeſu Chriſti rogamus, & obteſtamur, ut non patiantur abominationem (2) deſolationis ſtare in loco ſancto. Res omnium agitur, cum de Sacerdotis agitur Ordinatione: ea enim res agitur, quæ aut maximum damnum, aut maximam utilitatem eſt allatura, cum, teſte S. Gregorio (3), cauſa ruinæ populi ſint Sacerdotes mali. Quamobrem in hujuſmodi dandis atteſtationibus nulli benignius indulgeant, neque, ut aliis blandiantur, acerbam veritati injuriam, & grave Eccleſiaſticæ diſciplinæ irrogent detrimentum. Præter publicas atteſtationes, ſecreto Nos moneant, ac fidenter rem aperiant, iis quippe infractam ſecreti cuſtodiam pollicemur. Cum vero in Dei Miniſtris, præter morum probitatem, ſcientia quoque, ac doctrina requiratur; Ne in Eccleſiam ignorantia irrepat, quæ in Sacerdotibus (4) nec excuſatione, nec venia digna eſt; Examinatores Synodales, quos in hac Synodo ad neceſſariam examinis inquiſitionem adſcivimus, rogamus in Domino, ut in ſuo obeundo munere, non hominum gratiam, ſed Dei gloriam

(1) 1. Ad Timoth. cap. 5.
(2) Matth. cap. 24.
(3) S. Gregorius lib. 17. Epiſt. 110.
(4) Can. *Si in Laicis*. diſt. 38.

riam inſpiciant; & quia eorum judicio, & conſiliis multum ſemper deferemus, ſubſidiariam Nobis præbeant opem, ut idoneos (1) habeamus Miniſtros novi Teſtamenti, qui ſint (2) propter diſciplinæ dona commendati.

CAP. XVI.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

QUamquam Conjugalis vitæ genus plerique Fidelium amplectantur; pauci tamen ſunt, qui Matrimonii ſanctitatem, oneraque eidem adnexa aut ſciant, aut intelliganr: Unde fit, ut hoc Sacramentum, quod cæteroqui fons eſt uberrimus gratiæ, cœleſtiumque donorum, per ſummam injuriam pluribus ſit calamitatum cauſa, æternæque perditionis origo. Pauci etiam ſunt, qui ſibi ſuadeant, peculiari opus eſſe Dei vocatione, ut quis Mulieri perpetuo connubii fœdere jungatur, cum Fideles *in Domino* (3) *nubere* ab Apoſtolo jubeantur. Qua enim ratione *in Domino nubere* eos affirmabimus, qui, inconſulto, imo etiam invito quandoque Deo, ut concupiſcentiis ſuis ſerviant, ſuamque expleant libidinem, Matrimonio ſe alligant, cujus tamen ferendis oneribus ſeſe impares intelligerent, ſi parumper vires ſuas, atque animi, corporiſque vitia, quibus laborant, conſiderarent? Ne igitur more gentium, quæ Deum ignorant, animali cupiditate in hac Noſtra Diœceſi ineantur conjugia, *ſed honorabile* (4) *ſit connubium in omnibus, & thorus immaculatus*; Præſtat hìc paucis ea colligere, quæ ſcienda, faciendaque ſunt cum ab iis, qui nuptias ineunt, tum a Parochis, quos Tridentina Synodus ita nuptiis, dum contrahuntur, intereſſe juſſit, ut, ſi abſint, irritum ſit, quod contrahitur, Matrimonium.

(1) 2. Ad Cor. cap. 3.
(2) Sapientiæ cap. 7.
(3) 1. Ad Cor. cap. 7. v. 39.
(4) Ad Hebr. cap. 13. v. 4.

ARTI-

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex ſit Matrimonium, & quænam ejus bona?

MAtrimonium in ſtatu innocentiæ ad humani generis propagationem, poſt Adæ vero peccatum in remedium etiam concupiſcentiæ ab Auctore naturæ inſtitutum, toto naturalis, ac Moſaicæ Legis tempore, nonniſi naturalis, atque civilis contractus fuit, quo vir, & fœmina ad individuam vitæ ſocietatem inſolubili quodam nexu copulabantur. At, ubi venit plenitudo temporis, ac in Mundum miſit Deus Filium ſuum Unigenitum, ut nos a ſervitute peccati, atque ab æterna morte liberaret; ab omnium Sacramentorum Auctore Jeſu Chriſto Domino noſtro ad animarum ſalutem, humanæque infirmitatis ſubſidium Sacramenti virtute donatum eſt. *Matrimonium*, inquit S. Thomas (1), *inſtitutum fuit in officium Naturæ in ſtatu innocentiæ: deinde illi in ſtatu naturæ corruptæ additum fuit, ut eſſet in remedium: & tandem in Lege nova a Chriſto inſtitutum fuit in Sacramentum*. At Sacramentum hoc, Apoſtolo teſte (2), *magnum eſt in Chriſto, & Eccleſia*. Sancta enim, atque indiſſolubili viri, uxoriſque ſocietate vinculum ſummæ illius, atque æternum duraturæ neceſſitudinis, qua Chriſtus cum Eccleſia conjungitur, ejuſque erga nos immenſæ charitatis myſterium ſignificatur.

II. Matrimonium aliud eſt legitimum, aliud ratum, aliud conſummatum. Legitimum eſt, quod juxta leges inter perſonas ad contrahendum habiles, neque a jure impeditas, conſenſu initur reciproco, cujuſmodi conjugium eſt, quod ab Infidelibus celebratur. Ratum eſt, quod non modo legitime fit, ſed rationem præterea habet Sacramenti, cujuſmodi illud eſt, quod inter ſe Fideles rite, valideque contrahunt. Conſummatum denique eſt, quod rite jam contractum, accedente conjugum concubitu, completur quodammodo, & conſummatur, ſummamque

LIIII nexus

(1) S. Th. in 4. diſt. 26. qu. 2. art. 2., & 3. (2) Ad Epheſ. cap. 5. v. 32.

nexus firmitatem, ac ſtabilitatem acquirit. Diverſa autem eſt in tribus hiſce Matrimoniis vinculi, nexuſque firmitas. Nam, etſi legitimum Infidelium Matrimonium fuerit conſummatum, dirimi tamen ejus vinculum adhuc poteſt in favorem Chriſtianæ Religionis, ac Fidei. *Si enim alter Infidelium Conjugum*, uti ſtatuit Innocentius III. (1), *ad fidem Catholicam convertatur, altero vel non ſine blaſphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat in peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit. Et in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus* (2): *Si infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in hujuſmodi.* Firmior quidem eſt Matrimonii rati nexus: non tamen ejus tanta eſt firmitas, ut per Religioſam Profeſſionem, aut legitimam Romani Pontificis diſpenſationem non diſſolvatur. *Siquis dixerit*, ita Tridentina Synodus (3) definivit, *Matrimonium ratum non conſummatum per ſolemnem Religionis Profeſſionem alterius Conjugum non dirimi, anathema ſit.* De matrimonii vero rati diſſolutione per Pontificiam diſpenſationem conſtans plurium ſæculorum praxis abunde teſtatur. At firmiſſimum eſt conſummati Fidelium Matrimonii vinculum, itaut neque *ob adulterium* (4), *aut hæreſim, aut moleſtam cohabitationem, affectatam abſentiam*, neque ullam aliam ob cauſam, ſed per alterius dumtaxat conjugis mortem diſſolvi poſſit. *Quod Deus conjunxit*, inquit Chriſtus Dominus (5), *homo non ſeparet. Iis, qui Matrimonio juncti ſunt*, ad Corinthios (6) ſcribit Apoſtolus, *præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.... Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit: quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult, nubat, tantum in Domino.* Hujus autem firmitatis diſcrimen, quod ratum inter, & conſummatum Fidelium Matrimonium intercedit, licet utrumque ſit Sacramentnm, ex diverſa rerum ſignifi-

(1) Cap. *Quanto*. de divortiis.
(2) 1. Ad Cor. cap. 7.
(3) Trid. ſeſſ. 24. can. 6. de Matrim.
(4) Trid. ſeſſ. 14. de Matrim. can. 6., & 7.
(5) Matth. cap. 19.
(6) 1. Ad Cor. cap. 7.

Digitized by Google

gnificatione, quam utrique Chriſtus adnexuit, repetendum eſt. Matrimonium enim ratum Dei per gratiam cum anima juſti conjunctionem ſignificat, quæ ſane per lethale crimen dirimitur. At Matrimonium conſummatum miram Chriſti cum Eccleſia, & Verbi Divini cum humana natura unionem repræſentat, quarum utraque perpetua eſt, ac omnino inſolubilis. De priore enim Chriſtus inquit (1): *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*: de poſteriore vero veriſſimum eſt illud proloquium (2): *Verbum Divinum, quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſit.*

III. *Bonum, quod habent Nuptiæ*, inquit S. Auguſtinus (3), *tripartitum eſt; Fides, Proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale, cum altera, vel altero concubatur; In prole, ut amanter ſuſcipiatur, benigne nutriatur, religioſe educetur; in Sacramento, ut conjugium non ſeparetur, ut dimiſſus, aut dimiſſa ne cauſa quidem prolis alteri conjungatur.* Ad hæc autem tria Matrimonii bona feliciter aſſequenda, non modo ſanctificantem, verum etiam Sacramentalem, quam vocant, gratiam Fidelibus caſtum conjugium rite, recteque ineuntibus largitur Deus. *Gratiam vero*, inquit Tridentina Synodus (4), *quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus venerabilium Sacramentorum Inſtitutor, atque perfector, ſua nobis paſſione promeruit.* Hujus igitur Sacramenti gratia efficit (5), ut vir, & uxor mutuæ charitatis vinculo conjuncti, alter in alterius benevolentia conquieſcant, alienoſque, & illicitos amores, & concubitus non quærant, ſed in omnibus ſit honorabile connubium, & thorus immaculatus. Triplici, quod recenſuimus, Matrimonii bono quartum etiam accedit, quod nempe conjugium ſit concupiſcentiæ remedium

LIIII 2 juxta

(1) Matth. cap. 28.

(2) Cap. *Debitum*. de bigamis.

(3) S. Auguſtinus lib. 9. de Geneſi cap. 7.

(4) Trid. ſeſſ. 24. doctrina de Sacram. matrim.

(5) Catechiſm. Rom. par. 2. de matrim. num. 21.

juxta illud Apoſtoli (1): *Propter fornicationem* (ideſt vitandam) *unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat: Melius eſt enim nubere, quam uri.*

IV. Ex iis, quæ hactenus diximus, facile intelligitur, quanta animi puritate, quantaque reverentia ad magnum hoc Sacramentum ſuſcipiendum accedere Fideles oporteat, ne pecudum more proruere potius ad concubitum, quam inire connubium videantur. Parochi idcirco ſedulo curent, ut Fideles Matrimonio jungendi edoceantur, quanta ſit ejuſmodi Sacramenti dignitas, atque præſtantia, & quot, quantaque ſint ex eodem, ſi rite, recteque ſuſcipiatur, derivanda in eos bona, ut ita non humanam aliquam rem, ſed divinam ſe aggredi exiſtiment, in qua proinde ſingularem omnino mentis integritatem, & pietatem a ſe adhibendam eſſe intelligant. Frequenter iiſdem ea monita paterna charitate inſinuent, quæ Angelus Raphael juniori Tobiæ dedit, cum de Matrimonio ab eodem cum Sara ineundo loqueretur. (2) *Audi me, & oſtendam tibi, qui ſunt, quibus prævalere poteſt Dæmonium. Hi namque, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſe, & a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem Dæmonium ſuper eos . . . . . . Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.* Ne quis etiam inconſulto, ac temere [quod non raro uſuvenire ſolet] conjugalis vitæ genus amplectatur; iterum, iterumque Fideles moneantur a Parochis, ut, antequam ea de re deliberent, divinam diligentiſſime voluntatem explorent; quam ſane exploratam habebunt, ſi aſſiduas ad Deum fundent preces, ſi ſæpe Pœnitentiæ, atque Euchariſtiæ munientur Sacramentis, ſi ſeipſos diligenter excutient, ut videant, an iis inſtructi ſint dotibus, quæ ad familiam recte gubernandam, ſancteque educandos liberos neceſſario requiruntur, ſi demum a prudente, doctoque conſcientiæ Moderatore, cui intimos animi

(1) 1. Ad Cor. cap. 7. v. 2., & 9. (2) Tobiæ cap. 6. v. 16.

animi ſui receſſus aperuerint, opportunum expoſcent conſilium.

V. Neque vero neceſſarium minus eſt infimis Deum precibus obteſtari, ne quis in deligenda, cui nubat, muliere decipiatur. Cum enim, uti Sacræ Nos docent Litteræ (1), *domus, & divitiæ dentur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens;* quis non videt, quanto animi fervore in hoc habendo delectu rogandus ſit Deus, ut mulier bona poſcenti obtingat, quantaque præterea adhibenda ſit cura, ut juxta Evangelicæ Legis, rectæque rationis præcepta hujuſmodi delectus fiat? Prudentiæ quidem virtus poſtulat, ut qui nubere vult, Sponſam exquirat ingenio, indole, conditione, ætate, cæteriſque rebus aliis ſibi, quoad fieri poſſit, parem. At qui felicem amat in Matrimonio vitam ducere, reliquis animi, corporiſque dotibus timorem Domini anteferat, cui Deus pacem, ubertatem, mutuamque fiduciam, ac benevolentiam adnexuit, cum ſcriptum ſit (2): *In timore Domini fiducia fortitudinis, & filiis ejus erit ſpes. Timor Domini fons vitæ, ut declinent a ruina mortis.*

VI. Tandem ne quid in contrahendis Nuptiis Chriſtianæ pietati deſit, Filii familias in ſeligenda Conjuge parentes ſuos conſulant, eorumque voluntati, ſi æqua ſit, ac juſta, obſequantur. Tametſi enim jure damnandi ſint (3) illi (ut eos Sancta Tridentina Synodus anathemate damnat) qui falſo affirmant, Matrimonia a filiis familias ſine parentum conſenſu contracta irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe; Nihilominus Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis ejuſmodi Matrimonia ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit. Et ſane numquam filii derogare magis videntur obedientiæ, quam divino, ac naturali jure parentibus debent, quam ſi, ipſis inconſultis, eas nuptias contrahant, aut contrahere curent, quæ parentibus jure, meritoque diſpliceant. Parentes vero ſerio cogitent, malos ſemper exitus habuiſſe invita, & exoſa connubia, adeoque diligentiſſime caveant,

(1) Prov. cap. 19. v. 14.
(2) Prov. cap. 14. v. 26. & 27.
(3) Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de matrim.

veant, ne filios tam duro imperio habeant, ut vel invitos ad Matrimonii jugum cogant, vel iis jungant, a quibus ipſi maxime alieno ſunt animo, cum Matrimonium omni ex parte liberum eſſe oportere, omnia Jura clament. Imo cum maxime nefarium ſit Matrimonii libertatem violare, populo Parochi edicant, ex Tridentini Concilii decreto (1) majoris excommunicationis vinculo ipſo facto innodari temporales Dominos, ac Magiſtratus, qui quovis modo directe, vel indirecte ſubditos ſuos, aut quoſcumque alios cogunt, quo minus libere Matrimonia contrahant.

VIII. Nos, ut pro Noſtri Paſtoralis Officii debito omnimodæ Matrimoniorum libertati conſulamus, Parochis ſub interminatione divini judicii, pœniſque arbitrio Noſtro infligendis diſtricte præcipimus, ut, antequam Matrimoniales denunciationes in Eccleſia fieri incipiant (2), utriuſque, vel alterutrius Sponſi, qui in ſua Parœcia degit, voluntatem, liberumque conſenſum explorent; & ſi expreſſe, vel uterque, vel alteruter renuat, ulterius non progrediantur: ubi vero probabilis aliqua ſeu ſuſpicio, ſeu conjectura de minus libera alterutrius voluntate ſuboriatur, Nos conſulant. Quod ſi a filiis familias nuptiæ ſint celebrandæ; antequam publicæ denunciationes fiant, parentum voluntatem, animumque exquirant, & ſi illos talibus nuptiis repugnare intelligant, tunc neque ad denunciationes, neque ad Matrimonium procedant; ſed ad Nos rem totam deferant, ut opportunis adhibitis remediis, cuicumque, ſi fieri poſſit, occurramus malo, ac libertati Matrimonii, filiorum familias utilitati, ac reverentiæ parentibus debitæ conſulamus.

(1) Trid. ſeſſ. 24. cap. 9. de reform. matrim.

(2) Ritual. Rom. tit. de Sacram. matrim. §. *Has autem*. S. Carolus in Inſtruct. matrim. tit. de Parochi diligentia; & in Concil. Prov. Mediol. III., IV., & V. tit. de iis, quæ ad matrim., Benedictus XIV. Inſtit. 46. num. 16.

AR-

ARTICULUS II.

De Sponſalibus de futuro.

CUM poſitum in more ſit, ut Nuptias præeant Sponſalia de futuro, mutua videlicet, ac deliberata futurarum nuptiarum promiſſio; juvat hìc de Sponſalibus pauca ſtatuere, ne in iis contrahendis forte peccetur, cum *difficile ſit* (1), *ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio*. Quamquam Sponſalia (2) cum voce, tum ſcripto iniri poſſint; Conſultius tamen eſt, tutiuſque, ut in tabulis exarentur publicis, ſive etiam, ſiquis velit, privatis, quæ tamen contrahentium ſubſcriptione, aut, ſi ſcribere neſciant, crucis ſigno, tribuſque teſtimoniis obſignatæ, publicis tabulis æquiparentur. Id autem ſuademus, non quod irrita ſint, ſi voce dumtaxat peragantur, ſed ut, ſi in controverſiam veniant, melius, ſolidiuſque comprobentur. Quando enim verba in tabulis deſcripta ſeriam, mutuamque utriuſque contrahentis exprimunt promiſſionem; non facile in judicio creditur, promittendi, ſervandive promiſſi animus abfuiſſe. Sponſalia, ut valeant, & in utroque obligent foro, debent eſſe mutua promiſſio, quæ vera ſit, non coacta, aut per vim, ac metum extorta; deliberata, non præceps; exterius manifeſtata, non mere interna; facta demum a perſonis legitimis, quæ ad contrahendum ſuo tempore Matrimonium, quod pollicentur, nullo Canonico impedimento detineantur. Hæc populum Parochus diligenter edoceat, ac procaces potiſſimum adoleſcentes abſterreat, ne incautas, ſimpliceſque puellas ficta Matrimonii promiſſione decipiant. Scire illos jubeat, grave ab ipſis crimen in ejuſmodi deceptione patrari, ac præterea reſarciendum (3) ab iiſdem eſſe detrimentum omne, quod ex eorum dolo puella decepta patiatur. Illud etiam ipſos moneat, ne ſponſalia ſine

(1) Can. *Principatus*. cauſ. 1. qu. 1.

(2) Benedictus XIV. Inſtit. 46. n. 15.

(3) Cap. *Si culpa*. 9. de injuriis, & damno dato.

ſine Parentum conſenſu, multoque magis iis invitis, ac reluctantibus ineant: non enim tunc culpa vacant, & ſi juſta fuerit Parentum diſſenſio, & conſtans voluntas, dirimenda prorſus erunt, etiamſi in iis contrahendis jurisjurandi interceſſerit religio: non enim juramentum eſſe debet vinculum iniquitatis.

II. *Si infantes invicem, vel unus major ſeptennio, & alter minor* (ita ſtatuit Bonifacius VIII. (1)) *Sponſalia contraxerint ipſi, vel parentes pro eis; niſi per cohabitationem eorum mutuam, ſeu alias verbo, vel facto ipſorum liquido appareat, eoſdem in eadem voluntate factos majores ſeptennio perdurare; Sponſalia hujuſmodi, quæ nulla ab initio erant, per lapſum dicti temporis minime convaleſcunt: & ideo cum nulla ſint ratione defectus conſenſus, publicæ honeſtatis juſtitiam non inducunt ...... Porro ex Sponſalibus, quæ parentes pro filiis puberibus, vel impuberibus plerumque contrahunt, ipſi filii, ſi expreſſe conſenſerint, vel tacite, ut ſi præſentes fuerint, nec contradixerint, obligantur, & ex eis oritur juſtitia publicæ honeſtatis. Et idem eſt, ſi filii tempore Sponſaliorum abſentes, & etiam ignorantes, eadem Sponſalia, poſt ſcientiam, ratificaverint tacite, vel expreſſe: alias ex Sponſalibus contractis a parentibus pro filiis, nec ipſi filii obligantur, nec publicæ honeſtatis juſtitia inde conſurgit.*

III. Ætas itaque ad Sponſalium validitatem communiter requiſita, eſt completum ſeptennium: ea enim ætate rationis uſu pollere pueri communiter ſolent, At ſi cui rationis uſus citius adveniat (2), & malitia, ſeu potius prudentia ſuppleat ætatem, [de qua tamen re Noſtrum dumtaxat erit judicare] tunc etiam ante completum ſeptennium inita valebunt Sponſalia. Impuberes autem quicumque (3), nonniſi poſt pubertatem adeptam reſilire a contractis Sponſalibus valide, ac licite poſſunt, ita tamen, ut qui primo pubeſcit, reſilire ſtatim pro libito valeat, nec alterum, donec pubeſcat, expectare teneatur. At ſi pubes (4) cum impube-

(1) Cap. *Si infantes*. de deſponſat. impuber. in 6.

(2) Cap. *Puberes*, cap. *De illis*, cap. *A nobis*, & c. *Tuæ*. de deſponſat. impuber.

(3) Cit. cap. *De illis*, & cap. *A nobis*.

(4) Cit. cap. *De illis*. §. *Cum Mulier*. & arg. L. *Non eo minus*. ff. *De Procuratoribus*.

pubere contraxerit; non ille, ſed iſte dumtaxat, cum ad pubertatem devenerit, Sponſalia reſcindere pro arbitrio poterit. Hanc autem reſciſſionem impuberes pubertatem adepti exequi, ac declarare ſtatim debent, ideſt intra triduum, ex quo pubertatem attigerint: In Jure enim (1) fieri in continenti aliquid dicitur, ſi intra triduum fiat. Ni fecerint, tacite rata eos habuiſſe Sponſalia præſumetur, ſi præſertim aut Sponſi nomen adhuc patiantur, aut familiariter cum Sponſa verſari, ſeu munera eidem dare, aut ab ea recipere pergant.

IV. *Cum ex Nuptiarum promiſſione*, ut ait Angelicus Doctor (2), *obligetur unus alii ad Matrimonium contrahendum, & peccet mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi legitimum interveniat impedimentum*; Inde fit, ut, quamquam puberum Sponſalia mutuo eorumdem conſenſu diſſolvi poſſint; neutri tamen, altero reluctante, liceat alia inire Sponſalia, niſi canonica intercedat cauſa, non quidem ab ipſis, [nequeunt enim Judicis ſimul, partiſque munus agere] ſed a Nobis ad Sacrorum Canonum normam dijudicanda. Qui ſecus fecerit, gravis reus erit culpæ, infamiæ (3) notam incurret, invalide nova inibit Sponſalia, & a Nobis propter violatam alteri fidem Noſtro punietur arbitrio. Quamobrem Populo Parochus edicet, ſecundum Canonicas Leges *illos, qui de Matrimonio contrahendo* (4) *pure, & ſine omni conditione fidem dederunt*, [ſi fidem ſervare renuant] *commonendos a Nobis eſſe, & modis omnibus inducendos, ut præſtitam fidem obſervent, & ſi Noſtris monitis non acquieverint, Eccleſiaſticis Cenſuris eſſe compellendos*.

V. Uſuvenit aliquando, ut poſt Sponſalia legitime contracta, ſive vir, ſive mulier alio abeat, nullumque inter ipſos ſive litterarum, ſive nunciorum commercium habeatur. In his circum-

(1) L. *Sententiis*. cod. de error. Advocatorum, & L. *Cum ſpecialis*. cod. de judiciis.

(2) S. Th. 4. ſentent. diſt. 27. qu. 2. art. 1. ad 2.

(3) L. 1. ff. *De his*. qui notantur infamia, Theſaurus de pœnis Eccl. par. 2. cap. 1. v. *Sponſalia*.

(4) Cap. *Præterea*, & cap. *Ex Litteris*. de ſponſalibus.

ſtantiis Jus Civile (1) biennium expectari jubet; ſecus vero Jus Pontificium. *De illis autem* (ſic decernit Alexander III. (2)) *qui præſtito juramento promittunt, ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea, eis incognitis, dimittunt terram, ſe ad alias partes transferentes, hoc tibi volumus innoteſcere, quod liberum erit mulieribus ipſis (ſi non eſt amplius in facto proceſſum) ad alia vota ſe transferre.* Quare juxta Canonicas Leges ad Epiſcopum confugiendum eſt (3), & ab eo tempus abſenti præfigendum, intra quod niſi redierit, facultas alteri Sponſo fiat, ut quamlibet vitæ rationem amplecti, aliaque, ſi velit, Sponſalia inire poſſit. Siquis igitur in Noſtra Diœceſi ejuſmodi caſus eveniat, rem ad Nos deferri jubemus, ut abſenti certum tempus præſcribamus, intra quod niſi redierit, decreto Noſtro alter ab omni exemptus vinculo declaretur.

VI. Solent in Tuſculana Noſtra Diœceſi Sponſalia firmari quodammodo, ac ſtabilitate donari per annulum, quem Sponſus Sponſæ, tamquam ſuæ fidei arrham, præbet. At non aliud exinde jus Sponſus acquirit, niſi ad Matrimonium cum Sponſa contrahendum, vel intra certum tempus in contractu Sponſalitio præfixum [niſi forte ab eo tunc contrahendo juſta excuſet cauſa] vel ſi nullum præfixum ſit tempus, quam primum commode fieri poterit, ſi ab altera parte exigatur. Quare Parochi, & Confeſſarii ſedulo curent, ut ille, quem irrepſiſſe accepimus, eliminetur abuſus, quo videlicet Sponſus puellam, cui ſe nupturum promiſit, non modo ſuam vocitare, verum etiam non ſecus ac jam ſua ſit conjux, modo ex iracundia illam contumeliis, injuriiſque, & quandoque verberibus male multare, modo [quod eſt longe deteſtabilius] ex inſano quodam amoris æſtu liberius cum eadem, & confidentius, quam par eſt, verſari ſolet. Adverſus impudentiſſimam hanc licentiam acerrime Parochi invehantur, Populoque edicant, nonniſi male auſpicata ea eſſe poſſe Connubia,

(1) L. 2. cod. de Sponſalibus, & L. 17. ff. eod. tit.

(2) Cap. *De illis*. de Sponſalibus.

(3) Benedictus XIV. Inſtit. 46. n. 5.

bia, quibus peccato præluditur. Sponſos præterea (1), eorumque parentes, & conſanguineos ſerio moneant, ne umquam ipſa urbanitatis officia Sponſum, & Sponſam, ſemotis arbitris, ſibi mutuo præſtare patiantur. *Cum autem Epiſcopi cura ſit*, ut inquit S. Carolus Borromæus (2), *pœnis, & Cenſuris, quas arbitratu ſuo conſtituerit, ſancire, ne Sponſi, priuſquam Matrimonium in Eccleſia per verba de præſenti ex ritu celebraverint, non modo non ſimul habitent, ſed ne ullo quidem modo mutua conſuetudine, commerciove utantur*; Nos ſecreta Sponſorum colloquia, nocturnas, aut etiam diurnas ipſas, ſi frequentes ſint, viſitationes, multoque magis eorum cohabitationem ſub pœna pecuniaria, carceris, aliiſque gravibus pœnis pro modo culpæ tum adverſus Sponſos, tum adverſus eorum Parentes, arbitrio Noſtro infligendis diſtricte prohibemus. Parochorum autem conſcientiam hac in re graviter onerantes, iiſdem præcipimus, ut ſiquos in ſua Parœcia noverint Noſtræ hujus legis violatores, Nobis, aut Vicario Noſtro Generali denuncient: ſecus in ipſos quoque ſevere, ac ſuſpenſione a divinis, ſi opus ſit, animadvertemus. Tandem ſi eo temeritatis, atque impudentiæ Sponſi devenerint, ut ante nuptiarum celebrationem rem ſimul habeant, non modo criminis abſolutionem Nobis reſervamus, verum etiam reos gravibus corporalibus pœnis puniemus; neque indulgentiores erimus erga parentes, conſanguineos, affines, & alios quoſcumque, quibus Sponſarum cuſtodia commiſſa fuerit, ſi Sponſi in Domo Sponſæ frequentiam, ex qua ſecuta fuerit copula, connivendo permiſerint.

VII. Alicubi olim Sponſalia de futuro his verbis (3) contrahebantur: *Ego te in uxorem accipio, ego te in maritum accipio coram Deo, Beata Virgine, aliiſque Sanctis*. Huic contractui neque Parochus, neque Teſtes aderant; aut ſi Teſtes adhiberentur, aberat certe Parochus. Contractus iſte, ſi bene res perpendatur,

(1) Benedictus XIV. Inſtit. 46. n. 21., Synodus Tuſculana anni 1703. cap. 6., Sublacenſis anni 1674. cap. 14. num. 10.

(2) In Actis Eccleſ. Mediolan. to. 1. pag. 257. cap. 1. qu. 10.

(3) Benedictus XIV. Inſtit. 46. a n. 22.

Digitized by Google

tur, neque Matrimonium erat, neque Sponſalia. Non primum, quia poſt Tridentinam Synodum nonniſi coram Parocho, ac duobus ſimul teſtibus Matrimonium valide celebratur. Non ſecundum, quia Sponſalia per aſſenſum non de præſenti, ſed de futuro conſtituuntur: *ſunt enim mutua futurarum nuptiarum promiſſio*, uti Nicolaus I. (1) affirmat. Quid ergo erat? Dictitabant aliqui, eſſe invalidum quidem Matrimonium, ſed quod in Sponſalia de futuro reſolveretur. At immerito, nam Matrimonia, quæ ſine Parocho inita a Tridentina Synodo irritantur, in Sponſalia non tranſeunt, uti conſtanter Sacra Congregatio (2) Concilii declaravit, & Theologi, Sacrorumque Canonum Interpretes unanimi conſenſu docuerunt. Cum itaque ex una parte conventiones hujuſmodi nullam obligationem inducant; ex alia vero ſeduci per eas puellæ facillime poſſint; Illas proinde ſub gravibus arbitrio Noſtro infligendis pœnis prohibemus, ac volumus, ut ſecundum Canonicas Sanctiones Sponſalia per verba *de futuro*, Matrimonia vero per verba *de præſenti* coram Parocho, ac duobus Teſtibus prolata ineantur.

VIII. Illud Parocho injunctum eſt onus, ut inquit Benedictus XIV., (3) ut, antequam denunciationes de ineundo Matrimonio inter Miſſarum ſolemnia fiant, ipſe tum Sponſum, tum Sponſam ſeorſim, &, ut dicitur, ad aurem explorare ſtudeat, an ſponte, ac libenter, veroque cum animi conſenſu in Matrimonium viciſſim conjungantur? an aliquod, & cujus generis impedimentum inter contrahentes intercedat? an aliis fidem, ſponſionemque alter ex contrahentibus dederit? an filii, filiæque familias de conſenſu Parentum contrahant? an legitimæ ſint ætatis, itaut vir ſaltem decimumquartum, mulier vero duodecimum annum expleverit? an eo anno Paſchalis Communionis præcepto ſatisfecerint? an ſumma, & eſſentialia Doctrinæ Chriſtia-

(1) Can. *Noſtrates*. cauſ. 30. qu. 3.

(2) Sac. Cong. Concil. in Meſſinen. ann. 1573., in Geracen. ann. 1569., & alibi apud Bened. XIV. Inſtit. 46. n. 23.

(3) Benedictus XIV. Conſt. *Nimiam licentiam*. §. 10. edita 18. Maii 1743.

ſtianæ capita probe ſciant, in quibus liberos, quos ſuſcepturi erunt, erudire valeant? an Confirmationis Sacramentum uterque rite ſuſceperit? &c. Hæc, aliaque hujuſmodi poſtquam Parochi accuratiſſime exploraverint, ſiquid eorum ſive deficere, ſive Matrimonio contrahendo obſtare poſſe deprehenderint; mandamus, ut nullæ ab iis denunciationes fiant, ſed rem totam ad Nos deferant, ut pro Noſtri muneris debito conſilium opportunum capiamus.

ARTICULUS III.

De trina publica denunciatione Matrimonio præmittenda.

EXploratis diligenter a Parocho Sponſis nubere volentibus, ſi nihil is denunciationibus faciendis obſtare tuto animadverterit, petita prius, obtentaque a Nobis, aut a Vicario Noſtro Generali licentia, tribus (1) continuis, interpolatis tamen, feſtis diebus inter Miſſarum ſolemnia, cum populus frequentior aderit, Matrimonium contrahendum clara voce proclamet, ut, ſi quod adſit inter contrahentes Canonicum impedimentum, a ſcientibus detegatur. *Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio* (inquit Tridentina Synodus (2) *Matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot* (nempe tres) *præceſſerint denunciationes, tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus Teſtibus præſentibus, Matrimonium celebretur, ac deinde ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiant, ut, ſi aliqua ſubſunt imdimenta, facilius detegantur, niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur; quod illius prudentiæ, atque judicio Sancta Synodus relinquit*. Nos itaque hac Nobis a Tridentino tradita facultate non utemur, niſi ubi ineluctabilis exigat neceſſitas, ac niſi ex adhibitis diligentiis, acceptiſque certis notitiis nullum inter contrahentes intercedere impedimentum Nobis certo conſtiterit.

II. Si

(1) Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. Matrim.

(2) Trid. loc. cit.

II. Si Sponſus, & Sponſa diverſas Noſtræ Diœceſis incolant Parœcias, in utraque trinæ denunciationes fiant, ac neuter Parochus aſſiſtere nuptiis audeat, niſi habita alterius Parochi atteſtatione (quæ gratis omnino detur) de tribus proclamationibus in ſua Parœcia rite factis, & quod nullum inde legitimum detectum fuerit impedimentum. Quod ſi alteruter contrahens alienæ ſit Diœceſis; etiamſi non abſimilem Parochi ſui atteſtationem adducat; ea tamen non admittatur, niſi munita fuerit Epiſcopi proprii legalitate, & recognita a Nobis, ſeu a Vicario Noſtro Generali fuerit, & approbata. Parochus numquam aut contrahendum Matrimonium denunciet, aut eidem aſſiſtat, niſi Sponſi, ſive ſibi noti ſint, ſive ignoti, ſive Cives, ſive exteri, in Noſtra Eccleſiaſtica Curia certo, ac rite ſe ab omni Canonico impedimento liberos eſſe probaverint: Si ſecus fecerit, ſuſpenſione ab officio, aliiſque gravibus pœnis arbitrio Noſtro infligendis punietur. Eam ob cauſam nulla contrahendi matrimonii denunciatio fiat, niſi expreſſa ad id a Noſtra Curia in ſcriptis facta fuerit facultas. A Teſtium examine ſuper libero cujuslibet ſtatu Vicarii Foranei prorſus abſtineant, niſi illud juſtis de cauſis a Nobis in ſcriptis commiſſum iiſdem fuerit: quo tamen in caſu examen recipi mandamus juxta inſtructionem a Supremæ Inquiſitionis Congregatione præſcriptam die 22. Auguſti 1670., & a Clemente X. confirmatam, cujus exemplar damus in Appendice *num.* 28. Ubi autem ejuſmodi examen exceperint, ad Vicarium Noſtrum Generalem tranſmitti illud jubemus, ut ſuper libero contrahentium ſtatu rectum pronunciari poſſit judicium.

III. Si Sponſorum alteruter per ſex continuos menſes a Noſtra Diœceſi abfuerit; nedum illi nuptias inire non liceat, ſed ne proclamationes quidem jubere (1), niſi prius per legitima documenta ab Epiſcopali Curia ejus loci, quem incoluit, ſibi donata, liberi ſtatus conditionem Nobis certo, ac rite probaverit. Quoad exterorum Matrimonium ſervari exacte jubemus decreta

Sacræ

(1) Synod. Mediol. ann. 1710. de Sacram. Matrim. §. 2.

Digitized by Google

Sacræ Congregationis S. Officii, quorum exemplar exhibemus in Appendice *num.* 29. Quoad vagos vero ſervetur omnino hoc Tridentini (1) decretum: *Multi ſunt, qui vagantur, & incertas habent ſedes; & ut improbi ſunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente, diverſis in locis ducunt. Cui morbo cupiens Sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos ſpectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facile recipiant. Magiſtratus etiam Sæculares hortatur, ut eos ſevere coerceant. Parochis autem præcipit, ne illorum Matrimoniis interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint, &, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Quod ſi alter Conjugum extra Noſtram Diœceſim deceſſerit (2), ſuperſtes vero ſecundas petat nuptias, proclamationes ne fiant, niſi prius Nobis, aut Vicario Noſtro Generali prioris Conjugis obitus non per probabiles conjecturas, aut per diuturnam quamlibet abſentiam, ſed per legitimas probationes exploratus omnino fuerit, liquidoque perſpectus: Si ſecus fiat, graviſſimis inobedientes plectentur pœnis.

IV. Si quod impedimentum, cum denunciationes fiunt, Parocho deferatur; quamquam vel falſum, vel dubium, vel malitioſum eidem videri poſſit; is tamen a reliquis denunciationibus illico abſtineat, & rem totam Nobis, aut Vicario Noſtro Generali ſignificet, ut id conſilii capiamus, quod in Domino expedire judicabimus. Ne vero inutiles ſint ejuſmodi Matrimoniorum denunciationes, Fideles curæ ſuæ concreditos Parochi moneant. 1. eos, qui impedimentum aliquod ſciunt, ſive certum illud ſit, ſive dubium, ſive probari poſſit, ſive nequeat, illudque ſive Parocho, ſive Nobis, ſive Curiæ Noſtræ non revelant, præter excommunicationis pœnam, cui ſunt obnoxii, grave crimen admittere (3), eorumque reos eſſe malorum, quæ ex damnato con-

(1) Trid. ſeſſ. 24. cap. 7. de reform. Matrim.

(2) Cap. *Dominus*. de ſecundis nuptiis, cap. *In præſentia*. de Sponſal., & Matrim.

(3) Cap. *Super eo*. de teſtibus; cap. *Præterea*. de Sponſalibus, & cap. *Delectus*. de elect.

Digitized by Google

connubio naſcuntur, & quibus facile occurrere poterant, Canonicum revelando impedimentum. 2. eos, qui ſcienter, ac dolo malo ad impediendum, vel protrahendum Matrimonium (1) aut Parocho, aut Curiæ Noſtræ falſum impedimentum deferunt, gravi ſe crimine alligare, ad omnia reſarcienda damna, quæ inde proximo inferunt, teneri, graviſſimis tandem arbitrio Noſtro pœnis eſſe multandos. Denique volumus, ac mandamus, ut iidem Parochi aliquoties in anno Populo brevibus verbis Canonica explicent impedimenta, per quæ vel illicitum, vel invalidum redditur Matrimonium. Hanc ob cauſam de iiſdem impedimentis pauca ſubnectimus.

ARTICULUS IV.

De Matrimonii impedimentis.

IMpedimenta Matrimonii alia impedientia, alia dirimentia dicuntur. Priora illicitum tantum; poſteriora & illicitum, & invalidum reddunt Matrimonium. Utraque ab Eccleſia conſtitui potuiſſe, ac ſapienter fuiſſe conſtituta Tridentina Synodus his verbis definivit (2): *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit.*

ARTICULUS V.

De impedimentis Matrimonii impedientibus.

MAtrimonii impedimenta, quæ mere impedientia dicuntur, olim quidem erant plura, nunc autem quatuor ſunt, videlicet *Sacratum tempus*, *Vetitum*, *Sponſalia*, *Votum*. Singula paucis explicemus.

II. *Sacratum*, *ſeu Feriatum tempus* illud eſt, quo juxta præſen-

(1) Cap. *Cum inhibitio.* de clandeſtina deſponſatione. (2) Trid. ſeſſ. 24. de Matrim. can. 4.

ſentem Eccleſiæ diſciplinam non quidem Matrimonium, ſed ejus ſolemnitas Fidelibus ab Eccleſia prohibetur, videlicet Nuptiarum benedictio, ſolemnis Sponſæ in Sponſi domum traductio, ſolemniora convivia, ac tripudia, aliaque hujuſmodi, quæ Matrimonii ſolemnitatem conſtituunt. *Ab adventu Domini Noſtri Jeſu Chriſti* (ita Tridentina Synodus (1) decrevit) *uſque ad diem Epiphaniæ, & a Feria quarta Cinerum uſque ad Octavam Paſchæ incluſive antiquas ſolemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari Sancta Synodus præcipit: in aliis vero temporibus nuptias ſolemniter celebrari permittit, quas Epiſcopi, ut ea, qua decet, modeſtia, & honeſtate fiant, curabunt: Sancta enim res eſt Matrimonium, & ſancte tractandum.* Nuptiarum autem benedictio in eo ſita eſt, ut Parochus (2), poſtquam Sponſos, ſervatis Eccleſiæ ritibus in Rituali Romano deſcriptis, in Matrimonium conjunxit, ſacrum illud *pro Sponſo, ac Sponſa* faciat, quod ultimum in Romano Miſſali inter ſacra votiva reperitur; aut ſi Nuptiarum dies ſit Dominicus (3), aut alius feſtus dies, quo Sacrum ejuſmodi fieri nequeat, de die Dominico, ſeu Feſto Sacrum faciat, eique orationem *pro Sponſo, ac Sponſa*, aliaſque pro benedictione Sponſi, ac Sponſæ preces ſuperaddat, quæ *poſt Orationem Dominicam, & Ite Miſſa eſt* recitari conſueverunt. Hæc Nuptiarum benedictio fieri nequit toto feriato tempore, quo Nuptiæ prohibentur: quare ſi Sponſi ſacrum tunc expoſcant, ut Euchariſtica dape reficiantur; Parochus ſacrum ejus diei faciet, neque ſupradictas orationes recitabit. Vetita quoque eſt ſacrato tempore ſolemnis Sponſæ in Sponſi domum traductio, non tamen privata (4), quæ abſque ſolemnitatibus fiat, uti Sacra Concilii Congregatio declaravit, & praxis quotidiana confirmat. Quare merito cum Angelico Doctore Ven. Cardinalis Bellarminus (5) af-

 firmat,

(1) Trid. ſeſſ. 24. cap. 10. de reform. Matrim.

(2) Benedictus XIV. Inſt. 80. a n. 10.

(3) Meratus in to. 1. par. 1. ſuper Gavantum tit. 4. n. 10.

(4) Benedictus XIV. Inſtit. 80. n. 21., Synod. Farſen. ann. 1685. cap. 14. n. 12.

(5) Card. Bellarm. tom. 3. Controv. lib. 1. de Sacram. Matrim. cap. 31.

Digitized by Google

firmat, *non interdici his feriarum temporibus celebrationem Matrimonii per verba de præſenti, & etiam conſummationem, ſed ſolemnem tantum Sponſæ deductionem, & publicam illam Pompam, & convivia, quæ in ſolemnitate Nuptiarum adhiberi ſolent*. Ut hæ ſanctiſſimæ leges accurate ſerventur, Nos feriato tempore, cum facultatem Parocho faciemus Sponſos in Matrimonium jungendi, eidem Concilii Tridentini, ac Ritualis Romani obſervantiam injungemus; Sponſis vero interdicemus, ne ullam eo tempore nuptiarum ſolemnitatem adhibeant; in Noſtræ autem juſſionis tranſgreſſores pro modo culpæ animadvertemus.

III. Alterum impedimentum eſt *Eccleſiæ vetitum*, quando videlicet juſtam ob cauſam vel Romanus Pontifex, vel Epiſcopus interdicit (1), ne Matrimonium contrahatur, cum hoc tamen diſcrimine, quod ſi Romanus Pontifex interdicto ſuo clauſulam addat irritantem, (quod tamen facere non ſolet) invalidum erit, ſi contrahatur, Matrimonium: ſi vero mere prohibentem adjungat, erit dumtaxat illicitum. At Epiſcopus, ſicut impedimenta dirimentia ſtatuere nequit, ita neque uti clauſula irritante poteſt, adeoque illicitum quidem erit, ſed validum (2) Matrimonium, quod contra Epiſcopi interdictum contrahatur.

IV. *Sponſalia de futuro* ſunt tertium impedimentum: ſi quis enim cum puella Sponſalia contraxerit, licite (3) nequit alteri nubere, niſi prius vel mutuo conſenſu, vel per Judicis ſententiam, juſta intercedente cauſa, priora diſſoluta fuerint ſponſalia. Nam qui, prioribus integris ſponſalibus, alteri nuberet, datam priori Sponſæ frangeret fidem; quod non licet.

V. Quartum denique impedimentum *eſt votum ſimplex* caſtitatis, vel non ineundi conjugium, vel Religionis ingrediendæ, vel ſuſcipiendi Sacros Ordines. Ejuſmodi enim vota non dirimunt

(1) Cap. 1., 2., & 3. de Matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ, & cap. fin. de clandeſt. deſponſat.

(2) Sacra Congregatio Concilii in Giennen. ann. 1581. ad 1., & 2.

(3) Cap. *Ex Litteris*. cap. *Ad audientiam*. de Sponſalibus, & cap. 1. de pactis.

Digitized by Google

rimunt quidem, ſed (1) illicitum reddunt Matrimonium, niſi juſta de cauſa ab Eccleſiaſtica Poteſtate relaxentur.

ARTICULUS VI.

De impedimentis dirimentibus Matrimonium.

QUatuordecim impedimenta Matrimonium dirimentia Sanctus Thomas (2) his verſiculis in memoriæ ſubſidium comprehenſa recenſet:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, Ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Si Parochi, aut duplicis deſit præſentia teſtis,
Raptaque ſit mulier, nec parti reddita tutæ,
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

De ſingulis pauca dicamus.

De errore.

II. Quadruplex in Matrimonio contrahendo eſſe poteſt error; perſonæ videlicet, fortunæ, conditionis, & qualitatis. *Error perſonæ* (3) *eſt, quando hic putatur eſſe Virgilius, & ipſe eſt Plato. Error fortunæ, quando hic eſſe putatur dives, qui pauper eſt, vel e converſo. Error conditionis, quando putatur eſſe liber, qui Servus eſt. Error tandem qualitatis, quando putatur bonus, qui malus eſt.*

III. *Error perſonæ conſenſum conjugis non admittit*: Errantis enim nullus eſt conſenſus: ubi autem conſenſus (4) non adeſt, ne adeſſe quidem poteſt Matrimonium: non enim concubitus, ſed conſenſus nuptias (5) facit. *Error fortunæ* (6), *& qualitatis non excludit conſenſum. Sic quæ nubit pauperi putans illum eſſe divitem,* non

Nnnnn 2

(1) Cap. *Conſuluit*; & cap. *Rurſus*. qui Clerici, vel voventes; & cap. unico. de voto in 6.

(2) S. Th. par. 3. qu. 50. ſupplement. art. 1.

(3) Can. *Quod autem*. cauſ. 29. qu. 1.

(4) Cap. *Cum locum*. de Sponſalibus.

(5) L. *Nuptias*. ff. de reg. Juris.

(6) Cit. can. *Quod autem*.

non poteſt renunciare priori conditioni, *quamvis erraverit*. *Similiter qui ducit in uxorem Meretricem*, *vel corruptam*, *quam putabat eſſe caſtam*, *vel virginem*, *non poteſt eam dimittere*, *& aliam ducere*. Conſenſus enim in rei ſubſtantiam fertur, non in ea, quæ rei per accidens conveniunt. Siquis autem contrahere nuptias omnino nollet, niſi ſub hujus, vel illius qualitatis conditione; tunc, ſi ea qualitas deſit, deeſt quoque conſenſus, invalidumque eſt Matrimonium: irritus enim eſt contractus quilibet (1), ſi ea, ſub qua initur, honeſta de præſenti conditio deſit.

De Conditione.

IV. *Conditionis error* tunc habetur, quando quis liber Mulieri nubit, quam per errorem eſſe liberam putat, cum tamen libera non ſit, ſed ancilla. *Siquis ingenuus homo uxorem ancillam alterius acceperit*, uti Sacri Canones (2) ſtatuunt, *& exiſtimat*, *quod ingenua ſit*; *ſi ipſa fœmina poſtea in ſervitute fuerit detecta*; *ſi voluerit*, *aliam accipiat*. *Si autem ancillam eam ſciverit*, *legitimam eam habeat*. *Similiter & Mulier ingenua de ſervo alterius facere debet*. Si vero liber nuptias cum muliere contrahat, quam ſcit eſſe ancillam, vel viceverſa, tunc & licitum, & validum eſt, quod initur, Matrimonium. *Si fœmina ingenua* (ſic inquit Zacharias Papa (3)) *Servum acceperit ſciens*, *quod Servus eſſet*, *habeat eum*. Valet quoque conjugium, quod inter duas ſervilis conditionis perſonas, licet invitis Dominis, mutuo conſenſu celebretur. *Juxta verbum Apoſtoli*, ut ait Adrianus Papa (4), *ſicut in Chriſto Jeſu neque liber*, *neque ſervus eſt a Sacramentis Eccleſiæ removendus*; *ita nec inter ſervos Matrimonia debent ullatenus prohiberi*; *& ſi contradicentibus Dominis*, *& invitis contracta fuerint*, *nulla ratione ſunt propter hoc diſſolvenda*. *Debita tamen*, *& conſueta ſervitia non*

(1) L. *Cum ad præſens*. ff. de rebus credit.

(2) Can. *Si quis ingenuus*. cauſ. 29. qu. 2., & cap. *Ad noſtram*. de conjugio Servorum.

(3) Can. *Si fœmina*. cauſ. 29. qu. 2., cap. *Propoſuit*, & cap. *Ad noſtram*. de conjugio Servorum.

(4) Cap. *Dignum eſt*. de conjugio Servorum.

Digitized by Google

non minus debent propriis Dominis exhiberi. Verum cum ſervitus apud Chriſtianos in deſuetudinem jamdudum abierit, hæc innuiſſe ſufficiat.

De Voto.

V. Non quodlibet, ſed ſolemne dumtaxat caſtitatis votum eſt impedimentum dirimens Matrimonium, illud videlicet, quod vel in Sacri Ordinis ſuſceptione, vel in ſolemni Religioſæ Profeſſione nuncupatur. *Præſentis declarandum duximus oraculo ſanctionis*, inquit Bonifacius VIII. (1), *illud ſolum votum debere dici ſolemne quantum ad poſt contractum Matrimonium dirimendum, quod Solemnizatum fuerit per ſuſceptionem Sacri Ordinis, aut per Profeſſionem expreſſam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis*. Conſonat Tridentina Synodus (2), quæ ſic definivit: *Siquis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto, anathema ſit*. Hoc tamen inter utrumque votum intercedit diſcrimen, quod ſolemne Votum Ordini Sacro adnexum dirimit quidem Matrimonium, quod poſt Ordinis ſuſceptionem contrahatur, non tamen, quod ante Ordinis ſuſceptionem fuerit contractum, licet ratum dumtaxat ſit, non conſummatum. *Licet* (3) *votum* (inquit Joannes XXII.) *ſolemnizatum per Sacri ſuſceptionem Ordinis quantum ad impediendum matrimonium contrahendum, atque ad dirimendum, ſi poſt contractum fuerit, ſecundum ſtatuta Canonum ſit efficax reputandum; Ad ſolvendum tamen prius contractum, etiamſi per carnis copulam non fuerit conſummatum, cum nec Jure divino, nec per Sacros Canones reperiatur hoc ſtatutum, invalidum eſt cenſendum*. Contra vero ſolemne Religioſæ Profeſſionis votum dirimit etiam Matrimonium contractum, quod ratum dum-

(1) Cap. unico. de voto in *6.*, cap. *De Diacono*; cap. *Ex litterarum tuarum tenore*; cap. *Meminimus*; cap. *Inſinuante*. qui Clerici, vel voventes; cap. *Si qui Clericorum*. de Cleric. conjug.

(2) Trid. ſeſſ. 24. cauſ. 9. de Matrim.

(3) Extrav. *Antiquæ*. Joann. XXII. de voto.

Digitized by Google

dumtaxat ſit, & non conſummatum, quemadmodum Tridentina Synodus (1) definivit: *Siquis dixerit, Matrimonium ratum non conſummatum per ſolemnem Religioſam Profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit.*

De Cognatione.

VI. Triplex eſt cognatio, naturalis, ſpiritualis, & Legalis. Naturalis, quæ *conſanguinitas* nuncupatur, eſt vinculum quoddam perſonarum, quæ ab una perſona, tamquam ab eodem ſtipite, per carnalem propagationem derivantur. Hujus conſanguinitatis linea eſt ordinata ejuſmodi perſonarum ſeries, inter quas communio ſanguinis intercedit. Duplex autem eſt linea; alia recta, tranſuerſalis, ſeu collateralis altera. Recta eſt earum perſonarum ſeries, quarum una ab alia gignitur; quæ ſi fiat deſcendendo ex. gr. a Patre ad Filium, Nepotes &c., *linea recta deſcendentium*; ſi vero fiat aſcendendo a Filio ad Patrem, Avum, Proavum &c., *linea recta aſcendentium* appellatur. Linea collateralis eſt earum perſonarum ſeries, quarum una non gignitur ab altera, omnes tamen ab eodem ſtipite promanant. Hæc alia eſt æqualis, inæqualis altera. In Linea æquali eæ ſunt perſonæ, quæ ab eodem communi ſtipite æqualiter diſtant: quæ vero ab eodem diſtant inæqualiter, in linea ſunt inæquali. Tandem conſanguinitatis gradus eſt ipſa eadem unius perſonæ ab altera in ea dem conſanguinitatis linea ab eodem communi ſtipite diſtantia.

VII. Tres inſtitutæ ſunt regulæ ad dignoſcendum, quot inter ſe Conſanguinei diſtent gradibus. Prima pro linea recta, & hæc eſt. *Tot ſunt aſcendentium, & deſcendentium gradus, quot ſunt perſonæ, numeratis etiam intermediis, ſed uno dempto communi ſtipite.* Secunda pro linea collaterali æquali, & eſt hæc: *Quot gradibus quævis duarum perſonarum, de quibus inquiritur, a proximo communi diſtat ſtipite, tot gradibus diſtant inter ſe.* Tertia demum pro linea collaterali inæquali, quæ ſic habet: *Quot gradibus remotior* ex

(1) Trid. ſeſſ. 24. can. 6. de Matrim.

ex perſonis, quarum conſanguinitas quæritur, a communi diſtat ſtipite, tot gradibus inter ſe diſtant.

VIII. Conſanguinitas in recta aſcendentium, ac deſcendentium linea eſt impedimentum dirimens Matrimonium in infinitum. *Inter perſonas*, inquit Nicolaus I. (1), *quæ parentum, liberorumve locum inter ſe obtinent, nuptiæ contrahi non poſſunt, veluti inter patrem, & filiam, vel avum, & neptem, & uſque in infinitum*. Quod quidem verum eſt etiam de Jure Gentium, ac Civili. *De Jure Gentium inceſtum committit, qui in gradu aſcendentium, vel deſcendentium uxorem duxerit*: Sic in L. ult. ff. de ritu nuptiarum. *Nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas, quæ in numero parentum, liberorumve ſunt, ſive proximi, ſive ulterioris gradus uſque in infinitum*: Sic in L. *Nuptiæ* ff. de rituNuptiarum. Conſanguinitas in linea collaterali, quæ olim ad ſeptimum uſque gradum incluſive Matrimonium dirimebat, nunc ad quartum dumtaxat incluſive dirimit. *Prohibitio quoque*, ſic in Concilio Lateranenſi IV. ſtatuit Innocentius III. (2), *copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi prohibitio generaliter obſervari*.

IX. Quemadmodum ex naturali generatione *naturalis cognatio* oritur, quæ Matrimonium dirimit; ita ſapienter inſtituit Eccleſia, ut ex generatione etiam ſpirituali *ſpiritualis cognatio*, quæ Matrimonium dirimeret, oriretur. Cum autem per Baptiſmum dumtaxat, & Confirmationem ſpiritualis generatio habeatur [per Baptiſmum enim prima homini vita ſpiritualis datur, quæ deinde per Confirmationem perficitur, ac roboratur]; ita ex ſola Baptiſmatis (3), & Confirmationis, non vero ex aliorum Sacramentorum adminiſtratione, ac ſuſceptione cognatio ſpiritualis oritur, quæ Matrimonium dirimat, ac diſſolvat. Cum autem

(1) Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum cap. 39.

(2) Innocentius III. cap. *Non debet*. de conſanguinit., & affinit.

(3) Cap. *Quamvis*. de cognat. Spirituali in 6.

autem experientia docuerit, propter multitudinem prohibitionum multoties in caſibus prohibitis ignoranter contrahi Matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur; volens proinde Tridentina (1) Synodus huic incommodo providere, & a cognationis ſpiritualis impedimento incipiens, ſtatuit, *ut unus tantum vir, ſive mulier juxta Sacrorum Canonum ſtatuta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, inter quos, & baptizatum ipſum, & illius Patrem, & Matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur. Quod ſi alii ultra deſignatos baptizatum tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahant. Ea quoque cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem, & confirmatum, illiuſque Patrem, & Matrem, ac tenentem non egrediatur, omnibus inter alias perſonas hujus ſpiritualis cognationis impedimentis omnino ſublatis*. Spiritualis cognatio, quæ a Baptizato, vel Confirmato cum Baptizante, vel Confirmante, & cum Patrino, vel Matrina contrahitur, *Paternitas, & Filiatio ſpiritualis* dicitur: ea vero, quæ a Patrino, vel Matrina cum Patre, & Matre Baptizati, vel confirmati cum baptizante, vel confirmante contrahitur, *Compaternitas, & Commaternitas* nuncupatur. Dubitatum olim fuit, an, quemadmodum nullam ſpiritualem cognationem contrahit Patrinus ille, qui non baptizatus infantem e ſacro levat fonte; (cum enim ingreſſus per Baptiſmum in Eccleſiam non ſit, nullis Eccleſiaſticis legibus ſubditur) ita ſiquis non confirmatus in Confirmationis Sacramenti adminiſtratione Patrini munus exerceat, cum puero, qui confirmatur, ejuſque parentibus nullo cognationis ſpiritualis vinculo devinciatur? At dubitationem omnem ſuſtulit Sacra Congregatio Concilii, ad quam privative pertinet Tridentini Concilii decreta interpretari. Nam in una Licien (2) *poſt maturum examen, & diſcuſſionem cenſuit, non confirmatum, ſi ſuſceperit*

(1) Trid. ſeſſ. 24. cap. 2. de reform. Matrim.

(2) Sacra Congregatio Concilii in una Licien. 13. Julii 1654. decret. lib. 19. pag. 358.

aliquem in Sacramento Confirmationis, non contrahere cognationem ſpiritualem.

X. Cognatio tandem legalis a Civilibus legibus primum inventa, & mox a Sacris Canonibus recepta (1), eſt perſonarum propinquitas, quæ ex legitima adoptione oritur, certaſque inter perſonas dirimit Matrimonium. Triplex eadem eſt, Paternitas, Fraternitas, & Affinitas. *Paternitas legalis* eſt legalis cognatio in linea recta inter adoptantem, tamquam Patrem legalem, & adoptatum tamquam filium, ejuſque deſcendentes ad quartum gradum incluſive. Hæc Matrimonium dirimit (2), etiamſi per emancipationem ſoluta fuerit adoptio. *Fraternitas legalis* eſt legalis cognatio in linea collaterali (3), quæ Matrimonium dirimit inter naturales legitimos adoptantis filios, & adoptatum, tamquam inter fratres, & ſorores legales. Hæc, exſpirante adoptione, exſpirat. *Si qua mihi ſoror*, inquit Nicolaus Papa (4) ad conſulta Bulgarorum, *per adoptionem eſſe cœperit, quamdiu durat adoptio, inter me, & ipſam nuptiæ conſiſtere non poſſunt. Affinitas* tandem *legalis* eſt legalis cognatio inter adoptantem, & uxorem adoptati, ac viceverſa inter adoptatum, & uxorem adoptantis. Hæc Matrimonium dirimit, etiamſi ſoluta fuerit adoptio. *Adoptivus (5) filius, ſi emancipetur, eam, quæ patris adoptivi uxor eſt, ducere non poteſt, quia Novercæ locum habet.*

De crimine.

XI. Quatuor ſunt crimina, quæ de Jure Eccleſiaſtico Matrimonium dirimunt. Primum eſt alterutrius conjugis homicidium. Alterum eſt homicidium cum adulterio. Tertium eſt adul-

Ooooo

(1) L. *Adoptivus*. ff. de ritu Nuptiarum, & §. 1., ac 2. Inſt. de Nuptiis, can. *Ita diligere*, & can. *Per adoptionem*; cauſ. 30. qu. 3., cap. *Si quis*. de cognatione Spirituali.

(2) Cit. can. *Ita diligere*; & L. *Quin etiam*. de ritu Nupt.

(3) Cap. *Si qua*. de cognatione Legali, & L. *Qui in adoptionem*. ff. de adoptionibus.

(4) Cap. *Si qua*. de cognatione Legali.

(5) L. *Adoptivus*. ff. de ritu Nuptiarum.

adulterium cum futuri Matrimonii promiſſione. Quartum eſt adulterium, & Matrimonium, vivente priore conjuge, cum adultera attentatum. Singula percurramus.

XII. Quod ad primum attinet, tunc ejuſmodi crimen dirimens Matrimonium habetur, cum vir, ſeu mulier (1), non perpetrato adulterio, alicujus uxorem, ſeu maritum, altera parte conſentiente, occidit cum eo animo, ut poſt illius necem mutuum ineant Matrimonium. Tria itaque ad hoc impedimentum dirimens requiruntur. 1. ut tam vir, quam mulier ad innocentis conjugis mortem phyſice, aut moraliter concurrant. 2. ut ex mutua eorum machinatione innocens vere obierit. 3. ut mortis machinatio ab iis fiat cum eo animo, ut poſt innocentis obitum contrahant inter ſe Matrimonium.

XIII, *Homicidium cum adulterio* tunc Matrimonium (2) dirimit, cum, adulterio perpetrato, aut ſolus adulter ſuam uxorem, aut ſola adultera virum ſuum occidit, ut ſimul deinde nubant, quamquam non adfuerit mutua in mortem conſpiratio. Tria quoque, ut crimen hoc nuptias dirimat, requiruntur. 1. ut alteruter (3) ſit vera, ſeu phyſica, ſeu moralis cauſa cædis. 2. ut ex tali machinatione innocens interierit. 3. ut mortis machinatio ab alterutro fiat ex animo contrahendi cum ſuperſtite conjuge Matrimonium.

XIV. *Adulterium cum futuri Matrimonii promiſſione* tunc eſt impedimentum dirimens, cum adulter, & adultera (4), ſive ante, ſive poſt perpetratum adulterium, Matrimonium ſibi invicem poſt conjugis mortem ineundum pollicentur, quamquam in ejus mortem nulla ratione conſpirent. Ad hoc igitur impedimentum requiritur 1. ut ſeria (5), & quæ ab altera parte fuerit accep-

(1) Can. *Si quis vivente*. cauſ. 31. q. 1., & cap. *Laudabilem*. de converſ. infidel.

(2) Cap. *Significavit nobis*; & cap. *Super hoc*. de eo, qui duxit in Matrim.

(3) Cap. *Significaſti*. de eo, qui duxit in Matrimonium.

(4) Cap. *Propoſitum*; cap. *Ex Litterarum*; cap. *Significaſti*; & cap. *Veniens*. de eo, qui duxit in Matrimonium.

(5) Cap. *Si quis*. de eo, qui duxit in Matrimonium.

acceptata, futuri Matrimonii promiſſio intercedat. 2. ut adulterium, ac nuptiarum promiſſio (1), conjuge vivente, fiant. 3. ut uterque adulter, cum adulterium perpetratur, ſciat alterius conjugium; ſi enim ex. gr. mulier adulterium patrans ignoret, virum, cum quo peccat, eſſe uxoratum, ejuſmodi adulterium (2) non erit impedimentum dirimens. 4. ut perfectum ſit, & conſummatum, quod ab iis admittitur, adulterium.

XV. Quartum tandem crimen dirimens Matrimonium tunc habetur, cum adulter, legitima vivente uxore (3), per verba de præſenti cum adultera Matrimonium contrahere attentat, vel viceverſa: tunc enim, etiam defuncto adulteræ viro, aut adulteri uxore, nubere invicem nequeunt, irritumque eſſet, ſi nuberent, Matrimonium. Duo autem concurrere debent, ut crimen hoc nuptias dirimat. 1. ut Matrimonium cum primo conjuge ſit validum. 2. ut primum hoc Matrimonium validum alteri parti innotuerit.

De Cultus diſparitate.

XVI. Cultus, ideſt Religionis diſparitas, quæ ex Eccleſiaſtico jure ſaltem conſuetudinario (4) Matrimonium dirimit, in eo ſita eſt, ut vir baptizatus mulieri nubat infideli, ideſt non baptizatæ [infidelium nomine hic non baptizatos intelligimus] vel viceverſa. Hujuſmodi Matrimonium eſſe & illicitum, & invalidum, nemo poteſt ambigere. Non eſt itaque, cur in eo explicando diutius verſemur.

XVII. At quid, ſi duorum infidelium, qui Matrimonium in infidelitate valide contractum conſummaverint, unus ad veram Chriſti Fidem converſus baptizetur, alter vero in infidelitate permaneat? Interpellandus tunc eſt is, qui in infidelitate per-

 manet

(1) Cit. cap. *Significaſti*; & cap. *Veniens*.

(2) Cit. cap. *Propoſitum*; & cap. *Veniens*.

(3) Cap. *Cum haberet*; cap. *Veniens*; cap. *Si quis*. de eo qui duxit in Matrimonium.

(4) Benedictus XIV. Conſt. *Ad nos directa*. edita 9. Februarii 1749.

manet, ac monendus, utrum Chriſtianam amplecti Religionem, ac Baptiſmo ablui velit; ac ſi renuat, utrum cohabitare ſaltem velit ſine contumelia Creatoris, itaut conjux fidelis in nullo perverſionis periculo verſetur, an non? Si primum, ſolvi jam nequit Matrimonium in infidelitate contractum, & conſummatum: *Nam ſi quis Frater*, inquit Apoſtolus (1), *uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem*. Si ſecundum; dirimere conjux fidelis Matrimonium poteſt, & ad alias nuptias convolare. Sic enim decrevit Innocentius III. (2): *Si alter infidelium conjugum ad Fidem Catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non ſine blaſphemia Divini Nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente; qui relinquitur, ad ſecunda, ſi voluerit, vota tranſibit. Et in hoc caſu intelligimus, quod ait Apoſtolus* (3): *Si infidelis diſcedit, diſcedat; frater enim, vel ſoror non eſt ſervituti ſubjectus in hujuſmodi; & Canonem* (4) *etiam, in quo dicitur: Contumelia Creatoris ſolvit jus Matrimonii circa eum, qui relinquitur: infidelis autem diſcedens & in Deum peccat, & in Matrimonium, nec eſt ei fides ſervanda conjugii*.

XVIII. Interpellatio, quam a conjuge converſo, ac baptizato, antequam ad ſecunda tranſeat vota, alteri conjugi infideli faciendam eſſe diximus, neceſſaria de jure (5) ſemper fuit, & adhuc eſt, quemadmodum declaravit Benedictus XIV. (6) per hæc verba: *Motu proprio, ex certa ſcientia, & plenitudine poteſtatis tenore præſentium volumus, intendimus, ac jubemus, ut, cum aliquis Hebræorum Chriſtianam veritatem amplexus fuerit, non prætermittatur interpellatio mulieri more recepto facienda, an velit nec ne ſe ad Chriſtum convertere, dummodo tamen ex aliqua gravi cauſa vel a Nobis,*

(1) 1. Ad Cor. cap. 7. v. 12.

(2) Cap. *Quanto*. de divortiis.

(3) 1. Ad Cor. cap. 7. v. 15.

(4) Can. *Si infidelis*. cauſ. 28. qu. 2.

(5) Sac. Congr. Conc. in Florentina 19. Januar. 1722.

(6) Benedictus XIV. Conſt. *Apoſtolici Miniſterii*. edita 17. Calend. Oct. 1747.

bis, vel a Romanis Pontificibus ſucceſſoribus Noſtris non cenſeatur hujuſmodi interpellatio omittenda. Ab ejuſmodi tamen interpellatione facienda diſpenſare Romanus Pontifex juſtis de cauſis poteſt. Sic Gregorius XIII. per Apoſtolicas Litteras ſingulis locorum Ordinariis, Parochis, & Presbyteris Miſſionariis Societatis Jeſu in Angola, Æthiopia, & Braſilia degentibus conceſſit, ut ſi quis conjugum ad Fidem convertatur, & alius in infidelitate remaneat; quoties ſibi ſummarie extrajudicialiter conſtiterit, conjugem infidelem abeſſe, legitimeque moneri non poſſe; diſpenſare valeant, ut conjux fidelis, omiſſa interpellatione, novas ineat nuptias. Sic noviſſime Benedictus XIV. per Apoſtolicas Litteras datas 6. Januarii 1745. Sedis Apoſtolicæ apud Venetos Nuncio, ejuſque Succeſſoribus facultatem fecit, ut cum quibuſcumque utriuſque ſexus Neophytis, vel Infidelibus, vel Judæis, vel Turcis, aliiſque perſonis cujuſcumque Sectæ hujuſmodi in pio Catechumenorum loco Venetiis pro tempore exiſtentibus, ſeu in illum prius receptis, & admiſſis, ac poſtmodum inde egreſſis, vere ad Fidem converſis, qui ante baptiſmum Matrimonia contraxerint, auctoritate Apoſtolica diſpenſet, ac indulgeat, ut eorum quilibet, etiam ſuperſtite Conjuge Infideli, Judæo, & Turca, etiam ejus conſenſu vel requiſito, & non expectato, vel minime requiſito (dummodo eidem Nuncio conſtet ſummarie, & extrajudicialiter, abſentem conjugem moneri legitime non poſſe, aut monitum intra tempus in monitione præfixum ſignificare ſuam voluntatem neglexiſſe) Matrimonium cum quovis Fideli, & Catholico (præmiſſis prius proclamationibus a Concilio Tridentino præſcriptis) in faciem Eccleſiæ rite contrahere, & carnali copula conſummare, & in Matrimonio ſic contracto, quoad vixerint, remanere libere, ac licite poſſint. Ac præterea ut eadem auctoritate decernat, ac declaret, Matrimonia inter hujuſmodi Neophytos, & alios Fideles, & Catholicos alias rite contracta, etiamſi poſtmodum innotuerit priores Conjuges Infideles, vel Turcas, aut Judæos nonnullis legitimis impedimentis detentos ſuam volunta-

luntatem ſignificare minime potuiſſe, vel ad Fidem etiam tempore ſecundi Matrimonii converſos fuiſſe, ullo umquam tempore reſcindi minime debere, ſed illa ſemper firma, valida, & inviolabilia exiſtere, & fore.

XIX. Cum, antequam Infidelis ad Fidem converſus, ac baptizatus novas ineat nuptias, neceſſe ſit vinculum prioris Matrimonii in Infidelitate contracti diſſolvi; quæritur, quandonam eadem diſſolutio fiat? Huic quæſtioni ſic reſpondet Angelicus Doctor (1): *Crimen uxoris nolentis cohabitare ſine contumelia Creatoris abſolvit virum a ſervitute, qua tenebatur uxori, ut non poſſet, ea vivente, aliam ducere; ſed nondum ſolvit Matrimonium, quia, ſi blaſphema illa converteretur, antequam ille aliud Matrimonium contraheret, redderetur ei vir ſuus: Solvitur per Matrimonium ſequens, ad quod pervenire non poteſt vir fidelis non ſolutus a ſervitute uxoris.* Quæ quidem reſponſio optime congruit Decretali Innocentii III., ubi inquit (2): *Quod ſi converſum ad Fidem etiam illa converſa ſequatur, antequam propter cauſas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compellatur.* Et hanc ſane ſententiam eſſe nunc inter Theologos, & Canoniſtas communiorem, eique ſemper in praxi adhæſiſſe Sacram (3) Congregationem Concilii, Benedictus XIV. (4) affirmat. Cum ergo ad Fidem converſus novum init Matrimonium, tunc prioris Matrimonii vinculum ſolvitur. Unde fit, ut etiam conjux in Infidelitate perſeverans ad alia tranſire poſſit vota, poſtquam converſus ad alias nuptias convolavit. Quamquam enim Matrimonii ſolutio ſit privilegium, quod Chriſtianæ Religionis intuitu conjugi ad fidem converſo directe, ac per ſe conceditur, nulla tamen ratione repugnat, ut ex eodem commodum aliquod indirecte, & per accidens in conjugem etiam in infidelitate pertinacem redundet.

XX. Quam-

(1) S. Th. in 4. diſt. 39. qu. 1. art. 5. in reſponſ. ad 2.

(2) Cap. *Gaudemus*. de divortiis.

(3) Sac. Congr. Conc. in Florentina. 1. Julii 1679., & 13. April. 1680., & 27. Julii 1726.

(4) Benedictus XIV. cit. Conſt. *Apoſtolici Miniſterii*.

Digitized by Google

XX. Quamquam Hebræis Moyſes permiſiſſet (1) per libellum repudii dimittere uxores ſuas, & alias Matrimonio ſibi copulare; Poſt Chriſti tamen adventum id non amplius eis licet; & etiamſi libello repudii noſtris quoque temporibus adhuc utantur (2); non tamen per eumdem Matrimonii vinculum vere dirimitur. Chriſtus enim Dominus Matrimonium ad primævum ſuum ſtatum, nempe ad inſolubilitatem revocavit, non lege nova condita, ſed vetere dumtaxat indulgentia ſublata. *Quoniam Moyſes* [Chriſti ſunt verba apud (3) Matthæum] *ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur, & qui ipſam duxerit, mæchatur. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Quamobrem de iis, qui in infidelitate legitimam repudiaverint uxorem, ſi ad Chriſti Fidem convertantur, hanc ſtatuit legem Innocentius III. (4): *Qui ſecundum ritum ſuum legitimam repudiavit uxorem; cum tale repudium veritas in Evangelio reprobaverit; numquam, ea vivente, licite poterit aliam, etiam ad Fidem Chriſti converſus, habere, niſi poſt converſionem ipſius illa renuat cohabitare cum ipſo, aut etiamſi conſentiat, non tamen abſque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad peccatum.*

XXI. Nemo autem ita deſipiat, ut putet, Matrimonialis vinculi ſolutioni eſſe locum, ſi fidelium conjugum unus ad Ethniciſmum tranſeat, aut in hæreſim prolabatur. *Si vero alter fidelium conjugum* [ſic idem ſtatuit Innocentius III. (5)] *vel labatur in hæreſim, vel tranſeat ad Gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc caſu is, qui relinquitur, vivente altero, poſſit ad ſecundas nuptias convolare. Si quis dixerit, propter hæreſim*, ſic Tridentina Synodus (6) definivit, *a conjuge poſſe diſſolvi Matrimonii vinculum, anathema ſit.* In eo itaque caſu divortium dumtaxat fieri poteſt, uti docet (7) S. Tho-

(1) Matth. cap. 19.

(2) Benedictus XIV. cit. Conſt. *Apoſtolici Miniſterii*.

(3) Matth. cit. cap. 19.

(4) Cap. *Gaudemus*. de divortiis.

(5) Cap. *Quanto*. de divortiis.

(6) Trid. ſeſſ. 24. can. 5. de Matrim.

(7) S. Th. in 4. diſt. 39. art. 1. in corp.

S. Thomas: *Si vero infidelitas conjugis Matrimonium ſequatur, non propter hoc vinculum Matrimoniale dirimitur, ſed poteſt fieri ſeparatio a thoro, & cohabitatione, ſicuti & propter fornicationem carnalem.*

De vi.

XXII. Vis, de qua hìc loquimur, nihil eſt aliud, niſi gravis metus injuſte incuſſus (1) ad Matrimonium extorquendum, quod cæteroqui nulla ratione contraheretur. Metus autem duplex eſt; alius gravis, levis alter. Gravis, qui dicitur cadere in conſtantem virum, ille eſt, quem vir fortis prudenter de gravi malo concipit aut ſibi, aut conſanguineis, ſeu affinibus ſuis inferendo. Ad hunc ergo metum requiritur. 1. ut grave ſit malum, quod timetur. 2. ut non imprudenter timeatur. 3. ut metum incutiens exequi poſſit minas. 4. ut metuens neque minitanti reſiſtere, neque vitare, quod timet, poſſit malum. Siquà ex his conditionibus deſit, levis metus eſt, neque cadens in conſtantem virum. Metus gravis alius ab intrinſeco, & alius ab extrinſeco incuſſus dicitur. Prior ab ipſo metuente concipitur vel ex animi ſui perturbatione, vel ex cauſa naturali, cujuſmodi eſt mortis metus propter morbum, naufragium &c. Poſterior ab homine incutitur, ut cum quis alteri mortem, aliudve grave malum, niſi hoc, vel illud faciat, ſerio comminatur. Hic autem metus aliquando juſte, aliquando injuſte incutitur: juſte quidem, quando ab habente poteſtatem incutitur, ut, quod fieri juſtum eſt, fiat: injuſte autem, quando is, qui grave malum comminatur, vel poteſtatem non habet, vel id exigit, ad quod metuens non obligatur.

XXIII. Jam vero metus gravis ab extrinſeco ad Matrimonium extorquendum injuſte incuſſus, illud dirimit, & ipſo jure invalidum eſt, ſi ex tali metu contrahatur. Contracturus enim Matrimonium *plena debet* (2) *ſecuritate gaudere, ne per timorem dicat ſibi*

ſibi

(1) Cap. *Abbas*; cap. *Ad audientiam*; & cap. *Cum dilectus*. de his, quæ vi, metuſve cauſa fiunt.

(2) Cap. *Cum locum*; cap. *Veniens*; & cap. *Conſultationi*. de Sponſalibus.

ſibi placere, quod odit, & ſequatur exitus, qui de invitis ſolet nuptiis provenire. Cum locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intercedat; neceſſe eſt, ut, ubi aſſenſus cujuſque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem ſolo contrahitur conſenſu. At ſi metus gravis ab intrinſeco (1) oriatur, aut ſi ab extrinſeco juſte (2) incutiatur, aut ſi non ad extorquendum Matrimonium, ſed alium ob finem ejuſmodi metus ab extrinſeco injuſte inferatur, irritum non erit, ſed validum Matrimonium.

De Ordine.

XXIV. *Ut lex continentiæ, & Deo placens munditia in Eccleſiaſticis perſonis, & ſacris Ordinibus dilatetur, ſtatuimus, quatenus Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, & Monachi, atque Converſi Profeſſi, qui ſanctum tranſgredientes propoſitum, uxores ſibi copulare præſumpſerint, ſeparentur. Hujuſmodi namque copulationem, quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe contractam, Matrimonium non eſſe cenſemus*: Ita Concilii Lateranenſis II. Patres ſub Innocentio II. cap. 7. anno 1139. definierunt, idem ſtatuentes cap. 8. *de Monialibus*, per hæc verba: *Id ipſum quoque de Monialibus fœminis, ſi, quod abſit, nubere attentaverint, obſervandum decernimus.* Cujus quidem Concilii ſanctioni (3) alia plurima conſonant Conciliorum, ac Pontificum Romanorum decreta. Quicumque igitur in aliquo ſacro Ordine conſtitutus, Matrimonium contrahere audet, invalide illud contrahit, graviſſimique ſacrilegii fit reus, in cujus pœnam 1. excommunicationem majorem ipſo facto incurrit: *Clericos in ſacris Ordinibus conſtitutos Matrimonium contrahentes, excommunicationis ſententiæ ipſo facto ſubjacere decernimus*: Ita ſtatuit Clemens V. (4) 2. fit irregu-

(1) Arg. cap. *Sicut nobis*. de Regularibus.

(2) Cap. *Ex litteris*. de Sponſal., & cap. *Pervenit*. de Adulterio, & Stupro.

(3) Conc. Lateran. I. cap. 21. & II. cap. 7., & 8., cap. *De Diacono*; cap. *Ex litterarum*. qui Clerici, vel voventes; cap. *Si qui Clericorum*; & cap. *Cum olim*. de Cler. conjug., Trid. ſeſſ. 24. can. 9. de Matrim.

(4) Clem. unica de conſang., & affinit., cap. *Si qui Clericorum*. de Cler. conjug.

regularis: per illud enim Matrimonium, quod attentat, ſimilitudinariam contrahit (1) bigamiam. 3. deponendus ab officio eſt, ac beneficio: *Decernimus, ut hi, qui in Ordine Subdiaconatus, & ſupra, uxores duxerint, ... officio, atque beneficio Eccleſiaſtico careant*: Ita decrevit Innocentius II. in Concilio Romano (2).

De Ligamine.

XXV. *Nulli umquam licuit* [Innocentii III. (3) verbis utimur] *ſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum. Unde ſicut Jacob a mendacio, Iſraelitæ a furto; ſic Patriarchæ, aliique viri juſti, qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores, ab adulterio excuſantur*. Iis ergo temporibus, quibus a Deo uxorum pluralitas permittebatur, prioris Matrimonii ligamen alias nuptias, quæ contraherentur, non dirimebat. At in Evangelica Lege Chriſtus Dominus, revocato ad primævam originem Matrimonio, ſimultaneam poligamiam abrogavit, ac vetuit. *Audiens Jacob accepiſſe majorem natu, & poſtea minorem*, inquit S. Joannes Chryſoſtomus (4), *ne turberis, neque ſecundum ſtatum, qui nunc eſt, opera, quæ tunc facta ſunt, judices. Tunc enim quia principia erant, permiſſum fuit cum duabus, vel tribus, vel pluribus miſceri, ut humanum genus propagaretur. Nunc vero, quia per Dei gratiam humanum genus valde multiplicatum eſt, ... adveniens Chriſtus omnem illam veterem delevit conſuetudinem*. Quamobrem nunc jure cum divino (5), tum Eccleſiaſtico præcedentis Matrimonii validi ligamen, ſeu vinculum eſt impedimentum dirimens Matrimonium, niſi tale vinculum ſolutum fuerit per mortem conjugis, ſi Matrimonium fuerit conſummatum, vel per Religioſam Profeſſionem, aut Romani Pontificis diſpenſationem, ſi fuerit dumtaxat ratum. Mortuo vero alterutro conjuge, ſuperſtiti licebit ad alias nuptias convolare. *Mulier alligata eſt legi*, inquit (6) Apoſtolus,

(1) Can. *Nuper a nobis*. cauſ. 27. qu. 1., & cap. ult. de bigamis non ordinandis.

(2) Can. *Decernimus*. diſt. 28.

(3) Cap. *Gaudemus*. de divort.

(4) S. Jo. Chryſ. hom. 56. in Geneſim.

(5) Trid. ſeſſ. 24. can. 2. de Sacram. Matrim.

(6) 1. Ad Cor. cap. 7. v. 39.

ſtolus, *quanto tempore vir ejus vivit: quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult, nubat, ſed tantum in Domino*. Quod quidem verum eſt non modo de ſecundis, verum etiam de tertiis, quartis, & ulterioribus quoque nuptiis. *Quoniam nonnullos aſſeritur*, uti Eugenius IV. (1) declaravit, *quartas nuptias tamquam condemnatas reſpuere, ne peccatum, ubi non eſt, eſſe putetur; cum ſecundum Apoſtolum, mortuo viro, mulier ſit ab ejus lege ſoluta, & nubendi, cui vult, in Domino habeat facultatem, nec diſtinguat, mortuo primo, vel ſecundo, vel tertio; declaramus, non ſolum ſecundas, ſed etiam tertias, & quartas, atque ulteriores, ſi aliquod canonicum impedimentum non obſtat, licite contrahi poſſe. Commendatiores tamen dicimus, ſi ulterius a conjugiis abſtinentes in caſtitate permanſerint, quia ſicuti viduitati virginitatem, ita nuptiis caſtam viduitatem laude, ac merito præferendam eſſe cenſemus*. Nemini autem licet, aut permitti poteſt ad ſecundas nuptias convolare (2), niſi per legitimas probationes de prioris conjugis obitu certo conſtiterit. Quod ſi quis falſis documentis deceptus priorem conjugem obiiſſe putans, Matrimonium bona fide contraxerit; poſtmodum vero vel adhuc vivere, vel ſaltem vixiſſe illum comperiat, quando ſecundum initum fuit Matrimonium; *relictis adulterinis amplexibus ad priorem conjugem reverti debet*, ut in Pontificio Jure (3) ſtatuitur. Neque vero per ſupervenientem ejuſdem obitum Matrimonium illud invalide contractum convaleſcere poſſe quis arbitretur. *Non enim (4) firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non ſubſiſtit.*

De publicæ honeſtatis Juſtitia.

XXVI. Publicæ honeſtatis Juſtitia eſt quædam ex Sponſalibus de futuro (5), aut ex Matrimonio rato orta propinquitas, quam

(1) Eugenius IV. in decr. pro Armenorum inſtructione.

(2) Cap. *In præſentia*. de Sponſalibus.

(3) Cap. *Dominus*. de ſecundis Nuptiis, & cap. *Inquiſitioni*. de ſent. excom.

(4) Regula 18. Juris in 6.

(5) Cap. *Juvenis*; cap. *Ad audientiam*; cap. *Sponſam*. de Sponſal.; & Matrim., & cap. unico de Sponſal. in 6.

quam Sponſus contrahit cum Sponſæ conſanguineis, & viciſſim cum Sponſi conſanguineis Sponſa. Quædam enim honeſtas, ac decentia poſtulare videtur, ut nemo ei puellæ nubat, cujus conſanguineam ſibi deſponſavit, aut Matrimonio junxit, ac proinde animorum conjunctione quodammodo effecit ſuam. Hinc Jus Canonicum publicæ honeſtatis impedimentum invexit, quod olim ex quibuſvis oriebatur Sponſalibus etiam invalidis (1), dummodo invalida non eſſent ex defectu conſenſus, & per quod inter Sponſum (2), & Sponſæ conſanguineas ad quartum incluſive gradum, & viciſſim, Matrimonium dirimebatur. At nunc ſtandum eſt Tridentinæ Synodi decreto (3), quo ſic ſtatuitur: *Juſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione invalida erunt, Sancta Synodus prorſus tollit. Ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari*.

XXVII. *Ex ſponſalibus puris, & certis* [inquit (4) Bonifacius VIII.] *etiamſi conſanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut alia quavis ratione ſint nulla, dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus, oritur efficax ad impedienda, ac dirimenda ſequentia ſponſalia, vel Matrimonia, non autem ad præcedentia diſſolvenda, impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis. Quare ille, qui ſponſalia pure, ac determinate cum aliqua muliere contraxit, & poſtmodum cum ſecunda prioris conſanguinea idem fecit, ex priorum ſponſalium vigore [quibus per publicæ honeſtatis juſtitiam ex ſecundis ſponſalibus ſubſecutam minime derogatur] ad Matrimonium contrahendum cum prima remanet obligatus*.

XXVIII. Quamquam graviſſimi non defuerint Auctores, qui ex ſponſalibus validis mutuo conſenſu diſſolutis impedimentum publicæ honeſtatis oriri negaverint; certum tamen eſt oppoſitum, uti a Sacra Concilii Congregatione docemur, quæ ſæpiſſi-

(1) Cap. unico. de Sponſalibus in 6.
(2) Cap. *Sponſam*. de Sponſalibus.
(3) Trid. ſeſſ.24. c.3. de refor. Matrim.
(4) Cap. unico. de Sponſalibus in 6.

Digitized by Google

piſſime, ac præcipue die 6. Julii anni 1658., poſt maturum quæſtionis examen, declaravit (1), per mutuam validorum Sponſalium diſſolutionem impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis minime auferri, quam declarationem Alexander VII. die 10. Julii ejuſdem anni confirmavit, eamque in dubium deinceps revocari prohibuit.

XXIX. Quoad impedimentum vero publicæ honeſtatis, quæ ex Matrimonio dumtaxat rato oritur, nihil Tridentina Synodus innovavit. *Motu proprio, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium* [inquit S. Pius V.] *declaramus, ac definimus, decretum Concilii hujuſmodi omnino intelligendum eſſe, & procedere de ſponſalibus de futuro dumtaxat, non autem in Matrimonio, ſicut præfertur, contracto, ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis gradibus, & caſibus, in quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat, & ita ab omnibus judicari debere mandamus, atque ſtatuimus*. Itaque ſicut olim (2), ita etiam nunc impedimentum dirimens juſtitiæ publicæ honeſtatis oritur ex quolibet Matrimonio rato, etiam invalido, dummodo invalidum non ſit ex defectu conſenſus, & nuptias dirimit ad quartum uſque gradum incluſive. Invalidum autem eſt Matrimonium ratum ex defectu conſenſus, ſi initum fuerit ob errorem in perſona, vel ob ſervilis qualitatis ignorantiam, vel ob vim, metumque gravem injuſte incuſſum, & in his caſibus impedimentum non parit publicæ honeſtatis. Impuberum quoque Matrimonium ratum eſt invalidum propter perfecti conſenſus defectum. At cum illud ex ſpeciali Juris Canonici diſpoſitione (3) in ſponſalia valida de futuro reſolvatur; inde fit, ut ex eo, tamquam ex ſponſalibus validis, impedimentum dirimens publicæ honeſtatis ad primum uſque gradum contrahatur. Cæterum ex quocumque alio capite, ſeu Ordinis Sacri, ſeu affinitatis, ſeu conſanguinitatis &c., invalidum ſit Matrimonium

(1) Sacr. Congr. Conc. 6. Julii 1658. apud Fagnanum lib. 4. Decretal. in cap. *Ad audientiam*. de Sponſalibus n. 29.

(2) Cap. unico. de Sponſalibus in 6.

(3) Cap. *Tuæ*. de deſponſat. impuber., & cap. unico. §. *Idem quoque*. eod. tit. in 6.

nium ratum; ex eo impdimentum oritur, & ad quartum (1) uſque gradum incluſive nuptias dirimit.

De affinitate.

XXX. Affinitas eſt certarum perſonarum propinquitas, quæ ex carnali, ſeu licita, ſeu illicita, copula unius cum alterius conſanguineo, aut conſanguinea promanat, dummodo ita perfecta (2) ſit copula, ut propter ſeminum commixtionem ad prolis ſufficiat generationem. *Quantumcumque enim*, ut ait S. Thomas (3), *aliquis clauſtra pudoris invadat, niſi commixtio ſeminum ſequatur, non contrahitur ex hoc affinitas.* Cum autem ad affinitatem contrahendam non voluntas requiratur perſonarum, ſed earum ſufficiat carnalis cognitio, ſeminumque commixtio, per quam ſint duo in carne una; Hinc eſt, ut etiam ex copula, quæ cum muliere habeatur (4) prorſus invita, ac renitente, aut etiam dormiente, aut ebria, affinitas oriatur. Ex copula itaque ſeu licita, cujuſmodi eſt conjugalis, ſeu illicita, cujuſmodi eſt fornicaria, aut adulterina, affinitas oritur inter conſanguineos fœminæ carnaliter cognitæ, & virum cognoſcentem, & inter conſanguineos viri cognoſcentis, & fœminam cognitam; quæ affinitas ad certum uſque gradum Matrimonium dirimit, quod inter affines contrahatur. Ad dignoſcendos autem affinitatis gradus hac utendum eſt regula. *Quot conſanguinitatis (5) gradibus perſonæ conjunctæ ſunt viro cognoſcenti, totidem etiam affinitatis gradibus mulieri cognitæ conjunguntur; & viceverſa quot conſanguinitatis gradibus perſonæ ſunt conjunctæ mulieri cognitæ, totidem etiam affinitatis gradibus viro cognoſcenti conjunguntur.*

XXXI. Si affinitas ex copula conjugali oriatur, ad quartum uſque gradum incluſive; ſi vero ex copula fornicaria, aut adulterina,

(1) Cap. *Sponſam*. de Sponſalibus.

(2) Can. *Extraordinaria pollutio*. cauſ. 35. qu. 2., & can. *Fraternitatis*. cauſ. 35. qu. 10.

(3) S. Th. in 4. diſt. 41. quæſt. unic. art. 1. quæſtiunc. 4. ad 2.

(4) Cap. *Diſcretionem*. de eo, qui cognovit conſanguineam.

(5) Can. *Porro*. cauſ. 35. qu. 5.

terina, ad ſecundum incluſive dirimit Matrimonium. Prima lex ab Innnocentio III. (1) his verbis lata fuit. *Prohibitio copulæ conjugalis quartum conſanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat, quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt abſque gravi diſpendio hujuſmodi probibitio generaliter obſervari.* Alteram vero legem ſic ſtatuit Tridentina Synodus (2): *Præterea Sancta Synodus graviſſimis de cauſis adducta impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & Matrimonium poſtea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo, & ſecundo gradu conjunguntur, reſtringit: in ulterioribns vero gradibus ſtatuit hujuſmodi affinitatem Matrimonium poſtea contractum non dirimere.* Quod quidem clarius adhuc, latiuſque S. Pius V. (3) declaravit, ubi ait: *Nos omnem ambiguitatem tollere, & animarum tranquillitati, quantum cum Deo poſſumus, conſulere volentes, declaramus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, nullum hodie impedimentum remanere, quo minus in ulterioribus gradibus hujuſmodi libere, ac licite Matrimonium contrahi poſſit.*

XXXII. Tria olim erant affinitatis genera. Primum erat illud, de quo locuti ſumus. Alterum in eo ſitum erat, ut affinitas pareret affinitatem. Tertium denique in eo, ut conſanguinei mulieris affines fierent conſanguineis viri, & viceverſa. Verum Innocentius III. (4) in Concilio Lateranenſi IV. ſecundum, & tertium affinitatis genus de medio abſtulit, & primum dumtaxat in ſuo robore juſſit permanere. Unde factum eſt, ut nunc, cum affinitas non pariat affinitatem, libere, liciteque poſſint duo unius familiæ fratres duabus alterius familiæ ſororibus nubere, Pater, & filius unius familiæ Matrem, & filiam alterius familiæ in uxores ducere, aliaque hujuſmodi inire connubia. *Super eo*, inquit idem Innocentius III. (5), *quod Pater, & Filius cum Matre, & Fi-*

(1) Cap. *Non debet*. de conſanguinit., & affinit.

(2) Trid. ſeſſ. 24. c. 4. de refor. Matrim.

(3) S. Pius V. Conſt. *Ad Romanum*. edita 18. Nov. 1566.

(4) Cap. *Non debet*. de conſanguinit., & affinit.

(5) Cap. *Quod ſuper*. de conſanguinit., & affinit.

Digitized by Google

& Filia, Avunculus, & Nepos cum duabus Sororibus contrahant Matrimonium; taliter tibi duximus reſponde ndum, quod licet omnes conſanguinei viri ſint affines, inter conſanguineos tamen uxoris, & viri, ex eorumdem ſcilicet viri, & uxoris conjugio nulla prorſus eſt affinitas contracta, propter quam inter eos Matrimonium debeat impediri.

De Impotentia.

XXXIII. Impotentia, de qua hìc loquimur, eſt inhabilitas ad Matrimonium conſummandum, perfectamque conjugalem copulam habendam. Impotentia hæc alia eſt naturalis, & intrinſeca, alia accidentalis, & extrinſeca. Prior ex naturæ defectu, poſterior ex maleficio, aut hominis opera oritur. Utraque vel eſt perpetua, vel temporalis. Perpetua eſt, ſi nonniſi cum mortis periculo, aut per miraculum, aut per media illicita auferri poſſit. Temporalis vero dicitur, ſi aut medicæ artis ope, aut per Exorciſmos Eccleſiæ, aut alias licite ſuperari aliquando valeat. Tandem alia eſt abſoluta, alia reſpectiva. Prior eſt, quæ in viro quoad omnes mulieres, aut in muliere quoad omnes viros reperitur: Poſterior, quæ aut virum, aut mulierem quoad certam perſonam, non vero quoad alias, inhabilem reddit ad Matrimonium conſummandum.

XXXIV. Impotentia perpetua, ſi Matrimonium antecedat, ſive naturalis ſit, ſive accidentalis, ſive abſoluta, ſive reſpectiva, ſive ante Matrimonium nota contrahentibus fuerit, ſive ignota, Matrimonium dirimit, non modo Eccleſiaſtico Jure (1), verum etiam Jure naturæ. *Quamvis enim*, ut ait Angelicus Doctor (2), *actus carnalis copulæ non ſit de eſſentia Matrimonii; potentia tamen ad hoc eſt de ejus eſſentia.* Hinc Sixtus V. peculiari ſua edita Conſtitutione (3) ſic ſtatuit: *Fraternitati tuæ per præſentes committimus, & mandamus, ut conjugia per dictos, & alios quoſcumque*

(1) Cap. *Accepiſti*; cap. *Quod ſedem*, cap. *Ex litteris*. totoque tit. de frigidis, ac maleficiatis.

(2) S. Th. in 4. diſt. 34. qu. unica art. 2. ad 1.

(3) Sixtus V. Conſt. *Cum frequenter*,

que Eunuchos, & Spadones utroque teſte carentes cum quibuſvis mulieribus, defectum prædictum ſive ignorantibus, ſive etiam ſcientibus, contrahi prohibeas, eoſque ad Matrimonia quomodocumque contrahenda inhabiles auctoritate noſtra declares, & tam locorum Ordinariis, ne hujuſmodi conjunctiones de cætero fieri quoquo modo permittant, interdicas, quam eos etiam, qui ſic de facto Matrimonium contraxerint, ſeparari cures, & Matrimonia ipſa ſic de facto contracta nulla, irrita, & invalida eſſe decernas. In eadem vero Conſtitutione univerſim declarat, impotentes non eſſe aptos ad Matrimonium contrahendum. *Secundum Canonum ſanctiones, & naturæ rationem, qui frigidæ naturæ ſunt, & impotentes, iidem minime apti ad Matrimonium contrahendum reperiuntur*. Quod ſi dubitetur, utrum dicta impotentia Matrimonium præceſſerit, an ſubſecuta ſit; tunc ſi ea naturalis ſit, & intrinſeca, præceſſiſſe præſumitur, quod enim a natura ineſt, ſemper adfuiſſe cenſetur; ſi vero accidentalis ſit, & extrinſeca, ac de ea alter conjux diu poſt contractum Matrimonium conqueri incipit; in foro externo jam contracto Matrimonio ſuperveniſſe præſumitur: *ſi enim reclamare voluit* (1), *cur tamdiu tacuit? cito enim, & prævio tempore ſcire potuit, ſi ſecum coire potuiſſet*: Impotentia vero, quæ Matrimonium conſequitur, illud non diſſolvit.

XXXV. Neque etiam temporalis (2) impotentia Matrimonium dirimit, uti in Jure Canonico definitum eſt. Quod ſi dubitetur, utrum ea perpetua ſit, an temporalis, tunc locum habet celeberrima decretalis Cæleſtini III. (3), in qua ſic ſtatuit: *Requiſiviſti, quantum temporis indulgendum ſit naturaliter frigidis ad experientiam copulæ conjugalis? Nos vero præſenti conſultatione ſentimus, ut a tempore celebrati conjugii, ſi frigiditas prius probari non poſſit, cohabitent per triennium.*

(1) Cap. *Accepiſti*. de frigidis, & maleficiatis.

(2) Cap. *Fraternitatis*. de frigidis, &c.

(3) Cap. *Laudabilem*. de frigidis &c.

De Clandeſtinitatis impedimento.

XXXVII. *Tametſi dubitandum non eſt*, inquit Tridentina Synodus (1), *clandeſtina Matrimonia libero contrahentium conſenſu facta rata, & vera eſſe Matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit... Nihilominus Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit. Verum cum Sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodeſſe, & gravia peccata perpendat, quæ ex iiſdem clandeſtinis conjugiis ortum habent, præſertim vero eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt..... Idcirco .... qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt; eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.... Decernit inſuper, ut hujuſmodi decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.* In iis igitur locis, in quibus hoc Tridentini decretum publicatum eſt, irritum, invalidumque eſt Matrimonium illud, quod vel ſine Parochi, vel ſine duorum, aut trium teſtium præſentia celebretur.

XXXVIII. Parochi nomine, cujus præſentiam ad Matrimonii valorem Tridentina Synodus poſtulat, non modo contrahentium Parochus, verum etiam Romanus Pontifex in toto terrarum Orbe, Legati a Latere in ſuis Provinciis, & Epiſcopi, ſeu Ordinarii, eorumque Generales Vicarii in ſuis Diœceſibus intelliguntur. Hi enim omnes & valide, & licite Matrimonio, dum initur, aſſiſtunt, & licentiam aſſiſtendi dare poſſunt aliis Clericis ſive Sæcularibus, ſive Regularibus, qui Sacerdotali charactere ſint inſigniti: hanc enim conditionem in his ad aſſiſtendum depu-

(1) Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. Matrim.

Digitized by Google

deputatis Tridentina Synodus diſerte requirit; quam cum in Parocho non requirat, inde fit, ut is, licet nondum Sacerdos (1), Matrimonio & valide, & licite intereſſe poſſit. Quoad contrahentium vero Parochos quæritur, quid, ſi contrahentes diverſarum ſint Parœciarum? cujuſnam Parochi præſentia requiritur? Sponſine, an Sponſæ? an vero utriuſque? Interrogata hac de re *Sacra Congregatio Concilii* (2) *cenſuit*, *ad Matrimonii validitatem ſufficere præſentiam ſolius Parochi proprii Sponſæ*, *quando Matrimonium in Parochia Sponſæ contrahitur*: *ſimiliter ſufficere præſentiam ſolius Parochi Sponſi*, *ſi in ipſius Sponſi Parochia Matrimonium contrahatur.* At quid, ſi Sponſi Parochus in Parochia Sponſæ abſque ejus Parochi licentia Matrimonio aſſiſtat, vel viceverſa? De Matrimonii valore dubitari non poſſe declaravit Sacra Congregatio Concilii, cujus decretum Romanus Pontifex approbavit, ſic in poſterum reſponderi jubens, quemadmodum teſtatur Fagnanus (3). At licitene Parochus aſſiſtit? Diſtinctione opus eſt (4). Si ſolemniter aſſiſtat, Sponſiſque nuptialem benedictionem impertiatur; illicite agit: quemdam enim quaſi ſtrepitum judiciarium adhibet, qui in alterius Territorio eidem minime licet. At ſi privatim, & ſine publica nuptiali benedictione interſit, licite aſſiſtit: nullibi enim id ei prohibetur, ſolamque Parochi proprii præſentiam Tridentinum requirit, non ut Matrimonium in propria Parochia celebretur, cum per ſolam Parochi præſentiam Concilii finis obtineatur, videlicet ut clandeſtina Matrimonia evitentur.

XXXIX. Ille autem proprius cenſetur eſſe Sponſi, aut Sponſæ Parochus (5), in cujus Parœcia Sponſus, aut Sponſa domicilium habet, vel quaſi domicilium. Quod ſiquis duo in diverſis Parœciis domicilia contraxerit, coram illo Parocho inire Matri-

(1) Sac. Congr. Conc. in Abulenſi 12. Martii 1593. apud Monaceil. to. 2. tit. 16. formul. 2. n. 34.

(2) Sac. Cong. Conc. ann. 1573. lib. 1. decret. pag. 125., Benedictus XIV. Inſtit. 33. n. 5.

(3) Fagnanus in cap. *Quod nobis*. de clandeſt. deſponſat. n. 13.

(4) Benedictus XIV. cit. Inſtit. 33.

(5) Sacr. Congr. Conc. in Murinen. 18. Nov. 1702., & alibi ſæpe, Bened. XIV. Conſtit. *Paucis ab hinc*. 19. Martii 1758.

monium rite poteſt, in cujus poteſtate tunc degit, cum nubit. Duo vero domicilia habere quis dicitur, cum prudentum virorum judicio æqualiter in utroque collocatus exiſtimatur. *Viris prudentibus placuit* (1), *in duobus locis poſſe aliquem habere domicilium, ſi utrobique ita ſe inſtruxit, ut non ideo minus apud alteros ſe locaſſe videatur*. Moralis autem, & non arithmetica eſſe debet ejuſmodi habitationis æqualitas, ut quis duo domicilia habere cenſeatur. *Poſt hæc neceſſarium fore cenſemus* [verbis utimur (2) Benedicti XIV.] *nonnihil adjungere, ut in propatulo ſit, quidnam requiratur ad quaſi domicilium adipiſcendum. Verum hac in re non alio pacto reſponderi poteſt, niſi quod, antequam Matrimonium contrahatur, ſpatio ſaltem unius menſis ille, qui Matrimonium contrahit, habitaverit in loco, ubi Matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re obſervari poterunt apud Fagnanum in cap. Significavit. de Parochis, ubi earumdem contextu perpenſo hæc habet ſub num. 39. Vir, & Mulier Trajectenſes timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam Urbem Aquiſgranam ſe contuliſſent, & ibi aliquandiu morati Matrimonium contraxiſſent; Sacra Congregatio conſulta ſuper validitate, cenſuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquiſgranæ manſerunt: quod ſi fuerit ſaltem unius menſis, dandam eſſe deciſionem pro validitate*. Si quis ergo cum aliqua puella, non relicto domicilio, quod habet, in alium locum proficiſcatur, atque in eo Matrimonium coram Parocho loci contrahat, quin antea domicilium, aut quaſi domicilium ibi adeptus fuerit, invalide (3) contrahit: non enim coram proprio alterutrius contrahentis Parocho contrahit. Eamdem ob cauſam qui rei familiaris, aut ruſticationis gratia rus pergit, ibique ad tempus commoratur, invalide coram Parocho rurali nuptias contrahit; qui enim eas ob cauſas ruri manet, nullam domicilii, aut quaſi domicilii rationem

(1) L. *Aſſumptio*. §. *Viris prudentibus*. ff. ad municipalem; & cap. 2. de ſepulturis.

(2) Benedictus XIV. cit. Conſt. *Paucis ab hinc*.

(3) Sac. Congr. Conc. in Romana 22. Febr. 1631. lib. decr. 14. pag. 390., & in Lauretana 13. Julii 1725., & in Abulen. 1. Dec. 1640.

nem aſſequitur, uti frequenter Sacra Concilii Congregatio declaravit, cujus decreta damus in Appendice *num.* 30.

XL. Proprius vagorum Parochus ille eſt, in cujus ditione iidem verſantur, cum inire Matrimonium volunt (1); quod quidem verum eſt, etiamſi eorum dumtaxat alteruter vagantium numero adſcribatur. Cavendum tamen eſt, ne peregrini cum vagis confundantur, cum non leve inter utroſque intercedat diſcrimen. Vagi enim ii ſunt, qui ſuo relicto domicilio, ſedem in exteris terris inquirunt. *Puto autem & hoc procedere poſſe*, ut habemus in jure (2), *ſi quis domicilio relicto navigat, vel iter faciens quærat, quo ſe conferat, atque ubi conſiſtat: nam hunc puto ſine domicilio eſſe*. Peregrini vero ii ſunt, qui ea voluntate iter faciunt, ut ad priſtinum domicilium, exacta peregrinatione, revertantur. Parochi caveant, ut iis præcipit Tridentina Synodus, ne vagorum Matrimoniis interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.

XLI. Prætores, Judices, Medici, facultatum Profeſſores, diſcipuli, famulique, licet exteri ſint, rite Matrimonium contrahunt coram Parocho loci, in quo degunt, ſi per aliquod temporis ſpatium in eodem loco verſantes, quaſi domicilium ibi contraxerint, quod ſatis eſſe ad nuptias valide celebrandas ſuperius diximus. Et ſane cum in quadam Abulen. Sacræ Congregationi Concilii (3) plura de Matrimonii valore dubia propoſita fuiſſent diſcutienda, hæc fuerunt quarto, & quinto loco propoſita: *Quarto, an valeat Matrimonium contractum coram Parocho illius loci, ubi contrahentes reperiuntur, non animo ibi domicilium conſtituendi, ſed recreationis cauſa? Quinto, quid ſi contrahens ibi moretur, tamquam Prætor, Judex, ſeu Medicus temporalis? Sacra Congregatio reſpondit ad quartum, non valere, ad quintum valere.*

XLII. At

(1) Benedictus XIV. Inſt. 33. n. 10.

(2) L. *Ejus*. §. *Celſus*. ff. ad municipalem.

(3) Sac. Cong. Conc. in Abulen. apud Garciam de benefic. par. 5. cap. 7. n. 11., & Benedictus XIV. loc. cit.

XLII. At quid, ſiquis carceribus detentus nubere velit? coram quo, tamquam proprio Parocho, inire debet Matrimonium? Diſtinctione opus eſt. Si is perpetuo, vel ad certum tempus in pœnam detinetur in carcere; proprius ejus Parochus cenſendus ille eſt, in cujus Parœcia ſitus eſt carcer: *Relegatus enim in eo loco, in quem relegatus eſt, interim neceſſarium habet domicilium*, uti habemus in Jure (1). At ſi cuſtoditur dumtaxat in carcere, quamdiu ſententiam in ejus cauſa Judex proferat, tunc proprius ejus Parochus ille eſt, qui curam animarum habet in loco ejus domicilii, cum is nihil magis expetat, quam ut ſolutis vinculis ſuas ædes reviſat. Ita ſtatuit Sacra Congregatio (2) Concilii, cujus decretum Cleri Romani ſtatutis (3) inſertum reperitur. Verum quando hujuſmodi caſus aliquis contingat, delegare Ordinarius poteſt Sacerdotem quemlibet, coram quo nuptiæ contrahantur, ſi id expedire in Domino judicaverit.

XLIII. Plura quoad Parochi præſentiam dubia Epiſcopus Giennenſis dirimenda propoſuit Sacræ Congregationi Concilii, cujus reſponſiones una cum iiſdem dubiis ſubnectimus, ut Parochi in re tam gravi, tantæque neceſſitatis inſtructiores fiant. Quæſivit (4) itaque 1. utrum prohibitione facta ab Ordinario, ne Parochus aliquos deſponſaret, ita tollatur juriſdictio ipſius Parochi, ut ad contrahendum Matrimonium contra talem prohibitionem non ſit legitimus Parochus? Ad primum Sacra Congregatio reſpondit, *valere Matrimonium contractum coram Parocho, cui interdictum eſt ab Epiſcopo, ne interveniat*. 2. utrum Matrimonium, in quo intervenerit Vicarius Parochi, non invitus, ſed volens, contra prohibitionem tantum Ordinarii, ſit validum, an potius invalidum, quia non intervenit Sacerdos habens juriſdictionem, cum ſit ſublata ab Ordinario? Ad ſecundum *eſſe validum*. 3. ſi invi-

(1) L. *Filii*. ff. ad municipalem.
(2) Sac. Congr. Conc. in Farfenſi Matrimonii 26. Maii 1707.
(3) Cap. 3. de jure eligendi ſepulturam. §. 9. in addit.
(4) Sac. Congr. Conc. in Giennen. anno 1581. lib. 3. decret. pag. 59., & Benedictus XIV. de Synodo lib. 13. cap. 23. num. 1.

Digitized by Google

invitus, & compulſus per vim adſit Sacerdos, cum contrahitur Matrimonium, præcedente, vel non præcedente dicta prohibitione, utrum tale Matrimonium ſubſiſtat? Ad tertium *ſubſiſtere*. 4. Si Sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, neque audivit, utrum tale Matrimonium valide contrahatur, an potius tamquam ſine Sacerdote nullius ſit ponderis, & momenti? Ad quartum, *non valere, ſi Sacerdos non intellexit, niſi tamen affectaſſet non intelligere*. 5. ſi adſit Sacerdos, dum contrahitur Matrimonium, caſu, non cogitans ſe eſſe ad id vocatum, ſed aliud agens audit duos inter ſe contrahentes Matrimonium, utrum ſit validum tale Matrimonium, in quo fuit præſens, non tamen certioratus, nec ad id expreſſe vocatus, neque interponens ſuam auctoritatem dicto, vel facto, an potius ſit nullum, quaſi aſſiſtentia auctoritativa per Concilium requiratur, & non nuda, vel caſualis præſentia? Ad quintum; *valere, etiamſi Parochus aliam ob cauſam adhibitus ſit ad illum actum*.

XLIV. Validum ergo eſt Matrimonium illud, cui Parochus, ac teſtes non ſponte, ſed aut fortuito, aut dolo inducti, aut coacti, & inviti, imo etiam contradicentes, ac diſſentientes (1) adfuerint, dummodo, quid ageretur, intellexerint. Cum enim eorum præſentiam in eum dumtaxat finem Tridentina Synodus poſtulet, ut iidem Eccleſiæ de contracto Matrimonio teſtimonium reddere poſſint; hunc finem in eo caſu abunde obtineri nemo eſt, qui non videat: *Scire enim, non etiam velle is debet: nam &, invito eo, recte fit, quod juſtum eſt*, uti de Teſtibus ad teſtificandum idoneis in Jure Civili (2) ſtatuitur. Verum præſentia hæc Parochi, ac Teſtium eſſe non debet mere phyſica, & materialis. Cum enim Parochus Matrimonio interſit tamquam teſtis auctorizabilis pro Eccleſia, itaut in ejus probitate maximum veritatis fundamentum Eccleſia ſtatuerit; quomodo is teſtem agere tantæ auctoritatis poterit, niſi & contrahentes videat, & vel eorum audiat verba, vel ſaltem ſigna videat, & intelligat, quæ

(1) Sac.Cong.Conc. 29.Aug.1591., & 19.Dec.1648. (2) L.*Ceram Titio*. ff. de V.S.

quæ mutuum utriuſque contrahéntis conſenſum ſignificent? Idem, ſua ſervata proportione, de Teſtibus (1) dicendum eſt. Et ſane ſic ſæpe declaravit Sacra Congregatio Concilii (2), expreſſe reprobans opinionem, quæ ad Matrimonii valorem ſufficere docebat præſentiam Parochi pure phyſicam, & materialem. Si ergo Parochus, quid ageretur, non intellexit, Matrimonium non valet, *niſi tamen affectaſſet non intelligere*. Poſtrema hæc Sacræ Congregationis verba, cum ſubobſcura ſint, paulo enucleatius explicemus.

XLV. Hic autem verus videtur [verbis utimur Benedicti XIV.] (3) illorum verborum ſenſus, videlicet validum fore Matrimonium, quod celebratum coram Parocho fuerit, qui ſi neque vidit, neque intellexit, ipſe ſibi in cauſa fuit, ut neque videret, neque intelligeret, propterea quod vel aures ſibi obſtruxerit, vel faciem velaverit, ne audire, & aſpicere cogeretur. Nulla enim habenda eſt ratio (4) affectatæ ignorantiæ illius, qui cum videre, & audire commode poſſet, ipſe ſibi voluntarium poſuit impedimentum, ne videret, & audiret; neque ab arbitrio, factoque Parochi pendere debet Matrimonii libertatem impedire. Adnitendum quidem Parocho pro viribus eſt, ut ejuſmodi Matrimonia prohibeat, multoque magis eidem cavendum, ne eorum celebrationi voluntariam exhibeat præſentiam. At inde ſolum fit, ut ipſe data opera non debeat iis intereſſe; ut occaſionem præſtandæ aſſiſtentiæ evitare teneatur; ut etiamſi forte circumventus, aliove obtentu accerſitus fuerit, contrahentes, ſerio monere debeat, Matrimonia hujuſmodi ſine gravi culpa celebrari non poſſe; ſibi autem dictam eſſe legem, ut eoſdem contrahen-

(1) L. *Coram Titio*. ff. de V. S., L. *Non multum*. ff. de auctor. Tutor., L. *Teſtium*. cod. de Teſtibus.

(2) Sac. Congr. Conc. in Lauden. Matrimonii 28. Januar. 1678., & in Romana ſuper dubiis Matrimoniorum 7. Martii 1700.

(3) Benedictus XIV. de Synodo lib. 13. cap. 23. n. 10.

(4) Cap. *Cum inhibitio*. §. *Si quis vero*. de clandeſtina deſponſatione. Rota Romana in Romana Matrimonii 4. Februarii 1697. coram Urſino.

Digitized by Google

trahentes, ſi id, quod deliberarunt, reipſa perfecerint, ad Superiorem deferat, a quo gravi plectendi erunt pœna: præterea ſe & animo, & voluntate a præſtanda eorum nuptiis præſentia longe abhorrere, cum hujuſmodi contrahendi ratio a Sacris Canonibus reprobetur. At neceſſe non eſt aures obturare, velare faciem, aliaque hujus generis facere, quæ ad id ſolum valent, ut animos contrahentium aliquando ſcrupulis torqueant, qui ſcilicet, quamvis ut plurimum neſciant illicita ab invalidis diſtinguere, adhuc tamen non ſolum Matrimonium, uti deſtinaverant, contrahere, ſed etiam conſummare non prætermittunt: utrumque enim perficere in animo habent, quoties, circumvento, aut deprehenſo Parocho, coram eo proferunt verba ad mutuum conſenſum ſignificandum idonea. Neque timendum eſt, ne occultum remaneat Matrimonium ea ratione perfectum, & inde, eo adhuc conſtante, ad alterum Matrimonium celebrandum aditus aperiatur. Quamvis enim hujuſmodi Matrimonium ſit clandeſtinum *de jure*, utpote aſtute, atque doloſe ſine præviis denunciationibus celebratum; fieri tamen nequit, ut re ipſa, &, ut ajunt, *de facto* occultum remaneat, cum & Parochus illud ad Epiſcopum deferre, & Epiſcopus adverſus contrahentes judicialiter procedere debeat. Et ſane quicumque humanarum rerum ignarus non eſt, poterit ex propria experientia teſtari, pleraque Matrimonia, quæ in Parochiali Eccleſia præviis denunciationibus publice, & rite celebrantur, niſi conjuges fuerint alicujus ſpectatæ familiæ, vel dignitatis, ut plurimum ignorari: at nullum fuiſſe clandeſtinum hujuſmodi Matrimonium coram Parocho doloſe accito, aut malitioſe deprehenſo ſine præviis denunciationibus initum, cujus rumor, & fama per univerſam Parœciam, & Civitatem pervagata non fuerit, tum propter conatus a Parocho ad illud impediendum adhibitos, tum propter ipſius Matrimonii delationem Epiſcopali Curiæ ab eodem Parocho factam, tum denique propter judiciales proceſſus ab Epiſcopo adverſus contrahentes inſtitutos.

Digitized by Google

XLVI. Hactenus doctiſſimus Pontifex, cui conſonant plures Sacræ Congregationis Concilii declarationes. Nam in una Sarzanen. (1), in qua de Matrimonio agebatur, cui, non præmiſſis denunciationibus, Parochus contradicens, audierat ſolum verba conſenſus a Sponſo præſtiti, dum præ manibus Sponſam haberet, Sacra Congregatio cenſuit, *Matrimonium ſuſtineri, etiamſi Parochus non intellexerit verba Sponſæ, dum tamen de illius conſenſu ex aliis ſignis, juxta juris communis diſpoſitionem, legitime conſtet*. In Patavina (2), in Tolentina, in Veneta, aliiſque ſtatuit, Matrimonium valere, licet Parochus alterutrius contrahentis verba non audiiſſet, vel quia non intelligere affectaſſet, vel quia, ex quo terga verterat, non auſcultaſſet, vel quia propter iram, aut ſtrepitum, aut aliam ob cauſam audire non potuiſſet. Noviſſime in una Carthaginen. (3) propoſitum fuit Matrimonium contractum coram Parocho domi ſuæ inopinate deprehenſo, qui virum viderat, ejuſque verba perceperat; fœminam vero neque viderat, neque audierat. Bis cauſa propoſita, cum Cardinales totidem ex una parte pro Matrimonii validitate, ac totidem ex alia pro nullitate opinati fuiſſent, indicta Congregatio fuit coram Romano Pontifice, juſſique Theologi aliquot, & Canonici Juris Profeſſores ea ſuper re ſententiam ſuam ſcriptis exponere. Tandem facto ipſo, ejuſque circumſtantiis diligenter excuſſis, manifeſto compertum eſt, quod ſi Parochus mulierem non vidit, ejuſque verba non intellexit, hoc ideo evenit, quia ipſe obſirmato animo eamdem videre, & audire noluit, cum eam facile videre, & audire potuiſſet, quemadmodum eam bene viderant, recteque audierant teſtes ad eum actum adhibiti. Quare, annuente Pontifice, ſententia prodiit pro Matrimonii validitate.

XLVII. Præter Parochum, duos, aut tres teſtes Matrimonio intereſſe Tridentina Synodus jubet, ne illud clandeſtinitate labo-

(1) Sac. Congr. Conc. in una Sarzanen. 16. Febr. 1648.

(2) Sac. Cong. Conc. in Patavina 16. Maii 1669., in Tolentina 18. Nov. 1671., & in Veneta 11. Martii 1673.

(3) Sac. Congr. Conc. in Carthaginen. Matrimonii anno 1753.

Digitized by Google

laboret. Verum cum nullam in iis peculiarem qualitatem requirat, inde fit, ut duo teſtes ſufficiant, qui uſu rationis polleant, & ad teſtimonium dicendum de jure naturæ habiles reperiantur. Quamobrem in nuptiis contrahendis eſſe poſſunt teſtes, etiam impuberes, conſanguinei, domeſtici, Religioſi, fœminæ, excommunicati, infames, infideles, hæretici, aliique, etiamſi ii ſint jure poſitivo ad ferendum teſtimonium inhabiles, dummodo ita interſint, ut id, quod agatur, intelligant, & ſimultanea ſit, non ſucceſſiva eorum præſentia.

XLVIII. Quamquam autem ad Matrimonii valorem Parochi, duorumque Teſtium præſentia requiratur, ubicumque Tridentini decretum fuerit promulgatum; ſicubi tamen Parochialis Eccleſia proprio Parocho, & Cathedralis Epiſcopo careat, & Capitulo habente facultatem delegandi alium Sacerdotem, nulluſque alius ibi ſit, qui Parochi, vel Epiſcopi vices ſuppleat; Sacra Congregatio Concilii (1) *cenſuit valere Matrimonium abſque præſentia Parochi, ſervata tamen in eo, in quo poteſt, forma Concilii, nempe adhibitis ſaltem duobus, vel tribus teſtibus. Si vero exiſtat quidem Parochus, vel Epiſcopus, ſed, nullo conſtituto Vicario, uterque metu Hæreticorum lateat, itaut vere ignoretur, ubinam ſit, vel eodem metu a Diœceſi abſit, nec ad alterutrum ſit tutus acceſſus, validum quoque eſſe Matrimonium contractum abſque forma Sacri Concilii Tridentini, adhibitis tamen duobus, uti dictum eſt, teſtibus, cenſuit eadem Sacra Congregatio Concilii*. Cum autem prævideretur (2), facile deperditum iri probationes, unde conſtaret de promulgatione Tridentini decreti in qualibet Parochia, atque exinde orituras plerumque dubitandi cauſas, num executioni demandata fuiſſet præſcripta Conciliaris decreti promulgatio, & num propterea vim ſuam obtinere deberet; approbante Pontifice Maximo, ſancitum fuit a Congregatione Concilii (3), ad eamdem pro-

Rrrrr 2

(1) Sac. Cong. Conc. in Tricaricenſi 27. Martii 1632.

(2) Benedictus XIV. in Epiſt. Decretali *Paucis ab hinc*. ad Archiepiſcopum Goanum data 19. Martii 1758.

(3) Sac. Congr. Conc. in Tricaricen. 26. Septembr. 1602., & in quadam Poloniæ 13. Nov. 1638.

promulgationem comprobandam ſufficere diuturnam obſervantiam ejuſdem Conciliaris decreti, cujus publicatio inducitur ex diuturnitate temporis, quo Matrimonia in Parœciis coram Parocho, ac duobus teſtibus celebrata fuerunt. Ubi vero Tridentini decretum publicatum non eſt, eadem Sacra Congregatio Concilii (1) *cenſuit valere Matrimonia, quæ fuerint ſine obſervatione formæ a Concilio præſcriptæ contracta.*

XLIX. At quid, ſi Mulier Catholica cum Hæretico, vel viceverſa, Matrimonium coram Miniſtro Hæretico contrahat in loco, in quo dubitatur, an Sacrum Concilium Tridentinum fuerit publicatum? Sacra Congregatio Concilii (2) reſpondit, *ſi non conſtet de publicatione Sacri Concilii Tridentini in Parochia contrahentium, non eſſe invalida Matrimonia coram Miniſtro hæretico contracta: Si vero conſtet de publicatione Sacri Concilii in Parochia, ſaltem ex illius obſervantia per aliquod tempus, tamquam decreti Sacri Concilii, ad validitatem Matrimonii requiri, ut coram Parocho Catholico iterum contrahat.*

L. Tria hæc dubia Sacræ Congregationi Concilii propoſuit ſub Urbano VIII. Archiepiſcopus Colonienſis Elector. 1. an incolæ tam maſculi, quam fœminæ loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto Matrimonii eſt promulgatum, & acceptatum, tranſeuntes per locum, in quo dictum Concilium non eſt promulgatum, retinentes idem domicilium, valide poſſint in eo loco Matrimonium ſine Parocho, & Teſtibus contrahere? 2. quid, ſi eo prædicti incolæ tam maſculi, quam fœminæ ſolo animo ſine Parocho, & Teſtibus contrahendi ſe transferant, habitationem non mutantes? 3. quid, ſi iidem incolæ tam maſculi, quam fœminæ eo transferant habitationem illo ſolo animo, ut abſque Parocho, & Teſtibus contrahant? Sacra Congregatio (3) propoſitis dubiis ita reſpondit: *Ad primum, & ſecundum*

non

(1) Sac. Congr. Conc. in cit. Tricaricen. 26. Sept. 1602.

(2) Sac. Congr. Conc. in una Poloniæ 13. Nov. 1638., in una Indiarum Orientalium Matrimonii 30. Martii 1669., & in una Conſtantinopolit. 2. Dec. 1634.

(3) Sac. Cong. Conc. 5. Sept. 1626.

Digitized by Google

non eſſe legitimum Matrimonium inter ſic ſe transferentes, & tranſeuntes cum fraude. Ad tertium, niſi domicilium vere transferatur, Matrimonium non eſſe validum. Quas quidem reſponſiones Urbanus VIII. ſuis Apoſtolicis Litteris (1) in forma Brevis confirmavit; & noviſſime Benedictus XIV. Apoſtolica auctoritate iterum approbatas ſuæ Epiſtolæ Decretali (2) ad Archiepiſcopum Goanum datæ inſeruit, ac in poſterum omnino obſervari mandavit. Hujus Decretalis Epiſtolæ exemplar damus in Appendice *num.* 31.

De Raptu.

LI. *Decernit Sacroſancta Tridentina Synodus* (3), *inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe ſubſiſtere Matrimonium. Quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, ac libero conſtituta illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipſe, & omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes ſint ipſo jure excommunicati, & perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio Judicis dotare.*

LII. Ad hunc raptum, quo Matrimonium contrahendum dirimitur, hæc requiruntur. 1. ut mulier per vim, ſeu phyſicam, cujuſmodi eſt violenta manuum injectio, ſeu moralem, uti ſunt graves minæ, graviſque metus, ſive ab ipſo raptore, ſive a mandatario illatam abducatur: ſi enim ſolæ adhibeantur importunæ preces, niſi eæ tales ſint, ut violentiæ æquiparentur, non habetur raptus dirimens Matrimonium. 2. ut mulier de loco ad locum moraliter diverſum abducatur: neque enim raptor eſt, aut dici poteſt, qui puellam in aliqua domo repertam ibi eam opprimat, aut ab uno cubiculo ad aliud abductam violet.

(1) Urbanus VIII. in ſuo Brevi edito 14. Auguſti 1627.

(2) Benedictus XIV. in ſua Decretali. *Paucis ab hinc.* 19. Martii 1758.

(3) Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. Matrim.

let. 3. ut ad ineundum Matrimonium raptus fiat: qui enim puellas ob aliam cauſam, quam ut iis nubant, abducunt, in citato Tridentini decreto non comprehenduntur, uti Sacra Concilii Congregatio (1) declaravit; & merito, Tridentina enim Synodus nonniſi Matrimonii libertati decreto ſuo conſulere voluit, adeoque de eo tantum loquitur raptu, qui ad nuptias contrahendas perpetratur. 4. ut mulier invita, ac diſſentiens rapiatur: ſi enim raptui conſentiat, Matrimonii libertas non læditur; & quamquam violentiam patiantur parentes, valide (2) tamen contra eorum voluntatem a puella Matrimonium initur. Quare ſic ſtatuit Lucius III. (3). *Iſte raptor dici non debet, cum habuerit mulieris aſſenſum, & prius eam deſponſaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent, a quibus eam dicitur rapuiſſe*. Unde Doctores inferunt, verum non haberi raptum, ſi poſt tractatum de Matrimonio contrahendo, aut poſt inita Sponſalia puella conſentiens de domo Patris, ſeu Tutoris, quamquam inviti, & reclamantis, abducatur; imo etiam, ſi poſt contracta Sponſalia puella rapiatur invita, niſi juſtam ab initis Sponſalibus reſiliendi cauſam habeat.

LIII. Cum Concilium in hoc impedimento raptus ſtatuendo, non mulieris raptæ qualitates, ſed Matrimonii dumtaxat libertatem reſpexerit; inde fit, ut ejuſmodi impedimentum habeatur, ſive mulier ſit virgo, ſive corrupta, ſive vidua, ſive etiam meretrix. Generalia enim legis verba (4), ubi eadem præſertim ratio militat, generaliter ſunt intelligenda. Si mulier virum rapiat, locum non habet hoc impedimentum, cum de raptore, non de raptrice Tridentina Synodus loquatur: ejus autem decretum, cum ſit odioſum (5), & pœnale, extendendum non eſt ad id, quod diſerte non exprimit. Quamdiu autem rap-

tus

(1) Sac. Congr. Conc. 23. Jan. 1586.

(2) Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de reform. Matrim.

(3) Cap. *Cum cauſam*. de raptoribus.

(4) Cap. *Quia circa*. de privilegiis.

(5) Cap. *Hodie*; cap. *Quæ a Jure*; & cap. *In pœnis*. de regulis Juris in 6.

tus impedimentum perſeveret, qua ratione ceſſet, & quænam pœnæ adverſus raptorem ſint conſtitutæ, ex adducto Tridentini decreto apertiſſime conſtat.

ARTICULUS VII.
De ætate ad Matrimonium requiſita.

NON quælibet ætas eſt ad Matrimonium valide contrahendum idonea, ſed pubertas requiritur. Hæc autem alia eſt legalis, alia naturalis. Legalis ea eſt, quæ a legibus ad Matrimonium ineundum præſcribitur, cum videlicet maſculi 14., fœminæ vero duodecimum exegerint annum: cum enim ea ætate naturalis (1) pubertas in utriſque adeſſe communiter ſoleat, jam adeſſe præſumitur. Naturalis pubertas eſt potentia ad copulam, plenuſque rationis uſus, quo contrahentes per Matrimonium ad individuam vitæ ſocietatem obligare ſe poſſint. Hæc aliquando ætatem prævenit a legibus præſcriptam, & tunc malitia ſupplere dicitur ætatem. Si naturalis pubertas adſit, ea ad Matrimonii validitatem ſufficit, licet pubertas legalis deſideretur. *Reſpondemus* (ita ſtatutum legimus in Jure Canonico) *quod* (2) *ſi ita fuerint ætate proximi, ut potuerint copula carnali conjungi, minoris ætatis intuitu ſeparari non debent, ſi unus in alterum viſus fuerit conſenſiſſe, cum in eis ætatem ſuppleviſſe malitia videatur*. Et ita cum S.Thoma (3) communiter ſentiunt Doctores, & non infrequenter Sacra Congregatio Concilii (4) declaravit. Duo autem malitia hæc, quæ ætatem ſupplet, ſimul complectitur; plenum rationis uſum, ac diſcretionem ad conjugalem præſtandum conſenſum, & actualem potentiam ad copulam conjugalem. Horum prius jure naturali, ac divino, poſterius Jure poſitivo Canonico ad Matrimonii validitatem requiritur. Illud autem inter pubertatem

(1) Cap. *Puberes*, cap. *Ex Litteris*; cap. *Atteſtationes*; & cap. finali. de deſponſatione impuberum.

(2) Cap. *De illis*; cap. *Puberes*; & cap. *Tuæ*. de deſponſat. impuberum.

(3) S. Th. in 4. diſt. 36. qu. unica art. 5.

(4) Sac. Congr. Conc. in una Januen. & alibi apud Fagnanum in cap. *De illis*. de deſponſat. impuber.

tem naturalem, ac legalem intercedit diſcrimen, quod cum naturalis pubertas ſit quid facti, niſi eadem poſitive probetur, ante pubertatem legalem non præſumitur, neque ſive mares, ſive fœminæ ad generandum apti præſumuntur. Contra vero Matrimonium poſt legalem pubertatem contractum validum eſt, licet pubes fortaſſe illud conſummare non poſſit: cum enim ætatem habeat legitimam, ac de perpetuo impedimento non conſtet, impedimentum, quod adeſt, eſſe cenſetur temporale, quod ſane Matrimonium non dirimit.

II. Cum facultas contrahendi Matrimonium ante præſcriptum ætatis tempus, quoties malitia ætatem ſuppleat, ab ipſa Legum, & Canonum diſpoſitione oriatur; Epiſcopi proinde, atque Ordinarii locorum (uti docet Benedictus XIV. (1)) jure ſuo pronunciare poſſunt ſuper ea quæſtione, quæ facti eſt, an videlicet malitia, ut aſſeritur, ætatem ſuppleat; & quoties id verum ſit, Matrimonii contrahendi licentiam impertiri valent, quin Apoſtolicam Sedem adire neceſſe ſit, niſi pro majori actus ſolemnitate, *& ne de contractus hujuſmodi Matrimonialis validitate propter minorem ætatem hæſitari contingat*, uti habet formula, quæ in litteris declaratoriis ſuper minori ætate adhiberi ab Apoſtolica Sede conſuevit. Quamobrem ſiquis umquam in Noſtra Diœceſi ejuſmodi caſus obtingat; continuo rem totam ad Nos Parochus deferat, ut, omnibus mature perpenſis, ſuper hac facti quæſtione pronunciemus, & quid, attentis omnibus circumſtantiis, fieri expediat, decernamus. Cumulativum ſiquidem jus eſt (2), uti Canoniſtæ docent, inter Apoſtolicam Sedem, & Judices Ordinarios cognoſcendi, & pronunciandi de hac re, an videlicet malitia ſuppleat ætatem: privativum vero Jus Apoſtolicæ Sedis eſt concedendi diſpenſationem ad contrahendum Matrimonium impuberi, qui per ætatem conjugali copulæ nondum maturus

(1) Bened. XIV. Epiſt. Decr. *Magnæ nobis*. ad Poloniæ Primatem, Archiepiſcopos, & Epiſcopos data 29. Junii 1748.

(2) Benedictus XIV. cit. Epiſt. *Magnæ nobis*.

turus eſt, rationis tamen uſu ita pollet, ut Matrimonii contrahendi vim, & naturam intelligat. Ad Matrimonii enim validitatem rationis uſus jure naturali, ac divino, actualis vero ad conjugalem copulam potentia Jure Canonico poſitivo requiritur. Romanus autem Pontifex eſt ſupra Jus Canonicum; quilibet vero Epiſcopus inferior eo eſt, ac proinde iis legibus derogare nequit.

ARTICULUS VIII.

De Matrimonialium impedimentorum diſpenſatione, ſeu relaxatione.

IMpedimenta mere impedientia relaxari ab Epiſcopo poſſe, nemo eſt, qui dubitet (1), ſi tria excipiantur, videlicet 1. impedimentum ortum ex ſponſalibus validis cum alia perſona, qua ſane invita, remitti ſine ejuſdem injuriæ impedimentum nequit. 2. impedimentum ex voto ſimplici, aut caſtitatis perpetuæ, aut ingrediendæ Religionis: hæc enim vota, niſi conditionata fuerint, ſunt Romano Pontifici reſervata. 3. impedimentum ex hæreſi alterutrius contrahentis: cum enim interdictum ſit per Concilii Chalcedonenſis, & Sacrorum Canonum, ac Romanorum Pontificum ſanctiones, ne inter Hæreticum, & Catholicam, aut viceverſa, Matrimonium contrahatur; jam ſolus Romanus Pontifex relaxare hoc impedimentum poteſt, non vero Epiſcopi, niſi ſpecialem quoad hoc ab Apoſtolica Sede facultatem obtinuerint.

II. Impedimenta dirimentia alia oriuntur ex jure naturali, ac divino, cujuſmodi ſunt amentia, vis, error ſubſtantialis, & Matrimonium cum alia contractum, & conſummatum; alia ex Jure poſitivo Canonico, cujuſmodi ſunt Ordo ſacer, votum ſolemne caſtitatis, cognatio, raptus, clandeſtinitas &c. Priora ne a Romano quidem Pontifice relaxari poſſunt, ſunt enim juris divini naturalis independentis quoad originem ab humana volun-

(1) Benedictus XIV. de Synodo lib. 9. cap. 2. n. 1.

Digitized by Google

tate, Romanus autem Pontifex juxta S. Thomæ (1) doctrinam in iis ſolum, quæ ab humana voluntate originem trahunt, licet juris ſint divini, poteſt, ſiqua gravis urgeat neceſſitas, ex præſumpta Dei voluntate diſpenſare. Rem explicat Angelicus Doctor in voto continentiæ, cujus ſane obligatio eſt de jure divino naturali. *Si communis utilitas totius Eccleſiæ, aut unius Regni, vel Provinciæ expoſceret, poſſet convenienter & in voto continentiæ, & in voto Religionis diſpenſari, quantumcumque eſſet ſolemnizatum. Non enim per votum poſſet ſe homo deobligare ab eo, in quo tenetur alteri. Unde talis poſſet imminere neceſſitas, ut poſſet alicui juſte prohiberi, ne continentiam, aut Religionem voveret, &, eadem neceſſitate manente, poteſt etiam in voto diſpenſari jam facto.* Impedimenta vero dirimentia de Jure dumtaxat Canonico, relaxari omnino poſſunt, ac diſpenſari a Romano Pontifice, *qui ſecundum (2) plenitudinem poteſtatis de Jure poteſt ſupra Jus diſpenſare.*

II. At quoad impedimenta de Jure dumtaxat Canonico dirimentia quid poſſunt Epiſcopi? Certum eſt 1. relaxari ab Epiſcopo (3) poſſe impedimentum Canonicum, propter quod invalidum fuit Matrimonium publice contractum, ſi tamen hæ omnes ſimul circumſtantiæ concurrant. 1. ut Matrimonium in faciem Eccleſiæ, omnibus adhibitis ſolemnitatibus, fuerit celebratum. 2. ut contractum bona fide fuerit ex facti, aut juris ignorantia. 3. ut fuerit conſummatum. 4. ut occultum ſit Canonicum impedimentum. 5. ut conjugum ſeparatio ſine ſcandalo fieri nequeat. 6. ut ob conjugum paupertatem, ruſticitatem, locorum diſtantiam, aliaſque ſimiles cauſas adiri facile nequeat Apoſtolica Sedes, & diſpenſatio ab ea obtineri. Siqua ex his circumſtantiis abſit, diſpenſare Epiſcopus nequit. At ſi laborantes impedimento ſint pauperes, aut rudes, aut ruſtici, officium erit Ordinarii diſpenſationem in forma pauperum ab Apoſtolica Sede procurare, ut gratis,

(1) S. Th. in 4. diſt. 38. qu. 1. art. 4. ad 3., & quæſtiunc. 1. in corp.

(2) Cap. *Propoſuit*. de conceſ. præbendæ.

(3) Benedictus XIV. de Synodo lib. 9. cap. 2. n. 1.

gratis, ac ſine compoſitione obtineatur. Quando vero diſpenſatio, concurrentibus recenſitis circumſtantiis, ab Epiſcopo conceditur, pro interno tantum, non pro externo prodeſt foro. Quamobrem ſi impedimentum poſtea detegatur, & ad forum contentioſum deferatur, nova erit a Summo Pontifice impetranda diſpenſatio. Neque enim plus poteſtatis Epiſcopo tribuendum eſt, quam habeat Major Papæ Pœnitentiarius, qui ſane in prædicto rerum eventu impedimentum ita aufert, ut Matrimonium in foro ſolum interno convaleſcat.

IV. Certum eſt 2. Epiſcopos non habere ordinariam poteſtatem diſpenſandi in impedimentis dirimentibus publicis pro Matrimonio contrahendo (1), etiamſi gravis urgeat illud contrahendi neceſſitas: non ſemel enim propoſitio affirmans, id Epiſcopos poſſe, a Sacris Congregationibus Concilii, ac ſupremæ Inquiſitionis tamquam falſa, ac temeraria proſcripta eſt. Poterunt itaque ſolum Epiſcopi in his impedimentis diſpenſare, quando delegatam ad id a Romano Pontifice obtinuerint facultatem, & tunc quidem non modo conceſſæ ſibi facultatis terminos prætergredi nequeunt, verum etiam hanc exequi clauſulam diligenter debent, quam hujuſmodi diſpenſandi facultatibus adjicere Apoſtolica Sedes conſuevit: *Hæ vero matrimoniales diſpenſationes non concedantur, niſi cum clauſula, dummodo mulier rapta non fuerit, vel ſi rapta fuerit, in poteſtate raptoris non exiſtat. Præterea in diſpenſationibus hujuſmodi declaretur expreſſe, illas concedi tamquam a Sedis Apoſtolicæ Delegato, ad quem effectum tenor ejuſdem facultatis inſeratur cum expreſſione temporis, ad quod fuerint conceſſæ: alias nullæ ſint.*

V. Non deſunt quidem magni nominis Auctores, qui Epiſcopo facultatem aſſerunt, auferendi occultum dirimens impedimentum (2), quod Matrimonio proxime contrahendo obſtet; quando videlicet tales urgent circumſtantiæ rerum, ut neque Summus Pontifex conſuli, neque Matrimonii contractus, ad quem omnia ſunt diſpoſita, differri ſine ſcandalo poſſit, ac ſine

Sssss 2 eorum

(1) **Benedictus XIV. loc. cit. n.3.** (2) **Benedictus XIV. loc. cit. n.2.**

Digitized by Google

eorum infamia, qui ſe paraverunt ad Nuptias. In eo enim rerum articulo, ad tot præcavenda mala, præſumi debet, niſi alius ſuppetat modus, Summum Pontificem Epiſcopo diſpenſandi facultatem tribuere, quam certe denegaturus non eſſet, ſi eam poſtularet. Neque credi ulla ratione poteſt, eumdem in iis circumſtantiis cum gravi animarum diſpendio illam ſibi privative quoad Epiſcopo poteſtatem reſervare, quam a Chriſto Domino in commune animarum bonum accepit, cum id non minus reſervationis fini, qui eſt, ut ſcandala, peccandique pericula a Fidelibus evitentur, quam ſuavi, providæque Eccleſiæ gubernationi adverſetur, quæ ex (1) Apoſtolo poteſtatem ſuam non in deſtructionem, ſed in ædificationem animarum debet exercere. Verum, quamvis hæc opinio, teſte Bonaccina (2), ſit hodie fere communis; Cum tamen fieri moraliter non poſſe videatur, ut eæ omnes circumſtantiæ concurrant, in quibus retardari Matrimonium ſine ſcandalo nequeat (plurimi enim ſemper præſto ſunt modi nuptias protrahendi abſque ulla criminis ſuſpicione, & ſine eorum infamia, qui ad eas celebrandas jam ſunt parati); Et cum ex Noſtra hac Diœceſi tutus, facilisque ad Summum Pontificem, Sacramve Pœnitentiariam acceſſus pateat; Propterea de hac extraordinaria poteſtate, quæ ex præſumpta Romani Pontificis voluntate in peculiari aliquo eventu, urgentiſſimæ videlicet neceſſitatis, occultique impedimenti, Epiſcopis competat, ab omni ferendo judicio abſtinemus.

VI. Cum autem non raro ad Matrimonia contrahenda, aut contracta revalidanda diſpenſatio ſuper Matrimonii impedimentis apud Sacram Pœnitentiariam petenda ſit; Hæc autem litteras ſuas, quibus petitam diſpenſandi facultatem concedit, dirigere, & inſcribere ſoleat *Diſcreto Viro Confeſſario ex approbatis ab Ordinario per Oratorem eligendo*; Ne ſive in petendis, ſive in exequendis ejuſmodi Litteris a Parochis, aut Confeſſariis error aliquis ob imperitiam admittatur; Operæ pretium ducimus perbrevem

(1) 2. ad Cor. c.10. (2) Bonaccina de Matrim. diſput. 3. punct.15. n.5.

vem hac ſuper re inſtitutionem ſubnectere, qua iidem Litteras Sacræ Pœnitentiariæ petere, & exequi doceantur. Monitos tamen eos volumus, Sacræ Pœnitentiariæ tunc ſolum pro diſpenſandi facultate preces eſſe porrigendas, cum ita occulta ſunt Matrimonialia impedimenta, ut neque ad forum externum deducta fuerint, neque facile futurum ſit, ut vel publica fiant, vel ad externum forum deducantur. Secus enim ad Datariam recurrere oportet, cujus opera Apoſtolicæ Litteræ ſub plumbo expeditæ ad Noſtram Curiam deferendæ ſunt, ut eædem, ſervatis ſervandis, executioni fideliter demandentur. Ne quis autem ignorare poſſit, quænam ſint Majoris Pœnitentiarii, atque officii Pœnitentiariæ facultates; damus in Appendice *num.* 32. exemplar Conſtitutionis Benedicti XIV. (1), in qua ſingulæ recenſentur, & Apoſtolica auctoritate confirmantur.

ARTICULUS IX.

De petendis, & exequendis Sacræ Pænitentiariæ diſpenſationibus ſuper Matrimonialibus impedimentis tum impedientibus, tum dirimentibus.

SI quis forte in Sacramentali Confeſſione Parocho, alterive Confeſſario Canonicum occultum impedimentum detegat, quo illigatus mulieri vel invalide nupſit, vel perperam eſt nupturus; ab eoque poſtulet, ut a Sacra Pœnitentiaria ſibi diſpenſationem obtineat, qua Matrimonium vel contractum revalidari, vel contrahendum iniri valide poſſit; recuſare (2) Parochus, aut Confeſſarius hanc provinciam non debet, ne forte pœnitens deſperatione adductus aut in ſtatu peccati, in quo eſt, perſeveret, aut Matrimonium invalide contrahens in profundum iniquitatis demergatur. Quamobrem Parochus, ſeu Confeſſarius pœnitentem diligenter examinare, ac rem totam cum neceſſariis circumſtantiis,

(1) Benedictus XIV. Conſt. *Paſtor bonus*. edita idibus Aprilis 1744.
(2) Benedictus XIV. Inſtit. 87. §.29.

ſtantiis, & cum juſtis cauſis, propter quas petitur diſpenſatio, Cardinali Majori Pœnitentiario declarare debet per litteras ſeu Latina, ſeu Italica lingua exaratas. Cum enim ſine legitima cauſa Matrimoniales diſpenſationes Sacra Pœnitentiaria non impertiatur; cauſa aliqua rationabilis, ac juſta proferenda ſemper eſt, propter quam diſpenſatio poſtuletur. Et pro contractis quidem Matrimoniis revalidandis cauſa deſumi ſolet ex metu, ne detrimentum aliquod, aut diſſidium, aut ſcandalum excitetur, ſi, non obtenta diſpenſatione, diſſolvi Matrimonium oporteat. Hæc autem cauſa deeſſe fere numquam ſolet: vix enim ulla diſſolvi poſſunt Matrimonia, quin graviſſima ſubſequantur mala, quæ per diſpenſationem impedirentur. Cavendum tamen diligenter eſt, ne quid neceſſario exprimendum reticeatur, & ne quid a veritate alienum exprimatur. In primo enim caſu diſpenſatio ſubreptionis, in ſecundo obreptionis, in utroque nullitatis vitio laboraret, ſuumque nullo modo ſortiri poſſet effectum. Canonicum igitur dirimens impedimentum exprimi debet in individuo; & ſi ſuper conſanguinitatis ex. gr. impedimento diſpenſatio petatur, explicanda hæc ſunt: an occultum ſit impedimentum? utrum pro contracto, an pro contrahendo Matrimonio diſpenſatio petatur? in quo gradu ſit conſanguinitas? utrum in linea recta, an in tranſverſa? utrum æqualis ſit, an inæqualis lineæ tranſverſæ gradus? ſi ſit inæqualis, uterque exprimi gradus debet, proximior videlicet, ac remotior. Explicandum præterea, an ſecutura ſint ſcandala, ſi conjuges ſeparentur, aut niſi nuptiæ contrahantur? an vitæ, aut infamiæ periculum ſubſit? Utrum utrique, an uni dumtaxat parti notum ſit impedimentum? utrum uterque, an unus dumtaxat conjux in bona verſetur fide? Servandum fere idem eſt, ſi ſuper affinitatis impedimento diſpenſatio petatur. Illud tamen præterea explicandum eſt, utrum affinitas ex licita, an ex illicita copula oriatur? Si enim *affinitas* dumtaxat dicatur, ea intelligitur, quæ ex licita, ſeu conjugali promanat copula. Quod ſi de Matrimonio contracto agatur,

tur, illud inſuper addendum eſt, utrum ſcienter, an ignoranter in gradu prohibito contractum fuerit? an initæ fuerint nuptiæ, proclamationibus non præmiſſis, neque obtenta ſuper illis Ordinarii diſpenſatione? an copula præmiſſa nuptiis fuerit? an præmiſſa fuerit ex intentione, ac ſpe obtinendi facilius diſpenſationem? an Matrimonium fuerit conſummatum &c? In his litteris, quæ ad Majorem Pœnitentiarium dantur, reticendum omnino eſt illius nomen, qui diſpenſationem poſtulat, ejuſque loco littera N. ſufficitur: locus tamen deſignandus eſt, quo mitti debeant reſponſa, niſi procurator aliquis, aut negotiorum geſtor Romæ adſit, qui & litteras Sacræ Pœnitentiariæ tradat, & ſuo tempore ejuſdem reſponſa recipiat. In fine litterarum nomen etiam, & cognomen deſcribenda ſunt illius, ad quem reſponſum detur, ſi Romæ non adſit, qui ejuſmodi reſponſum ſibi tradi curet. Et hæc de petendis a Sacra Pœnitentiaria Matrimonialibus diſpenſationibus innuiſſe ſufficiat. Pauca nunc de ejuſdem Pœnitentiariæ litteris exequendis dicamus.

II. Litteræ Sacræ Pœnitentiariæ, quibus petita conceditur facultas ſuper Canonico impedimento diſpenſandi, aliquando inſcribuntur *Diſcreto Viro Confeſſori, Magiſtro in Theologia, vel Decretorum Doctori, ex approbatis ab Ordinario*; aliquando *Diſcreto Viro Confeſſario ex approbatis ab Ordinario*. In primo caſu eas exequi non poteſt, niſi is, qui in Theologia, vel in Jure Canonico Doctoris lauream ab aliqua obtinuerit Univerſitate. Quod ſi alicui tradantur, qui iis titulis careat, & is temere eaſdem aperiat, nullum proinde reſultare detrimentum debet in illum, qui petiit diſpenſationem, adeoque non novæ a Pœnitentiaria petendæ ſunt litteræ, ſed primæ, licet apertæ, tradi pro executione poſſunt Viro, qui propoſitis titulis exornetur. In ſecundo caſu quilibet Confeſſarius eas executioni poteſt demandare. In utroque tamen caſu executor debet eſſe actu ab Ordinario ad Confeſſiones audiendas approbatus; ita etiam, ut, ſi cum mulieribus diſpenſandum

dum ſit, exequi litteras nequeat is, qui virorum tantum confeſſiones poteſt excipere.

III. Ubi Confeſſario exhibitæ ſint litteræ, is illas diligenter legat, clauſulaſque omnes iiſdem inſertas attente conſideret, ne in earum executione vel minimis in rebus mandati fines prætergrediatur. Aliquas ejuſmodi clauſulas inſeri ſolitas obiter percurramus. Prima clauſula, quæ numquam deeſſe ſolet, hæc eſt: *Si ita eſt*. Vi hujus clauſulæ, qui litteras exequitur, curam omnem, diligentiamque (1) impendat oportet, ut cognoſcat, an verum ſit, quidquid Majori Pœnitentiario fuit expoſitum, adeoque an veræ ſint res ipſa, circumſtantiæ, & cauſæ ad obtinendam diſpenſationem productæ. Monere proinde Pœnitentem debet, ut nihil a veritate proferat alienum; non tamen ullos inquiri teſtes, ſed illum examinari dumtaxat oportet, qui diſpenſationem impetravit. Si ab executore accurata hæc diligentia omittatur, irrita erit diſpenſatio, niſi forte ipſe aliunde rei veritatem, juſtamque cauſam cognoverit. *Quod ſi Confeſſarius pro certo habeat* [inquit (2) Benedictus XIV.] *falſum eſſe, quod Summo Pœnitentiario propoſitum fuit, ab exequenda diſpenſatione abſtineat, licet qui ipſam poſtulavit, rei falſitatem tueri contendat, modo tamen Sacerdos id non perceperit, cum Pœnitentiæ Sacramentum diſpenſando adminiſtravit: non enim uti licet iis, quæ tunc deprehenduntur*.

IV. Secunda clauſula eſſe ſolet hæc: *Audita prius Sacramentali Confeſſione*; quæ ſane clauſula conditionem importat, ſine qua non conceſſa Confeſſario fuiſſet diſpenſandi facultas. Quare Confeſſarius (3) ea facultate uti debet, dum Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrat, poſtquam conſueta verba abſolutionis a cenſuris, & peccatis pronunciavit. Si res de ineundo Matrimonio agitur, his utatur verbis: *Et inſuper auctoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata diſpenſo tecum ſuper impedimento, ut præfato impedimento non*

(1) Benedictus XIV. Inſtit. 87. §. 34.

(2) Benedictus XIV. loc. cit.

(3) Benedictus XIV. loc. cit. §. 36., 81., & 82.

to non obſtante, Matrimonium cum dicta muliere publice, ſervata forma Tridentini, contrahere, conſummare, ac in eo manere licite poſſis, & valeas, in nomine Patris &c. Inſuper eadem Apoſtolica auctoritate prolem, quam ex Matrimonio ſuſceperis, legitimam fore nuncio, & declaro, in nomine Patris &c. Si vero de Matrimonio jam inito res eſt, poſt conſuetam a cenſuris, & peccatis abſolutionem, hanc formulam pronunciet: *Et inſuper auctoritate Apoſtolica mihi ſpecialiter delegata diſpenſo tecum ſuper impedimento, ut eo non obſtante, Matrimonium conſummare, & in eo remanere licite poſſis, in nomine Patris &c. Et pariter eadem auctoritate Apoſtolica, prolem, ſi quam ſuſcepiſti, & ſuſceperis, legitimam fore decerno, & declaro, in nomine Patris &c.*

V. Tertia clauſula eſt: *Injuncta ei, pro tam enormis libidinis exceſſu, gravi pœnitentia ſalutari.* Hæc clauſula non importat merum Confeſſarii libitum, itaut is, prout ſibi placuerit, pœnitentiam libere injungere poſſit; ſed arbitrium ſignificat boni viri, quod juri conforme ſit. Quare ut Confeſſarius muneri ſuo faciat ſatis, neque ſeveritatis, neque humanitatis fines excedat, adeoque rationem habeat conditionis, ætatis, & ſexus illius, cui pœna irrogatur. Quod ſi Litteræ (1) præſcribant [quemadmodum uſuvenire aliquando ſolet] ut pœnitenti Confeſſio ſingulis menſibus peragenda injungatur, injungenda ea omnino eſt, nec prætermitti poteſt. Idem de aliis certis pœnis dicendum eſt, quæ a Sacra Pœnitentiaria præſcribantur.

VI. Quarta clauſula ſic habet: *dummodo impedimentum omnino occultum ſit.* Adhiberi ſolet potiſſimum hæc clauſula, cum uterque conjux, novo Matrimonio copulatus, necem prioris conjugis molitus fuerit (2); & tunc ſignificat: *dummodo omnino occultum ſit, quod uterque Oratorum in mortem prioris conjugis machinatus ſit, & plane ignoretur, quod ejus mors inde ſit ſecuta, itaut ſolum delinquentibus innoteſcat.* At ſi hæc alia clauſula adhibeatur: *dummodo*

Ttttt

(1) Benedictus XIV. loc. cit. §. 36., & 37.
(2) Benedictus XIV. loc. cit. §. 44.

modo impedimentum occultum ſit; tunc (1), etiamſi pauciſſimis ſit notum, adhuc occultum cenſetur crimen, ſeu impedimentum, uti docent Proſper Fagnanus, Marcus Paulus Leo, Theſaurus, Tiburtius Navarrus, & Syrus, viri omnes Sacræ Pœnitentiariæ peritiſſimi. Unius, aut alterius verba proferamus. Navarrus (2) ſic habet: *Res, ſi in Oppido eſt nota quinque, aut ſex perſonis; in Civitate vero ſeptem, aut octo, adhuc occulta cenſeri debet, modo ſcilicet ab illis non fuerit divulgata.* Syrus (3) vero ſic: *Si delictum ſit notum duobus, vel tribus alicujus loci, aut Communitatis, aut Capituli, occultum cenſetur. Si in Oppido ſit notum quinque, aut ſex perſonis; in Civitate vero ſeptem, aut octo, adhuc cenſetur occultum.* Navarrus tamen, ac Theſaurus Confeſſarium monent, ut ab exequenda diſpenſatione abſtineat, ſi prudenti conjectura intelligat, poſt breve tempus futurum eſſe publicum crimen, ſeu impedimentum, quod a paucis antea cognoſcebatur.

VII. Quinta clauſula *aliudque non obſtet* ſignificat, Confeſſarium, antequam litteras exequatur, exquirere debere, an aliud Canonicum impedimentum adſit, præter illud, quod Pœnitentiariæ expoſitum fuit. Si enim adſit, irrita erit, ſi concedatur, diſpenſatio. Quare Matrimonium non eſt ineundum, ſi celebratum non fuerit: ſi vero contractum jam ſit, ſejungendi ſunt conjuges, donec ad Datariam recurrerint, ſi illud impedimentum ſit publicum, ad Pœnitentiariam vero, ſi in tenebris adhuc deliteſcat.

VIII. Aliquæ nunc decidendæ quæſtiones, quæ ſolent occurrere. Quæritur 1. utrum occultum cenſeatur impedimentum, quod quidem publice in eo loco cognoſcitur, in quo contractum fuit, ſive alibi; occultum tamen eſt, ubi degunt ii, qui diſpenſationem poſtulant, & ubi diſpenſatio a Confeſſario concedenda eſt? Dicendum cum Navarro, exequendam non eſſe diſpenſationem, niſi declaratum in ſupplici libello fuerit, crimen

(1) Benedictus XIV. cit. Inſt. §.44., 45., & 46.

(2) Tiburtius Navar. in Manuduct. p. 19.

(3) Syrus de Praxi exec. epiſt. Pœnitent. pag. 269.

crimen eſſe alicubi publicum; ſed recurrendum iterum ad Pœnitentiariam, & id, quod reticitum fuit, manifeſtandum.

IX. Quæritur 2. utrum impedimentum, quod fuit aliquando publicum, temporis diuturnitate fieri occultum poſſit, itaut diſpenſatio tribuenda videatur? Affirmat Marcus Paulus Leo (1), & genus ejuſmodi occultorum ſæpe ſuo tempore a Signatura Officii Sacræ Pœnitentiariæ admiſſum fuiſſe teſtatur, *non tamen eodem modo in omnibus caſibus; ſed in diſpenſationibus Matrimonialilibus decennium, in Irregularitatibus viginti, & triginta annorum ſpatium requiri.*

X. Quæritur 3. an occultum cenſeri debeat impedimentum, quod Theologi *materialiter* publicum, ſed *formaliter* occultum appellant? Diſtinctione hic utimur; & affirmative reſpondemus, ſi factum quidem ſit publicum, ſed tum in ratione criminis, tum in ratione pœnæ, ſeu impedimenti ſit occultum; negative vero, ſi publicum ſit in ratione criminis, ſed occultum in ratione pœnæ, ſeu impedimenti. *Aliqui*, ait Theſaurus (3), *audent ulterius, & dicunt, etiamſi ſit publicum ut delictum, ſi tamen ſit occultum in ratione pœnæ adnexæ a Jure, poſſe diſpenſari, vel abſolvi ab illa tamquam in occultis. Contrarium tamen tenendum eſt, quia hoc eſt Juris ignorantia, quæ non excuſat ad hunc effectum, & hoc obſervat Sacra Pœnitentiaria.* Rem exemplis explicemus. Siquis Monialium clauſtra ſine facultate ingrediatur; eam tamen illi conceſſam antea fuiſſe omnes arbitrentur; jam factum (videlicet ingreſſus) eſt *materialiter* publicum, ſed *formaliter* in ratione criminis, & pœnæ eſt occultum. Contra ſi mulier nefarium iniit conſilium cum alio viro de marito ſuo interficiendo,& ſcelus hoc evulgatum apud Oppidi incolas fuerit, eorum tamen pauciſſimi ſciant, ob hanc cauſam impedimentum criminis interponi, ne eadem mulier, poſt illatam marito necem, cum illo ſceleſto homine Matrimonium contrahat; erit quidem factum hoc

Ttttt 2 in

(1) Marcus Paulus Leo in praxi ad Lit. Major. Pœnitent. par.1. pag.133.

(2) Theſaurus de pœnis §. *Advertendum ſecundo.*

in ratione pœnæ ; ſeu impedimenti *formaliter* occultum propter Juris ignorantiam , ſed erit etiam *formaliter* publicum in ratione criminis : *Nos autem jurejurando affirmare poſſumus* (inquit Benedictus XIV. (1)) *poſt tot annos , quibus Sacræ Pœnitentiariæ addicti fuimus , ſuffragiumque noſtrum , cum res hujuſmodi proponerentur , ſcriptum , ſeu voce tenus dedimus , in more ſemper poſitum fuiſſe , ut impedimentum publicum materialiter ſpectaretur , & numquam eo nos deveniſſe , ut examen fieret , an impedimentum formaliter occultum cenſendum eſſet .*

XI. Non occultum , ſed publicum Sacra Pœnitentiaria eſſe cenſet illud crimen,ſeu impedimentum,quod ſemel in forum contentioſum adductum ſit , niſi forte reus in eodem foro declaratus per ſententiam Judicis fuerit , *aut tamquam repertus innocens , & non culpabilis , aut tamquam abſolutus ex hactenus deductis , vel ex obſervatione Judicii , ſeu tamquam non repertus culpabilis , nec de Jure punibilis* , quamquam ejuſmodi ſententia per falſos teſtes comparetur , aliaſve rationes , quæ ab æquitate abhorreant . Licet enim hoc pacto impedimentum adhuc ſuperſit ; erit tamen occultum , cum obliteretur infamia , & crimen ipſum quibuſdam veluti tenebris obducatur . Ad id autem obtinendum non ſufficit Judicis ſententia , per quam dimiſſus quidem ſit reus, ſed interpoſita cautione : *de ſe repræſentando* . Quod ſiquis forte , cum occultum foret impedimentum , obtenta ſuper eodem diſpenſatione , nupſerit , mox autem impedimentum ex occulto fiat publicum;poteſt quidem Ordinarius loci (2) adverſus conjuges procedere , eos a thoro ſeparare &c. , ii tamen adhuc veri erunt conjuges , & ſi tempore ſeparationis , remoto ſcandalo , debitum conjugale ſibi invicem reddant , nullius rei erunt criminis , quia per acceptam Pœnitentiariæ diſpenſationem impedimentum , quod tunc erat occultum , vere ſublatum fuit . Poteſt autem Epiſcopus in foro externo procedere , quia in Matrimonialibus diſpenſa-

(1) Benedictus XIV. Inſtit.87.§.48. (2) Tiburtius Navarrus par.2. diſpenſ. Matrim. cap.1.

penſationibus hæc addi ſolet clauſula: *ita quod hujuſmodi abſolutio, ac diſpenſatio in foro judiciario nullatenus ſuffragetur*. Verum ſi Epiſcopus (1) Pœnitentiariæ diſpenſationem interceſſiſſe ſecreto moneatur a Parocho, ſeu Confeſſario, qui ejuſdem Pœnitentiariæ litteras executioni mandavit; ejus teſtimonio omnino debet acquieſcere, nec ullam afferre illis moleſtiam, qui diſpenſationem ſibi compararunt: ſecus ad Summum Pœnitentiarium recurri poteſt, qui Epiſcopo injunget, ut ab omni moleſtia, judicioque abſtineat.

XII. Aliquando in Sacræ Pœnitentiariæ litteris hæc habetur clauſula: *Præſentibus laceratis, quas ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ lacerare tenearis, itaut nullum earum exemplar extet, neque eas latori reſtituas. Quod ſi reſtitueris, nihil ei præſentes litteræ ſuffragentur*. Verba hæc ſunt adeo clara, ut explicatione non indigeant. Duo ſolum adnotamus. Primum eſt *excommunicationis* nomine in ejuſmodi litteris ſemper majorem excommunicationem intelligi. Alterum eſt, illa verba *nihil ei præſentes litteræ ſuffragentur* intelligenda eſſe *de foro judiciario*: ſecuta enim earum executione in foro conſcientiæ, ſemper validæ remanent in eodem foro, uti Marcus Paulus Leo, & Tiburtius Navarrus declarant.

XIII. Si de contractis jam Matrimoniis agatur, & occultum adfuerit impedimentum uni ſolum ex conjugibus notum; ac petatur, ut Sacræ Pœnitentiariæ facultate revalidentur; ſic eadem ſolet reſcribere: *Demum, dummodo impedimentum præfatum occultum ſit, & ſeparatio inter latorem, & dictam mulierem fieri non poſſit abſque ſcandalo; aliudque non obſtet; cum eodem latore, ut dicta muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata, ſed ita caute, ut latoris delictum numquam detegatur, Matrimonium cum eadem muliere, & uterque inter ſe de novo ſecrete ad evitanda ſcandala, præmiſſis non obſtantibus, contrahere, & in eo poſtmodum remanere legitime valeat, miſericorditer diſpenſes*. Multa, quæ in hoc continentur decreto,

(1) **Benedictus XIV. Inſtit. 87. §. 51.**

Digitized by Google

creto, ſuperius explicavimus. Tria tamen adhuc difficiliora explicanda ſuperſunt.

XIV. Primo: ſeparari jubentur conjuges, ſi id fieri poſſit ſine ſcandalo. Verum cum fere numquam ſeparatio (1) ejuſmodi fieri poſſit ſive quoad cohabitationem, ſive quoad thorum ſine populi ſcandalo, & admiratione, vel ſine periculo incontinentiæ conjugum; ſatis idcirco erit, ut Confeſſarius vel utrumque conjugem, ſi uterque impedimentum ſciat, vel illum, qui rei conſcius eſt, ſerio moneat, ne, antequam renovato conſenſu Matrimonium convalidetur, in copulam conſentiat, quæ ſane fornicaria eſſet, licet non proinde irrita redderetur diſpenſatio, quam poſtmodum obtineret.

XV. Secundo: Matrimonium inter conjuges clam renovari jubetur, adeoque novum uterque conjux dare conſenſum debet. Dubitatum olim fuit, an coram Parocho, ac Teſtibus novus hic præſtandus eſſet conſenſus? Verum cum agatur de Matrimonio jam coram Parocho, & Teſtibus, licet invalide, contracto; S. Pius V., Sacra Congregatio Concilii, Sacra Romana Rota, & communiter DD., uti videre eſt apud Benedictum XIV. (2), declararunt, neque Parochi, aut Confeſſarii, neque Teſtium præſentiam requiri, ſed ſatis eſſe, ut ſoli inter ſe Conjuges mutuum renovent conſenſum.

XVI. Tertio: verba illa *dicta muliere de nullitate prioris conſenſus certiorata*, non meram inſtructionem, ut aliqui docuere, ſed veram conditionem ſignificant omnino implendam: certiſſimum enim eſt inter Juriſperitos, *per ablativum abſolutum* veram conditionem importari. Certum itaque eſt, uti tum a ratione, tum ab auctoritate probat Benedictus XIV. (3), ad Matrimonium revalidandum requiri, ut novus exhibeatur conſenſus, ac ſimul ignaro conjugi impedimentum detegatur.

XVII. At

(1) Benedictus XIV. Inſtit.87. §.60.

(2) Benedictus XIV. citata Inſtitut. §.63., & 64.

(3) Benedictus XIV. Inſtit.87. §.67., 68., 69., & 70.

Digitized by Google

XVII. At qua ratione certior fiet conjux de prioris conſenſus nullitate tam caute, ut alterius conjugis delictum minime detegatur? Quadruplex ab Auctoribus excogitata ratio eſt. 1. conjux impedimenti conſcius ſuſpicari ſe oſtendat, Matrimonium non fuiſſe rite celebratum, adeoque ad metum omnem abiiciendum novo utriuſque opus eſſe conſenſu. 2. impedimenti conſcius ab uxore, quam a ſe plurimum diligi aſſirmet, novum in nuptias conſenſum, tamquam ſui teſtimonium amoris poſtulet. 3. impedimenti conſcius ſe non rite Matrimonio conſenſiſſe declaret; adeoque ad animi tranquillitatem ex Confeſſarii conſilio opus eſſe, ut mutuus utriuſque conſenſus renovetur. 4. demum ſi graviſſimas propter difficultates non alius ſuppetat conſenſum renovandi modus, vir impedimenti conſcius cum conjuge impedimenti neſcia copulam habeat affectu maritali, quæ cum eodem affectu maritali ab uxore exerceri merito præſumatur, jam novus utriuſque conſenſus habetur, quemadmodum ante Tridentini decretum copula maritali affectu habita a viro, & muliere ad validum Matrimonium ſufficiens erat.

XVIII. Prima, & ſecunda ratio ſuis difficultatibus non carent. Tertia, & quarta apud doctiſſimos, ac Sacræ Pœnitentiariæ peritiſſimos viros eſſe videntur communiores. Tertiam omnium maxime probat Benedictus XIV. videndus in ſua Inſtitutione 87., ubi rem fuſe, eruditeque pertractat. Subdit tamen §. 80., quod ſi tertia ratio graviſſimis in praxi obnoxia incommodis, ac difficultatibus reperiatur, Confeſſarius ad Majorem Pœnitentiarium recurrat, qui fortaſſe in eo caſu vel aliquid de ſeveritate remittet, vel neceſſarias a Pontifice facultates poſtulabit. Quod ſi periculum ſit in mora, Confeſſarius Epiſcopum adeat, eique, contrahentium nominibus ſilentio prætermiſſis, impendentia pericula patefaciat. Continget fortaſſe, ut rebus omnibus diligenter perpenſis, præter quatuor expoſitas rationes, alia deprehendatur, ob quam ignaro conjugi irritum Matrimonium declaretur, nec tamen pateat crimen, aut ulla prorſus incommoda conſequantur.

AR-

ARTICULUS X.

De occultis Matrimoniis, quæ vulgo Conſcientiæ *nuncupantur*.

QUantum a Sacramenti dignitate, & ab Eccleſiaſticarum Legum præſcripto occulta Matrimonia, quæ *Conſcientiæ* vulgo nuncupantur, ut plurimum abhorreant, ſatis, ſuperque conjicere quis poterit ab exitioſis illorum effectibus, quos Benedictus XIV. in peculiari ſua Conſtitutione (1) recenſet, cujus exemplar damus in Appendice *num.* 33. Verum cum nonnumquam ex urgentiſſimis cauſis occulta hæc Matrimonia contrahendi facultas ſit ab Epiſcopis concedenda; plura proinde idem Pontifex in laudata Conſtitutione præſcribit in ejuſmodi caſibus diligenter, exacteque ſervanda. Et primum quidem conſtituit, ut non ſine gravi, legitimaque cauſa ſuper publicis Matrimonii denunciationibus Epiſcopus diſpenſet: licet enim eidem relictum ſit omnimode ſuper denunciationibus diſpenſare; hæc tamen facultas non a ſola Diſpenſantis voluntate pendet, ſed arctis prudentiæ, diſcretique arbitrii legibus a Tridentino coercetur. Deinde majorem adhibendam eſſe vigilantiam monet, ne ſine gravi, urgenti, & urgentiſſima cauſa permittatur, ut poſt remiſſas denunciationes Matrimonium celebretur coram Parocho, aut alio Sacerdote deputato a Parocho, vel ab Epiſcopo, & coram duobus, vel tribus Teſtibus confidentibus, unde nulla celebrationis notitia, aut rumor oriatur. Ut enim id juxta Sacros Canones licite fiat, non ſatis eſt obvia quævis, aut vulgaris cauſa: neque enim vitari periculum facile poteſt, ne Matrimonia occulte celebrata exitus habeant luctuoſos. Tertio impenſe hortatur, ut perſonarum Matrimonium ſecreto contrahere petentium diligens ab Ordinario inquiſitio fiat, ac potiſſimum ab iis requiratur, ut clara, & indubia, & a quavis fraude immunia ſtatus liberi exhibeant documenta. Quarto, ut ſecreto Matrimonio intereſſe ab Epiſcopo

(1) Benedictus XIV. Conſt. *Satis vobis*. edita 17. Nov. 1741.

copo jubeatur alterutrius contrahentis Parochus, quem notitia perſonarum, experientia, & diuturnus rerum uſus quovis extraneo Sacerdote peritiorem effeciſſe præſumuntur. Quod ſi, gravi impellente cauſa, alius Sacerdos deputandus ſit, is ab Epiſcopo eligatur, qui probitate, & doctrina, & obeundi muneris peritia commendetur. Quinto, ut eidem Parocho, ſeu Sacerdoti deputato diſtricte præcipiatur, ne Matrimonio interſit, niſi prius paterna charitate Conjuges monuerit, ſobolem procreandam baptizari quamprimum oportere, eamque poſt Baptiſmum denunciandam eſſe Epiſcopo cum nota loci, & temporis adminiſtrati Sacramenti, ac ſincera indicatione parentum, a quibus orta eſt: ſecus Matrimonium in lucem proferetur, ne gravis, nulloque pacto ferenda filiis inferatur jactura. Subdat, eos Chriſto Judici diſtrictam reddituros eſſe rationem, niſi filios ut legitimos agnoverint, eoſque bonis moribus imbuerint, ac frui patientur bonis temporalibus a Majoribus in teſtamento relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

II. Celebrato Matrimonio, Parochus, aut Sacerdos deputatus, ſcriptum Matrimonii documentum Epiſcopo exhibeat cum nota loci, temporis, Teſtiumque, qui celebrationi interfuerunt. Cura autem erit Epiſcopi, ut illud de verbo ad verbum a perſona ab Epiſcopo deſignanda, quæ apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat teſtimonium, fideliter tranſcribatur in peculiari libro, qui in eum finem appoſite compactus, clauſus, ſigilliſque obſignatus in Epiſcopali Cancellaria caute cuſtodiatur, nec umquam reſignari, atque aperiri poſſit, niſi de Epiſcopi licentia, & in iis dumtaxat caſibus, in quibus vel alia id genus Matrimonia ſint adſcribenda, vel id exigat juſtitiæ adminiſtrandæ neceſſitas, vel aliquod ab eo documentum expoſcant verum intereſſe habentes, quibus probationum aliunde petendarum non ſuppetit copia. Re tamen abſoluta, ſtatim denuo claudatur, & ſigillis, ut antea, obſignetur.

III. Quod ſi ex tali Matrimonio proles oriatur, præcipit Pontifex, ut in ea Eccleſia, in qua infantes reliqui baptizari ſolent, baptizetur, & quoniam evenire facile poteſt, ut ad occultandum Matrimonium in Baptizatorum libro nulla parentum mentio fiat, eorumque nomina reticeantur; expreſſe mandat, ut intra triginta dies a Nativitate numerandos a Patre baptizati, eoque defuncto, ab ejus Matre proles ſuſcepta Epiſcopo denuncietur vel immediate per ſe ipſos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per perſonam fide dignam ab ipſis parentibus deſignatam, ut Epiſcopo indubie conſtet, prolem, quæ tali loco, & tempore, vel reticitis, vel falſo expreſſis parentum nominibus, baptizata fuit, eſſe legitimam, licet occulti Matrimonii fœdere procreatam. Secus, præcipit, ut occulta Matrimonia ab Epiſcopo evulgentur, ac nota fiant. Ne vero ejuſmodi Baptiſmorum excidat memoria, eos in peculiari libro ad id deſtinato, qui clauſus, & ſigillis obſignatus in Epiſcopali Cancellaria caute erit cuſtodiendus, fideliter deſcribi jubet ab eo, cui Epiſcopus poteſtatem facit adnotandi Matrimonia occulte celebrata.

IV. Nos itaque tanti Pontificis mandatis obſequentes, laudatam Conſtitutionem exactiſſime ſervabimus, & ut a Parochis, aliiſque diligentiſſime ſervetur, mandamus, ac præcipimus. Ejus vero tranſgreſſores graviſſimis multabimus pœnis, & ad Paſtorale Noſtrum Officium rite obeundum, validioribus quoque remediis utemur, quibus communi animarum ſaluti, atque Eccleſiaſticæ diſciplinæ propter invaleſcentem hominum malitiam nova ſemper detrimenta vel patientis, vel reformidantis, conſervationi conſulamus.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS XI.

De cauſis ſuper Matrimonii valore, aut nullitate agitandis, ac definiendis.

QUamquam Matrimonii fœdus, & ut Naturæ officium eſt, & ut rationem habet Sacramenti, perpetuum eſſe, & indiſſolubile nemo non intelligeret; Cum tamen in quibuſdam Eccleſiaſticis Curiis inconſulta nimis Judicum facilitate infringeretur, & temere, atque inconſiderate latis de ejuſdem nullitate ſententiis, poteſtas Conjugibus fieret ad alia vota tranſeundi; ut tam gravi mederetur malo Benedictus XIV., peculiarem edidit Conſtitutionem (1), qua & Judicum libertatem compeſcuit, & certam præſcripſit methodum, ac ſeriem judiciorum, quæ in Matrimonialibus cauſis ſive in Romana Curia, ſive extra illam, ſive in prima, ſive in ſecunda, aut etiam ulteriori inſtantia pertractandis ſancte, inviolateque ſervetur. Hujus Conſtitutionis exemplar damus in Appendice *num.* 34., ejuſque exactam obſervantiam Vicario Noſtro Generali, ac reliquis Curiæ Noſtræ Miniſtris committimus, diſtricteque mandamus. Matrimoniorum autem Defenſorem ad ejuſdem Conſtitutionis normam jam elegimus, Eccleſiaſticum virum, juris ſcientia, vitæque probitate præditum, cui etiam, atque etiam commendamus, committimus, ac præcipimus, ut omni fide, ac integritate ſuum hoc munus exerceat, & cum voce, tum ſcriptis Matrimoniorum, de quibus coram Judice diſceptetur, validitatem pro viribus tueatur. In nullo autem caſu Matrimonii vinculum diſſolutum cenſeatur, niſi duo judicata, vel reſolutiones, aut ſententiæ de Matrimonii nullitate omnino ſimiles, & conformes, a quibus neque pars contraria, neque Defenſor Matrimonii crediderit appellandum, emanaverint. Si ſecus fiat, ac novum ab alterutra Parte litigante ineatur Matrimonium, ejuſmodi Pontifi-

(1) **Benedictus XIV. Conſt.** *Dei miſeratione*. **edita 3. Nonas Nov. 1741.**

tificiæ Conſtitutionis tranſgreſſores omnibus iis pœnis a Nobis ſubjicientur, quæ contra Poligamos a Sacris Canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus ſunt conſtitutæ.

II. Verum cum poſt Sanctiſſimas haſce Leges novæ excogitatæ fuiſſent fraudes, ac nova exquiſita effugia, quibus ſalutares ejuſmodi Apoſtolicæ Conſtitutiones eluderentur; & cum inter cætera in aliquas regiones ille irrepſiſſet abuſus, ut inter Conjuges de Matrimonii nullitate certantes pacta mutuo fierent, quibus eorum alter, ſi poſt latam ab Eccleſiaſtico Judice ſuper Matrimonii nullitate ſententiam ab eadem appellare auderet, certam quamdam pecuniæ ſummam alteri acceptanti ſententiam, & in ea acquieſcenti ſolvere teneretur; & cum, quod longe pejus eſt, ab Eccleſiaſtico Judice, apud quem appellatio inſtituta fuiſſet, appellans ad ejuſmodi ſolutionem damnaretur; Idem Pontifex Benedictus aliam edidit Conſtitutionem (1), qua perniciosiſſimum abuſum de medio tolleret, atque eliminaret. Per eam itaque non modo omnia ejuſmodi pacta inter Conjuges quomodolibet inita pro Matrimonii diſſolutione quandocumque facienda, verum etiam ea, quibus ſive directe, ſive indirecte appellatio a Judicis ſententia jam lata ſuper Matrimonii nullitate impediatur (etiamſi utraque pacta jurejurando approbata, & confirmata fuerint) nulla, invalida, nulliuſque roboris eſſe, ac in poſterum fore declaravit, itaut nullo umquam pacto in foro tam interno, quam externo obligatoria ſint, & habeantur, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda, a qua is, quicumque ſit, qui ejuſmodi pacta celebraverit, nonniſi a Romano Pontifice, excepto mortis articulo, abſolutionem obtinere poſſit. Præterea eidem excommunicationi Romano Pontifici reſervatæ ipſo facto incurrendæ obnoxium eſſe voluit quemcumque Judicem, qui pacta antedicta executioni demandanda curare, & pronunciare audeat, ac in poſterum audebit. Nos itaque Apoſtolicis mandatis obſequentes, prædicta pacta damnamus, ac reprobamus,

(1) Benedictus XIV. Conſt. *Nimiam licentiam*. edita 18. Maii 1743.

Digitized by Google

mus, ac in tota Noſtra Diœceſi ſub excommunicationis pœna Summo Pontifici reſervatæ, aliiſque graviſſimis arbitrio Noſtro infligendis pœnis non modo ne fiant, verum etiam ne umquam Miniſtrorum Noſtrorum opera aut approbentur, aut executioni demandentur, ſevere, ac diſtricte interdicimus.

ARTICULUS XII.

De Matrimonio per Procuratorem inter abſentes contrahendo.

MAtrimonium, cum contractus ſit, & naturam contractus ſequatur, & Leges, non ſecus ac contractus reliqui, valide iniri per Procuratorem inter abſentes poteſt, uti ab expreſſis Juris Eccleſiaſtici (1) textibus, & a quotidiana praxi edocemur. Verum ut ejuſmodi Matrimonium per Procuratorem initum valeat, ſex neceſſario de Jure Canònico ſervandæ ſunt conditiones, quarum tres priores ita Bonifacius VIII. (2) recenſet, ac præſcribit: *Procurator non aliter cenſetur idoneus ad Matrimonium contrahendum, quam ſi ad hoc mandatum habuerit ſpeciale. Et quamvis alias is, qui conſtituitur ad negotia Procurator, alium dáre poſſit; in hoc tamen caſu (propter magnum, quod ex facto tam arduo poſſet periculum imminere) non poterit deputare alium, niſi hoc eidem ſpecialiter ſit commiſſum. Sane ſi Procurator, antequam contraxerit, a Domino fuerit revocatus, contractum poſtmodum Matrimonium ab eodem (licet tam ipſe, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujuſmodi penitus ignorarent) nullius momenti exiſtit, cum illius conſenſus defuerit, ſine quo firmitatem habere nequivit.* Neceſſe præterea eſt 1., ut in mandato aperte, & in individuo certa declaretur perſona (3), cum qua ſit contrahendum, non enim ſufficit generalis clauſula contrahendi cum quacumque. 2. ut quoad ſubſtantiam Procurator (4) mandati limites non excedat. 3. ut, ubi publicatum eſt Tri-

(1) Can. *Honorantur*. cauſ. 32. qu. 2., & cap. *Procurator*. de Procuratorib. in 6.

(2) Cap. *Procurator*. de Procur. in 6.

(3) L. *Generali*. ff. de ritu Nupt.

(4) L. *Diligenter*. ff. mandati.

Digitized by Google

Tridentini decretum, ab eodem coram Parocho, ac Teſtibus nomine ſui principalis Matrimonium contrahatur.

II. Si hæ ſerventur conditiones, Procurator pro principali ſuo abſente validum contrahit Matrimonium, etiamſi diverſi ſit ſexus ille, cujus nomine contrahit, cum fœmina pro viro, & vir contrahere pro fœmina valide poſſit, non enim ſuo, ſed alterius nomine agit, uti patet ex verbis, quæ in præſtando conſenſu coram Parocho, & Teſtibus adhibentur: nam ſic Procurator inquit: *ego nomine N. N. accipio te in Virum*, *vel Uxorem*. Matrimonium autem, ſic per Procuratorem inter Fideles abſentes initum, eſt verum Sacramentum, adeoque curare diligentiſſime debent Fideles Procuratorem conſtituentes, ut ſint in ſtatu gratiæ eo potiſſimum tempore, quo Procurator eorum nomine contrahit: ſecus enim ſacrilegii criminis fierent rei, in ſtatu peccati lethalis Sacramentum Matrimonii recipientes. Prudens autem Theologorum conſilium (1) eſt (quod plurimum commendamus) ut qui Matrimonio per Procuratorem conjuncti ſunt, vel iterum ipſimet coram Parocho, & Teſtibus Matrimonio jungantur, vel ſaltem id, quod ipſis abſentibus actum eſt, præſentes ipſi coram Parocho, ac Teſtibus ſe ratum habere declarent; Quod tamen Nos minime neceſſarium putamus, ſed majoris dumtaxat cautelæ gratia faciendum ſuademus. In Noſtra Diœceſi Parochos aſſiſtere nolumus hujuſmodi Nuptiis per Procuratorem celebrandis, niſi *mandatum*, quod vocant *Procuræ*, recognitum, admiſſumque in Noſtra Curia fuerit, expreſſamque a Nobis licentiam ejuſmodi Nuptiis aſſiſtendi in ſcriptis obtinuerint.

(1) **Benedictus XIV. de Synodo lib.13. cap.23. §.9.**

AR-

ARTICULUS XIII.

De materia, & forma Sacramenti Matrimonii, Sacriſque ritibus in eo ſuſcipiendo adhibendis.

QUænam hujus Sacramenti materia ſit, ac forma, juxta communem Patrum ſententiam, qui Tridentino Concilio interfuerunt, ſic paucis deſcribit Benedictus XIV. in Epiſtola (1), quam ad Archiepiſcopum Goanum dedit. Loquens in ea Pontifex de Tridentini decreto, quo clandeſtina Matrimonia irrita, ac nulla declarata ſunt, ac probans de eo pluſquam de cæteris aliis, in ſacro illo conventu propter diverſas Patrum ſententias diſceptatum fuiſſe, ſic habet: *Dubitabant primo, utrum Eccleſia abrogare poſſet clandeſtina conjugia, propterea quod legitimus contractus eſt materia ſimul, ac forma Sacramenti Matrimonii, mutua nempe, ac legitima corporum traditio, verbis, ac nutibus interiorem animi aſſenſum exprimentibus, eſt materia, & mutua pariter, legitimaque corporum acceptatio eſt forma. Ex quo nonnulli arguebant, quod legitimæ traditioni, & acceptationi ſimul conjunctis ſubeſt materia, & forma, quæ non ab alio immutari poteſt, præterquam ab eo, qui divinæ gratiæ eſt Auctor, quæ per Sacramenta confertur. Verum reponentibus aliis, Eccleſiam poſſe conditionem quamdam præſcribere, quæ prius non aderat, ſine qua contractus in poſterum neque legitimus, neque validus foret, quemadmodum etiam neque legitima, neque valida traditio, & acceptatio corporum; id ſatis erit, ut clandeſtina Matrimonia irrita fieri poſſint; quod quidem poteſtatis Eccleſiaſticæ limites non excedit.* Hanc ſententiam, quæ ſtatuit, Sacramenti Matrimonii materiam eſſe mutuam, legitimamque corporum traditionem contrahentium verbis, aut nutibus expreſſam; formam vero eſſe mutuam, legitimamque eorumdem corporum acceptationem; & quæ proinde docet, ſolos contrahentes eſſe ejuſdem Sacramenti Miniſtros, conſtanter propugnarunt

(1) Benedictus XIV. in epiſt. *Paucis ab hinc*. 19. Martii 1758.

Digitized by Google

runt fere omnes antiqui Theologi, Juriſque Canonici Interpretes, & etiam nunc Doctores cum S. Thoma *(1)*, & Scoto communius tuentur.

II. Verum quidquid ſit de hac controverſia, certiſſimum eſt, uti ſuperius diximus, validum Fidelium Matrimonium eſſe Sacramentum, adeoque ſacrilegium ab iis perpetrari, qui, gravi licet crimine contaminati, ſacro tamen connubii fœdere invicem copulantur. Sponſos idcirco hortetur Parochus, ut, antequam Matrimonium celebrent, peccata ſua diligenter, ac rite confiteantur; imo, ſi ſapiant, per aliquot dies ante nuptiarum celebrationem, totius anteactæ vitæ generalem Confeſſionem apud doctum, probumque Confeſſarium edant, ut, ſi forte ex ea impedimentum aliquod dirimens inter Sponſos intercedere dignoſcatur, ſuper eo poſſit in tempore Apoſtolica diſpenſatio obtineri, &, ſi opus ſit, remoto quocumque ſcandali periculo, ad aliud tempus, quod commodius, opportuniuſque videatur, nuptiarum celebratio differri. Eos etiam hortetur *(2)*, ut ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ea die, qua nubunt, pie; religioſeque accedant, neque Sacerdotalem benedictionem in Templo ſuſcipere omittant a Parocho, aut ab alio Sacerdote, cui tamen aut ab ipſo Parocho, aut a Nobis ad prædictam benedictionem præſtandam conceſſa ſpecialis licentia fuerit. Ab hac vero benedictione (in qua, uti ſuperius diximus, nuptiarum ſolemnitas ſita eſt) Parochi abſtineant, ſi conjuges ambo vidui ſint, ac in primis nuptiis fuerint benedicti. Ubi tamen conſuetudo viget benedictionem Sponſis impertiendi, quando mulier nemini umquam nupſerit, licet vir aliam habuerit uxorem, abſque ullo metu, ſcrupuloque ſervetur. At vidua nubens, etiamſi vir nullam olim uxorem duxerit, numquam benedicatur. Parochi in Sponſis Matrimonio jungendis ſacros ritus in Romano Rituali præſcriptos ſancte ſervare numquam prætermittant. Matrimonium, niſi peculiaris Noſtra acceſſerit licentia, neque diluculo, neque veſpe-

(1) S.Th. in 4. diſt.26. qu.2. art.1. ad 1. (2) Trid. ſeſſ.24. c.1. de ref.

Digitized by Google

veſpere, aut nocturno tempore, neque in privatis Eccleſiis, aut Oratoriis, multoque minus in domeſticis ædibus, ſed mane, & in Parœciali Templo ea, qua par eſt, reverentia, ac religione celebretur. Si ſecus fiat, non minus Parochus, quam contrahentes pecuniaria a Nobis pœna multabuntur.

III. Quamquam Matrimonii Sacramentum ſuſcipere nullo non liceat tempore; Nuptiarum tamen ſolemnitas, ac benedictio interdicta (1) ab Eccleſia eſt ab Adventu Domini uſque ad Epiphaniam, & a die Cinerum uſque ad Octavam Paſchatis incluſive, cum ea non lætitiæ, ſed luctus, ac pœnitentiæ ſint tempora. Quare tunc ab hujuſmodi ſolemnitatibus Parochi abſtineant, & ſi cui Matrimonio aſſiſtere eos oportebit, in Noſtro Decreto, quo eiſdem facultas aſſiſtendi fiet, cautelam, qua ſe gerere debebunt, præſcribemus. Poſtquam in Matrimonii celebratione Parœciale munus Parochus expleverit, brevi, ac familiari ſermone de triplici conjugii bono, de quo ſuperius locuti ſumus, Sponſos admoneat, eoſque, ut in ſancto mutuæ charitatis fœdere, quod nubendo inierunt, ad extremum uſque vitæ perſeverent, hortetur. Ut autem id Sponſi facilius aſſequantur, viri, & uxoris officia, quæ Petrus Apoſtolorum Princeps, & Paulus Doctor Gentium tradidere, parumper explicet. Apoſtoli utriuſque præcepta, ut Parochis in promptu ſint, a Nobis hic ſubnectuntur. Apoſtolorum itaque Princeps (2) ſic habet: *Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, ut & ſiqui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram, quarum non ſit extrinſecus Capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus; ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples. Sic enim aliquando & Sanctæ Mulieres ſperantes in Deo ornabant ſe ſubjectæ propriis viris, ſicut Sara obediebat Abrahæ Dominum eum vocans. Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri imper-*

(1) Trid. ſeſſ.24. c.10. (2) 1. Petri c.3.

Digitized by Google

tientes honorem, tamquam & cohæredibus gratiæ vitæ. Clarius autem Doctor Gentium Paulus ad Epheſios ſcribens, ſic inquit (1): *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino; Quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ: ipſe Salvator corporis ejus. Sed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri, diligite uxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujuſmodi, ſed ut ſit ſancta, & immaculata. Ita & viri debent diligere uxores ſuas, ut corpora ſua. Qui ſuam uxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim umquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam, quia membra ſumus corporis ejus, de carne ejus, & de oſſibus ejus &c.*

IV. Statim ac celebratum Matrimonium fuerit; nulla interpoſita mora, eadem die illud Parochus juxta Romani Ritualis formulam in libro in eum finem bene compacto deſcribat, diemque, & annum non arithmeticis notis, ſed expreſſis adnotet verbis una cum contrahentium, ac Teſtium nominibus, & cognominibus. Quicumque negligens in hoc obeundo munere, ac deſes fuerit, debitam arbitrio Noſtro pœnam rependet.

V. Parochorum tandem induſtriam, ac ſollicitudinem acuendam a Nobis eſſe cenſemus, ut abuſus aliquos, ſi forte in Noſtram Diœceſim irrepſerint, radicitus evellant, ac deſtruant. Ac primum quidem conſiliis, atque hortationibus curent, ut Sponſi, ubi Sponſalia inierint de futuro, Matrimonium diutiſſime non protrahant, ſed quam primum potius maturent, ne de illo malignantium linguæ obloquantur, ipſi vero Sponſi in tentationem incidant, & laqueum Diaboli. Deinde ubi trinæ de Matrimonio contrahendo denunciationes factæ inter Miſſarum ſolemnia rite fuerint, nullumque in lucem impedimentum emerſerit; invigilent, ut intra duos omnino menſes Matrimonium in

(1) Ad Epheſ. c.5.

in facie Eccleſiæ contrahatur. Secus proclamationes ipſæ repetantur, niſi aliter juſtam aliquam ob cauſam Nobis videatur. Tandem cum relatum Nobis fuerit, Tuſculana in Urbe pravam hanc conſuetudinem inoleſcere cœpiſſe, ut Sponſæ, aliquot ante Matrimonium diebus, muliebri ornatæ pompa, & amicis, ac propinquis ſuis ſtipatæ ad Eccleſiam procedant, ut confertæ multitudini, quæ illuc vel ſolemne ſacrum, vel Dei verbum auditura ſe contulit, non levi cum ſcandalo, debitique ſilentii perturbatione ſe ſpectandas exhibeant; Omnino volumus, diſtricteque mandamus, ut abuſus ejuſmodi auferatur, nullaque in poſterum Sponſa eo cum apparatu, & comitatu ingredi Domum Dei audeat, quam decet omnis ſanctitudo. Siqua vero mandatum hoc tranſgredi minime vereatur, non modo ipſa, verum etiam ii omnes, qui eam comitabuntur, gravem pecuniariam pro arbitrio Noſtro imponendam luent pœnam, & ſi ſolvendo non erunt, corporali aliqua pœna punientur. Parochi hæc omnia frequenter Populo edicant, ne tranſgreſſores obtentu ignorantiæ tueri ſe poſſint, ac præterea oſtendant, quantus in Domum Dei contemptus ex hac conſuetudine oriatur, ut Fideles omnes in poſterum veræ erga Deum Religionis amore ad hanc abolendam conſuetudinem facilius inducantur.

CAP. XVII.

DE SACRAMENTALIBUS.

CUM nemo poſſit, uti Tridentina Synodus (1) definivit, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, (quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia) in tota hac mortali vita peccata omnia etiam venialia vitare; ac proinde cum homines, quantumvis ſancti, & juſti, in levia ſaltem ejuſmodi peccata non ſemel cadant juxta illud Jacobi (2): *in multis offendimus omnes*; Clementiſſimus humani generis Reparator, noſtræ non ignarus infirmitatis, mul-

(1) Trid. ſeſſ. 6. can. 23. (2) Jacobi c. 3.

Digitized by Google

ta nobis remedia ſuppeditavit, quibus peccata hæc venialia, in quæ frequentius labimur, expiaremus: Quamobrem impleretur ſcriptura (1) dicens: *Septies cadit juſtus, & reſurget*. Saluberrima hæc remedia ad triplex genus ab Angelico Doctore revocantur (2) ubi ait: *Triplici ratione aliqua cauſant remiſſionem venialium peccatorum. Uno modo in quantum eis infunditur gratia, quia per infuſionem gratiæ tolluntur venialia peccata, uti ſupra dictum eſt. Et hoc modo per Euchariſtiam, & Extremam Unctionem, & univerſaliter per omnia Sacramenta novæ Legis, in quibus confertur gratia, peccata venialia remittuntur. Secundo in quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum. Et hoc modo Confeſſio generalis, tunſio pectoris, oratio Dominica operantur ad remiſſionem peccatorum venialium: nam in Oratione Dominica petimus: dimitte nobis debita noſtra. Tertio modo in quantum ſunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum, & ad res divinas. Et hoc modo benedictio Epiſcopi, aſperſio aquæ benedictæ, qualibet Sacramentalis Unctio, Oratio in Eccleſia dedicata, & ſi quæ alia ſunt hujuſmodi, operantur ad remiſſionem venialium peccatorum*. De Sacramentis, quæ in primo, ac de Theologicarum, aliarumque virtutum actibus, quæ in ſecundo genere ab Angelico Doctore recenſentur, in his Synodalibus Conſtitutionibus ſuperius diximus. Reliquum nunc eſt, ut de Sacramentalibus, quæ in tertio genere numerantur, pauca innuamus.

II. Præter Sacramenta a Chriſto Domino inſtituta, ritus quoſdam, Sacraſque Cæremonias inſtituit Eccleſia, quæ Sacramentalia nuncupavit, ſeu quod in Sacramentis conficiendis, aut miniſtrandis adhiberi ſoleant, cujuſmodi ſunt efformatio Crucis, benedictiones, orationes Eccleſiæ; ſeu quod aliquam Sacramentorum imitari virtutem, & ſalutares, quos pariunt, effectus quaſi ex opere operato producere videantur, cujuſmodi ſunt aquæ luſtralis aſperſio, uſus rerum benedictarum ab Eccleſia, Confeſſio generalis, tunſio pectoris, aliaque hujuſmodi. Tametſi Sacramentalibus vere non ea ſanctificandi vis inſit, quæ Sacramentis a Chri-

(1) Prov. c.24. (2) S. Th. 3. par. qu.87. art.3.

Digitized by Google

a Chriſto Domino inſtitutis; Quicumque tamen iis utuntur ea mente, ac ſpiritu, quo Eccleſia adhiberi cupit, ac mandat, utilitatem certe plurimam ad animi minores maculas abſtergendas, veramque erga Deum pietatem fovendam, augendamque conſequuntur. Dum enim iis pie utimur, vi precum illarum, quibus eaſdem res conſecravit Eccleſia, movetur Deus ad ſupernas illas cogitationes, pioſque animi in nobis excitandos motus, quibus adjuti poſſumus, & facile poſſumus, ſi velimus, in eos diſplicentiæ, ſeu doloris peccatorum, converſionis in Deum, amoris, adorationis, aliarumque virtutum actus erumpere, quibus venialium peccatorum adnexa eſt remiſſio, & quibus verus in Deum amor, obſervantia, ac pietas augetur, & fervet. Præter hæc animi, multa quoque corporis bona opportune conferri divina largitate iis ſolent, qui bene, ac rite Sacramentalibus utuntur.

III. Sacramentalia ad ſex quodammodo claſſes revocari poſſunt, quæ in memoriæ ſubſidium hoc verſiculo comprehenduntur. *Orans*, *Tinctus*, *Edens*, *Confeſſus*, *Dans*, *Benedicens*. Singula verba paucis explicemus.

IV. Vox illa *Orans* ſignificat quotidianam Fidelium orationem, ac præſertim Dominicæ Orationis recitationem, de qua ſic ait S. Auguſtinus (1) in Enchiridio cap. 71. *De quotidianis, brevioribus, levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio Fidelium ſatisfacit. Eorum enim eſt dicere: Pater noſter, qui es in Cœlis &c. Delet omnino hæc oratio minima, & quotidiana peccata. Delet & illa, a quibus vita Fidelium ſcelerate etiam geſta, ſed pœnitendo in melius mutata diſcedit, ſi quemadmodum veraciter dicitur, dimitte nobis debita noſtra, quoniam non deſunt, quæ dimittantur; ita veraciter dicatur, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, ideſt ſi fiat, quod dicitur*. De Oratione Dominica aliquid diximus in prima parte harum Conſtitutionum *cap. 9. art. 3.* Huc revocantur orationes, quæ in Eccleſiis conſecratis fiunt. Precibus enim, quas in earum conſecratione fundere ad Deum ſolet

(1) Can. *De quotidianis*. de pœnitentia diſt. 3.

Digitized by Google

ſolet Eccleſia, commotus Omnipotens, & miſericors Dominus, pie orantibus in iiſdem uberiora gratiæ ſuæ auxilia clementiſſime largitur, quibus adjuti ſe ad peccatorum venialium remiſſionem obtinendam opportune diſponant. Huc etiam pertinet tunſio pectoris, ſi in doloris, ac pœnitentiæ ſignum fiat, eamque ſaltem aliqua venialium peccatorum diſplicentia comitetur.

V. Per vocem illam *Tinctus* aquæ benedictæ ſignificatur aſperſio, de qua S. Alexander I. Papa ſic inquit (1): *Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur; quod & omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam ſi cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat, atque mundabat, multo magis aqua ſale aſperſa, diviniſque precibus ſacrata populum ſanctificat, atque mundat. Et ſi ſale aſperſo per Heliſæum Prophetam ſterilitas aquæ ſanata eſt, quanto magis divinis precibus ſacratus ſal ſterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos ſanctificat, atque mundat, & purgat, & cætera bona multiplicat, & inſidias Diaboli avertit, & a phantaſmatum verſutiis homines defendit!* Hinc vetuſtiſſimus eſt in Eccleſia ritus aquam die quolibet Dominico benedicendi, eaque Clerum, & Populum aſpergendi, quem proinde in Cathedrali, ac Parœcialibus Eccleſiis religioſiſſime ſervari jubemus. Solemnis quoque fuit, utpote ab Apoſtolica (2) traditione profecta, benedictio aquæ, in uſum Baptiſmi fieri ſolita in Paſchatis, & Pentecoſtes pervigiliis. Mos autem ſemper viguit, ut, antequam eidem ſacra olea miſceantur, fideli Populo etiam domum deferenda, ac ſervanda diſtribuatur. Pium hunc morem probamus, & commendamus. Imo ea aqua ſacris precibus expiata uti Parochos volumus, dum Sabbato Sancto ſingulas Parœciæ ſuæ domos obeunt, conſpergunt, ac benedicunt, ut ſicuti Hebræorum domos (3), cum profecturi eſſent de Ægypto, Agni cruore illitas vaſtator Angelus præteriit, ita mittere dignetur Dominus Sanctum Angelum ſuum de Cœlis, qui

(1) Can. *Aquam*. de conſecr. diſt.3. (2) S. Baſilius de Spiritu Sancto c.27.
(3) Exodi c.12.

Digitized by Google

qui ea cuſtodiat habitacula, omneſque inimici ab iis longe repellat inſidias. Huc pertinent unctiones, quæ per ſacra, aut benedicta olea fiunt, cujuſmodi eſt unctio, qua in coronatione unguntur Reges, aliæque hujuſmodi cæremoniales unctiones. Huc etiam revocatur Sacrorum Cinerum ſuper Fidelium capita impoſitio, quæ primo Quadrageſimalis jejunii die a vetuſtiſſimis temporibus fieri conſuevit, tum ut Fideles mortalitatis ſuæ admoneantur, tum ut veræ pœnitentiæ ſpiritus in eorum animis excitetur. Utrumque enim in eorumdem cinerum benedictione demiſſis precibus a Deo enixe poſcit Eccleſia, & utrumque impetrat, qui cum vero Religionis, atque humilitatis ſenſu ad eos recipiendos accedit.

VI. Vox illa *edens* religioſam indicat panis, aliorumque ciborum benedictorum comeſtionem, per quam videlicet in animo comedentis reverentia, ac pietas in Deum excitatur ſimul, & exercetur, cum in eorum benedictione illud a Deo Eccleſia poſtulet, ut panis ille, aliuſve cibus *ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis, & corporis, & contra omnes morbos, & univerſas inimicorum inſidias tutamen.*

VII. Voce illa *Confeſſus* generalis quædam peccatorum confeſſio ſignificatur, quam Eccleſia non modo inſtituit, verum etiam recitari jubet tum a celebrante, tum a miniſtrante in Miſſæ initio, a recitantibus Horas Canonicas ſemper in Completorio, ſæpe ad Primam &c. *Sacerdos, & Miniſter*, inquit Benedictus XIV. (1), *dicunt Confiteor, quia Sacerdos, & Miniſter, ſeu Populus, pro quo Miniſter loquitur, mutua ejuſmodi Confeſſione aſſecuturos ſeſe confidunt leviam peccatorum remiſſionem, quo puriori mente Deo Sacrificium offerant. Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini, verba ſunt ex Epiſtola S. Jacobi cap. 5. Trina illa percuſſio pectoris contritionem cordis ſignificat, ab exemplo ducta Publicani, qui pectus ſibi percutiens peccata ſua confitendo veniam a Domino impetravit.*

VIII. Per

(1) Benedictus XIV. de Sacrificio Miſſæ lib. 2. c. 3. §. 5.

Digitized by Google

VIII. Per illam vocem *dans* eleemoſynæ largitio intelligitur juxta illud Tobiæ (1): *Eleemoſyna ab omni peccato liberat*; & juxta illud Danielis (2): *peccata tua eleemoſynis redime*. Huc etiam alia miſericordiæ opera ſive corporalia, ſive ſpiritualia revocantur, inter quæ præcipuum illud eſt, acceptarum videlicet offenſarum ſincera, ac manſueta condonatio juxta illud Chriſti Domini: *dimittite, & dimittemini*.

IX. Tandem per dictionem *Benedicens* ſignificatur benedictio Epiſcopi alios benedicentis, de qua ſic habet Gloſſa in Proemio Sexti Decretalium verſic.: *Benedictionem: Per Benedictionem Prælati devote ſuſceptam venialia remittuntur, ſicuti per generalem Confeſſionem, & orationem Dominicam, per aquam benedictam, per eleemoſynam, & jejunia, & per Euchariſtiam devote ſumptam, per Unctionem extremam, per devotam pectoris tunſionem. Quod dixi de remiſſione venialium, intelligas verum eſſe in eo, qui non eſt in mortali. Mortale enim ſine veniali poteſt dimitti, ſed non è converſo, quia mortale opponitur charitati; veniale fervori charitatis: ſublato vero priori, tollitur poſterius, ſed non è converſo*.

X. Sacramentalium vim, ac virtutem Parochi Populo explicent; quænam eadem ſint, accurate, diligenterque declarent; quave ratione iiſdem uti Fideles oporteat, ut ſalutares inde effectus conſequantur, edoceant. Præcipue vero, ut exemplo præeant, ſacramentalibus ipſi pie, religioſeque utantur, ſummaque præterea cum fide, & gravitate eas functiones peragant, in quibus Sacramentalia conficiuntur. Inter has recenſetur primo benedictio, ac diſtributio palmarum, quibus triumphalis ab Eccleſia exhibetur plauſus, quo Chriſtus, dum viveret, triumphantis in morem Jeroſolymis exceptus eſt: benedictio item, ac diſtributio candelarum, quo ritu profanas Gentilium luſtrationes expiavit Eccleſia, & quem Ethnica ſuperſtitio Februo ſacrum voluit diem, hunc vera Religio Chriſto Domino in Templo præſentato, Deiparæquæ Virginis purificationi dedicavit, certaſque ſacras

(1) Tobiæ c.4. (2) Daniel. c.4.

Digitized by Google

ſacras cæremonias eo die peragendas inſtituit, per quas, uti prudentes Virgines, obviam Chriſto Sponſo cum lampadibus accenſis occurreremus: Præterea cinerum benedictio, eorumque ſuper capitibus Fidelium impoſitio, qua in eorum mentibus mortis memoria, in eorum vero cordibus compunctionis ſpiritus excitetur, aliæque hujuſmodi Eccleſiaſticæ functiones, quas ſuperius commemoravimus.

CAP. XVIII.

DE JUDICIARIA POTESTATE, AC JUSTITIA AB ECCLESIASTICÆ CURIÆ OFFICIALIBUS RITE EXERCENDA.

CUM Epiſcopalis dignitatis conditio, ac debitum, ſanctiſſimæque leges Eccleſiæ a Nobis exigant, ut poteſtate, quam accepimus, cum Spiritus Sanctus poſuit nos regere Eccleſiam Dei, jura populis reddendi, ac ſcelera inquirendi, puniendique integerrime utamur; Volumus, ſtatuimus, ac decernimus, ut in Eccleſiaſtica Noſtra Curia in omnibus cujuſcumque generis cauſis dijudicandis locum habeat Davidicum (1) illud Oraculum: *Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi: Juſtitia, & Pax oſculatæ ſunt*. Certi enim ſumus in regendis populis curæ Noſtræ concreditis illam conſtanter normam ſequi, quam his verbis Tridentina Synodus (2) Epiſcopis omnibus ſequendam propoſuit. *Illud primum* Tridentina Synodus *eos admonendos cenſet, ut ſe Paſtores, non Percuſſores eſſe meminerint, atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, ut non in eis dominentur, ſed illos tamquam filios, & fratres diligant, elaborentque, ut hortando, & monendo ab illicitis deterreant, ne, ubi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur. Quos tamen ſiquid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apoſtoli eſt ab eis ſervanda præceptio, ut illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate, & patientia, cum ſæpe plus erga corrigendos agat bene-*

Yyyyy *volentia*,

(1) Pſalm. 84. v. 11.

(2) Trid. ſeſſ. 13. c. 1. de ref.

volentia, quam auſteritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus charitas, quam poteſtas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit; tunc cum manſuetudine rigor, cum miſericordia judicium, cum lenitate ſeveritas adhibenda eſt, ut ſine aſperitate diſciplina populis ſalutaris, ac neceſſaria conſervetur, & qui correcti fuerint, emendentur, aut ſi reſipiſcere noluerint, cæteri ſalubri in eos animadverſionis exemplo a vitiis deterreantur, cum ſit diligentis, & pii ſimul Paſtoris officium morbis ovium levia primum adhibere fomenta; poſt, ubi morbi gravitas ita poſtulet, ad acriora, & graviora remedia deſcendere: ſin autem ne ea quidem proficiant illis ſubmovendis, cæteras ſaltem oves a contagionis periculo liberare. Normam hanc Populos regendi, quam ſequendam Nobis propoſuimus, volumus, ut omnes etiam Curiæ Noſtræ Officiales ſequantur, & ſervent. Quamobrem leges aliquas diligenter ab iis cuſtodiendas ſubnectimus.

ARTICULUS I.

De Generali Vicario.

VIcarius Noſter Generalis, cui primæ a Nobis in Epiſcopali adminiſtratione juvanda commiſſæ ſunt partes, omni ſolertia ſtudeat non modo Eccleſiaſticorum exceſſus, verum etiam quæcumque Laicorum delicta ad Noſtrum Forum ſpectantia pro viribus, ubi poterit, impedire, ac vigili cura, paternaque providentia præcavere. Quod ſi per humanam fragilitatem, aut etiam per hominum perditorum malitiam contra Sacros Canones, aut Noſtras haſce Conſtitutiones a Noſtris ſubditis peccetur; crimina diligenter inquirere, condignaque animadverſione punire non deſinat, *juſte* (1), *quod juſtum eſt, perſequens, non extimeſcens faciem potentis, nec reſpiciens perſonam hominum, ut virtute valeat irrumpere iniquitatem.* In cenſuris autem infligendis parcus admodum, & cautus ſit, nec eas, niſi Nobis prius conſultis, & conſentientibus, infligat. Quamvis enim, ut inquit Tridentina

(1) Exodi cap. 23., Matth. cap. 22., Eccl. cap. 7.

na Synodus (1) excommunicationis gladius (idem de cenſuris reliquis dicendum eſt) nervus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris; ſobrie tamen, magnaque circumſpectione exercendus eſt, cum experientia doceat, ſi temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam ſalutem. Ab iis quoque (2), quæ ſpeciale mandatum expoſcunt, abſtineat omnino, niſi ſpecialem in iis a Nobis obtinuerit deputationem.

II. Vicarius Generalis (idem Synodalibus Judicibus, ac Vicariis Foraneis ſummo ſtudio commendamus) diſſidia (3), ac lites inter litigantes, ac præſertim conſanguineos, pro viribus amice dirimere, pacificeque componere ſtudeat. Quod ſi id obtinere ab iis nequeat, cauſas ſaltem, liteſque majori, qua poterit, brevitate, debita tamen diſcuſſione adhibita, expediat, ac litigatorum artibus, uti Tridentina Synodus (4) præſcribit, *ſeu in litis conteſtatione, ſeu in alia parte judicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurrat*. Advocatos, & Procuratores ſerio moneat, ut a cavillationibus abſtineant; in agendis litibus tum Procuratorum, tum litigantium detractiones, jurgia, contentiones, rixas, verbaque turpia, aut mordacia acriter compeſcat; & adverſus pervicaces, ſi opus ſit, pœnis arbitrariis pro modo culpæ animadvertat. Viduas, pupillos, & pauperes, qui judicialem ignorant artem (ſi eos præſertim adverſus verſutos, ac præpotentes litigatores ſtare in judicio oporteat) paterna charitate dirigat, atque inſtruat, & per Cancellarium Noſtrum formulas, ſi opus ſit, edoceri curet.

III. Diebus non feriatis, ſtatis horis a ſe præfigendis, legitimam audientiam præbeat, qua abſoluta, decreta omnia, actuſque ſtatim a Cancellario in Actorum libro deſcriptos propria ſubſcriptione confirmet, ne ulla umquam aut additamenti, aut præ-

Yyyyy 2 poſteræ

(1) Trid. ſeſſ.25. c.3. de ref.

(2) Cap.1., & toto tit. de officio Vicarii in 6.

(3) Cap. *Finem litibus*; & cap. fin. de dolo, & contumacia; & cap. *Conſtitutus*. de Procuratoribus.

(4) Trid. ſeſſ.25. c.10. de ref.

poſteræ deſcriptionis oriri poſſit ſuſpicio. Feriatis vero diebus Noſtrum Forum prorſus conticeſcat, niſi forte de cauſis piis agatur, aut Matrimonialibus, aut ad pacem, concordiamque ſpectantibus, ut animarum evitetur periculum, aut quæ celeri proviſione indigeant, ſeu a Jure (1) ſint privilegiatæ. Si ſecus fiat, acta omnia ipſo facto irrita, ac nulla declaramus. Cauſæ miſerabilium perſonarum, Eccleſiarum, aliorumque piorum locorum, nec non cauſæ omnes, quæ ſummam trium ſcutorum non excedunt, ſummarie, & abſque ſolemnis judicii forma, ſolaque facti veritate inſpecta, expediantur. Sit in Noſtra Curia (2) & Fiſci Patronus, quem *Promotorem Fiſcalem* vocant, & Pauperum Advocatus; quorum primus diligenter, & caute Eccleſiæ, & Fiſci jura, utilitatemque proponat, ac tueatur; alter vero pauperum jura defendat, eoſque in cauſis tum civilibus, tum criminalibus gratis patrocinetur, ac inopem (3) juvet, cui non erat adjutor.

IV. Cum e ſummo cœlo egreſſus ſit Dominus, ut audiret (4) gemitus compeditorum; ferendum nullo pacto eſt, ut piæ ſollicitudinis officia iis deſint, qui in carcere detinentur. Quamobrem eos paterna ſollicitudine Vicarius Generalis frequenter inviſat, ſtudeatque diligentiſſime, ut illis neceſſaria vitæ temporalis, æternæque ſalutis præſidia ſuppeditentur. Cum in Urbe Tuſculana Sodalitas adſit Beatæ Mariæ Virginis, quam a Nivibus vocant, cujus laudabile Inſtitutum eſt ſtipem pro iis quærere, qui in carcere detinentur; cumque ejuſmodi conſuetudinem omnium commendatione digniſſimam neglectam per aliquod tempus a Sodalibus fuiſſe in Epiſcopali Viſitatione comperiſſemus; peculiari decreto ſtatuimus, ut eadem inſtauraretur, ac bis ſaltem in menſe ſubſidia hujuſmodi quærerentur, ita tamen ut quærendi onus æque Sodalibus omnibus incumberet. Saluberrimum hoc decre-

(1) Cap. *Conqueſtus*. de Feriis.

(2) Cap. *Quia*. de conceſſio ne præbendæ, juncta Gloſſa.

(3) Pſalm. 71. v. 12.

(4) Pſalm. 101. v. 21.

decretum in hac Noſtra Synodo iterum approbamus, & confirmamus, ejuſque obſervantiam a Vicario Generali modis omnibus urgeri jubemus, & corrogata ſubſidia de more in eos, qui in carceribus incluſi reperiuntur, erogari. Volumus præterea, ut idem Generalis Vicarius frequenter ad eos pium aliquem Confeſſarium mittat, a quo tum Verbi Dei prædicatione, tum Sacramentorum adminiſtratione ad vitam æternam aſſequendam juventur. In cuſtodis Carcerum, Noſtræque Curiæ ſatellitum fidelitatem inquirat, ne vel plus æquo indulgentiores ſint, ſuoque muneri deſint, vel adeo immites, & aſperi, ut officia negligant Chriſtianæ manſuetudinis, & charitatis.

V. Sit etiam fortis, ac prudens Eccleſiaſticæ Immunitatis, ac libertatis aſſertor, nec eam a quoquam violari impune patiatur. Cauſæ omnes, quæ ad Eccleſiaſticum Forum quomodolibet pertinent, juxta Sanctorum Canonum, & Concilii Tridentini decreta coram Eccleſiaſtico Judice cognoſcantur. Quamobrem Hoſpitalium, Sodalitatum, aliorumque Piorum Locorum Miniſtris præcipimus, ac mandamus, ne in ſupradictis cauſis ſive agendo, ſive excipiendo in Foro Sæculari ſtare audeant, neque in Laicæ Poteſtatis Juriſdictione conſentire. Si ſecus fiat, præter cenſurarum incurſum, aliaſque arbitrio Noſtro infligendas pœnas, quibus inobedientes erunt obnoxii, Proceſſus, Acta, aliaque omnia inde ſecuta irrita, ac nulla declaramus. Clerici (1) omnes (etiam conjugati, qui cum unicis, & virginibus contraxerint) neque in civilibus, neque in criminalibus cauſis coram Judice Laico, ſed coram Eccleſiaſtico dumtaxat, juxta Sac. Canones, Pontificiaſque Conſtitutiones conveniantur. Qui ſecus egerit, non modo in leges Eccleſiæ committet, verum etiam graviſſimis ab ea indictis pœnis erit obnoxius. Solerter curet Vicarius Generalis, ut in Noſtra Diœceſi ad unguem ſerventur ea omnia, quæ de Eccleſiaſti-

ca

(1) Cap. *Decernimus*. de judiciis, cap. *Clerici*. de Clericis conjugatis in 6., Sac. Congreg. Immunit. in Roſſanen. 23. Martii 1638., in Nazaret 15. Junii 1638., in Montis Caſſini 22. Dec., & in Hydruntina 18. Dec. 1694.

Digitized by Google

ca Immunitate ſeu locali, ſeu perſonali, ſeu reali in prima harum Synodalium Conſtitutionum parte diſſeruimus. Pauca nunc addere juvat quoad Clericos conjugatos, de quorum Immunitate controverſiæ non raro oriuntur.

VI. Quamquam Clericus conjugatus conditiones non impleat a Bonifacio VIII., & a Tridentino Concilio præſcriptas, ut Clericalibus gaudeat privilegiis; adeoque non poſſit tunc pro ſe eadem privilegia allegare, ut ex. gr. forum ſæculare declinet; certum tamen eſt, non proinde Epiſcopum ſua in illum juriſdictione privari. Unde fit, ut poſſit illum quandocumque Epiſcopus a Judice ſæculari repetere, & ad ſuum forum revocare, quemadmodum ſæpiſſime definivit Sacra Congregatio Concilii (1), ac potiſſimum in *Alatrina juriſdictionis*; ubi ſic habemus: *In Carceribus Fruſinonis detinetur nomine Curiæ Epiſcopalis Alatrinæ Clericus conjugatus, ut prætenſus homicidii reus. At prætendente Fiſco Curiæ Sæcularis, carceratum eſſe ad hanc remittendum tamquam non habentem requiſita Sacri Concilii ad effectum gaudendi privilegio fori, controverſia delata fuit ad Sacram Congregationem Immunitatis, ex cujus decreto reſolvendum proponitur dubium, an præveniente Epiſcopo, vel volente vindicare Clericum, poſſit, licet non habeat requiſita? Sacra Congregatio Concilii reſpondit, affirmative*. Idem etiam declaravit, ac ſtatuit Sacra Congregatio Immunitatis, quoties ad eam ejuſmodi controverſia delata eſt. Unum, aut alterum proferamus exemplum. In una Anagnina (2) ſic habet: *Clericus Conjugatus non incedens in habitu, & Tonſura non poteſt allegare privilegium Fori, ſalvo tamen jure Epiſcopo repetendi*. In una Nullius Ferentilli (3) ſic cenſuit: *Clericus Conjugatus non habens requiſita Concilii, licet allegare nequeat privilegia fori ex ſe, tamen ſi illum Ordinarius repetat, eſt reſtituendus, & gaudere debet dictis Clericalibus privilegiis*. Eamdem

(1) Sac. Cong. Conc. in Alatrina Juriſdictionis 27. Martii 1638., in Murana 21. Jan. 1594., in Valentina 27. Martii 1627., & alibi. Benedictus XIV. de Synodo lib. 12. c. 2.

(2) Sac. Cong. Immun. in Anagnina 16. Sept. 1687. lib. decr. Martelli pag. 152.

(3) Sac. Cong. Immun. in Nullius Ferentilli 13. Jan. 1739. lib. 1. decr. Torregiani fol. 121.

dem quoque tulit ſententiam in noviſſima *Bononien.* (1) *Cenſurarum*, cui Nos quoque interfuimus, noſtrumque pro Archiepiſcopo, conjugatum Clericum repetente, tulimus ſuffragium. Quæ cum ita ſint, volumus, ut quoties in Noſtra Diœceſi aliquis ejuſmodi caſus occurrat, Vicarius Generalis (2) Clericum ſive cælibem, ſive conjugatum a Sæculari poteſtate carceribus mancipatum continuo repetat, & ad Forum Eccleſiaſticum revocet, ut debitis in eumdem pœnis animadvertamus, dummodo Clericus adhuc Clericus permaneat, videlicet dummodo neque a Jure, neque ab homine, per declarationem ſervatis ſervandis factam, Clericalibus privilegiis privatus fuerit.

VII. Si quis vero Clericus ſive cælebs, ſive conjugatus requiſita non ſervet a Tridentino Concilio ad Clericalium privilegiorum uſum præſcripta, adeoque declarandus ſit per Noſtræ Curiæ ſententiam propria culpa Clericalibus juribus excidiſſe; hæc ſervetur methodus, quam utpote Canonico Juri conformem Nobis inſinuat Benedictus XIV. (3). Clerico vel per publicum edictum, vel per citationem præcipiatur, ut incedat in habitu, & Tonſura, atque alicui inſerviat Eccleſiæ, congruo tempore ad utrumque præſtandum præfinito: hoc autem elapſo, ter commoneatur, ut præcepto obtemperet ad normam textus in cap. *Contingit. de ſententia excommunicationis*. Hac autem in re non ſatis eſt unica monitio, quæ tribus æquivaleat, uti obſervat Gloſſa in Clement. 1. v. *Tertio*; ſed tres diſtinctæ requiruntur. Poſt trinam vero monitionem, adverſus inobedientem in ſua perſiſtentem contumacia ſententia feratur, qua declaretur, eum propria culpa Clericalibus juribus excidiſſe, neque deinceps reſtituenda ei fore privilegia, quibus ſua pervicacia ſe præbuit indignum. Quod ſi poſt hanc ſententiam Clericales veſtes iterum induere Clericus præſumat, non propterea a ſæculari foro ſe ſubtrahet, ſed eidem ſub-

(1) Sac. Cong. Immun. in una Bononien. Cenſurarum 22. Jan. 1760.

(2) Bened. XIV. de Synod. lib. 12. c. 2. §. 4.

(3) Benedictus XIV. de Synodo lib. 12. c. 3. §. 4.

Digitized by Google

ſubjectus perinde, ac Laicus, remanebit. Verum nihil horum ſine expreſſo Noſtro conſenſu, ac ſpeciali deputatione Generalis Vicarius intentabit.

VIII. Nihil etiam frequentius uſuvenire ſolet, quam quod a Clericis Clericalis habitus dimittatur, & dimiſſus pro libito reſumatur. Jam vero illum reſumentes, ut inquit Benedictus XIV. (1), modo id non faciant in fraudem, ſive cælibes ſint, ſive conjugati, ad priſtina reſtituuntur Clericalis Ordinis privilegia, quemadmodum Sacra Concilii Congregatio declaravit (2). Idem etiam dicendum eſt de Clericis, qui dimiſſa militia, cui nomen dederant, iterum veſtes induunt Clericales. Inde autem fit, ut propter delictum ab ipſis eo tempore perpetratum, quo Laicalibus induti veſtibus incedebant, nequeant a Judice Laico coerceri, poſtquam Laicalem veſtem, ſine dolo tamen, ac fraude, in Clericalem iterum commutarunt. Ita Sacra Concilii Congregatio ſæpius declaravit. In Nuſcana (3) enim reſpondit, *Clericum conjugatum, qui poſt dimiſſum habitum, & Tonſuram Clericalem deliquit, quamvis pro eo delicto in Curia Laicali citatus, & in contumaciam condemnatus fuerit, ſi deinde, modo non in fraudem, reaſſumpto habitu, & Tonſura, Eccleſiæ inſerviat juxta decretum Concilii c.6. ſeſſ.23., non poſſe a Judice Laico propter idem delictum in carcerem conjici, aut perſonaliter diſtringi*. Idem etiam in ſimili cauſa (4) deinceps reſpondit. Præſumitur autem Clericus in fraudem habitum, quem dimiſerat (5), reſumere, ſi illum induat, poſtquam a Sæculari poteſtate comprehenſus, & in carcerem conjectus, ex eo ſe per fugam ſubtraxit, aut poſtquam e carceribus, præſtita cautione parendi Judicis ſententiæ, dimiſſus fuit. In hac autem quæſtione non ad Sæcularem, ſed ad Eccleſiaſticum Judicem pertinet inſpicere, ac per ſententiam, an fraus adfuerit, defini-

(1) Bened.XIV. de Synodo l.12.c.3.§.1.

(2) Sac. Cong. Conc. in Meliten. Fori 7. Maii 1672. lib.27. decr. pag.379.

(3) Sac. Congreg. Conc. in Nuſcana 19. Dec. 1584.

(4) Sac. Cong. Conc. in Nullius 19. Decemb. 1596.

(5) Benedictus XIV. de Synodo lib.12. c.3. §.1.

finire. Curet itaque Vicarius Generalis, ut hæc omnia Sacrarum Congregationum decreta in ſua viridi obſervantia permaneant, & ſiquid umquam adverſus eadem in Noſtra Diœceſi intentari intelligat, certiores Nos ſtatim faciat, ut cuicumque Eccleſiaſticæ Immunitatis detrimento tempeſtive occurrere valeamus.

IX. Multas pecuniarias in peculiari libro diligenter a Cancellario deſcribi jubeat una cum die, menſe, & anno, multatique nomine, & cognomine, & criminis qualitate, prout in ſententia, vel decreto enunciatur. Pecunia vero ejuſmodi, quæ a Reis ſolvitur, multarum Depoſitario confeſtim tradatur, a quo ſimili modo eam deſcribi in alio peculiari libro jubemus. Cum autem eædem in pium aliquod opus inviolabili lege ſint erogandæ; Decernimus, ut Depoſitarius illas non, niſi juſſionem Noſtram deferenti vel a Nobis, vel a Vicario Noſtro Generali ſubſcriptam, ſolvat, earumque ſolutionem in eodem libro ex acceptæ pecuniæ regione deſcribat: accepti vero, & ſoluti quotannis Nobis reddat rationem. Caſuum conſcientiæ, Sacrorumque Rituum collationi, quam Eccleſiaſticis omnibus utiliſſimam eſſe diuturna docuit experientia, Vicarius Generalis, aut alius ab eo deputandus interſit, omnemque diligentiam adhibeat, ut ea omnia accurate ſerventur, quæ de hujuſmodi collatione in Synodo Tuſculana anni 1703. *cap.5*, ſapienter ſancita fuere. Totius tandem Diœceſis regimen, & harum Noſtrarum Conſtitutionum obſervantiam in univerſo Noſtro Clero, ac Populo promovendam ejuſdem Vicarii Generalis probitati, doctrinæ, prudentiæque, præſertim a Diœceſi cum abſumus, iterum, iterumque commendamus.

ARTICULUS II.

De Vicariis Foraneis.

QUamquam Paſtoralis Officii proprium ſit lites dirimere, diſſidia componere, crimina perſequi; Cum tamen alteri potiori Curæ, quæ in procuranda animarum ſalute poſita eſt, vacare Epiſcopos oporteat; Inde fit, ut ad levandam eorum ſollicitudinem aliqui Officiales ab iiſdem eligantur, qui juri dicundo præſint, ac præter Generalem Vicarium totius Diœceſis inſpectorem, alii peculiares Vicarii, quos *Foraneos* dicimus, conſtituantur, qui in Pagis, & Oppidis certas levioris momenti cauſas expediant, & juriſdictionem, anguſtis tamen limitibus circumſcriptam, exerceant, a quorum tamen ſententiis (1) liberum cuique ſit ad ipſum Epiſcopum appellare. Nos proinde in ſingulis Noſtræ Diœceſis Oppidis ejuſmodi Vicarios conſtituimus, eoſque in partem aliquam Noſtræ Paſtoralis ſollicitudinis advocavimus, ut pro modulo ſuo plebes in Officio contineant, Noſtraque auctoritate in Clericorum inſpiciant vitam, ne, ſacris violatis legibus, pravi in mores, atque in Eccleſiaſticam diſciplinam irrepant abuſus. Ut autem hi rite, recteque ſuo fungantur munere, pauca hìc monendos eoſdem eſſe arbitramur.

II. Ac primum quidem cum Canonicarum Legum obſervantiæ excubare eos oporteat, toto ſtudio ſeſe irreprehenſibiles exhibeant, ne, in quo alium (2) judicant, ſeipſos condemnent; atque illud enixe curent, ut, quemadmodum in Oppidis auctoritate, ac poteſtate, ita etiam doctrinæ præſtantia, morumque probitate reliquos antecellant. Deinde ſine perſonarum acceptione ea omnia exequantur, quæ vel ab hac Synodo, vel a Nobis, aut a Vicario Noſtro Generali eorum fidei, ac diligentiæ committuntur. Suas proinde patentes litteras, ac Synodales haſce Con-

(1) Clem. 2. de reſcriptis, Bened. XIV. de Synodo lib. 3. c. 3. §. 5.
(2) Ad Rom. c. 2.

Conſtitutiones perſæpe conſulant, ut intra ſuos ſe limites contineant, ac perſpicue, dilucideque munia, ad quæ eorum auctoritas extendatur, intelligant. Cauſas civiles, quæ ſummam ſcutorum quinque (1) non excedant, & ad Forum Eccleſiaſticum ſpectent, ſecundum conſuetas juris regulas dirimant: In gravioribus tamen cauſis manus non apponant, neque in iis ſine ſpeciali Noſtra licentia exercere judicia præſumant. Criminales querelas, quæ ſive privative, ſive cumulative ad Forum Noſtrum pertinent, in ſuæ Juriſdictionis locis tam ex Officio, prout de Jure, quam ad partis inſtantiam recipere non prætermittant. Proceſſum quoque, quem informativum dicunt, iis liceat coram Notario, aut, ubi Notarius deſit, coram duobus probis viris, qui ejus defectum ſuppleant, compilare, quem tamen quamprimum ad Vicarium Noſtrum Generalem tranſmittant. In cauſis omnibus, ſed in iis potiſſimum, quæ graviores ſunt, vel quæ Fori præventionem admittunt, ſeſe ſollicitos exhibeant, Noſtrumque Generalem Vicarium reddant ſine cunctatione certiorem, ut is ea capiat conſilia, quæ in Domino expedire ſibi videantur.

III. Vigilem potiſſimum adhibeant curam, ut nihil indecorum in Templo, Feſtis præſertim diebus, fiat; ut quæ de Chriſtiana Catecheſi pueris, rudibuſque explicanda præſcripſimus, exacte impleantur; ut Parochus, cæterique Clerici munus ſuum diligenter obeant, collationi caſuum, Sacrorumque Rituum diligenter interſint, ſiquæ inter eos oriantur diſſidia, amice componantur, bonumque virtutum exemplum, quod Populus imitetur, exhibeant. Sedulam dent operam, ut annui ſodalitatum reditus, & quæ corrogantur eleemoſynæ, ſumma fide, atque integritate adminiſtrentur; ut quotannis accepti, expenſique rationem reddant earum Syndici, atque Adminiſtratores; ut debitis ſodales temporibus in Eccleſia, ſeu Oratorio aut oraturi,

(1) Sac. Congreg. Epiſc. in Trojanen. 27. Martii 1590., Sac. Congreg. Conc. in Hortana 20. Junii 1698.

aut aliquod pium opus juxta Sodalitatis regulas de more peracturi conveniant, Euchariſtiæ Sacramentum ſeu cum ad ægrotos defertur, ſeu cum per Eccleſiam, aut Oppidum circumfertur, religioſe comitentur, quidquid tandem pro ſodalitatibus tum in hiſce Conſtitutionibus, tum in Noſtra Viſitatione ſtatuimus, alacriter exequantur. Ut rem totam paucis complectamur, Vicarii Foranei exemplo, hortationibus, monitis perfectam harum Conſtitutionum, Noſtrorumque Decretorum obſervantiam apud Clerum, & Populum fortiter, ſuaviterque urgeant, ac Nos, Noſtrumque Vicarium Generalem de iis omnibus frequenter admoneant, quæ forte in eorum Oppidis adverſus Dei cultum, Templorum venerationem, Feſtorum dierum obſervantiam, & Chriſtianam, atque Eccleſiaſticam diſciplinam admittantur, ut, perpenſis rerum omnium circumſtantiis, tempeſtivam morbo ſubnaſcenti medicinam adhibeamus.

ARTICULUS III.

De Judicibus Synodalibus.

CUM præter appellationes, quæ undequaque ad Sedem Apoſtolicam delatæ ſemper ſunt (*ſiquidem ad illam de qualibet Mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus*, uti ad Epiſcopos Dardaniæ (1) ſcripſit Gelaſius Papa) audire quoque, ac dijudicare Romani Pontifices debeant, etiam in prima inſtantia, cauſas eorum, qui ab Epiſcoporum juriſdictione ſubtracti, Apoſtolicæ Sedi immediate ſubduntur; Cumque iidem Pontifices optime intelligerent, de rebus, quæ in longinquis regionibus emergunt, non poſſe rectum Romæ inſtitui judicium, *ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ vel propter ſenectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis adduci non poſſunt*, ſicuti ad Cœleſtinum I. ſcripſerunt olim Africani Epiſco-

(1) Gelaſius Papa epiſt.7. ad Epiſcopos Dardaniæ ann. 495., & Nicolaus I. ep.8. ad Michaelem Imperatorem apud Benedictum XIV. de Synodo lib.4. c.5.

Digitized by Google

Epiſcopi ; Gravioribus proinde cauſis judicio ſuo dumtaxat reſervatis, alias levioris momenti Judicibus delegare in partibus conſueverunt. Verum cum *nonnulli gratia Sedis Apoſtolicæ abutentes, litteras ejus ad remotos Judices impetrare niterentur, ut reus laboribus, & expenſis fatigatus liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compelleretur*; Innocentius III. (1) in Concilio Lateranenſi ſtatuit, *nequis, ultra duas dietas, extra ſuam Diœceſim per Litteras Apoſtolicas ad judicium trahi poſſit, niſi de aſſenſu partium fuerint impetratæ*. Mox litigantium commodo utilius proſpiciens Bonifacius VIII. (2) decrevit, ut ſi Actor, & Reus ejuſdem ſint Civitatis, ac Diœceſis, extra ipſas cauſa ab Apoſtolica Sede non committatur, niſi in duobus caſibus in ſuo decreto nominatim expreſſis, & quidem ita, *ut nullus eorum ultra unam dietam a fine ſuæ Diœceſis valeat conveniri*. Addidit præterea, ut nullis, niſi dignitate præditis, aut perſonatum obtinentibus, ſeu Eccleſiarum Cathedralium Canonicis cauſæ ejuſmodi deinceps committerentur. Tridentina deinde Synodus (3), in ſingulis Conciliis Provincialibus, aut Diœceſanis aliquot perſonas, quæ qualitates habeant juxta Conſtitutionem Bonifacii VIII., & alioquin ad id aptas, deſignari juſſit, quibus in poſterum cauſæ committerentur; & ſiquem interim ex deſignatis mori contingat, ſubſtituat Ordinarius cum conſilio Capituli *alium in ejus locum uſque ad futuram Provincialem, aut Diœceſanam Synodum, itaut habeat quævis Diœceſis quatuor ſaltem, aut etiam plures probatas, & qualificatas perſonas, quibus hujuſmodi cauſæ committantur*.

II. Tandem Benedictus XIV. epiſtolam Encyclicam (4) ad univerſos Epiſcopos dedit, in qua Tridentinæ Synodi decretum confirmat, ac præterea mandat, 1. ut ejuſmodi Judices in Conciliis ſive Provincialibus, ſive Diœceſanis electi, aut in defunctorum locum ab Epiſcopo cum Capituli conſenſu ſubrogati, ab Ordi-

(1) Cap. *Nonnulli*. de reſcriptis.
(2) Cap. *Statutum*. de reſcriptis in 6.
(3) Trid. ſeſſ. 25. de ref. c. 10.
(4) Benedictus XIV. Conſt. *Quamvis paternæ*. edita 26. Aug. 1741.

Digitized by Google

Ordinariis locorum vel immediate per ſeipſos, vel mediate per ſuos in Urbe negotiorum geſtores, Pontificio ſupplicum libellorum Secretario denuncientur. Sic enim fiet, ut nonniſi dictis Judicibus a Pontificiæ Curiæ Officialibus ad id deputatis cauſæ delegentur. 2. ut in iis ſeu in Synodo, ſeu extra Syodum ab Epiſcopo deligendis Judicibus curetur, ne iis deſit, præter qualitates a Bonifacio VIII., & Tridentina Synodo requiſitas, doctrina potiſſimum, & idoneitas, in qua ſumma negotii eſt conſtituta. 3. ut quamquam ex Tridentini decreto quatuor ſaltem in unaquaque Diœceſi eligendi ſint ejuſmodi Judices, plures nihilominus eligantur, ſi Diœceſis amplitudo, aliæque peculiares circumſtantiæ id expoſcere videantur. Nos Bonifacii VIII., Tridentinæ Synodi, ac Benedicti XIV. juſſionibus alacriter obſequentes eos viros in Synodales Judices elegimus, quibus nullam profecto ex qualitatibus ad id munus requiſitis deeſſe arbitramur. Hos vero monemus. 1. ut meminerint, nulla ſe juriſdictione potiri, antequam ab Apoſtolica Sede delegationem accipiant, uti a Sacra Concilii (1) Congregatione declaratum eſt. 2. ut, ſi qua cauſa ab Apoſtolica Sede eorum alicui delegetur, is illam integritate ſumma, maturoque conſilio cognoſcat, ac definiat. 3. ut in ea cognoſcenda Noſtræ Epiſcopalis Curiæ Notarios omnino adhibeat, quemadmodum Sacra Concilii (2) Congregatio decrevit. Horum autem a Nobis electorum Judicum elenchus, quem inferius dabimus, Pontificio ſupplicum libellorum Secretario juſſu Noſtro exhibebitur, ut Benedicto XIV. id præcipienti morem, ut par eſt, geramus.

(1) Sac. Cong. Conc. in una Januen. 15. Martii 1601. lib. 9. decr. pag. 134.

(2) Sac. Cong. Conc. in Alben. 15. Jan. 1656. lib. 19. decr. pag. 554.

AR-

ARTICULUS IV.

De Cancellario, aliiſque Eccleſiaſticæ Curiæ Officialibus.

Epiſcopalis Noſtræ Curiæ Cancellarius, cujus fidem, diligentiamque ad optimum Diœceſis regimen plurimum conducere arbitramur, ſolers ſit, maximeque cautus, ac vigil in munere ſibi commiſſo fideliter adminiſtrando. Antequam munus ſuum obire incipiat, Inſtrumenta omnia, Acta, Libri, & Scripturæ quæcumque ad Forum Noſtrum pertinentes in Inventario deſcriptæ eidem tradantur: Is vero illas diſtinctis in armariis, loculiſve apte repoſitas una cum aliis, quæ deinceps fient, aut recuperabuntur, aſſervet. Cum autem vel officium ſuum dimittet, vel ab eo removebitur, Vicario Noſtro Generali Scripturarum omnium rationem ex eodem Inventario reddere teneatur.

II. Præcipuam a Cancellario adhiberi curam volumus in iis cuſtodiendis ſcripturis, quæ ad Eccleſiaſticum quodlibet Beneficium pertinent: quare diligenter caveat, ne quis eas temere attrectet, dolove ſurripiat: nullum proinde Scribam, aut Subſtitutum ſine licentia Vicarii Noſtri Generalis aſſumat. Nos quidem ad rapaces ejuſmodi cohibendas manus, eos, qui Jura, Scripturas, Libros, Inſtrumenta, & quæcumque ad Eccleſiaſticum Beneficium ſpectantia ſurripiunt, occultant, retinent, aliove aſportant, excommunicatione majori, cujus abſolutionem Nobis reſervamus, ipſo facto, ipſoque jure volumus innodari. Iidem vero numquam ab hac cenſura abſolvendos ſe fore ſperent, aut arbitrentur, niſi prædictas Scripturas, Inſtrumenta, aut Libros Nobis, aut Beneficii Rectori patefaciant, reſtituant, aut in loco, unde abſtulerunt, reponant. Si quis autem alias Scripturas ex Noſtra Cancellaria, aut Noſtro Archivio aſportare audebit, aut lacerare, aut comburere, præter excommunicationem majorem Apoſtolicæ Sedi reſervatam, quam ipſo facto incurret, gravibus in eum pœnis animadvertemus.

III. Acta

Digitized by Google

III. Acta Judicialia Noſtri Fori non in ſchedulas, ſeu folia, ſed in Actorum libros eadem die, qua fiunt, nulla interpoſita mora, referantur, idque etiam in cauſis criminalibus Cancellarius obſervet, niſi cauſæ gravitas peculiare volumen poſtulaverit. Originales, quos vocant, proceſſus partibus, niſi facta per Nos, aut per Vicarium Noſtrum Generalem poteſtate, nullatenus commodentur, & tunc is, cui commodantur, per ſyngrapham propria manu ſubſcriptam ſe eos recepiſſe fateatur. Ut omnis a Cancellario, cæteriſque Noſtræ Curiæ Officialibus avaritiæ, aut turpis quæſtus ſuſpicio amoveatur, Taxam Innocentianam exactiſſime obſervari jubemus: in iis vero, de quibus nihil in ea definitum reperitur, aliam ſervari volumus Taxam, quam adhibito plurium Romanæ Urbis Juriſperitorum conſilio, collatoque ſtudio fieri curavimus, & quam in Appendice *num.* 35. exhibemus.

IV. Quicumque tandem ſint reliqui Curiæ Noſtræ Miniſtri, & Officiales, illud omnes potiſſimum curent, ut nemini dent offenſionem, neminem lædant, pauperem non opprimant, orphanos, & viduas non perſequantur, ſed uniſquiſque munere ſuo modeſte, ſeduloque fungatur, & omnibus omnium præbeat Chriſtianarum exempla virtutum. Non dominetur (1) in eis omnis injuſtitia, neque dextera eorum plena muneribus dextera fiat iniquitatis. Qui enim ſe muneribus corrumpi patietur, & in munere delinquet ſuo, a me non impunis abibit, ſed officio privabitur, promeritaſque luet pœnas. Omnem itaque in officio obeundo integritatem ſervent, ſuique in primis id eſſe officii noverint, Pauperibus, Orphanis, miſeriſque omnibus præſto adeſſe, ne ſeu vi, ſeu dolo a præpotentibus opprimantur.

(1) Pſal. 18. v. 133., & Pſal. 143. v. 8.

CA-

CAP. XIX.

MINISTRI SYNODI, ET OFFICIALES CLERI.

PROMOTOR SYNODI

Nicolaus Seghetti J. U., & Sacræ Theologiæ Doctor, Archipresbyter Eccleſiæ Cathedralis.

SECRETARIUS

Joſeph Campoli Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.

SECRETARII ADJUTORES

Dominicus Bianchi Beneficiatus Eccleſiæ Cathedralis.
Fortunatus Caſali Beneficiatus Eccleſiæ Cathedralis.

JUDICES QUERELARUM, ET EXCUSATIONUM

Jacobus Piſtorozzi J. U. D., Protonotarius Apoſtolicus, & Sereniſſimi, ac Eminentiſſimi Epiſcopi Vicarius Generalis.
Nicolaus Seghetti Archipresbyter Cathedralis Eccleſiæ.
Joannes Maria Bianchi J. U. D., Protonotarius Apoſtolicus, Archidiaconus Cathedralis Eccleſiæ.
Cajetanus Buzj J. U. D., Protonotarius Apoſtolicus, Canonicus Decanus Cathedralis Eccleſiæ.

THEOLOGUS SERENISS., AC EMINENTISS. EPISCOPI

P. Horatius Stefanucci Soc. Jeſu, Lector Sacrorum Canonum in Collegio Germanico-Hungarico de Urbe.

PRÆFECTI DISCIPLINÆ SYNODALIS, ET SCRUTINII

Cajetanus Buzj Canonicus Decanus Cathedr. Eccl.
Angelus Giammarioli Sac. Theol. Doctor, Canonicus Theologus Cathedr. Eccleſ.

Aaaaaa Philip-

Philippus Campoli Sac. Theol. Doctor, Canonicus Cathedr. Eccl.
Thomas Greci Protonotarius Apoſtolicus, Canonicus Cathed. Eccl.
Petrus Santovetti Sac. Theol. Doctor, Archipresbyter Arcis Papæ.
Marcus Antonius Miſſori Vicarius Foraneus Montis Compatrum.
Joſeph Spagnoli Vicarius Foraneus Arcis Priorum.

MAGISTRI CÆREMONIARUM

Joannes Baptiſta Lizzani Sac. Theol. Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, & SS. D. N. Papæ, ac Sanctæ Sedis Cæremoniarum Magiſter.
Joſeph Dini Sac. Theol. Doctor, alter Sanctæ Sedis Cæremoniarum Magiſter.

ADJUTORES EORUMDEM

Camillus Caſtelli, & Philippus Biſcetti } Beneficiati Cathedralis Eccleſiæ.

PRÆFECTUS HOSPITII

Petrus Santovetti Archipresbyter Arcis Papæ.

ADJUTORES EJUSDEM

Bernardus Taliani Archipresbyter Montis Compatrum.
Marcus Antonius Miſſori Vicarius Foraneus Montis Compatrum.
Joſeph Spagnoli Vicarius Foraneus Arcis Priorum.
Philippus Poſſenti Vicarius Foraneus Montis Portii.

CONFESSARII CLERI

Cum facultate abſolvendi etiam a caſibus Epiſcopo reſervatis durante Synodo

Philippus Campoli Canonicus Pœnitentiarius Cathedr. Eccl.
Joannes Baptiſta Greci.
Antonius Salvini Confeſſarius Ordinarius Monialium S. Flaviæ Domitillæ Tuſculi.
P. Joſeph Scati Clericus Regularis Congregationis S. Pauli, Sacræ Theo-

Digitized by Google

Theologiæ Profeſſor, Theologus Eminentiſſimi Cardinalis Archiepiſcopi Bononienſis.

P. Hieronymus Saliceti Soc. Jeſu, Lector Theologiæ Moralis, & Superior in Tuſculana Domo.

P. Franciſcus Xaverius Rezza Soc. Jeſu, Lector Philoſophiæ in Tuſculana Domo.

P. Joſeph Franciſcus Lualdi Clericus Regularis Scholarum Piarum, Sacræ Theologiæ Profeſſor, & Rector Collegii Tuſculani.

PROCURATORES CLERI

Cajetanus Buzj Canonicus Decanus Cathedr. Eccl.
Bernardus Leoni J. U. D., Protonotarius Apoſtolicus, Canonicus Cathedr. Eccl.
Dominicus Bianchi Beneficiatus Cathedr. Eccl.
Philippus Poſſenti Vicarius Foraneus Montis Portii,

ŒCONOMUS PRO EXIGENDO CATHEDRATICO

Philippus Biſcetti Beneficiatus Cathedr. Eccl.

OSTIARII

Carolus Cenci
Blaſius Bergantelli
Xiſtus Bartolini
Nuntius Libri

NOTARII

Franciſcus Grilli Cancellarius Sereniſſimi, & Emi Epiſcopi.
Joannes Baptiſta Pomardi.

JUDICES SYNODALES

Jacobus Piſtorozzi Vicarius Generalis.
Nicolaus Seghetti Archipresbyter Cathedr. Eccl.
Joannes Maria Bianchi Archidiaconus Cathedr. Eccl.
Cajetanus Buzj Canonicus Decanus Cathedr. Eccl.
Bernardus Leoni Canonicus Cathedr. Eccl.
Angelus Giammarioli Canonicus Theologus Cathedr. Eccl.
Philippus Campoli Canonicus Pœnitentiarius Cathedr. Eccl.

EXAMINATORES SYNODALES

Ex Clero Sæculari.

Jacobus Piſtorozzi Vicarius Generalis.
Nicolaus Seghetti Archipresbyter.
Joannes Maria Bianchi Archidiaconus.
Cajetanus Buzj Canonicus Decanus.
Bernardus Leoni Canonicus.
Angelus Giammarioli Canonicus Theologus.
Philippus Campoli Canonicus Pœnitentiarius.
Petrus Santovetti Archipresbyter Arcis Papæ.

Ex Clero Regulari.

P. Horatius Stefanucci Soc. Jeſu, Theologus Sereniſſimi, & Eminentiſſimi Epiſcopi.
P. D. Joſeph Siſto Procurator Generalis Cleric. Regular. Theatin., & Sacr. Congreg. Indicis Conſultor.
P. D. Joſeph Sacco Cleric. Regular. Theatin., Vicarius Piæ Domus Tuſculan. Theatin.
P. D. Joſeph Scati Clericus Regularis Congregationis S. Pauli.
P. D. Philippus Bonfigli Cleric. Regular. Congreg. S. Pauli, & Conſultor Sac. Congr. Indulgentiarum, & Reliquiarum.
P. D. Hieronymus Bugati Cleric. Regular. Congr. S. Pauli, & Conſultor Sac. Congr. Rituum, & Indicis.
P. Hieronymus Saliceti Soc. Jeſu, Lector Theolog. Moral., Præfectus Congregationis Caſuum Conſcientiæ, & Superior Domus Tuſculanæ.
P. Franciſcus Xaverius Rezza Soc. Jeſu, Profeſſor Sac. Theol., & Lector Philoſophiæ in Domo Tuſculana.
P. Petrus Martyr Bruni Soc. Jeſu, Lector Theologiæ Moralis in Collegio Romano.
P. D. Thomas Gabrini ex Clericis Minoribus, Lector Sac. Theol., ac Præpoſitus Domus SS. Vincentii, & Anaſtaſii de Urbe.
P. Joſeph Franciſcus Lualdi Clericus Regularis Scholarum Piarum, Collegii Tuſculani Rector.
P. D. Benedictus Monaldini Ordinis S. Baſilii Magni, Sac. Theol. Profeſſ., & Parochus S. Mariæ de Crypta Ferrata.

P. Fr.

P. Fr. Franciſcus Maria a Bergomo Ordinis Minorum S. Franciſci Cappuccinorum, Sac. Pal. Apoſt. Concionator actualis.
P. Fr. Peregrinus a S. Raphaele Provincialis Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivor. Excalceat., Parochus S. Mariæ in Monterone de Urbe.
P. Fr. Joſeph a S. Catharina Ordinis Carmelitarum Excalceator., Prior Ven. Conventus S. Sylveſtri in Tuſculana Diœceſi.
P. Fr. Hermenegildus a Roma Ex-Provincialis Ordinis S. Franciſci Strictioris Obſervantiæ, Sacræ Theologiæ Profeſſor.
P. Fr. Joannes Antonius a Tuſculo, Lector Sacræ Theologiæ in Conventu S. Mariæ de Aracæli de Urbe, Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia.
P. Fr. Bernardinus a Tuſculo Definitor, & Lector actualis Sacræ Theologiæ in Conventu S. Franciſci ad Ripam, Ord. Min. S. Franciſci Reformat.
P. Joſeph a SS. Conceptione Congregat. Dominicæ Paſſionis, Rector ſeceſſus Montis Albani prope Arcem Papæ.

TESTES SYNODALES

Joannes Benvenuti Archipresbyter Caſtri Columnæ.
Philippus Poſſenti Vicarius Foraneus Montis Portii.
Raphael Roſſi Archipresbyter Arcis Priorum.
Joſeph Spagnoli Vicarius Foraneus Arcis Priorum.
Paulus Ciuffa Sacerdos Montis Compatrum.
Romualdus Antonucci.
Joſeph Lunati.
Joannes Petrus Biordi Valenti.

VICARII FORANEI

Ad beneplacitum duraturi.

In Terra Arcis Papæ: Petrus Santovetti Archipresbyter.
In Terra Montis Compatrum: Marcus Antonius Miſſori.
In Caſtro Columnæ: Joannes Benvenuti Archipresbyter.
In Terra Arcis Priorum: Joſeph Spagnoli.
In Terra Montis Portii: Philippus Poſſenti.

DEPUTATI MONASTERII S. FLAVIÆ DOMITILLÆ

Cajetanus Buzi Canonicus Decanus Cathedr. Eccl.
Joannes Joſeph Campoli Canonicus Cathedr. Eccl.

ADVO-

ADVOCATI PAUPERUM

Cajetanus Buzj Canonicus Decanus Cathedralis Eccleſiæ.
Sacerdos Franciſcus Giovazzini.
Joannes Petrus Biordi Valenti.

REVISORES COMPUTORUM LOCORUM PIORUM

Franciſcus Antonius Benedetti Canonicus Cathedr. Eccl.
Felix Pagliari Canonicus Cathedr. Eccl.
Philippus Biſcetti Beneficiatus Cathedr. Eccl.
Sacerdos Sixtus Bartolini.

DEPUTATI SACRI MONTIS PIETATIS

Gubernator Ludovicus Chiari.
Depoſitarius Petrus Pianazzi.
Ratiocinator Antonius Pagliari.

ŒCONOMUS GYNECÆI PUELLARUM ORPHANARUM

Joannes Petrus Biordi Valenti.

CAP. XX., & ULTIMUM.

DE CONSTITUTIONIBUS SYNODALIBUS.

QUÆ de triplici Chriſtiani Hominis officio in hac Diœceſana Synodo diſſeruimus, & quæ (ut Laici non minus, quam Clerici ad eadem obeunda officia paratiores fiant) per Noſtras haſce Conſtitutiones ſeu vitanda, ſeu peragenda ſtatuimus; ea e Sacris Litteris, ex Sanctis Patribus, ex Generalibus Conciliis, Apoſtolicis Conſtitutionibus, ac Diœceſanis ſive Prædeceſſorum Noſtrorum, ſive aliorum doctiſſimorum Antiſtitum Synodis decerpta ut plurimum a Nobis fuiſſe, nemo eſt, qui non intelligat. Quamobrem & confidentius ea præſcripſimus, & futurum ſperamus, ut ab omnibus ſerventur alacrius.

Nos

Digitized by Google

Nos quidem vehementer optamus, enixeque petimus, ut Synodales hæ Noſtræ Leges potius ut Parentis monita, quam ut imperantis præcepta excipiantur, eaſque virtutis amore verius, quam pœnarum metu, ii, ad quos pertinet, exequantur. Perfecta enim legum cuſtodia dilectio eſt, & finis præcepti (1) charitas. Verum cum pœnæ habitæ ſemper ſint legum præſidia, improbiſque hominibus impunitatis ſpes magnus eſſe ſoleat peccati fomes; Noſtrum proinde Vicarium Generalem monemus, atque hortamur in Domino, ut harum Synodalium Conſtitutionum obſervantiæ diligenter excubet, atque in earum tranſgreſſores pro modo culpæ animadvertat, ut quos crimen non terret, ſaltem pœna cohibeat. Pecuniarias pœnas, quas arbitrio Noſtro definiendas aliquibus delictis adnexuimus, quamquam in pauperes, aut Loca Pia erogari prorſus velimus; Noſtrum tamen erit ſemper, & quandocumque aut augere, aut minuere, aut etiam omnino condonare.

Ne quis vero ignorantiæ obtentu a pœnarum incurſu tueri ſe poſſit; Harum Noſtrarum Conſtitutionum codicem, ubi primum e typis prodierit, dono dabimus univerſo Noſtræ Diœceſis Clero, nec non Regularium eamdem incolentium Moderatoribus, ut illum omnes, & ſinguli frequenter, ſeduloque perlegant, & quæ ad illos ſpectant, exequantur; quæ vero Laicos reſpiciunt, iiſdem, opportuna arrepta occaſione, patienter, dilucideque annuntient. Quod autem fuerimus in illo elucubrando prolixiores, eo id egimus conſilio, ut Clerici omnes, atque ii potiſſimum, qui propter rei familiaris anguſtias librorum quoque inopia vel inviti laborant (quos ſane non paucos eſſe intelligimus) nullo impendio, nulloque labore in uno haberent codice & Leges, quibus obſequerentur, & Inſtitutionem, qua ad divina implenda præcepta, Eccleſiaſticaque officia obeunda, quantum ſatis eſt, informarentur. Præterea illud etiam ſpectavimus, quod

(1) 1. Ad Timot. cap. 1.

quod ſane eventurum ſperamus, ut Clerici Noſtræ curæ concrediti, unius ſint labii, & id ipſum omnes ſapiant, ac dicant. Ne vero hac in re eorum induſtria, diligentiaque deſideretur, eos monitos eſſe volumus, futurum deinceps, ut qui doctrinæ periculum erunt ſubituri, ſeu pro Sacris ſuſcipiendis Ordinibus, ſeu pro facultate obtinenda Sacramentales audiendi Fidelium Confeſſiones, de iis ab Examinatoribus interrogentur, quæ in eodem Noſtrarum Conſtitutionum Volumine congeſſimus.

Si quæ a Deceſſoribus Noſtris in aliis Tuſculanis Synodis ſancita fortaſſe fuerint, quæ Noſtris hiſce decretis adverſentur; ea de media tollimus, & abrogamus; reliqua vero confirmamus, ac rata decernimus, ſublatis tamen cenſuris omnibus, quæ non fuerint a Nobis in hac Synodo inſtauratæ, atque innovatæ. Noverint etiam omnes per has Synodales Conſtitutiones non ita a Nobis Noſtræ juriſdictionis fines circumſcribi, ut eas, ſi opus ſit, mutare, corrigere, ampliare, aut ſuper iis, ſi æquitatis ratio ſuadeat, diſpenſare jure Noſtro non valeamus. Si quid dubium, ac difficile in illis emergat, quod explanatione, aut interpretatione indigeat, nemo id ſibi privata arroget auctoritate. Pro ea enim, qua fungimur, poteſtate omnem in his Conſtitutionibus declarationem, explicationem, ac interpretationem Nobis, ac Succeſſoribus Noſtris reſervamus. Quæcumque demum in hac Synodo conſtituimus, juſſimus, decrevimus, ita ſupremo Pontificis Maximi, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, quæ cæterarum omnium Mater eſt, ac Magiſtra, judicio ſubiicimus, ut nonniſi, quæ ipſa probaverit, comprobemus, & ſi quæ mutari, aut deleri juſſerit, obſequenti animo mutata, atque deleta decernamus.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO

AD UNIVERSUM CLERUM

HABITA IN FINE SYNODI

A CELSITUDINE REGIA EMINENTISSIMA

HENRICI EPISCOPI TUSCULANI
S. R. E. CARDINALIS VICE-CANCELLARII
DUCIS EBORACENSIS

Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Archipresbyteri, Eccleſiæ S. Laurentii in Damaſo Commendatarii &c.

A*Udiſtis, Venerabiles Fratres, & Filii in Chriſto chariſſimi, audiſtis Synodales Noſtras Conſtitutiones, quæ monita potius Patris veſtri, & hortationes ad veterum legum obſervantiam, quam nova imperantis Legislatoris præcepta nuncupari merito poſſunt. Quæ enim aut facienda, aut vitanda per eas decrevimus, fere omnia e Scriptura, ex Patribus, ex Sacris Canonibus, Generalibus Conciliis, Apoſtolicis Conſtitutionibus, Sacrarum Congregationum decretis, ac Diœceſanis ſeu Deceſſorum Noſtrorum, ſeu aliorum doctiſſimorum Antiſtitum Synodis decerpta eſſe & Nos fatemur, & vos ipſi intelligere facile potuiſtis. Non igitur novum humeris veſtris impoſuimus onus, aut novis legibus jugum veſtrum aggravavimus, ſed æternæ ſalutis veſtræ, Populorumque Nobis concreditorum cupidiſſimi, ea vobis in mentem revocavimus, quæ*

Digitized by Google

ſcire jam vos, atque opere complere oportebat. Omnia itaque, quaecumque diximus vobis, ſervate, & facite, atque eſtote factores verbi, & non auditores tantum. Non enim auditor obliviosſus, ut Beatiſſimi Jacobi Apoſtoli utamur verbis, ſed factor operis, beatus in facto ſuo erit. Quemadmodum ergo accepiſtis a Nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſic ambulate, ut abundetis magis.

Vos tamen prae caeteris, Paſtores plebium, ac Duces Populorum, quos iterum hic in ſollicitudinis Noſtrae partem vocamus, vos monemus, rogamus, & obteſtamur per viſcera miſericordiae Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto, ut facti forma gregis, exemplo bonorum operum praeeatis, Paſtorem Magnum imitati Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, de quo ſcriptum eſt: cœpit facere, & docere. *Exemplis enim magis, atque opere, quam voce, & ſermone, populos in tenebris, atque in umbra mortis ſedentes illuminandos eſſe arbitramur. Percurrite itaque frequenter oculis, percurrite animo Synodales Noſtras Conſtitutiones; & ſi quid ad earum normam corrigendum eſſe in populo videatur, prius in vobiſmetipſis id corrigere, atque emendare ſtudete. Munda enim, teſte Cypriano, debet eſſe manus, quae ſordes tergit; &, ut inquit Ambroſius, quid in te populus miretur, ſi ea, quae in ſe erubeſcit, in te, quem reverendum arbitratur, offendat? Inſitam deinde Populis veſtris pietatem (neque enim Populum nacti eſtis durae cervicis, ſed Populum acceptabilem, & Oves Paſtoris voci facile obſequentes) frequentibus monitis, conſiliis, atque hortationibus excolite, eoſque in Religionis officio ſumma cura, ſtudioque continete; & quemadmodum Apoſtoli poſt illapſum ſuper eos Spiritum Sanctum e coenaculo egreſſi, & in Mundum univerſum euntes, eo, quo ardebant,*

Digitized by Google

debant, divini amoris igne reliquos inflammarunt; ita & vos ex hoc ſacro egreſſi cœtu, ite, docete pueros, rudes erudite, plebem inſtruite, omnibus demum ſive viris, ſive mulieribus, ſive parvulis, ſive adultis, ſive ſenibus in tota hac Noſtra Diœceſi Magnalia Dei annunciate. Sic enim ſumma animi Noſtri voluptate fiet, ut in hac Agri Dominici parte, quam divino conſilio cuſtodiendam, atque excolendam accepimus, nullum ſe noxiæ ſtirpis incrementum attollat, ſed, extincto quolibet vitiorum ſemine, convaleſcat ſeges læta virtutum; Nos vero de uberrima ſanctorum operum fruge magna cum exultatione gloriemur. Tandem ut dicendi finem faciamus, iiſdem vos dimittemus verbis, ac votis, quibus Apoſtolus uſus eſt ad Hebræos ſcribens, quos tamquam fratres ſuos incredibili amore proſequebatur: Deus pacis, qui eduxit de mortuis Paſtorem Magnum ovium in ſanguine Teſtamenti æterni, Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram ſe per Jeſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

Die Lunæ quinta Septembris 1763. Indictione undecima, Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Clementis XIII. anno ſexto.

CUM Celſitudo Regia Eminentiſſima, D. Henricus Miſeratione Divina Epiſcopus Tuſculanus, Cardinalis Dux Eboracenſis, S. R. E. Vice-Cancellarius, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Archipresbyter, Eccleſiæ S. Laurentii in Damaſo Commendatarius &c., completa intra biennium jam tranſactum Viſitatione hujus Tuſculanæ Civitatis, ejuſque Diœceſeos, decreviſſet ad formam Sacroſancti Tridentini Concilii, devenire ad celebrationem Diœceſanæ Synodi, ſub die tertia Aprilis 1763. e ſuggeſtu fuit publicata Indictio ejuſdem Synodi inter Miſſarum ſolemnia per Reverendiſſimum D. Nicolaum Seghetti Archipresbyterum hujus Ven. Cathedralis, & Parochialis Eccleſiæ S. Petri Tuſculi, & fuerunt affixa Edicta ejuſdem Indictionis tam valvis ejuſdem Cathedralis Eccleſiæ, quam aliarum Eccleſiarum Archipresbyteralium, & Parochialium hujus Diœceſis, prout ex relationibus Nuncii a tergo dictorum Edictorum: Cumque diebus tunc indictis, ob malam valetudinem prælaudatæ Celſitudinis Regiæ Emæ Epiſcopi, deveniri non potuiſſet ad celebrationem ejuſdem Synodi, iterum affixa, & publicata fuerunt alia Edicta, per quæ Synodus translata fuit ad dies octavam, nonam, decimam, & undecimam præſentis Menſis Septembris currentis anni 1763., prout ex iiſdem Edictis, & relationibus, ad quas &c., ideo in executionem eorumdem Edictorum, & ad effectum celebrandi Synodum prædictam, ſub heſterna die per Tabellam affixam valvis Sacrârii prædictæ Cathedralis Eccleſiæ, ac etiam per ſchedulas domi dimiſſas, convocati fuerunt per me &c. omnes, & ſinguli DD. Capitulares ſæpedictæ Cathedralis Eccleſiæ coram præfata Regia Celſitudine Ema in manſionibus R. P. D. Marcolini poſit. in hac Civitate Tuſculi, prope earum notiſſimos fines, prout hodie dictum Capitulum Cathedralis Eccleſiæ, nempe:

Rmi D. Nicolaus Seghetti Archipresbyter.
D. Joannes Maria Bianchi Archidiaconus.
D. Canonicus Cajetanus Buzj.
D. Canonicus Bernardus Leoni.
D. Canonicus Felix Pagliari.
D. Canonicus Scipio Ottaviani.

D. Ca-

D. Canonicus Hieronymus Gregorini.
D. Canonicus Joſeph Betti.
D. Canonicus Thomas Greci.
D. Canonicus Franciſcus Antonius Benedetti.
D. Canonicus Angelus Giammarioli Theologus.
D. Canonicus Philippus Campoli Pœnitentiarius.
D. Canonicus Joannes Joſeph Campoli.
D. Canonicus Franciſcus Maria Senni.
D. Canonicus Antonius Maria Primavera.

majorem partem Capituli conſtituentes, ibi capitulariter congregati, convenerunt, & fuerunt de mandato ejuſdem Celſitudinis Regiæ Eminentiſſimæ alta, & intelligibili voce lecta per admodum RR. DD. Fortunatum Caſali, & Dominicum Bianchi Beneficiatos ejuſdem Cathedralis Eccleſiæ, decreta, & ordinationes, quæ evulgari, & publicari debent in proxime futura habenda Synodo diebus octava, nona, decima, ac undecima hujus currentis menſis; ſuper quibus, expleta lectura, eadem Celſitudo Regia Eminentiſſima Epiſcopus conſilium earumdem DD. Dignitatum, & Canonicorum ſic capitulariter congregatorum requiſivit, qua per eos requiſitione audita, propoſitum, & determinationem dictæ Celſitudinis Regiæ Emæ de Synodo agenda, & decreta, ut ſupra, ipſis præſentibus, & audientibus lecta, in ea publicanda laudaverunt, & approbarunt. In quorum &c.

Coram, & præſentibus, ubi ſupra, admodum RR. DD. Fortunato Beneficiato Caſali fil. bo. mem. Joſephi, &. Dominico Beneficiato Bianchi fil. qu. Nicolai Tuſculanis teſtibus &c.

Et attenta tarditate horæ fuit dimiſſa Congregatio Præ-Synodalis, & iiſdem DD. Dignitatibus, & Canonicis intimata alia Congregatio coram laudato Sermo D. Cardinali Epiſcopo, & in manſionibus, de quibus ſupra, pro die craſtina hora decimaquarta, coram, & præſentibus teſtibus de quibus ſupra &c.

Ita eſt Franciſcus Grilli Notarius, & Cancellarius Epiſcopalis rogatus &c.

Die

Die Martis ſexta Septembris 1763. Indictione undecima, Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ CLEMENTIS XIII. anno ſexto.

Attenta intimatione ſub heſterna die, ut ſupra, facta Rmo Capitulo hujus Cathedralis, & Parochialis Eccleſiæ Tuſculanæ, iterum coram eadem Regia Celſitudine Emã D. Cardinali Duce Eboracenſi Epiſcopo Tuſculano, & in ædibus ſupradicti Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Marcolini hora decima quarta ſuperius intimata, pro habenda altera Congregatione præ Synodali, capitulariter congregati convenerunt

Rmi D. Nicolaus Seghetti Archipresbyter.
D. Joannes Maria Bianchi Archidiaconus.
D. Canonicus Cajetanus Buzj.
D. Canonicus Bernardus Leoni.
D. Canonicus Felix Pagliari.
D. Canonicus Scipio Ottaviani.
D. Canonicus Hieronymus Gregorini.
D. Canonicus Joſeph Betti.
D. Canonicus Thomas Greci.
D. Canonicus Franciſcus Antonius Benedetti.
D. Canonicus Angelus Giammarioli.
D. Canonicus Philippus Campoli.
D. Canonicus Franciſcus Maria Senni.
D. Canonicus Antonius Maria Primavera.

& lectæ fuerunt Conſtitutiones, & decreta publicanda in proxima futura habenda Synodo per admodum RR. DD. Beneficiatos Fortunatum Caſali, & Dominicum Bianchi, ſuper quibus, expleta lectura, eadem Celſitudo Regia Emã D. Cardinalis Epiſcopus, prædictarum DD. Dignitatum, & Canonicorum ſic, ut ſupra, capitulariter congregatorum requiſivit, qua per eos requiſitione audita propoſitum, & determinationem dictæ Celſitudinis Regiæ Emæ de Synodo agenda, & decreta, ut ſupra, ipſis præſentibus, & audientibus lecta, in eadem Synodo publicanda laudaverunt, & approbarunt. Coram, & præſentibus, ubi ſupra, memoratis admodum RR. DD. Fortunato Beneficiato Caſali fil. bo. mem. Joſephi, & Dominico Beneficiato Bianchi fil. bo. mem. Nicolai Tuſculanis teſtibus &c.

Et attenta tarditate horæ fuit dimiſſa Congregatio Præ-Synoda-

Digitized by Google

nodalis, & iiſdem DD. Dignitatibus, & Canonicis intimata fuit altera Congregatio coram antedicto Serm̃o Epiſcopo, & in dicto loco, pro die craſtina hora decimaquarta, præſentibus Teſtibus antedictis &c.

Ita eſt Franciſcus Grilli Notarius, & Cancellarius Epiſcopalis Tuſculanus.

Die Mercurii ſeptima Septembris 1763. Indictione undecima Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ CLEMENTIS XIII. anno ſexto.

ITerum congregatum fuit Rm̃um Capitulum hujus Ven. Cathedralis, & Parochialis Eccleſiæ S. Petri Tuſculi, ſcilicet &c.

Rm̃i DD. Nicolaus Seghetti Archipresbyter.
D. Joannes Maria Bianchi Archidiaconus.
D. Canonicus Cajetanus Buzj.
D. Canonicus Bernardus Leoni.
D. Canonicus Felix Pagliari.
D. Canonicus Scipio Ottaviani.
D. Canonicus Hieronymus Gregorini.
D. Canonicus Joſeph Betti.
D. Canonicus Thomas Greci.
D. Canonicus Franciſcus Antonius Benedetti.
D. Canonicus Angelus Giammarioli.
D. Canonicus Philippus Campoli.
D. Canonicus Joannes Joſeph Campoli.
D. Canonicus Franciſcus Maria Senni.
D. Canonicus Antonius Maria Primavera.

in ædibus, de quibus ſupra, hora decima quarta deſuper intimata, pro habenda altera Præ-Synodali Congregatione coram præfata Regia Celſitudine Em̃a D. Cardinali Duce Eboracenſi Epiſcopo Tuſculano, & in ea perlectæ fuerunt Conſtitutiones, & decreta publicanda in proxime habenda Synodo per admodum RR. DD. Beneficiatum Fortunatum Caſali, & Beneficiatum Dominicum Bianchi, expletaque dictarum Conſtitutionum, & decretorum lectura, eadem Celſitudo Regia Em̃a ſuper iis conſilium dd. Dignitatum, & Canonicorum ſic capitulariter congregatorum requiſivit, eaque requiſitione audita per dictas Dignitates, & Canonicos ſupradictos, propoſitum, & determinationem ipſius Celſitudinis Regiæ de Synodo,

nodo agenda, & decreta ſuperius, ipſis præſentibus, & audientibus, lecta in ſæpe memorara Synodo publicanda, laudaverunt, & approbarunt.

Coram, & præſentibus in ædibus, de quibus ſupra, prædictis DD. Beneficiato Fortunato Caſali, & Beneficiato Dominico Bianchi Tuſculanis Teſtibus &c.

Ita eſt Franciſcus Grilli Notarius, & Cancellarius Fpiſcopalis Tuſculanus.

ROGITUS NOTARIORUM

Die undecima Septembris 1763. Indictione undecima Pontificatus Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ CLEMENTIS XIII. anno ſexto.

CUM Celſitudo Regia Eſña, D. Henricus miſeratione Divina Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis Dux Eboracenſis S. R. E. Vice-Cancellarius, Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Archipresbyter, Eccleſiæ S.Laurentii in Damaſo Commendatarius &c., intra biennium jam tranſactum, univerſam hanc Tuſculanam Diœceſim, Sacram Viſitationem peragendo, perluſtraverit, ſaluberrimaſque leges pro morum correctione, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ incremento, juxta temporum opportunitatem, condiderit, hanc quoque primam Diœceſanam Synodum ad Omnipotentis Dei gloriam, & animarum ſibi concreditarum ſalutem, celebrare decrevit: Ideoque ejuſdem Synodi Indictionis datis litteris, ac aliis ſubinde de illius prorogatione ſub die duodecima elapſi menſis Maii publicatis, diebus octava, nona, decima, ac undecima hujus menſis Septembris, Synodum haberi demandavit. Auditis itaque prius in particularibus Congregationibus Theologis, & Canoniſtis, ſuper rebus in Synodo ſtatuendis, iiſque mature diſcuſſis, auditoque hujus Reverendiſſimi Capituli Tuſculani conſilio ſuper eiſdem, prout liquet ex actis meis &c., convocatoque deinde univerſo Clero hujus Civitatis, ejuſque Diœceſeos, eoque congregato in hac Venerabili Cathedrali, & Parochiali Eccleſia Tuſculana, in ſeſſionibus habitis ſub dictis diebus octava, nona, decima, ac undecima, præſidente ipſamet Celſitudine Regia Eminentiſſima Domino Cardinali Epiſcopo, de ejus mandato lecta, & publicata fuere e ſuggeſtu per Reverendiſſimum Dominum Canonicum Joannem Joſephum Campoli Synodi Secretarium, ac admodum

Digitized by Google

modum R. Dominum Dominicum Beneficiatum Bianchi alterum ex illius Coadjutoribus, ambos ab eadem Celſitudine Regia Em̃a deputatos, Synodalia decreta, & Conſtitutiones, quas, afflante Dei ſpiritu, ſanciendas duxit, præſentibus, adſtantibus, audientibus, & intelligentibus Illm̃o, ac Rm̃o D. Jacobo Piſtorozzi Vicario Generali, Rm̃is DD. Archipresbytero, Archidiacono, Canonicis, & Beneficiatis hujus Ven. Cathedralis Eccleſiæ, nec non admodum RR. DD. Archipresbyteris, Parochis, aliarumque Eccleſiarum Rectoribus, & aliis tam Civitatis, quam Diœceſis Sacerdotibus, & Clericis: Receptiſque per eumdem Clerum univerſum ſupradictis Synodalibus Conſtitutionibus, inſtante Rm̃o D. Nicolao Seghetti Archipresbytero Tuſculano, & Synodi Promotore, petitum fuit, ut ego Franciſcus Grilli Cancellarius Epiſcopalis laudati Sereniſſimi, & Eminentiſſimi Epiſcopi, & Synodi Notarius, una cum infraſcripto Domino Joanne Baptiſta Pomardi Connotario, unum, ſeu plura ſuper præmiſſis conficerem Inſtrumentum, vel Inſtrumenta, coram, & præſentibus in dicta Venerabili Cathedrali, & Parochiali Eccleſia Tuſculana Illm̃o D. Petro Miccinelli fil. bo. mem. Joannis Baptiſtæ nobili Viterbien. J. U. D. Gubernatore hujus Civitatis Tuſculi, nec non Illm̃is DD. Duce Franciſco Janario fil. bo. mem. Pauli, Lelio Franciſco Tranquilli fil. bo. mem. Laurentii, & Aſcentio Curti fil. bo. mem. Sebaſtiani Conſervatoribus, ac Illm̃o D. Joanne Andrea Mediante Syndico ejuſdem Civitatis, Teſtibus ad prædicta omnia, & ſingula habitis ſpecialiter, atque rogatis.

Ita eſt: Franciſcus Grilli Tuſculanus civis, Celſitudinis Regiæ Eminentiſſimæ D. Cardinalis Ducis Eboracenſis Epiſcopi Tuſculani Cancellarius Epiſcopalis, & hujus ſacroſanctæ Synodi Notarius inſolidum cum infraſcripto Domino Joanne Baptiſta Pomardi Connotario, de præmiſſis rogatus.

Loco † Signi.

Ita eſt: Joannes Baptiſta Pomardi Notarius publicus de Monte Portio Tuſculanæ Diœceſis, una cum Domino Franciſco Grilli Cancellario Epiſcopali Tuſculano, & hujus ſacroſanctæ Synodi Notario, de præmiſſis rogatus.

Loco † Signi.

Ccccc EDI-

EDICTUM
PUBLICATIONIS TUSCULANÆ SYNODI.

HENRICUS *Miſeratione Divina Epiſcopus Tuſculanus*, *S. R. E. Vice-Cancellarius*, CARDINALIS DUX EBORACENSIS, *Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe Archipresbyter*, *Eccleſiæ S. Laurentii in Damaſo Commendatarius &c.*

CUM Synodales Conſtitutiones, quas in Synodo edidimus a Nobis habita diebus 8., 9., 10., & 11. Menſis Septembris anni 1763., publicis impreſſæ typis prodierint; Nequis ab iis exequendis ignorantiæ, aliove inani obtentu ſe poſſit eximere; Eaſdem per hoc Edictum, quod ad Noſtræ Cathedralis, aliarumque Parochialium Eccleſiarum valvas affigi de more jubemus, publicare decrevimus, ſolemnique ritu promulgare. Edicimus itaque omnibus, & ſingulis, ad quos pertinet, poſt quinquageſimum ab hac promulgatione diem ad omnimodam Synodalium Conſtitutionum Noſtrarum obſervantiam eos teneri, perinde ac ſi lectæ ſingulis eædem fuiſſent, Noſtroque juſſu nominatim denunciatæ. Quamobrem ſiquis adverſus illas, ejuſmodi elapſo tempore, deliquerit, tamquam ſciens, & culpabilis tranſgreſſor habeatur.

Datum ex Ædibus Noſtris Tuſculanis die 7. Aprilis 1765.

Henricus Cardinalis Epiſcopus.

Loco ✠ Sigilli.

Franciſcus Grilli Cancellarius.

INDEX

INDEX CAPITUM,

QUÆ IN HIS SYNODALIBUS CONSTITUTIONIBUS CONTINENTUR.

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM

PARS PRIMA.

DE *Chriſtiani Hominis officio erga Deum.* Pag. 24

CAP. I. De Fide divina.

ART. I. *De Fide tenenda.* 25

II. *De Fide profitenda, ſeu de Profeſſione Fidei.* 28

III. *De Fide illibate ſervanda, atque tuenda.* 31

II. De Spe. 35

III. De Charitate. 38

ART. I. *De Charitate erga Deum.* 39

II. *De Charitate erga Proximum.* 41

IV. De effectuChari tatis, ſeu de beneficentia. 42

V. De vitiis Charitati oppoſitis vitandis. 45

VI. De Religionis virtute. 47

VII. De Miſſæ Sacrificio. 48

VIII. De celebratione Miſſarum. 53

IX. De Oratione. 76

ART. I. *De orandi neceſſitate, & utilitate.* 77

II. *De conditionibus ad orationis efficaciam requiſitis.* 80

III. *De oratione mentali, ac vocali.* 86

IV. *De Horis Canonicis ſive privatim, ſive in Choro perſolvendis.* 94

V. *De publicis ſupplicationibus, aut Proceſſionibus.* 108

CAP. X. De Voto, & Jurejurando. Pag. 114
XI. De Adoratione Dei, Cultuque Deiparæ Virginis. 120
XII. De Sacris Imaginibus, Reliquiis, & Veneratione Sanctorum. 127
XIII. De Feſtorum Dierum Religioſa, Sanctaque obſervantia. 136
XIV. De Eccleſiis, aliiſque Locis Sacris, ac de Reverentia eiſdem debita. 151
ART. I. *De Eccleſiis ædificandis, vel reparandis.* 152
II. *De Conſecratione, aut Benedictione Eccleſiæ, aut Altaris, aliarumque rerum Sacrarum.* 159
III. *De reverentia Eccleſiis, aliiſque Sacris Locis debita.* 162
IV. *De Immunitate Eccleſiis, aliiſque Locis Sacris, & piis debita.* 168
XV. De Juribus, & Præeminentiis Sanctæ Tuſculanæ Cathedralis Eccleſiæ, ac de Parœcialibus Eccleſiis, earumque juribus. 182
XVI. De publicis, ac de privatis Oratoriis. 191
XVII. De Laicorum Hominum Sodalitiis, ſeu Confraternitatibus. 196
XVIII. De Domibus Hoſpitalibus Pauperum Peregrinorum, & ægrotorum. 208
XIX. De Monte Pietatis. 213
XX. De Bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione, tutela, atque immunitate. 217
XXI. De Reali Eccleſiaſticorum ſive mobilium, ſive immobilium bonorum immunitate. 229
XXII. De Reverentia Eccleſiaſticis Perſonis debita, ac de Canonis, & Fori privilegio iiſdem conceſſo. 235
ART. I. *De Privilegio Canonis.* 235
II. *De Privilegio Fori.* 242
III. *De Reverentia Eccleſiaſticis Perſonis debita.* 247

CAP.

Digitized by Google

CAP.XXIII. De Eccleſiaſtica Hierarchia. Pag. 248
ART. I. *De Epiſcopo.* 249
II. *De Canonicis, Beneficiatis, aliiſque Miniſtris Cathedralis Eccleſiæ.* 254
III. *De Parochis.* 257
IV. *De Presbyteris nullam animarum curam habentibus.* 260
V. *De Seminarii Tuſculani Alumnis.* 262
XXIV. De Regularibus. 268
XXV. De Monialibus. 287
XXVI. De Eremitis, de Oblatis, de Tertiariis, ſeu Bizochis, de Quæſtoribus, & Collectoribus eleemoſynarum, ac Puellarum Conſervatorio. 312
ART. I. *De Eremitis, & de Oblatis.* 312
II. *De Tertiariis, ſeu Bizochis.* 315
III. *De Quæſtoribus, & Collectoribus Eleemoſynarum.* 318
IV. *De Puellarum Frondiſterio, ſeu, ut ajunt, Conſervatorio.* 322
XXVII. De vitiis Religioni oppoſitis; ac primum de ſuperſtitione. 324
XXVIII. De ſimonia. 328
XXIX. De blaſphemia. 342

Digitized by Google

SYNODALIUM CONSTITUTIONUM

PARS SECUNDA.

D*E Chriſtiani homini officio erga ſemetipſum.* Pag. 349
CAP. I. De Prudentia, & vitiis oppoſitis. 350
II. De Fortitudine, ac vitiis oppoſitis. 356
III. De Temperantia, & vitiis oppoſitis. 364
ART. I. *De Temperantia quoad guſtus ſenſum.* 364
II. *De ſacris Jejuniis ab Eccleſia præſcriptis.* 371
III. *De Caſtitate, eique oppoſita luxuria.* 379
IV. De internis animi affectibus temperandis. 389
V. De ſenſuum exteriorum cuſtodia. 396
VI. De vita, & honeſtate Clericorum. 402
ART. I. *De Clericalis Status dignitate, ac præſtantia.* 403
II. *De Clericorum pietate.* 405
III. *De Clericorum doctrina.* 407
IV. *De Clericorum reſidentia.* 408
V. *De exteriori Clericorum modeſtia, habituque.* 410
VI. *De Mulierum converſatione, & cohabitatione a Clericis vitanda.* 412
VII. *De pœnis adverſus Clericos incontinentes in Jure Canonico ſtatutis.* 414
VIII. *De comeſſationibus, & ebrietatibus a Clerico vitandis.* 415
IX. *De alearum ludo a Clericis vitando.* 417
X. *De choreis, theatris, aliiſque profanis ſpectaculis a Clerico vitandis.* 419
XI. *De Venatione, armorumque delatione Clerico interdicta.* 421
XII. *De negotiis ſæcularibus Clerico cuilibet interdictis.* 424
XIII. *De Eccleſiaſticorum redituum uſu Clericis præſcripto.* 427

CON-

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM

PARS TERTIA.

DE *E Chriſtiani hominis officio erga proximum.* Pag. 429
CAP. I. De Juſtitia Cardinali Virtute. 430
ART. I. *De homicidio voluntario, & caſuali.* 431
II. *De injuſta alieni honoris, ac famæ læſione.* 437
III. *De furto, & rapina.* 439
IV. *De Injuſtitia in contractibus.* 441
II. De pietate, & obſervantia, virtutibus adnexis. 454
ART. I. *De pietatis, & obſervantiæ officiis Filiorum erga Parentes, Plebis erga Paſtores, Subditorum erga Principes, ac Superiores, & Servorum erga Dominos.* 454
II. *De officiis Parentum erga Filios, Principum, & Magiſtratuum erga Subditos, & Dominorum erga Servos.* 459
III. De Officiis Paſtorum, ac Sacerdotum erga Proximum. 463
IV. De converſationis exemplo, quo paſcere populum debent animarum Paſtores. 464
V. De verbo prædicationis. 468
ART. I. *De Chriſtiana Doctrina Fidelibus, ac præſertim pueris, rudibuſque explicanda.* 468
II. *De Verbi Dei prædicatione.* 472
VI. De Sacramentis in genere. 477
VII. De Baptiſmo. 488
VIII. De Confirmationis Sacramento. 506
IX. De Sacramento Euchariſtiæ. 518
ART. I. *De præcepto, quo urgentur Fideles, recipiendi ſæpius in vita Euchariſtiam, ac de ratione eam digne, atque utiliter recipiendi.* 519
II. *De Viatico ægrotis in mortis periculo conſtitutis adminiſtrando.* 541

III. *De*

Digitized by Google

III. *De Divina Euchariſtia publice exponenda, ut a Fidelibus externo, internoque latriæ cultu adoretur.* 555
IV. *De Proceſſionibus, in quibus Divina Euchariſtia ſtatis temporibus per vias, & loca publica honorifice, ac reverenter deferri conſuevit.* 564
V. *De variis uſibus, in quos adhibita olim fuit Euchariſtia, & quos vel numquam approbavit, vel etiam rejecit, ac damnavit Eccleſia.* 571

CAP. X. De Pœnitentiæ Sacramento. 574

ART. I. *De Sacramenti Pœnitentiæ inſtitutione, ac neceſſitate.* 575
II. *De materia remota Sacramenti Pœnitentiæ.* 581
III. *De Contritione.* 583
IV. *De Confeſſione.* 588
V. *De Satisfactione.* 597
VI. *De Forma Sacramenti Pœnitentiæ, ſeu de Abſolutione Sacramentali.* 604
VII. *De Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ.* 614
VIII. *De triplici, quo Confeſſarius fungitur, munere, dum Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrat.* 624
IX. *De peccatis, & Cenſuris reſervatis.* 631
X. *De Cenſuris, ac præſertim de iis, quarum abſolutio Romano Pontifici eſt reſervata.* 643
De Excommunicatione. 649
De Suſpenſione. 659
De Interdicto. 663
De Depoſitione, & Degradatione. 672
XI. *De Sacramentali Pœnitentiæ ſigillo.* 673
XII. *De Confeſſariis ſollicitantibus ad turpia, atque inhoneſta, ac de obligatione eos denunciandi.* 678
XIII. *De reliquis ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem pertinentibus.* 683

CAP.

CAP.XI. De Indulgentiis, & Remiſſionibus. 687
ART.I. *De Indulgentiis pro Fidelibus vivis.* 688
II. *De Indulgentiis pro Fidelibus defunctis.* 703
XII. De Sacramento Extremæ Unctionis. 710
XIII. De Teſtamentis, & Legatis Piis. 723
XIV. De Funeribus, ac Sepulturis. 734
XV. De Sacramento Ordinis. 761
ART.I. *De natura, excellentia, atque effectibus Sacramenti Ordinis.* 761
II. *De variis Ordinis gradibus materia, & forma.* 764
De prima Tonſura. 765
De Minoribus Ordinibus. 767
De Oſtiariatu. 769
De Lectoratu. 771
De Exorciſtatu. 772
De Acolythatu. 775
De Majoribus, ſeu Sacris Ordinibus. 777
De Subdiaconis. 777
De Diaconis. 778
De Presbyteris. 780
III. *De Miniſtro Sacramenti Ordinis.* 781
IV. *De titulo ad Sacros Ordines ſuſcipiendos requiſito.* 790
V. *De qualitatibus Ordinandorum.* 797
VI. *De Irregularitate, quæ Canonicum eſt ad Ordines ſuſcipiendos impedimentum.* 803
VII. *De temporibus Ordinationum.* 805
VIII. *De obligationibus ſuſceptioni Sacrorum Ordinum adnexis.* 808
IX. *Elenchus requiſitorum, quæ ad ſingulos Ordines in Tuſculana Diœceſi ſuſcipiendos exhibenda ab Ordinandis erunt.* 812
Pro prima Tonſura. 812

Pro

Digitized by Google

Pro Minoribus Ordinibus. 813

Pro Majoribus, & Sacris Ordinibus. 813

CAP. XVI. De Sacramento Matrimonii. 816

ART. I. *Quid, & quotuplex ſit Matrimonium, & quænam ejus bona?* 817

II. *De ſponſalibus de futuro*. 823

III. *De Trina publica denunciatione Matrimonio præmittenda*. 829

IV. *De Matrimonii impedimentis*. 832

V. *De impedimentis Matrimonii impedientibus*. 832

IV. *De impedimentis dirimentibus Matrimonium*. 835

De errore. 835

De conditione. 836

De voto. 837

De cognatione. 838

De crimine. 841

De cultus diſparitate. 843

De vi. 848

De Ordine. 849

De Ligamine. 850

De publicæ honeſtatis juſtitia. 851

De affinitate, 854

De impotentia. 856

De clandeſtinitatis impedimento. 858

De raptu. 869

VII. *De ætate ad Matrimonium requiſita*. 871

VIII. *De Matrimonialium impedimentorum diſpenſatione, ſeu relaxatione*. 873

IX. *De petendis, & exequendis Sacræ Pœnitentiariæ diſpenſationibus ſuper Matrimonialibus impedimentis tum impedientibus, tum dirimentibus*. 877

Digitized by Google

x. *De occultis Matrimoniis, quæ vulgo* Conſcientiæ *nuncupantur.* 888

xi. *De cauſis ſuper Matrimonii valore, aut nullitate agitandis, ac definiendis.* 891

xii. *De Matrimonio per Procuratorem inter abſentes contrahendo.* 893

xiii. *De materia, & forma Sacramenti Matrimonii, ſacriſque ritibus in eo ſuſcipiendo adhibendis.* 895

XVII. De Sacramentalibus. 899

XVIII. De judiciaria poteſtate, ac juſtitia ab Eccleſiaſticæ Curiæ Officialibus rite exercenda. 905

ART. I. *De Generali Vicario.* 906

ii. *De Vicariis Foraneis.* 814

iii. *De Judicibus Synodalibus.* 916

iv. *De Cancellario, aliiſque Eccleſiaſticæ Curiæ Officialibus.* 919

XIX. Miniſtri Synodi, & Officiales Cleri. 921

XX. Et ultimum de Conſtitutionibus Synodalibus. 926

Digitized by Google

Pag.	*Verſu*	*Errata*	*Corrige*
129	25	Generrli	Generali
132	28	iſtarnm	iſtarum
150	10	Tuſtamento	Teſtamento
202	7	ſpƈtatæque	ſpeƈtatæque
242	6	qoia	quia
242	15	abſolvantnr	abſolvantur
242	15	Mouaſteria	Monaſteria
260	11	quocumqne	quocumque
271	23	adminiſttare	adminiſtrare
272	18	puerofqne	puerofque
274	25	conceſſas	conceſſam
280	2	exixe	enixe
299	2	quiquid	quidquid
310	11	menſtrutis	menſtruis
310	29	fidejuſſiorem	fidejuſſorem
325	3	ſupeſtitio	ſuperſtitio
336	7	qnoniam	quoniam
388	1	itaqne	itaque
405	19	ſantificatio	ſanƈtificatio
406	2	datæ, præter	datæ, qua præter
416	11	neaeſſitatis	neceſſitatis
416	15	boſpitium	hoſpitium
450	12	cotraƈtus	contraƈtus
520	29	Cancilio	Concilio
540	11	contrionis	contritionis
583	18	coaƈtioue	coaƈtione
605	26	abſolutiontm	abſolutionem
695	11.	igirur	igitur

Digitized by Google

005647548
Digitized by Google

Digitized by Google